Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/appendixnecessar00liba

N° 34.

D. O. M. A.

Appendix neceſſaria Syntagmatis Arcanorum Chymicorum

ANDREÆ LIBAVII, M. D. P. C. HALLI-SAXONIS ILLVSTRIS GYMNASII APVD COBVRGENSES DIRECTORIS, PROFESSORIS PVBL. ET MEDICI Chymici-practici.

IN QVA PRÆTER ARCANORVM NONNVLlorum expoſitionem & illuſtrationem, quorundam item Medicorum Hermeticorum, & myſticorum deſcriptionem, continentur defenſiones geminæ, Primum eorum quæ ab HENNINGO SCHEVNEMANO, *& iuniore* GRAMANO *ſunt impugnata, Poſtea quæ in tranſmutatoria metallorum à* NICOLAO GVIBERTO, *Lotharingo, M.D. quibus fieri potuit viribus, ſunt attentata.*

ACCESSERVNT

I. Iudicium breue de Dea Hippocratis, ſeu Hygeia argentea (argentipara) HENNINGI SCHEVNEMANI; quam nuper excogitauit ex commentariis noſtris valde fugitiuam, deſerta cauſa fixorum iſtorum quæ volaticis Galenicis oppoſuit infeliciter;

II. Schema medicinæ Hippocraticæ & Hermeticæ ſimul, cuius rudimentum doctis cenſendum committitur, vt poſtea elaborari poſſit;

III. Examen Philoſophiæ magicæ CROLLII;

IV. Cenſura Philoſophiæ vitalis IOANNIS HARTMANNI Marpurgici Profeſſoris;

V. Admonitio de regulis Nouæ Rotæ, ſeu harmonicæ Sphæræ FRATRVM DE SOCIETATE ROSEÆ CRVCIS iuxta FAMÆ editæ indicem.

Omnia ſtudio & opera

ANDREÆ LIBAVII, M. D. &c.

(M. D. Nepol...)

M. DC.  *XV.*

FRANCOFVRTI

Excudebat Nicolaus Hoffmannus, Impenſis Petri Kopffij.

NOBILISSIMO ET GENEROSISSIMO IUVENI, ET D.

D. IOHANNI RHUDOLPHO LIBERO BARONI A STERNBERG, IN POSTELBERG, PRÆSSNITZ, PAteck, Wodelitz, &c.

IN ILLUSTRI GYMNASIO CASIMIRIANO COBURGI OPTIMARUM LITErarum veræque pietatis curam gerenti

ANDREAS LIBAVIUS M. D. P. C. è SALInis Saxonicis, Gymnaſii Caſimiriani apud Coburgenſes Director & Profeſſor publicus

Hanc Appendicem chymiatricam cum adiunctis, officioſe dicit, addicit, offert.

DOCTRINA ET VIRTVTE PRÆSTANTISSIMO VIRO ANDREÆ LIBAVIO MEDICÆ ARTIS DOCTORI P.C. Illuſtris Gymnaſii Caſimiriani in vrbe Coburga Directori & Profeſſori publico, Domino ſuo honorando.

Matthias Carnarius Phil. & Med. D. S. P.

COMPLVRES iam ſunt anni, vir excellentiſſime, cum primum ſignificaui tui me ſtudioſiſſimum, & obſeruantiſſimum eſſe. Neq; interim te admirari, & colere vnquam deſtiti, ſed conſtantiſſima & fuit ſemper hactenus, & erit in poſterum quoq; voluntas & obſeruãtia erga te mea. Quis enim eſt, qui cum eximium, & indefeſſum de omnibus bene merendi ſtudium tuum, laboresque fere herculeos à te boni publici cauſa ſtrenue ſuſceptos, & feliciter exantlatos perſpexerit (vt de exquiſita doctrina, & tot aliis hic taceam) te non iure optimo ſuſpiciat, & meritiſſimo veneretur? Quod ſi minus honorifice de te nonnulli tamen ſentiunt, non recuſabis fortunam tibi cum ſummis hominibus communẽ. Non potuit Homerus, doctrinarum, & antiquitatis parens, Zoili morſus effugere: Non Plato ingenii, & doctrinæ Princeps, & quaſi quidam Deus Philoſophorum. Aduerſus Theophraſtum hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum inde inuenerit, ſcripſit etiam fœmina; Et Ruffus toties Ciceronem Allobroga dixit: Ciceronem inquam facundiæ latinarumque literarum parentem illum extra omnem ingenii aleam, Plinii iudicio poſitum. Attamen hic, quemadmodum vere vaticinatus fuit Laurea Tullius Ciceronis libertus, totum legitur ſine fine per orbem: ille re vix vlla alia quam nomine & ſua obtrectatione eſt notus. Noſtri quoq; ſeculi labes quędam, & macula eſt virtuti inuidere: Et omnibus magnis viris infeſta eſt inuidia, dirigitque ad eos maxime ſua tela qui inter alios eminent: præterit fere hos quorum induſtriam, doctrinam & inuenta facile aſſequi & imitari nullo negotio poſſis. Neque mihi dubium eſt, quin ea, qua par eſt, animi magnitudine deſpicias potius, ac derideas multa quam refutes, aut in autores ſuos regeras. Scis vltionis cõtumelioſiſſimum genus eſſe non eſſe viſum dignum ex quo peteretur vltio: Illum magnum eſſe & nobilem, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecuras obaudit. In altiore certe loco poſitus es, quam vt nocere tibi, aut nominis tui famæ maculam aliquam aſpergere quorumuis ſermunculi & obtrectationes poſſint. Docti quoque & graues aduerſarii non tam obſcurabunt, & obnubẽt quam illuſtrabunt laudem tuam. Marcet, vt ille ait, ſine aduerſario virtus. In hoc ſuſtinendo, & refutando exercitata magis niteſcit. Quod ſi etiam erroris alicuius te illi conuicerint, hominem te eſſe, quod illis facile largieris, demonſtrabunt. Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus Socrates nihil ſe ſcire dixit. Nos inepte ita demum magnum, & ſapiẽtem eſſe aliquem arbitrabimur, ſi nihil prorſus ignoret, nunquam hallucinetur. An non etiam quandoq; bonus dormitat Homerus? Atque opere in longo fas eſt obrepere ſomnum. Nec deſiit ideo magnus eſſe magnus, vt Celſi verbis vtar, Profeſſor Hippocrates, quod errare potuit, quod errauit, quod à futuris ſe deceptum eſſe ingenue, atque aperte profeſſus eſt, more ſcil. magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Præclarius tamen de multorum ſtudiis aduerſarii hi procul dubio me-

rerentur,

ferentur, ſi tibi quædam condonare candide, & amice oſtenſis erroribus, quos euitare forte in tam magno opere non licebat, tuos conatus promouere, & adiuuare, quã acerbitate ſua impedire & turbare mallent. Non eges cuiuſquam vel patrocinio, vel præconio, aut certe non meo. A doctioribus, & laudatis viris iſta, ſi res poſtulet, proficiſci oportere probe ſcio, quorum neque hactenus tibi defuit ſtudium; neque vllo in loco in poſterum deerit. Hæc tamen attingere, & apud noſtros de te prædicare voluntas erga te mea perpetua me cogit. Quod autem teſtificandæ huius cauſa nullas intra tot annos ad te literas miſi, id tribues moli negotiorum tuorum & pudori meo. Impudentis enim hominis eſſe putaui inanibus literis ei obſtrepere, quem aſſignatum publicum munus & tot in lucem edita ſcripta nullum otioſum ſpiritum ducere oſtenderent; Impudentiſſimi, ſcribendi etiam onus in his maximis occupationibus ei imponere, quem ſingulari humanitate adductum non legere tantum omnes omnium literas æquo animo ſed accurate quoque & prolixe omnibus reſpondere conſtaret. Huius autem Epiſtolæ cauſam mihi dedit Bernhardus Mollerus Medicinæ Studioſus, mihi non multa tantum conſuetudine, ſed cognatione etiam coniunctiſſimus. Vixit hactenus in Germaniæ aliquot Academiis. Nunc autem meo hortatu in Italiam proficiſcitur, vt in huius quoque celebrioribus Academiis docentes Medicos audiat. Coburgum autem ſi per comites itineris licebit tui videndi cauſa deflectet. Huic aditum ad tuam cognitionem patefacere ego debui. Tu quæ tua virtus eſt, ſine mea commendatione conſuetudinem tuam in bonarum artium ſtudioſis audiendis, admittendiſque multorum ſermone celebratam ſeruabis; efficieſque vt præclara comitatis, & facilitatis tuæ fama etiam cum hoc homine Alpes tranſcẽdat. De me ſi quæris, ab Illuſtriſſimo Principe D. IOANNE ADOLPHO Holſatiæ &c. Duce poſt annos fere viginti in aula Gottorpienſi Sleſuici conſumtos, dimiſſionem ante quadriennium impetraui, & Kilonium migraui, quanquam adhuc, quotieſcunque Clementiſſimi Principes tum aulicorum medicorum tum meo etiam conſilio indiguerint, adeſſe ipſis ſoleam. In aliam quidem aulam propoſito amplo & honeſto ſtipendio vocatus ſum; ſed reliquum vitæ tempus intra priuatos parietes, quo ad eius fieri poterit exigere cupio. Otium permutare negotioſa functione nolim. Neque enim gemmis, neque purpura venale, nec auro, vt Horatii verbis vtar. Tu vir excellentiſſime conſeruabis tuam erga me beneuolentiam, & ſic æſtimabis eundem diem & obſeruantiæ erga te meæ, & vitę mihi finem allaturum. Deum oro vt te quam diutiſſime ſaluum, & incolumem ſeruet. Kilonii 23, Auguſti, Anno 1614.

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO D. Matthiæ Carnario Philoſopho & Medico peritiſſimo, D. & amico conſtanti

Andreas Libauius S. P.

VEhementer me delectauit, vir Clariſſime, tua mei memoria, & beneuolentia adeo conſtans vt eam cum vita tua, quam à Deo Opt. Max. tibi precor longæuam, terminatum iri ſcribas. Solet amicitia vera & immortalis ex virtute & animorum ſimilitudine naſci. De illa, ſitne in me tanta vt pellicere in mei amorem poſſit homines magnos, & præclaros, aliorum eſto iudicium. Ego aliud dicere nõ poſſum quam, ſi non ſum qui debeo eſſe, ſaltem ſtudere exprimere aliquam pii & honeſti, omniumque bonorum amantis imaginem. Animum autem meum erga te procliuem, omniaque mea ſtudia, officia, rem, fidem ſic parata tibi eſſe ſcito, vt nihil quod in te amando, ornandoque requiri poſſit, paſſurus ſim in me deſiderari. Hoc præſens ex me cognouiſſet Bernhardus tuus, ſi ipſe acceſſiſſet. Amo ipſum tuo nomine etiam non viſum, ſperoq́ ex Italia redeuntem non commiſſurum quin Coburgæ me, ſi vixero, compellet, quem etiam experietur ſibi ex tua commendatione beneuolentiſſimum. Labores meos, quos Dei gratia hactenus in campo literario ſuſtinui, tibi viro laudato probari vnus eſt ex fructibus quem ſolent ex ſtudiis ſuis expectare qui publicorum commodorum cauſa oleum & operam impendunt. Non vero deeſſe qui eos vituperent, commune eſt cum omni præclara virtute, quæ niſi exerceatur difficultatibus, torpet. Damnum armorum putabat Iulius ille orbis domitor, ſi non rebellent, qui vinci poſſent. Literæ quoque bonæ detrimentum capiunt, niſi aduerſantium obſtinatione probè agitentur. Eſt mihi adhuc Dei gratia animus

 & defen-

& defendendi præclara ſtudia, & hoſtibus alacriter obuiam eundi, atque vtinam eſſent robuſtiores & armis veris inſtructiores. Aliqui enim deſtituti argumentis more anicularum imbellium magnos criminum nymbos in me effundunt, & conuitia pro rationibus proiiciunt. Horum malitia ſi me vinci paterer, & loco depelli, ignauus ſane miles forem. Quidam obiiciunt Enchireticam in chymicis (nam circa hæc potiſſimum elaborare ſtudeo) imperitiam: aliqui videntur argumentari, & noua quædam proferre. Verum ego nullum extimeſco, & vt ſaluæ ſint literæ bonæ, dicteria calumnias, conuitia & reliqua delirantium, inſanientiumq́ miſſilia contemno. Studeo autem datis occaſionibus res ipſas in diſcentium gratiam magis magisq́ declarare, & ſi qua noua Sophiſmata occurrunt, ea diluere, omninoq́ pro veritate certare intrepide fortiterq́ ſum paratus. Cum itaq́ nuper in me inſurrexiſſet, debacchatusq́ fuiſſet Guibertus Lotharingus ex malo Paracelſiſta peior Galenicus (Nihil enim eſt medium his hominibus; Ex contrario in contrarium prolabuntur ſtulti) factus, ſic temperaui meam ad ipſum reſponſionem vt conuitiorum turpitudine monſtrata rerũ momenta ſim ſecutus, & pro vtilitate publica, veritateq́ naturæ & artis quæſtiones dubias explicauerim, & documenta vera tum roborare, tum illuſtrare, confutatis aduerſantium ſophiſmatis ſim conatus. Ita fructum aliquem reportabit ætas poſterior, & ſimul retuſa malitia ſuam ipſius turpitudinem agnoſcet ſeq́ ſic vincere non poſſe intelliget. Et reſpondendum eſt ſtultis ſecundum ſtultitiam, & non reſpondendum. Hoc fit contemtu dicteriorum & conuitiorum, itemq́ moderatione quadam animi, tolerantia & fortitudine Socratica, quanquam omni iure licitum ſit & exprobrare conuitiatoribus caninam iſtam petulantiam, & retorquere, & vindicare legibus. Quod ſi etiam aliquando affectibus videamur eſſe concitatiores, non id facimus ſine exemplo Chriſti, Iohannis Baptiſtæ, Pauli, Petri, Iudæ, &c. aut etiam Philoſophorum quorundam, præterquam quod nos humani aliquid pati poſſumus propter facti indignitatem, & viciſſim immoderatius aliquid, quod à nobis extorquet malitiæ violentia, committere. Illud autem fiducia bonæ cauſæ, & officium quod Deo, quod veritati, quod patriæ, & bonis ſtudiis debemus, ſummo iure poſtulat. Neq́ enim deſerenda ſtatio eſt, in qua tanquam vigiles & ſpeculatores poſiti ſumus, vt de aduenientе hoſte moneamus. Quod ſi etiam in acie & procinctu ſumus, fortiter intrepideq́ & animo infracto occurrendum eſt inimicis, vt armorum noſtrorum vim ſentiant. Non noſtra cauſa agitur cum aſſunt qui bonas literas ſua malitia, & ſophiſmatibus opprimere ſatagunt, & antiqua ſtudia ſuis fundamentis certa, firmaq́ & immota ſuppoſitis breuibus glarea, lutoq́ nouo & infido ſubruere. Debemus auxilium reipublicæ, cuius gratia & dona à Deo Opt. Max. accepimus, & concreditum talentum non defodiendum eſſe nouimus. Miror quorundam ſeu ſilentium ignauum, ſeu tergiuerſationem, qui cum poſſent vna mecum contra hoſtem publicum pugnare, ſpectatores otioſi ſedent, nec experiri volunt aleam pugnæ. Quidam etiam poſt tergum ſtantes tanquam opitulaturi, ſed cum ad muros pugnandum cominus eſt, ſe ab Vria auertunt, eumq́ telis hoſtium expoſitum perfide deſtituunt. Verum hoc Deo & tempori committendum. Ego me errare poſſe & potuiſſe fateor; verum qui me erroris per vera argumenta conuicerit, nondum in arena vidi. Reprehendere, criminari, conuitiari, inuidere, odiſſe, principia petere, elenchos ignorare, &c. hæc video in contra me editis. Quidam non mea accuſant, ſed quæ ex artificum libris tanquam exempla præceptorum, & conſtitutionum artis tranſtuli, quæ ipſi putant falſa eſſe, nec ego ſi literam reſpicias nego. Sin autem non dicere, ſed & demonſtrare falſitatem volent, certe prius diligenter in ſenſus magiſtrorum inquirendum eſt, & attendendum cuius gratia productum ſit exemplum; Vt in auri potabilis magiſterio quæſiuerunt Paracelſiſtæ ſtupidi arcanum: quod cum non inuenirent, accuſarunt præceptionem falſitatis. Sed non erat is locus arcano. Hoc enim in magno magiſterio ſapientum & tincturis eſt quærendum vbi explicatum abunde inuenitur. Multi ex quibus & Guibertus eſt meam latinam dictionem non intelligunt, nec terminos artium quibus vtor aſſequuntur: quidam & Græca carpunt: Et tamen de rebus iudicium ſibi ſumunt. Quid his aliud impreceris quam Midæum præmium? Vidiſti Alchymiam à me pro meo modulo per Dei gratiam ex diſperſis collectam, & in artis aliquam formam redactam. Non fuit hactenus qui viam methodumq́ meliorem monſtraret. At fuit qui reprehenderet. Nuper enim Henningus Scheuneman Medicus Paracelſicus Aſcaniæ Saxonum exprobrauit laborem, negauitque meam eſſe Alchymiam, quia tantum forma ſit mea, non autem materiæ. Iures illum hominem neq́ formam, neq́ materiam ſcientiarum intelligere. Qui methodum præceptis implet, & exempla accommodat recte, isne poteſt eſſe artis ignarus, aut imperitus exemplorum? Qui formam dat rei, an is non eſſe ipſum? Num autem vllus Paracelſiſta hactenus fuit, qui proprio marte potuerit inculpate Alchymiam definire? Quod difficilimum eſt in ſcientiis, iſti rudes culpant, & vitio vertunt, ſi quis aggreſſus ſit. Quæ produxi ἐντεχνήματα & artificiorum exempla, vocat furta, idque etiam perſuaſit ſuis coruis & picis poëtaſtris qui in me ſtylum ſuum exercent. Ego vero furtum eſſe nego quod accommodatum ab aliquo manet in poſſeſſione Domini, & autoris ſui. Interim quæ ipſe furto ex meis ſcriptis, & aliorum ſurripuit, & ſibi

tanquam

tanquam inuentori aſcripſit, vera ſunt furta. Scripſi Apocalypſin Hermeticam, in qua quæ obſcurius ſunt ab artificibus propoſita illuſtro, & enucleare, explicareq; vt ſtudioſæ iuuentuti ſint vſui, conor. Aliquibus addidi philoſophemata, quæ diuinationes, vtpote ſuper alienæ ſententiæ perplexitate appellaui. Hoc culpat ille, negatq; Philoſophi & Medici eſſe diuinare, quaſi coniecturæ in obſcuritatibus, & ſtochaſmi Medici eſſent inuſitati. Ego vero ſic diuinare ſtudui, vt ſimul ex cauſis aliiſq; argumentis indubias rationes promerem. Scribant tales diuinationes Paracelſiſtæ, & videbimus qui viri ſint. Hactenus vix quicquam ab ipſis quam impoſturas & mendacia impetrare potuimus, id quod ſua experientia confirmauit Guibertus, & teſtantur patibula aliquoties erecta in ipſorum ſupplicium. Edunt contra me ſatyricas chartas, quas quia præuident, & ſciunt improbas eſſe, MOMI & Zoili amuleto præmuniunt. Suaue delirium. Qui in Ariſtotelem, Galenum, Plinium, Auicennam, omneſq; Medicos & Philoſophos veteres & nouos qui Paracelſo diſplicuerunt licentiſſime debacchantur, armare ſe contra ſuſpiciones de momo audent. Cur tu prior es Momus, & Zoilus in virorum probatiſſimorum ſcripta? Si iudicamus tua, O nefarie Paracelſiſta, non Momi ſumus, ſed ex lege iuſtitiæ quod noſtrum eſt facimus. Si non vis iudicari tua, cur mittis in publicum? Si τὸ μωμεῖσθαι tibi adeo ſtomachum mouet, cur Zoilum & Momũ in mea ſcripta tam impudenter agis? Sunt autem iſtæ ſchedulæ fere emtorum illecebræ, huc directæ vt impune Paracelſiſtis, & cum autoritate fallere liceat. Male habet malos impoſtores cum à luce redarguuntur. Id pati non poſſunt quod & iure ipſis debetur, & nos autoritate imperatoria, & academica facere contra audaciam, ſcelera, ſtultitiam, mendacia, fraudes & ſophiſmata hominum improborum tenemur. Verum manifeſtarii hoſtes non tam ſunt nocentes quam clancularii & falſi fratres, qui ſimulant amicos, ſed poſticis ſannis nos petunt, & alios, qui audaculi & temerarii ſunt, in nos acuunt. Hos hominum genus peſtilens cogor experiri. Verum in omnibus confido Deo & veritati, & audacter dico neq; manifeſtum, neq; latentem in inſidiis hoſtem me reformidare. Non extitit huc vſq; ſiue in ſacris, ſiue in profanis qui me potuerit erroris conuincere, ſicut ego Deo pro me pugnante conuici non nullos. Tuam erga me, hoc eſt, gratiam Dei in me, conſtantem voluntatem ſummis laudibus effero, & mihi de tali amico gaudeo. Adhortor autem & cæteros, quos ſcio me habere plures quã ſibi aduerſarii mei, ſiue Paracelſici, ſiue Guibertini Lothari, poſſint ſomniare, velint ſuæ conſtantiæ & fidei argumentum aliquod dare, ſicut in publico dederunt Nobiliſſimi, & clariſſimi illi laudatiſſimiq; viri D. Anſhelmus Boetius à Bood, D. Caſparus Bauhinus illuſtris Baſileæ Medicus; D. Matthias Vntzerus, & D. Laurentius Hoffmannus vterq; ſummus Philoſoph. Medicus & chymicus in dilectiſſima mea patria Halli Saxonum, G. Penotus à Portu S. Mariæ: Petrus Amelungus Philoſ. Med. & chymicus excellens, Martini Rulandi laudatiſſimi, & exercitatiſſimi; Ioſephus Quercetanus experientiſſimus, Vlyſſes Aldrouandus, nulli cedens rerum notitia & vſu, Iohannes Tholdenius chymiæ veræ ſtudioſiſſimus, & quo numero comprehendam omnes? Oppone his Ambaldum panacearium, Gramanos duos, Scheunemanum, Palmarium, Michelium (quanquam ex errore in me inuectum) Nicolaum Guibertum, Riolanum non iudicio ſed affectus præcipitantia inclinatum, & ſi qui ſunt alii. Vt à vento ſtipula diſſipatur, ita iſtorum virtute hi proſternuntur, & in paleam mutantur. Si vellem poetas cogere, qui atris verſibus oblinerent Gramanum, Scheunemanum, Guibertum, Marburgenſem (illum falſum fratrẽ) & alios: Quot Myriades putas me poſſe cogere? Sed nolo iſtorum ſimilis eſſe. Deo committo vindictam, qui tandem faciet vt veritas triumphet. Vale amiciſſime mi Matthia, & in amore conſtanter perge. Idibus Martiis

Coburgi, Anno 1615.

Apocalypsis Hermetica Andreæ Libavij.

Patibula erecta in Paracelsistarum supplicium.

Cicero tacitæ magis quam indictæ et apertæ inimicitiæ pertimescendæ sunt.

D. Anshelmus Böetius à Bood.
D. Casparus Bauhin
D. Matthias Untzerus
D. Laurentius Hoffmann
G. Penotus à portu S. Mariæ
Petrus Amelungus.
Martini Rulandi
Josephus Quercetanus
Vlysses Aldrovandus
Iohannes Tholdenius

NB. Hartmannus Libavij falsus frater. NB.

QVERELA SIMILIS PETRI MOSELLANI ANNO CHRISTI 1519.

Nüga Gramanni.

Vlgi ſtupor (inquit in Epiſtola ad Martinum LochaW) locum dat cum bibliopolarum auaritiæ, tum indoctiſſimorum ſimul, & obſcuriſſimorum literatorum (Scheuneman. Craman. &c.) quos famæ fames extimulat impudentiæ. Alioquin nec illi facerent ſumtus eiuſmodi NVGIS excudendis niſi ſpes doloſi refulgeret nummi, nec hi poſſent ad famam tam facili compendio graſſari: Sed quando omnibus quod libet licet (neque enim vel Principes, vel magiſtratus huius negotii curam vſque adeo non ſalutarem modo, ſed & neceſſariam ſuſcipiunt, aut ſi ſuſcipiunt, non recte ſuſcipiunt) tot hodie nouorum librorum ,, ſcriptores, ne dicam chartarum perditores exoriuntur, quot per æſtatis feruorem in cuiunis exi- ,, ſtunt muſcæ. Cur enim hanc collationem verear? quando vt hæ, tametſi in nullum vſum natæ, cum homine nihil habent commune, adeo vt ne cicurari quidem poſſint, tamen nuſquam non obuolant, nuſquam non obturbant, & præteritis ſanis putrida quibus aculeum infigant, quærunt: quæ ſi non inueniunt, interim nec à ſanis abſtinent: Ita hoc genus ſycophantæ ac telluris non inutilia tantum, ſed & noxia pondera cum egregiorum ſcriptorum virtutes nulla ex parte intelligere, nedum imitari queant, obſtrepunt tamen, & alienam induſtriam, ſi qua patere videtur, calumniis impetunt. Nonnunquam vero, qua ſunt impudentia contra ſolem meientes, apertiſſimæ veritati, ſibique agnitæ reclamant. Tanta eſt hominum improbitas, dum nuditatis ſuæ ſibi conſcii alienis veſtibus ſeſe tegere ſtudent, & nominis famam, quam ingenii ſui viribus aſſequi nequeunt, ex cla- ,, riſſimorum hominum reprehenſione venantur. Siquidem in certiſſimam ſpem veniunt fore, vt quemadmodum in pulcerrimo corpore næuus vna cum illo adoleſcit, & cicatrix robori impacta vna in cœlum accreſcit, ac à prætereuntibus, velint, nolint, conſpicitur: ita & ipſi ſi nobilem aliquem aduerſarium nanciſcantur, eius monumentis fiant immortales. Sic in incenſo Dianæ templo vel inuitis Epheſiis viuit Heroſtratus: In Homero Therſites ac Zoilus: In Socrate Auitus, & Melitus: In Theophraſto ſcortum Leontium: In Virgilio, & Horatio Meuius: In Catullo Suffenus: Et vt ad noſtra veniam, in Chriſto (ſi fas eſt hunc inter homines recenſere) Iudas proditor, & tota illa pontificum ac Phariſæorum turba: In Paulo Alexander, & Hermogenes: In Petro Simon Magus, & ſub Origenici nominis vmbra quidã virus ſuum imprudenti Lectori inſinuant. Quid hic referam peſtilentiſſimos Arios, & Eunomios quibus Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius vitam dedere? Quid Heluidios, Iouinianos, Vigilantios, Ruffinos, quos in Hieronymianis libris execramur? Quid Manichæos, Fauſtos, Donatos, Pelagios, quos Auguſtini labor ab obliuione aſſeruit? Iam in Ioannis Pici Mirandulani Principis libris ridetur à doctis Petrus neſcio quis Epiſcopus; Et in vno Capnione tanta Barbarorum ac Sophiſtarum manus male audit, quorum omnium memoria cum voluminum ſuorum ſonitu, iuxta Prophetæ oraculum, rectius deperiiſſet. Quot autem vel hodie ſunt qui in Magno illo Eraſmo, tot diſſimulatis, quæ hic ſunt Eccleſiæ Chriſti vtilia, nonnulla quæ calumniæ obnoxia videri poſſunt, maligne ſublegunt, idq; non alia cauſa quam vt in tanti hominis libros vel cum IGNOMINIA relati fama quamuis POENITENDA paſcantur &c. Lege & reliqua, in quibus Moſellanus conqueritur de aduerſarii Latomi petulantia. Scripſerat autem pro eo apologiam Petrus Suauenius eques Pomeranus. Et reſpondit æmulus per mera conuitia, ne quis putet Nicolaum Guibertum, & alios Libauii oſoros aliquid noui factitare. Diabolus per eos agit fabulam antiquam. Ex fructibus Sathanæ agnoſcuntur. Habes ibi egregiam Scheunemani deſcriptionem. Scripta eſt Epiſtola Miſnæ an. 1519. impreſſa Baſileæ an. 1523. à Frobenio, & adiecta Gregorii Theologi de Theologia libris à Moſellano verſis.

Nota Scheunemum in cum Teurrstuu poetriu.

Furta Scheuneman.

In Libauis cum ſuis paraſitis viuere vult Scheunemanus.

CLARIS-

CLARISSIMI CVIVSDAM VIRI SENTENTIA DE HYGEIA SCHEVNEMANNI.

VEriſſimum, inquit, hic eſt illud: ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται, cum Te, quem ob incomparabilem doctrinam doctiſſimi quique venerantur, impudentiſſime & procaciſſime (Scheunem.) criminetur. Ex Eſ 24 verſ. 16. pro ſui defenſione adducit verba: Secretum meum mihi: at quam inepte? Si hebræos fontes conſuluiſſet, quia ibi ponitur Rhazi li, quod eſt macies mea mihi à radice Rhazah attenuare, emaciare: Item inſpexiſſet dolẽtis vocem: VÆ MIHI; non de ſuo ſecreto nugas propoſuiſſet. Et quale quæſo ſecretum? Sublimatus dulcis num eſt arcanum? Siluſiæ in officina proſtat, & iam à tot chymicis eſt deſcriptus. Ita ſomniat ſibi ſecreta, ſolis mercurium præcipitatum mercurium veneris, calcem antimonii, globulum Eccoproticum, lapidem bruni, & ſimilia iam tot libris deſcripta, & partim etiam vulgo nota. Vah arcanorum Dictatorem. Talis autem eſt etiam allegatio ex D. Paulo, & Salomone vt ex Hebræo textu, & verſionibus patet. Sic enim citat apoſtolum ex *1*. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus mihi eſt ſtimulus &c. Locus eſt in 2. ad Cor. c. *12*. v. *7*. Vanus homo non inſpexit librum vnde citaret. Græca verba ſunt; καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. hoc eſt, ne excellentia reuelationum efferrer, ô vero excedentes reuelationes Scheunemani? Quæ dementia eſt artificia quædam chymica à multis publicata comparare ſingularibus Apoſtoli ſummi in tertio cœlo? Optandus ipſi eſt ſtimulus; ſiue σκόλοψ, nempe morionum flagellum vt diſcat ſibi non plura arrogare quam oportet, & non fallere homines ſimplices circumforaneorum Ægyptiorum & Agyrtarum more. Citat & Prouerb. *20*. v. *19*. hæc verba: Qui reuelat ſecretum, incedit fraudulenter & cum eo qui allicit labiis ſuis, ne miſceas te, &c. Loquitur non de his qui præclara Dei munera in artibus cum proximo communicant, id quod iubemur facere ne Talenti defoſſores inueniamur, & diſſimiles ſimus patri cœleſti, qui ſuum ſolẽ immittit bonis, & malis; ſed de conſiliorum ſecretorum proditoribus, & his quibus volupe eſt aliorum maculas ſecretas contra vim octaui præcepti ſpargere. Eſt & citatio Scheunemaniana, hoc eſt, rudis, & inepta. Ita ſcriptum eſt in Hieronymiana: Ei qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulẽter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis, &c. Suſtulit nebulo copulatiuam, &, ne propoſitum & cauſam reuelationis addat. Eſt autem totum præceptum morale, & minime Philoſophicum. Iuxta Ebraicam veritatem is qui fraudulenter ambulare dicitur, delator intelligitur, qui clam prodit aliorum dicta factaque, ſeu foras eliminat, vt Horatius loquitur, idque facit in fraudem proximi. In Græco eſt verſus 22. ὁ ἀνακαλύπτων βουλὰς ἐν συνεδρίῳ, πορεύεται δίγλωσσος, καὶ μετὰ πλατύνοντος τὰ ἑαυτοῦ μὴ μίγνυσο χείλη. Hæc Scheunemanianis æque congruunt ac pugnus oculo. Quid ſapientia cum ſtulto? Si velimus examinare iſta magnifica quæ tribuit ſuæ hygeiæ, & conferre inter ſe præconia, nihil veſanius, rudius, imperitius, & ineptius appareret. Quanquam autem Crollius in ſua admonitoria pag. 91. Tincturam vniuerſalem nemini niſi filiis doctrinæ reuelatam eſſe & reuelari ſcribat: tamen cætera medicamenta particularia publici vſus cauſa diſpenſanda eſſe recte ſentit. Cum etiam ſint, qui bonos autores, qui aliorum diſperſa bona colligunt, & ſelecta ſimul edunt, ſoleant vituperare (quemadmodum Scheunemanus cum ſuis Paraſitis, Tuam vir clariſſime, alchymiam & ſyntagma furti accuſat) ipſe his mature occurrit pag. 109. ſeu penultima, vbi inquit: Si forte qui ſint obliquæ opinionis, veritatis neſcii, & moroſi palati homines, qui temeraria ſua ignorantia in ingenium noſtrum ingrati beneficium pro iniuria reputant, & pro merito hoc publico ad Dei gloriam ac proximi commodum promouendum Reip. egenti ſyncere de manu Dei communicato opus non habeant, illi ſuis ſuperbis, & temerariis cenſuris cum corniculæ Æſopicæ, aut farraginum conſarcinationis exprobratione (quandoquidem è palea granum eruere, verum à falſo ſecernere non minoris eſt artis & felicitatis quam tædioſiſſimi laboris) ſedulitates laborioſas, alienosque ſudores iniuſte non exagitent, &c. Legantur & reliqua, quibus adde apologiam pag. *6*. contra eos qui arcana minime reuelanda eſſe clament, vbi Theſauros tandem omnibus indifferenter manifeſtandos eſſe docet,

Targum expoſuit ita: Secretum, præmium iuſtorum monſtratum eſt mihi, Secretum, vindicta impiorum reuelata eſt mihi; in Græco omiſſum eſt. Stulte hinc colligitur Scheunemanum debere ſua medicamenta occultare, quæ tamen negat in Epiſtola ad me occultata eſſe.

Er hat ſo viel Witz im Hirn/ als eine Ganß im Knie/ Vo ipſi.

Crollij error de Tinctura vniversali. K.

Hanc & mihi obiicit Scheunneman.

docet, citatque Sirach. cap. 43. Sect. 36. 37. Eo animo fuit Penotus, Quercetanus, Beguinus, Sennertus, Philip. Mullerus & alii, quibus ſi compares merces Scheunemanianas dicas has eſſe clancularia furto, ſine autorum nominibus ex liberali Apocalypſi in furuam tabernam Scheunemani translata. Non curabis iſtum pulicem mordacem, qui per te fortaſſe clareſcere cogitat. Sine valere furentem Oreſtem cum ſuo Pylade, ad quem Epiſtolam aliquis Plautinus magiſtellus exarauit, ſubiecto nomine Scheunemani, quaſi ignoraremus hominis in literis profectum. Sed vale.

Reſponſum eſt huic viro laudatiſſimo: Libauium de Scheunemano, & paraſitis ipſius nunquam manum verſurum fuiſſe, niſi iudicaſſet manifeſtari debere imposturas, & defendi ea quæ in ſpeciem reprehenduntur. Non autem ſine plurium arcanorum ſeu reuelatione, ſeu explicatione res peracta eſt, vt ex hac opella non paruum fructum ſperare ſtudioſi poſſint.

Sequentia Elogia paraſitis Scheunemani, & aliorum hoſtium meorum oppono.

ANAGRAMMA

Salui ominis ergo in nomen

EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMIQVE VIRI AC DOMINI ANDREÆ LIBAVII PHIL. ET MED. DOCTORIS, AC NEODVCALIS COLLEGII COBVRGICI Rectoris Magnifici D. & fautoris ſui colendiſſimi.

ANDREAS LIBAVIVS

ἀναγραμματιζόμενος.

EN ARDVA LAVS IBIS.

VEniſti tandem Coburgum Doctor ad vrbem
Cui IANNES Celſus Dux CASIMIRVS ineſt.
Veniſti tandem genio ſpectandus & arte,
Aonii Rector præſidiumq́; gregis.
Salue, ſalue iterum toties optate LIBAVI.
Ecce Machaonia notus in arte venis.
Pierio exultant certatim à fonte ſorores,
Docticanaq; tibi talia voce ſerunt:
ARDVA LAVS IBIS, Medico ſpectabilis vſu,
Notitiaq; artis Pæonis inſtar eris.
Quanta tibi chymicæ debent quoq; præmia Muſæ?
Nempe tuo gaudent ARTIS honore bono.
O te felicem. Sic nomina quærere magna
Doctrina, & ſtudio, gloria magna cluit.

Daniel Meiſnerus à Commothau
Anno: SapIentI ſat DICtVM.

HIs poterant addi M. Eliæ Vrſini Gymnaſiarchæ Vngariæ præconia; Item Anagrammatiſmi Iacobi Trojæ Neobrandeburgenſis; Et Iohannis H[illegible]ffer: Coburgenſis; aliorumque plurium & poemata & Epiſtolæ quas magno numero miſerunt viri magni, & omni ſtudiorum genere celeberrimi, Verum vbi rerum teſtimonia aſſunt, non opus eſt verbis.

AMVLETVM LIBAVII

PSAL. III.

SAncte Deus, quam multa mihi ſeſe agmina mundi
Aduerſa obiiciunt? Quam multi hoſtilia ſumunt
In me tela, probris, & vanæ verbere linguæ?
Copia quanta hominum mihi verba procacia cantat,
Vocibus atq; animam diris vritq; feritque:
NVLLA ſalus ipſi eſt rerum à factore, Deoque.
At tu qui ſupera ſpectas mortalia ab arce
Protector meus es, mea gloria, confugiumque,
Cuius ope erectum teneo caput, & per honorum,
Virtutisque feror faſtigia. Tu mihi præſtas
Quodcunque eſt decoris. Tu me in ſublimia tollis.
Te compello Deum, tibi fundo precantia verba.
Tu de monte tuo ſancto non deſpicis aures
Attentas præbere mihi, orantemque iuuare.
Ecce quidem ſomno preſſus, captusque iacebam
Membra ſopore graui (Tolerare nefanda neceſſum eſt,
Et tacitum mala multa pati, quaſi mortis in vmbra)
Sed vegetus ſurgo diuino munere, ſomnumq;
Excutio ex oculis: Domino releuante, manuque
Me prenſante ſua, & ducente per aſpera ſtuo.
Irruat hoſtilis iam nunc exercitus in me,
Intentetque mihi gladios, & funera mille,
Mene metu exanimem, trepidumque fatiſcere poſſe?
Tu ſurges Deus, & tutum præſtabis abunde,
Auerteſque minas, & pila inimica retundes.
Quippe feris omnes, & vertere tergora cogis
Qui mihi ſe opponunt, & vim facere impete tentant.
Quanta gemunt colaphis caſi? Quam ſanguine miſcent
Excuſſos dentes, quis me mordere ſolebant?
: Sola ſalus Domini eſt. Si qua eſt benedictio genti
A ſupero venit illa throno. Date thura potenti
Et grates properate Deo, bona cuncta ferenti.

ALIVD.

CAtelli imbelles eminus latrant, & clamant Momus, Momus, Zoilus, &c. quippe conſcii ſunt ſibi impotentiæ ſuæ, & peſſimæ conſcientiæ ſtimulis aguntur. Itaq; arcere legum vim, & iudiciorum examina conantur veſtibulis ſuarum chartarum inſcripto Momo, incarnato Diabolo, Zoilo, &c. Sed terriculamenta ſunt inania. Melius eſt confidere in Domino. Hic mihi adiutor, quid faciat mihi homo? Non timebo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Circundent me omnes gentes: In nomine Domini excindam eas. Impellendo impulſus ſum vt caderem: at Dominus adiuuat me. Fortitudo & laus mea Dominus, & factus mihi eſt in ſalutem. Non moriar ſed viuam, & opera Domini narrabo, &c. Pſal. *117*.

LAVREN-

LAVRENTIVS HOFFMANNVS VIR NOBILIS IN FLAGELLO ANtigramanio manu ſui procuratoris.

Gramanni in Utopia promoti medici encomium à Clariſſ. v. Hoffmanno

SI honeſta vena eſſet in toto tuo corpore, pudere te deberet eum virum, cuius pedes ſequi, & terſoria portare cum ad cloacinam ſe confert, non es dignus, ita criminari, & deſpicatui habere. Per totam enim Europam ſcriptis multiplicibus in publicum editis adeo celebris eſt, vt non ſit dubium, quin multi ſint ſputum in te proiecturi. Ipſe enim D. D. Hoffmannus hoc Libauio teſtimonium perhibere poteſt, auditu in Gallia & Italia cognitum, multos ſcilicet admirari, Germanum hominem tam multos, tamque eruditos libros ſcribere poſſe, quin & dixiſſe oportere Gallum, aut Italum eſſe. Ego quoque (pergit amanuenſis) perſuaſum habeo te omnibus tuis viribus in vnum congeſtis non poſſe vel minimam Libauii Epiſtolam imitari: Et paulo poſt: Si vidiſſes ſcripta Libauii pro chymia, erubeſceres aliquid vel hiſcere contra eum qui, qua arte tu te iactas, eam ſtrenue defendit. Lege & alia ſimilia in eodem flagello, & nota quod irrideatur in eo amuletum illud ſtolidum de Momo & Zoilo. Cum enim ſic ſcribant Scheunemanus & Gramanus cum ſuis gregalibus in inuidiam, nullus vt inuidere poſſit, miſer Elenchus eſt, & ridiculum pugnæ proœmium multa verba de Momo & Zoilo facere, ſua ſe turpitudine infame facit id hominum genus. Momus nullus eſt quem accuſare poſſit, Ariſtarchos autem & legitimos iudices furtorum, & impoſturarum conſcientia ſic amoliri cupit, ſed fruſtra. Malum virum vel mus mordeat.

Flagellum inſulſi et ſtolidi Gramanni exagitatur.

PRO DE-

D. O. M. A.

PRO DEFENSIONE SYNTAGMATIS CHYMICI CONTRA REPREHENSIONES Henningi Scheunemanni Paracelſiſtæ Actio prima.

CAPVT I.

De Medicorum Hermeticorum diſtinctione.

INVENIMVS apud veteres non pati ſemper, nec apud omnes populos in æſtimatione fuiſſe medicinam. Gum Græcorum ſcripta innoteſcerent, *Cato* Latinus ſe eis oppoſuit, ratus Græcos ad internecionem hominum excogitaſſe medicinā variam, cum ſaluti ipſorum ſatis eſſe ſimplicem putaret: cuius exempla legimus in libello de re ruſtica, quanquam miſta magicis incantamentis. Ea ſententia aliquando & *Plinius* eſt mirifice in compoſitiones inuectus, quem imitantur noſtro quoque ſeculo non pauci. Eodem iudicio damnata ſunt exotica, & prælata patria, ſeu domeſtica, quod alma parens natura cuilibet regioni abunde proſpexerit tam in ſecunda, quam aduerſa valetudine nec opus ſit, contra febriculam à rubro mari petere medicamentum, cuius copiam habeamus in hortis noſtris, pratis, ſyluis, imo & ſub pedibus in terrarum penetralibus, ſurſumque in cœlo, & aere, vt quilibet pater familias non ignauus, & ignarus circa ſe rerum, facile poſſit ægrotanti familiæ ſuccurrere. Sed nihilominus ratione & experientia in artis formam redacta eſt, cum non omnia omnibus, omni tempore & ſtatu conuenire homines viderent. Apud Plinium ars incipit à *Diis authoribus*, & *Æſculapio* circa tempora Troiana. Apud *Herodotum* popularis experientiæ eſt complexio. *Pætus* in Epiſtola ad Artaxerxen ſcribit *Hippocratem* Decimum octauum ab Æſculapio artem didiciſſe à patre *Heraclida*, & auo *Hippocrate*, ſed nō niſi quantum ad parua quædam initia, quandoquidem ipſe *diuina vſus natura* fuerit αὐτοδίδακτος, & in tantum animi induſtria progenitores tranſgreſſus, quantum artis præſtantia eos ſuperauerit, ita vt ſit *ſanitatis pater & ſeruator*, *dolorumque curator, & diuinæ ſcientiæ princeps.* Ipſe *Hippocrates* in lib. de arte, & de veteri medicina, confitetur & fuiſſe artem, & veteres eam ratione & experientia cōſtituiſſe, adeo vt rationes in ſeipſa plenas & ad ferendum auxilium abundantes habeat, cuius rei etiam artis peritorum demonſtrationes per opera documentum præbeant. *Medicina ab antiquo exiſtit & principium & via inuenta*, &c. lib. de vet. med. vbi dicit ſi quis inuentorum ſit gnarus, eum poſſe ex illis ad reliqua inuenienda procedere. In lib. de locis in homine *tota inuenta eſt medicina.* Sed non eſt poſſibile vt quis eam cito diſcat, quia de omnibus vnam regulam tradere eſt impoſſibile, cum multa fiant cōtrariis, multa ſimilibus, &c. Omnino ipſe putauit abſolutam ſuo tempore fuiſſe medicinam. Quanquam enim *Democrito* ſcribat *ſe ſibi videri maiorem reprehenſionem quam honorem artis aſſecutum eſſe, vt qui ad finem medicinæ non peruenerit licet ſenex, vti neque ipſius inuentor Æſculapius qui in multis à ſeipſo diſſentiat:* tamen quanta poteſt eius perfectio in hominem cadere ratione principiorum, non autem copia & notitia omnium vndiquaque medicamentorum, neque morborum nouorum, aut etiam præparatoriæ medicinarum, & vſus ſeu praxeos, in qua & Hipp. non ſemper felix fuit, ipſi non eſt adimenda. Itaque poſtea non *Galenus* tantum Hippocraticam excoluit, ampliauit, explicauit, & commendauit, ſed tota quoque poſteriorum medicorum familia, & licet hodierni, qui ſe *Hermeticos & Paracelſicos* vocant, *Galeni* expoſitiones non recipiant, tamen Hippocratici audire, & prædicari cupiunt. Plures fuiſſe ſectas Galeni tempore, & præcipue vnam *dogmaticam*, aliam *Empiricam*, tertium *methodicam*, pridem innotuit, neque hodie deſunt illæ ipſæ. *Plinius* inquit: *Mutatur quotidie ars totiens interpellis, nec dubitandum mutatores, famam nouitate aliqua aucupantes ſtatim animas hominum negotiari, vnde illæ monumentorum inſcriptiones infelices* TVRBA SE MEDICORVM PERISSE: Item illud Adriani Cæſaris: πολλοὶ ἰατροὶ τὸν καίσαρα ἀπώλεσαν. Sed quod de perditione dicitur, non tam eſt ad medicos referendum, quam ad ipſorum patientum inconſtantiam. Permutant enim medicos ante curæ abſolutionem

Plin. lib. 29 cap. 1. (margin)

Ibid. de Theriaca & Mithrid. (margin)

Exoticorum uſus improbatur, domeſticorum approbatur (handwritten margin note)

vt nummos trapezitæ, & vndecunque aduolat agyrta audaculus, vel anus loquax, aut quicunque etiam mendicus & carnifex, illi creditur, & omiſſo priore medico bono, cura corporis committitur, quod vitium ſi vllo tempore fuit vulgare, noſtro certe eſt. Porro medicina Hippocratica à *Galeno* declarata placuit Græcis & Latinis, quicquid Cato & Plinius cõtra artẽ dixerint, adeo vt multis voluminibus ſit repetita. Communis facta eſt & *Arabibus, Perſis, Saracenis*, qui eam tranſtulerunt in linguas ſuas & multis *Galeno, Hippocrati*, aliiſque Græcis & Latinis ignotis medicamentis illuſtrarunt, præſertim autem aucta eſt acceſſione *pharmaceuticæ eſſentialis, ſeu formalis*, quam ſapientes, hoc eſt magi & reges Orientis & *Mauritaniæ*, Item *philoſophi Ægyptii* in ſua poteſtate habuerunt, vnde & Magorum, ſapientum, & philoſophorum dicitur propria profeſſio, Græco vocabulo *Alchemia*, vel *Alchymia*, quibuſdam *halchymia*, aliquando *Magiſterium ſapientum*, & *ars Hermetis* appellata. Creditur & Hebræis innotuiſſe. Diuiſa eſt in *metallurgicam* & *pharmaceuticam*. Illa eſt *ars magni magiſterii*, & per excellentiam obtinuit nomen *Alchymia*, expoſita & exculta ab *Hermete* in Ægypto: ab aliis in *Cypro* & *Syria*: à *Gebro* in *Mauritania*, maximeque Ægyptii reges eius ſtudio ſunt delectati, vt eſt in libello *Calidis, Morieni* & aliorum: hæc in *Perſia*, & aliis partibus Orientis viguit, vt & *Damaſci* Syriæ. Itaque *Auicenna, Meſues, Bulcaſis, Rhaſis, Serapio* & alii qui inter Arabes referuntur, artificia eius in ſuis libris non omiſerunt. Mirum tamen eſt, cum iam *Auicennæ, & Arabum* cœterorum medicandi ratio recepta eſſet in ſcholas, tam parum tributum fuiſſe præparationibus Chymicis. Monachis pene relictam videmus vtramque Chymiam: vnde adhuc commentarii extſtant *Lullii, Alberti, Rupeſciſſæ, Sauanorolæ, Baſilii Valentini, Morieni, Regerii* & aliorum. *Arnoldus de villa noua* peritiſſimus magni magiſterii, pharmaceuticam parcius attigit. Quicunque ſane fuerint ſiue monachi, ſiue medici, *nullus eorũ legitur principia doctrinæ Hippocraticæ & Galenicæ repudiaſſe*, nullus peripateticam philoſophiam conculcaſſe. Nuper vulgatus eſt liber quidam *de fraternitate Roſeæ crucis*, in quo dicitur quidam nobilis Germanus ex monachorum grege magos Arabiæ, & Mauritaniæ adiiſſe, ab eiſq; noua axiomata philoſophica & medica reportaſſe. Ea eſſe Paracelſica ſatis perſpicuum eſt, quorum veſtigia inuenias etiam apud *Baſilium Valentinum* monachum. Fundamentum nouæ philoſophiæ & medicinæ eſt LAPIS philoſophorum, & *tria principia eſſentialia*, quæ præter elementa ex miſtis extrahuntur: Item *Comparatio microcoſmi cum macrocoſmo*, rerumque inter ſe ſimilitudines & harmoniæ globi Cœleſtis & terreni &c. Hinc prodiit factio medica, quæ ſe *Paracelſicam* appellat, quod nomẽ cum ſectatorum Paracelſi criminibus infame redditum ſit, permutatur ſecta *Hermeticorum*, qui & in phyſica à Galenica ſecedunt *humores, qualitates*, & *elementa* irridentes, ſuaqua principia, *Salem, Sulphur, & Mercurium* ſubſtituentes, & in medicina, cui ſuam phyſicam in ſecunda & aduerſa valetudine accommodant, & in medicamentorum præparatione ſingulares eſſe ſtudent, ſiue rationem virtutum & poteſtatum ſpectes, ſiue præparationẽ qua tum *vniuerſale* vnum verum intendunt, tum alia *generalia, & particularia* fabricant vti videre eſt in libris *Paracelſi, Quercetani, Crollii*, & aliorum quibus *Seuerini Idea* præ cæteris placuit. Non quidem iſta ſufficiunt ad Hippocraticam, & Galenicam peſſundandam, quantum attinet ad eſſentialia artis quæ declarant, & explicant, nõ euertunt: Verumtamen vix eſt qui pati poſſit ſe *Galenicum* nuncupari, & eſt culpa aliqua ex parte etiam in ipſis Galenicis, qui ſe nimis crudè, & rigidè primum oppoſuerunt Paracelſo, poſtea etiam Hermeticis. Qui iudicio, ſcientia, & experientia antecellunt, *Galenicis eſſentialibus* (Quæ Galenus fortuita, aut adiectitia, minuſque ſyncera, aut vera habet, corrigenda ſunt humaniter) *adiiciunt Chymica*, poſſuntque ferre etiam ſymbolicam & parabolicam doctrinam, quæ nolit dominari, ſed tantum oblectamenti vel declarationis cauſa adhiberi. Alii *crudi rigidi* vel etiam *ſpurii* eſſe dicuntur, quia non obtemperant Galeni conſilio de inuentione ſeparationum in medicinis diuerſitate partium conſtantibus, nec admittunt in complexum eſſentialem chymica, ſed contumaciter obſtrepunt. Hinc Galenica profeſſio hodie eſt diuiſa in *rigidam & Galeno chymicam*. Illa nihil nec rerum, nec rationum aut verborum audire poteſt, quod non Galeniſſet, tametſi Arabum inuenta non aſpernetur, & obiter etiam pharmaceutica de aquis deſtillatis, & extractis ſuccis toleret. Hæc bonas rationes & accipit, & dat, ipſaque & chymicis vtitur, & Hippocraticis. *Hermetici* quoque in duas partes diſceſſerunt. Quidam enim ſunt *dogmatici* ſimul: quidam tantum *empirici* quanquam ſub honeſto nomine aliquando latitantes. Illorum quaſi princeps eſt *Quercetanus*: hi ſunt re ipſa flagitioſi *Paracelſiſtæ*, qui in Galenicos & medicinam Galenicam toti inſaniunt, profeſſores paſſim exagitant, & criminantur: ſua ſibi medicamenta fabricant ipſi, & venum exponunt emiſſis chartulis commendatitiis, in modum polluṫiſſimorum circumforaneorum. Exemplum habuimus in *Ambaldo panaceæ cinabarinæ* fabro & propola. Aliud præbuit *Gramanus* ex prædicante paracelſiſta factus, cuius veſtigia ſequitur filius. Non ita pridem prodiit *Henningus Scheunemannus*, qui ,, optat prolixos Galeni canones ad orcum demitti, & Theriacam cum Mithridatio & aliis prolixis ,, compoſitionibus aboleri, vt mineralia medicamenta, quæ ipſe ex noſtris commentatiis facere di- ,, dicit, ſola valeant. Hic grex mira ſumit incrementa paſſim, ita vitio ægrotantium qui ordinarios medicos, ſiue *iatrochymici*, vel Chymiatri ſint, ſiue Hippocratici & Galenici ſimplices faſtidiunt: policitatores vero ſanitatis temerarios de *cito, tuto, & iucunde* ſanando cupide admittunt, aut eorum ſaltem medicamenta, fere ex *ſtibio, argento viuo, halinitro, Tartaro, Sulphure, vitriolo &c.* parata coemunt, & ex ſententia vſurpant. Si verum eſt quod de *fama fraternitatis à Roſea cruce extat*, & paſſim auditur, quia hi fratres gratis ſanaturi ſunt homines vniuerſali medicina, breui tota & Galenica & paracelſica & hermetica peribit, cum Agyrtis iſtis & impoſtoribus. Aiunt alicubi & Monachos gratuitas ſanationes exercere. Non deſunt qui *Logempirian* profiteantur, & ſic dogmaticam Empiriæ miſceant, quod ſenſu aliquo non debet improbari. Nam in Hippocratica & Galenica ſunt duo quaſi *Criteria*: *Ratio & experientia*, quæ praxin ſenſibilem comprehendit. Nos nihil bonum,

Galenici duplices.

Hermetici duplices.

num, ſalutare & ex veris principiis ductum contemnimus, ſiue Hippocraticum & Galenicum ſit, ſiue Hermeticum & Paracelſicum. Falſa & impoſtoria damnamus.

Capvt II.

De alio genere medicorum, quod magicum vocatur.

QVanquam *Seueriniani* ex *Paracelſo* omnia tum ſanitatis, tum morborum, & remediorum momenta reuocent ad *Mercurium, Salem, & Sulphur*, ſiue ſimplicia, ſiue miſta, tam inter ſe, quam cum elementis internis, & externis, & ſymbolice declarent multa, vtanturque ſimilitudinibus & parabolis tanquam demonſtrationum infallibilium principiis, per quæ conciliantur ſumma imis, maior mundus minori, & tres claſſes miſtorum, quæ ſunt *mineralia, vegetabilia, & animalia* explicantur: tamen in his non ſubſiſtunt illi qui neglecta ſelectiore *Seuerini* doctrina *Paracelſum* monarcham ſequuntur. Alia itaque via incedunt, & prorſus noua ſanitatis & morborum principia ſtatuunt. Ex Paracelſo *quinque Entia* producunt: Primum eſt Dei: quod vocant *Ens Deale*, ſtulte & impie. Nam de cauſa efficiente locuturi ponunt id quod eſt, non quod efficit. Ens autem eſt rei eſſentiale. Dicit quidam *Moyſes, Deum eſſe longitudinem dierum noſtrorum*, & *Paulus* ait *nos in ipſo viuere*: Sed figura dictionis eſt explicanda. Neque enim Dei eſſentia eſt noſtra eſſentia, vti neque ſanitas, vel morbus proprie loquendo. Male ergo primum Ens morbi vocatur Deale: Et ſi illud ſit, tamen non cadit in contemplationem medici, ſed Theologi, & eius qui ſpiritualiter erga Deum ſe habet. Secundum *Ens ASTRALE* volunt eſſe. Intelligere quidem poſſis etiam efficientem vim aſtrorum, vt Syrii, ſeu caniculæ, Saturni, Martis &c. Sed illi aſtrologiam non in cœlo tantum, verum etiam in homine & aliis medii mundi rebus ponunt. Igitur hic *malefica & benefica aſtra* ſunt agnoſcenda, non virtute, ſed eſſentia ipſa in hominibus iacentia, quæ tamen à cœli aſtris pendere dicuntur, ita vt inde ſit ſympathia ſeu *magnetiſmus*, & antipathia, ſeu *Theamediſmus*, ſi aſtra ſunt ſalutaria, iiſdem aſtris roborantur, & tam fortia redduntur vt & ſanitatem ſeruare, & morbos anteuertere, pellereque poſſint: ſin inimica, aſtris contrariis oppugnantur, labefactantur, abiguntur, vbi oportet ex *chiromantia* naturali didiciſſe quodnam inferius ſit affectum ad ſuperius. Tertium *Ens eſt naturale*, cum naturæ vitio morbus contingit, & eiuſdem vigore ſanitas. Natura vero conſideratur in tribus principiis chymicis & Elementis, qua eſt conſtitutiua. Deinde in adminiculis calore innato, ſpiritu, & humido radicali, quæ principiis cōferuntur, & *Balſami natiui* voce enunciantur. Tandem & externa adminicula circa *Diætam* in contemplationem veniunt. Hæc eſt ratio non inepta, & bene cum Hippocraticis & Galenicis conciliari poteſt. Vt enim recte *Iacobus Zuingerus*, quicquid habent veri Paracelſici, id & Hippocraticum eſt, non obſtante ſpagirica ſeparatione. Si enim non ineſſent vires in hippocraticis, chymici nullas poſſent ſeparare: Imo totum à vetere medicina didicerunt, parabolæ vero non ſunt ſcientificæ, & varie poſſunt adhiberi. Qua conueniunt, recipiuntur, qua non, reiiciuntur. Cætera quæ à phyſica & medicina in totum diſcedunt, figmenta ſunt. *Quartum Ens* appellant *pagoycum*, eſtque ex Imaginatione in ſeipſum, aut in alium, ſub quo comprehenditur incantatio, & eiuſdem ſublatio. *Crollius* dicit *Mentale*. Nihil eſt in tota magia infami quod nō ad hoc referre poſſis, ſiue fiat verbis, ſiue herbis, Gēmuhæis, characterib. ſigillis, homunculis &c. *Quintum genus continet venena* naturalia, & artificialia ex cœlo, aere, aquis, terra, pharmaceutica: & in remediis attractoria ſpecifica, & alexipharmaca. Hoc genus etiam eſt medicinæ phyſicæ, excepto quod à Paracelſiſtis deprauetur variis vanitatibus. Regula eſt Paracelſi: *Qualem materiam digerit animal in ſuo ventriculo, talem trahit per ſolidam hominis cutem ſiue viuum alligetur, ſiue mortuum*: Vt araneos & venenatos vermes, beſtiasque concoquunt Gallina, merula, Lupus piſcis, ciconia, rana rubeta, Tinca, anguilla, muræna, paſſer, Gallus, pauo, cornix, ceruus, coruus, formicæ &c. Hæ beſtiæ omne venenum ex homine rurſum trahunt, nec potentius quid eſt *ciconia* aceto roſaceo macerata. Oportet autem in peſte terrea vti terreis, in aerea aereis, in aquea aqueis, ignea igneis (vt manna, Terenialum, ſaccharo, allio, cepa, porro. &c.) Legantur quæ in libris de peſte habet. Si verum eſſet axioma καθόλου, bene ageretur cum calculoſis. Nam palumbes, columbæ, anſeres, gallinæ &c. calculos ex renibus & veſica extraherent. Verum tamen eſt *attractiua* eſſe, quæ ſpiritus morbificos, & ichores hauriant, etiamſi tales aut talia non comederint. Id experimur in cauteriis potentialibus, cepis, buffonibus, catellis, felibus, mulabus, equis, & omnino variis, eſtque induſtriæ *applicare ſimilia membra ſimilibus*, vt in *podagra*, tendines & ligamenta ex pedibus poſterioribus ceruorum, hinnulorum, rupicaprarum &c. ſicut & in *colica* lupi inteſtina pinguedine ex iiſdem vngimus, & ventri alligamus corio ſuperinducto. Hæc adeo ſunt veræ medicinæ Galenicæ & Hippocraticæ experimenta naturalia. Eſt & aliquid in *imaginatione propria*, qua quis ſibi ipſi aliquid conciliat, ſi fortis affectus & fixa cogitatio accedat, vt & prægnantes ſuos fœtus ſibi adhuc cohærentes, vt fructus in arbore, ſignant. Sed Parcelſici hoc genus nimium dilatant, & *magiæ impuræ* prætextum faciunt. Ex quinque igitur generibus medicorum *Deale* relegamus ad Theologiam: quo ſi vtitur medicus vt Theologus vtitur, non vt phyſicus, *magicum impurum* reiicimus: *aſtrale* quadamtenus amplectimur: *naturale* recte explicatum aſſumimus: *Imaginarium* non totum repudiamus, neque tamen ſi quid ei tribuimus, id eſt tale quale *Paracelſicum, Crollianum, Trithemianum*, & ſimilium magorum impiorum, qui & aſtra à Deo in vtilitatem hominum, & cæterorum imi globi condita, ad ſua deliramenta trahunt. Notum eſt quæ de *ſpeculis & ſigillis conſtellatis* proponant *magi impuri*,

Quinque morborum Entia paracelſica.

licet ſub prætextu naturæ, quo modo Paracelſus putauit *ſagas* poſſe fulmina & tempeſtates coge-
re, item cœlum inficere pannis menſtruatis. Quidam in valida diſpoſitione martis ex ſeptem me-
Martia armatura. tallis ſub ſuis ſyderibus aſſumtis & præparatis *armaturam*, *& gladios fabricat* opere manuali, inten-
tione, verbis, & halitu omnibus martialiter ſe habentibus ad vim hoſtilem auertendam, inimi-
cosque perterrefactos in fugam vertendos, prætereaque incantamenta, & venena propulſanda.
Idem commendat *electrum artificiale* ad venena arguenda: *phyſiomagicum* aliud ad explorandas res
arcanas: *amuleta & annulos* contra cacodæmones, in quos annulos putat ſe omnium planetarum
influentiam cogere poſſe, quaſi hanc fugiat, & auerſetur ſathanas: quomodo *Crollius*, cum vidiſ-
ſet *vnica gutta cuiuſdam medicinæ mineralis ſanari hominem deſperata ſalutu*, ſibi perſuaſit vniuerſam vim
aſtrorum cœli in eo medicamento fuiſſe concentuatam, *& ſocii de cruce Roſea* putant ſuos patres à
tota cœli machina fuiſſe in reformationem totius mundi cooptatos. Commendant iſti magi *cora-*
Coralia. Gagates. *lia rubra* contra ſpiritus & tempeſtates, quod *Paracelſus* ex aniculatum circulis hauſit, quanquam
nec literati deſint qui tum coralia, tum *gagaten* & alia amuleta ſic vſurpent, quæ res videtur tracta
ex hæreſi *Baſilidiana* & horum opinione, qui *Salomoni*, & aliis Hebræis tale quid aſcribunt. Fingitur
& mentalis impreſſio & intellectualis ſignatura à phantaſia eius qui fidit lineamentis. Aliqui *characterem*
Abraſaxas. *inſcribunt ſaluiæ folio*, & præbent contra febres ſicut & *Serenus* ſuum *Abracadabra* ex *Abraſaxas Baſilidis*
ductum, appendit. Eſſe dicitur character qui circulo inſcriptus *muſcas abigit*, qualis eſt apud Para-
celſum quoque. Ex ſanguine ſerpentum in charta exaratus dicitur *fugare ſerpentes*, vt pronuncia-
Character ad omnes morbos. tum illud ὅσει ὅσεια ὅσει. Quidam *characterem antipathicum* ſciuit pingere quo *omnes morbi fuerint ſa-*
nati, & qui magico carmine diſtortum puerum correxerit: Huius medicinæ & Paracelſus citatur
ſeu autor, ſeu ampliator. Nam ex tractatu de longa vita citantur huiuſmodi verba: *Morbi veni-*
entes ex mentalibus, debent mentaliter tolli: qui ex æſtimatione propria, depelluntur per obiecta (vt ex amore,
Morborum curationes. „ data re amata, ex auri cupiditate, dato auro) *Qui ex imaginationib. per ſimiles imaginationes curantur: Qui*
ex incantamentis per incantamenta: Qui ex ſuperſtitione, per hanc ipſam tolluntur. His ſic abactis conſer-
Septem vitæ conſeruatiua. uari vita docetur ſeptem remediis 1. ad naturale robur ſeruandum: 2. ad caſus fortuitos: 3. ad
mentalia: 4. ad incantationes: 5. contra imaginationes. 6. contra æſtimationes. 7. contra ſu-
perſtitiones. An nō hæc eſt mira ratio ſanandi? Quin dicimus vnicum remedium ſatis eſſe, *ſubla-*
tionem peccati totalem Paulus mortem vocat. Qui enim mortuus eſt, à peccato eſt iuſtificatus. Non
Transplantare morbos. immerito *Seuerinus* iſtam ſcabiem ex ſua Idea ſuſtulit. Audiamus *aliud medicorum genus*. Hoc trans-
plantat morbos ex microcoſmo in macrocoſmum, vel etiam ex vno homine in alium. Regula eſt:
„ *Beneficio mumiæ microcoſmicæ morbi inueterati tranſplantantur in macrocoſmum.* Mirus modus, vt homo
„ ſaluus ſit, volumus mundum externum morbis afficere, ſine cuius ſalute tamen nos ſalui eſſe non
„ poſſumus. Exemplo eſt *Perſicaria* loco affecto applicata, & poſtea ſepulta, vel in flumen abiecta:
„ *Cortex iuglandis arboris* hypochondrio ſiniſtro adhibita, & cum incaluit abiecta: Ita de *buffonibus*, pa-
„ ne calente, cepis & aliis attractiuis, quorum multa quidem ſunt vera, ſed non iuxta regulam, vti
Transnaturales morbi. „ neque *vnguenti ſympathetici* vis ei reſpondet. Quidam morbos *tranſnaturales* eſſe dicunt. Hos curant
„ per aſtra *aſcendentia & deſcendentia*, opinione ſua. Nam in re nihil eſt. Quid ergo opus eſt digladia-
„ re de tribus principiis, humoribus, qualitatibus, ſi tot modi ſunt medicandi? *vniuerſale ſapientum*
„ *omnia proſternit.* Cedant ergo *Syntagmata chymica arcanorum* dicat aliquis. Ego vero vale-
„ re ordinaria medicamenta, & valitura iudico, vt non ſit perdita cum oleo opera, etiamſi noua
„ ſocietas adeſſet, & lapide ſeu tinctura philoſophorum tum omnes morbos fieri vetaret, tum factos
„ gratis ſanaret. Meum *Syntagma* inſeruit vel ipſis Paracelſiſtis, qui cum iactitent tot modos ſanan-
Syntagma arcanorum. „ di, quot ſeu recenſui, ſeu quis poſſit fingere, tamen aut nullum aut paucos curant extraordinarie,
„ vti videre eſt apud Crollium, Scheunemanum, Gramanum, & alios, vt & apud Paracelſum.

Ganſius in hiſtoria Corall. in fine.

CAPVT III.

De mirabili aqua fortitudinis & aliis nonnullis.

PHilippus *Mullerus* Friburgenſis Philoſ. & Med. D. anno 1614. vt titulus habet, ſecundo edidit
Miracula, & Myſteria chymico medica libris quinque comprehenſa, quorum primus continet arti-
ficium philoſophici lapidis cum reſponſione ad eos qui, vt *Lotharingicus Guibertus* transmutationem
negant: Secundus exhibet *particulares tranſmutationes*: tertius *rariores præparationes mineralium*, vt
argenti viui, æris, chalcanthi, Tartari, arſenici: Quartus *extracta, aquas, balſama, eſſentias, & ſales* ve-
getabilium proponit, cum tincturis lapidum: Quintus habet varia *medicamina ſecretiora ad omnes*
morbos totius corporis humani. Typographus adiecit *Tirocinium chymicum Iohannis Beguini* Regis
Chriſtianiſſimi Eleemoſynarii qui Quercetanæa fere collegit. Antehac etiā *Daniel Sennerius* Phil. &
Med. Witembergicus, non pauca vtilitati publicæ concredidit. Laudo horum ſtudium, ſicut &
Crollii in medicinarum formulis (non autem in præfatione admonitoria) Item *Quercetani, Penoti*
& ſimilium. Quam cupio vt horum præſtantiſſimorum virorum ſeu collectanea, ſeu experimen-
ta in vnum volumen coacta edantur, ſi non rara, ſaltem ſelectiora? *Criminantur meos labores Pa-*
racelſiſtæ, idque eo magis quo quiſque eſt impoſtor turpior, audacior, imperitior, magisq; temerari-
us, & nefarius. Sed illi interim pingueſcunt tacite ſiue laboribus aliorum, & meis, ſiue expoſitio-
nibus myſteriorum. Contra hos non oportet arma deponere. Nam verarum apum labores vt
fuci ignaui conſumunt, quæque in noſtris libellis inuenta, opere comprobarunt, mox immodi-
cis bullis proflant, publice venū exponunt *emiſſis ſchedulis*, & vna dum rabioſe in nos inuehun-
tur, ex noſtris laboribus pecuniam corradunt, ſuaque compendia faciunt. Verum nos non ideo
vulgamus arcana, vt fucos illos inſtruamus, ſed vt omnibus bonis, præſertimque medicis inno-
teſcant tum ad vtendum in neceſſitatibus, tum ad impoſtores illos, qui *ex argento viuo ar-*
genteas medicinas conficiunt, argentoque vero emptores ſpoliant, aut ex ære, ſtibio, ſulphure, halinitro,

Scripta medica Philippi Mulleri Iohannis Beguini Ioſephi Quercetani Danielis Sennerti Oswaldi Crollii Georg: B. Penoti à Libavio commendantur.

hydrargyro myſticas medicinas tanquam aſtralia magnifica procudunt: aut ex *colcotaris diluto aquas vomitiuas ruſticis* intemperantibus diuendunt, aut *panaceas* ex cinabari aliisque vel *ſales venereos* ex vena æris, aut ſcoriis &c. fabricant, redarguendos. Sed ad inſtitutum. *Liquoris martii* qui fortitudinis dicitur, duæ deſcriptiones ad me peruenerunt. Prima eſt huiuſmodi: *Quo vere aer eſt temperatus,* aut tepidus, ita vt formicas ex ſuis latibulis prouocet, diſpiciendum eſt vbi ſint cumuli agminibus pleni. Hi cumuli effodiendi ſunt, & imponenda humilis cucurbita, vel matula ex vitro cum eſca mellita, aut ſacchari ſoluto, vſque ad orificium, vt beſtiolæ irrepere poſſint illectamento ad orificium poſito. Poſtquam illæ gregatim irrepſerint, vnco ferreo immiſſo eſca eſt retrahenda, ſiquidem maſſalis fuit: cucurbita vero ſtatim obturanda, vt formicæ intus ſuffocentur. Mortuis affundendus eſt vini ſpiritus tinctura cinamomi imprægnatus. Obſtructum vas inferatur in balneum, vel fimum, ibique digeratur, & putrefiat materia, ſoluaturque in liquorem. Deſtilla. Deſtillationi rectificatæ adde extractum cinamomi, vel inter deſtillandum ſine per cinamomum tranſire. Ita parata eſt aqua Martialis, qua pota dicitur Imperator *Maximilianus primus* hoſtes fortiter aggreſſus eſſe, & viciſſe. Qui potauit hanc aquam, ei formicæ atrepunt, ſui ſimilem ſpiritum appetentes, ſicut canes nõ allatrant, ſed permingunt geſtantes caninam vuluam. Hactenus prima deſcriptio. Secunda ſequitur: *Balſamus Magnanimitatis.* Primum oportet te ſeptem vel octo libras radicum *Cardopathiæ* purgatas, exiccatasque deſtillando ſecundum artem in oleum redigere. Hoc oleum defer in pharmacopolium fragrantia aromatum confortantium valde redolens, & Luna creſcente ex angulo in angulum transfer. Sicut enim radix illa creditur ex hominibus attrahere virtutem, ita exiſtimatur & ex ſpeciebus aromaticis. Serua hoc oleum odoribus ſic nutritum. Ego miſcerem oleis Balſameis ſpiritualibus, aut vna talia deſtillarem. Sed dandum eſt aliquid imaginationi, & fiduciæ cuiuſque. Accede formicarum cumulos vernos. Sicubi ſunt agmina formicarum, incute virgam betulaceam, & odorem explora, ſi olet acidum, formicæ ſunt bonæ. Cape ergo matulam vitream, eamque circa fundum melle perline, & inde lineam mellitam duc vſque ad foramen. Infode eam cumulo vſque ad marginem. Intrabunt formicæ portantes ſecum ſua oua. Adiiciunt melli veterem aruinam, vel pinguedinem vaccinam. Cum irrepſerunt omnes, aut quæ ſufficere videntur, operculo vas claude, atq; ita beſtiolas ſuffoca, deinde deſtilla. Exibit aqua & oleum. Separata aqua oleum adde oleo Cardopathiæ in vitro bene munito, vſus huius olei eſt ad magnanimitatẽ. Oportet gladio illinere & cuti tuæ, quantũ ſufficit: item guttas decẽ aut duodecim linguæ imponere, & reliquum tecum geſtare. Sic *ſi cum viginti, aut triginta bellatoribus congreſſus fueris, omnes ſuis viribus ſpoliabis*, tuque fies tam robuſtus ſolus quam illi omnes ſimul, ſi credere libet, & experiri. *Si es ſterilis*, vnge te hoc oleo, & accede ad fœcundos. *Transferes ex eis fœcunditatem in te ipſum. Si es imbecillis, & valetudinarius, aſta, vel accumbe validis, & morbum ſuperabis.* Hæc vt vera deprehendantur, opus eſt *fide naturali & magna fiducia Crollii* cum imaginatione fixa, & intentione valida. Magiæ naturalis aiunt ſpecimen eſſe, Tu iudica. Magi & ſuperſtitioſi talibus plurimum tribuunt, cumque nõ vi medicaminis, ſi quid obtinet pugnator, aut inualidus quiſpiam, efficiatur, ſed *Spiritus parhedri*, tamen non deſinunt perſuadere naturaliter totum contingere, adeo vt nõ timeant *equorum quoq; pabulo miſcere Cardopathian*, ſeu radicem nigri *chamæleontis*, vt ferox, & intrepidus euadat. Finge vero *Spatham Caroli magni*, & *Rolandi* iſto Balſamo fuiſſe oblitam: adde etiam *Martialem panoplian Achillis*: contra gladiatores aliquid fecerint, at num etiam contra *catapultas, tela, bombardas, & maiora tormenta*? In ſacris tutior eſt *Panoplia*, & magnanimitatis ſeu aqua ſeu balſamum, quod non tantum aduerſus carnales hoſtes valet, verum etiã ſpirituales: vide 2. Corin. 10. verſ. 4. 5. 6. Pſal. 149. verſ. 6. 7. Eph. 6. verſ. 11. & ſeq. Pſ. 91. 3. vbi eſt remedium contra *Rectores tenebrarum*. Aduerſus carnales quoque hoſtes eodem Pſ. verſ. 2. proponitur *Dominus ſpes & refugium* vt & Pſal. 121. 2. Pſal. 11. verſ. 1. Pſal. 3. 7. *Non timebo millia*, ſeu myriades *populi circumdantis me*. Apud *Dominum enim eſt ſalus. Vana ſalus hominum, In Deo faciemus virtutem.* Vide & Pſal. 18. verſ. 30. 33. 35. 38. &c. Hæc exemplis *Moyſis, Ioſuæ, Dauidis* & aliorum abundè ſunt comprobata. Sed redeo ad Chymica. Affinis iſti artificio, & perſuaſioni fortitudinis eſt *Lampas vitæ*, quam concinnant nonnulli tanquam *fatale quoddam lumen* in quo hominis fortuna, affectus, morbi, & tandem mors poſſint obſeruari. Arbitror excogitandæ anſam præbuiſſe Magiam illam, ſeu obſeruationem popularem, qua *arbor, vel herba depacta aut ſata in nomine cuiuſdam, tamdiu durat, & late creſcit, quandiu ipſe bene habet, & floret.* Cum ægrotat, arbor quoque aliqua indicia morbi habet; Cum inſtat hora mortis, marceſcit. Ita ſcribit C. Suetonius in Galba: *Cum in Liuiæ gremium Aquila gallinam albam ramum lauri roſtro tenentem demiſiſſet, nutriri alitem, pangique ramulum placuit* (Plin. lib. 15. cap. vlt.) *Inde Lauretum factum tale vt triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent, fuitq; mos triumphantibus alias confeſtim eodem loco pangere: Et obſeruatum eſt, ſub cuiuſque obitum arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ergo nouiſſimo Neronis anno, & ſylua omnis exaruit radicitus &c.* Tanti eſt in nomine alicuius quicquam fieri admurmuratis proculdubio aliquibus verbis, & adiurationibus, quibus poſtea magorum ſententia eſt roborata, aliquam vim habere verba, intentiones, imaginationes & ſimilia, qua perſuaſione fabricant *ſigna cerea* quorum paſſiones fiant in his quibus ſunt dicata. Ita *Telephium* pangunt in nomine ſtrumoſi, aut hernioſi cuiuſdam, poſtquam prius loco affecto fuit applicatum. Deſinere paulatim hernias, & ſtrumas multis firmant exemplis. Hac opinione *Gallus Virgilianus* arborib. inſcribere vult ſuos amores, quod futurũ cenſeat vt arborib. creſcentib. amores quoq; creſcant. Apud Ouidiũ 8. Metam: Althæa cõburit filium Meleagrum *fatali Parcarum ſtipite.* Sed producatur deſcriptio illa lampadis, non quidẽ hac fine, quod Magiæ multum tribuamus, aut ſuperſtitiones roborare velimus: Sed vt iudicari poſſit ſitne aliquid in re ſeu phyſici, ſeu hyperphyſici. Sit certus aliquis homo cui vitæ lampas eſt deſtinanda, iſq; aliquandiu inculpata victus ratio-

Aqua martia.

Balſamus Magnanimitatis.

Contra ſterilitatem & tenuem valetudinem.

Lampas vitæ

Fatale lauretum.

Ad Hernias

Magicus Titio.

Lampadis Vitæ præparatio.

ne vtatur. *Cape Roris Iouis amphibii,* hoc eſt ſpiritus ex œnomelite, aut hydromelite, vinoſo (ſali-
qui vini ſpiritum aſſumunt) ſumme exaltati partes duas. Mitte in *pelicanum,* aut cucurbitam.
Deinde aperi arteriam baſilicam, aut medianam hominis, & exilientem ſanguinem dum calet &
» ſpirituoſus eſt per infundibulum in pelicanum, vbi eſt ſpiritus, decurrere ſine. Sanguinis ſunto
» partes quinque, vas ſit temperatæ qualitatis, nec caleat nimis, ne ſpiritus diſſipentur: neq; etiam
» frigeat ne ſanguis concreſcat in grumum. Tertia vero tantum parte ſit impletum. Claude herme-
» tice. Digere in balneo, vt fermentetur, ſeparetur que purum ab impuro. Sanguis ſolet intumeſce-
» re, & totum pelicanum occupare, idq; ſpatio 40. dierum, phlegma inutile innatat. Eſſentia aurei
» coloris ſidit, & fundum ſeruat. Separatis innatantibus eſſentia ſeruetur. Eſto in promtu retorta
» vitrea cum tubulo in dorſo Receptaculum ei ſit firmiter conglutinatũ, & terminine iunctum, im-
» miſſa eſſentia, tubuloq; obſtructo colloca in balneum ita vt pelicani ſolent, & eſſentia ex vno vaſe
» in alterum pellatur decies, vel duodecies. Talem diſpoſitionem vocant *bociam contra bociam,* & ca-
» lorẽ alternis adhibent vt reciproca fiat quaſi æſtuatio. Circulatione hac peracta deſtilla, & phleg-
» mate exeunte, eſſentia manet in fundo. Hanc exalta nouies circulando in retortis vt ante pro ma-
» teriæ quantitate, hermetice commiſſuris obſignaris. Fiat poſtea ellychnium ex *amiantho* recte præ-
» parato (ſolent lixiuio coquere, & poſtea oleo, vt tenereſcat, atque etiam neri poſſit) colloca in
» lampadem auream, argenteam, aut vitream. Affunde eſſentiam ſanguinis circulatam. Incende nõ
» flamma focorum, ſed ſolari per ſpeculum incendiarium in ellychnium directum. Ita repoſita lam-
» pas ardeat, cumque libet, flammam contemplare, vt de ſtatu hominis cognoſcas. Hactenus hæc
quoq;. Videntur hæc ex *Sympathia, & magnetiſmorum* familiaritate tracta eſſe, vt & *vnguentum Sympatheticum* Paracelſi, de quo item narrãt affici hominem eo modo quo telum, ita vt cum lubet poſſis ei dolorem excitare. Vulgaris perſuaſionis eſt, magos multa poſſe, ſi ſanguinẽ nanciſci queant. Quocirca qui ſibi metuunt, in profluentem iubent ſanguinem ex vena effundere, aut cloacam.

Vide Rubeũ, Thomam de Aquino. Beguinum lib. 3 Tyroc. c. 1.

Tinctura Coraliorum facilis.

Quid chymici ex ſanguine eliciant, quoque modo Mumiam, & lapidem *Carbunculi* inſtar fulgentem *ad omnium morborum depulſionem* ex eo faciant: quæ etiam ex ſacris literis de vitæ, animæq; vehiculo afferantur, item de clamore ſanguinis iniuſte interemtorum, deque cadauerum ſignaturis, a-
» libi proponitur. Sed quid ſentiendum de hac coraliorum tinctura? *Rubra Coralia cum pari halinitro contrita, commiſtaq; induntur in catinum,* & ſuper igni prunarum ſinuntur per dimidiam horam colliqueſcere, interim ferreo ſtylo aliquoties verſando, & explorando num materia ſit læuis, & inſtar marmoris gliſcat ſine granis. Si nondum eſt talis, ignis diutius eſt adhibendus donec ſignum dictũ
» appareat. Tunc vbi refrixit, albam maſſam inuenis, quæ ex tigillo extracta teritur in puluerem ſub-
» tilem, qui immiſſus in cucurbitulam perfunditur vini ſpiritu bono, qui intra duas horas aſſumit
» tincturam. Effuſo primo & repoſito ſubmittitur alius, idque repetitur donec tingi deſinat. Effu-
» ſiones tinctæ filtrantur per chartam, & leni balneo ſpiritus ſeparatur vſque ad tincturam rubeam,
» perſpicuam, quæ valde acris eſt, & linguam vrit. Datur gutta vna ex vino, vel iulepo conueniente
» in hæmorrhagiis, dyſenteriis, & aliis malis. Eodem modo & *cancrorum lapides præparantur, & in liquorem ſoluuntur.*

Liquor lapidum Cancrorum.

Calcinantur cum pari halinitro. Deinde aqua ſtillatitia dulci abluuntur, ſiccatisque affunditur vini ſpiritus ad tres digitos Fit digeſtio in balneo calente donec ſpiritus tingatur. Quando enim ſubtilem eſſentiam aſſumſit, quod & in vnionibus euenit, coloratur rubro. Spiritu poſtea ſeparato remanet eſſentia quæ in tabella argentea in liquorem abit. Reliquiæ denuo poſſunt cum halinitro calcinari, & extrahi vt prius. Eſſentia tamen inde nõ fit tam ſubtilis. Quod ſi totum corpus ſic elaboramus, *magiſterium,* & non *eſſentia* efficitur.

Alii modi præparandi Coralia.

Quidam Coralia aceto aromatiſato corrodunt, & poſtea calcem extrahunt aceto deſtillato quod ſuper Guaiaco ſteterit. Alii *acetũ* faciunt ex *ſerraturis ligni querni,* aut eius loco vtuntur *Spiritibus deſcenſoriis* ſolidorum lignorum, quæ ſunt nitroſa: aliis placet calcinatio cum halinitro vel ſulphure, & extractio per *acidũ phlegma vitrioli* deſtillati. Habes & apud Beguinum in Tyrocinii lib. 2. cap. 10. aliquot modos, vt & quintam eorũ eſſentiam lib. 3. cap. 3. cuius meminit *Quercetanus.* Qui coralia calcinant cum *pumice* hoc conſilio vt tincturam eorum in pumicẽ transferant, vnde poſtea facili labore poſſit ſeparari, videntur dubiũ quid facere. Nam pumex reuerberatus rubeſcere poteſt, & deinde eius rubedo pro tinctura Corallina offerri. Sed ſunt qui id negent, atque etiã eo medio ex aliis lapidibus colores excipiant, & ſeparent.

Margaritas præparare.

Menſtruum ad margaritas diſſoluendas quidam præter acetum radicatum, ſpiritum vitrioli, & alia, tale parant. *Succi limonum dimidiam menſuram miſcent duabus aquæ in Aprili ex Betulis vulneratis profluentis.* Coquunt in olla vitrata donec quarta pars menſuræ ſuperſit, cui addunt tantundem ſucci limonum noui, & deſtillato rectificato perlas aqua calida lotas, & reſiccatas perfundunt, ita vt ſeſcuncia menſtrui ſemunciæ perlarum addatur. Horis quatuor fit ſolutio. Seruatur totum quod eſt inſtar vini cinereo colore. Sed ad alia pergamus.

Caput IV.

Alia familia medicantium, quæ videtur ex reliquiis eſſe vagantium ſcholaſticorum, ſeu magorum.

MAgica exercitia, qualia leguntur apud *Paracelſum, Crollium, Henr. Cornelium Agrippam, Trithemiũ Artephium* & alios, *Rogerius Baccho* tum prohibita eſſe dicit ſacris, & ciuilibus legibus, tum ne-
» ceſſitatem chymiatro negat, quia *admiranda ſit artis & naturæ potentia,* vt hac quod volumus aſſequi poſ-
» ſimus citra magiam, ſiue aperte ſit diabolica, ſiue pallio naturæ velata. Probat id aliquot miris

operibus

operibus, quæ ſuo loco recenſebimus. Qui *Panoplian Achillaam* edidit, ſimilia habet, tantumque tribuit *conſtellationibus*, vt quod aliis temporibus falſum inuenitur, id certis cœli configurationibus verum fiat: exempli gratia: *Mæris Virgilianus* ſe voce deficere ait, quod à Lupis prior ſit conſpectus. *Scaliger* falſum deprehendit. Sed iſte ſe opponit *Scaligeri* experientiæ, putatque non quouis tempore id fieri, ſed ſub certa conſtellatione, quaſi *Mœris* paſſus ſit iacturam in voce ſub certo ſyderum poſitu, à ſingulariter affecto lupo, quem tamen ipſe tum ignorabat, tum non curabat, ſed ſic enunciat quaſi populare prouerbium, non ex rara, ſed vulgari experientia natum.

Raucedo ex præuidente lupo.

Ita credunt poſſe fieri *Magnetem* certis ſyderibus, vt qui eum geſtat, is poſſit *hoſtes in acie panico timore afficere*, atque ita perterrefacere vt fugiant, quomodo factum eſt in Bohemia *Sciſca* Duce, & nonnulli putant *Rolandum* inflato cornu hoſtes fugaſſe, aut proſtrauiſſe, quaſi id aut vnquam ſic factum ſit, aut, ſi factum, non potius vel vi magica, vel diuina ſit factum, vt: *Cum Chriſtus in horto capientium ſe manipulos verbo proſternit.* Ioh. 18. v. 6.

Magnes Taraxechthrus.

Ziska anno 1420.

Sumpta autem iſta deliramenta ſunt ex Paracelſo. Hic enim refert de *Lupopiſce*, quod in ventre gignat ſerpentes & cæcilias, quod ſit ſignum habere ipſum contra beſtias illas *alexipharmacum*. At quis vnquam vidit ſerpentes à lupo non deuoratos, ſed in ipſo genitos, præſertim cum cæcilia terreſtre potius ſit animal quam aquaticum? Ne redarguatur, fabulam narrat de *conſtellatione Orionis, quæ in lupo ſerpentes efficiat.*

Lupus gignens ſerpentes.

Ait Sydus *Cochab* in *balæna* operari, quo tempore *Sperma* ſuum effundit: Tunc *Lupum piſcem*, *Salmonem* & alios id ſemen cupide petere ſicut canis cadauer: Lucium poſtquam deglutiuerit, id digerere, ſeu concoquere, cumque putreſcit, id abire in ſerpentes, & anguillas, quaſi hæ beſtiæ *ex putrido ceti ſpermate generentur in ventre lucii.*

Cochab eſt generale nomen ſtellarum.

Hinc quia piſces hi ſemen per os concipiunt, & venenata animalia gignunt, vult iſtos valere contra peſtem *aquaticam, quæ etiam per os ab homine* concipiatur: attrahatur autem applicatis iſtis piſcibus.

Peſtis per os.

Huiuſmodi deliriis, ſine experientia, ratione, & principio confictis ſeſe oblectant Paracelſiſtæ, tantumque confidunt, vt perſuadeant ſibi ſe ſatis armatos eſſe contra omnes rationes *Galeni, Ariſtotelis*, & aliorum Phyſicorum, aut medicorum. Erat tamen quidam, qui de grege Paracelſi eſſe nolebat, & nihilominus magnifica & admiranda proflabat, cuius artes paucis, vt hoc hominum genus amplius innoteſcat, recenſebo.

Miræ pollicitationes cuiuſdam ardelionis.

Primo pollicebatur *facultatem efficiendi vt per orbem terrarum agri, & terræ quæuis ſata, horti, vineæ, ſyluæ, &c. frugibus abundarent*, non tantum ſolito copioſioribus, ſed & melioribus per omnia, vt: numero, magnitudine, bonitate, viribus, ſeminibus, germinibus, culmis, ſpicis, ſiliquis, foliis, floribus, arte habente locum in ſegetibus, fruticibus, ſyluis, in eadem regione ſine vlla diſtantia, tempore, labore, & ſumtu vno, eodemque, qui alias communiter ſoleret adhiberi.

Fœcundare omnes terras.

Ita poſſe aquarum, maris, fluuiorum, piſcinarum, ſtagnorum terram ad vſum ſalutarem transferri aiebat: *Piſces* haberi copia maiore, & ſucco meliore, atque ideo vberiores capi vt viui, vegetique in vſum veniant: piſcationis rationem meliorem inſtitui: beſtias copioſius, & melius in aquis, terra, aere, domi, forisque prouenire, & victum, amictumque ad votum ſuppetere, vt beata & abundans bonis ſit Germania.

Piſcium Euporia.

Altilia ad votum.

Hoc primum eſt promiſſum quod vel paradiſi ſtatum refert, vel poeticas illas fabulas de *aureo Saturni ſeculo*, & beatorum inſulis fortunatis redolet. Num autem mundo maledictioni, & vanitati ſubiecto, hominibuſque peccata augentibus, & flagella Dei in ſe prouocantibus, vnquam quiſquam hanc felicitatem, niſi cum Deus placatus benedixit, vt in regno *Salomonis*, & aliis nonnullis prouinciis conſecutus ſit, hiſtoriæ ſilent.

Nilum limo fœcundo Ægyptum beare conſtat. Itaque ſi agri fluuiorum, ſtagnorum, & lacuum luto ſaginarentur, aliquid Deo aſtipulante expectari poſſet. Alibi *marga* pinguis in aliquot annos ſufficit.

Lætamina agrorum.

Fuit qui *halinitrum* miſceret ſeminibus, & agros præparatos ſereret. Fœcunda meſſis fuit, vno atque altero anno. Sed ſequentibus ſale in aruis incrementum capiente dulcis & nutritiuus ſuccus vitiatus, nihil, aut parum frugis alere potuit. Atque ita ſpes poſteritatis periit.

Halinitrum agros tertio anno perdit.

Veteres ampliſſima *columbaria* aluerunt, & fimo eorum agros putridos, nimiúmque humidos correxerunt.

Fimus columbarum bene ſtercorat.

Sed non eſt vt in rationes has ſolicite inquiramus. Vbi auaritia dominatur, & nequitia, abeſtque Dei clementia, & natura ſoli parum ars proficit. *Ruſticum* commentum audiuimus: cognoſcamus & *medicum*, quod eſt magni promiſſi ſecundum. Proponitur hic *regimen venarum, arteriarum, atque adeo totius hominis*. Qua arte? Actione & operatione NOVA, incognita, inſperata, ſumme ſalutari RE, LOCO, TEMPORE, immediata, natiua, ſola vel ori coniuncta viuendi, nutriendi, & medicandi ratione. Quid inde compendii? Spes RENOVATIONIS.

Sanitatis humanæ curatio admiranda.

Quid præterea? Modus ſingularis huc vſque plane incognitus, quo plurima, & inſperata in homine toto, eiuſque partibus poſſint effici, vt bona acquirat, malis priuetur. Conſequens eſt *vt animi hominum, præcipueque voluntates & affectus mutentur*.

Affectus mutare.

Volumus animoſum? Fiet. Si ſedatum, placidum, excitatum, alacrem, beneuolum, bonum, & omnino pro arbitratu affectum, præſtabitur. Eadem opera virtus, bonitas, magnanimitas vnius ſine ſuo detrimento transferetur in alterum. Si vis vt affectus iſte in alium mutetur, aut redeat ad antiquum, facile & hoc procurabitur. *Tritemius* quendam principem vna hora fecit literatum, & ſcientem latine: ſed hoc bonum ipſi ademit viciſſim, licet liberaliter donatus.

Virtutes & vitia ex vno in alium transferre.

Quid porro? Effici poteſt vt animus, & vis iuuenilis migret in ſenem, & ſana conſtitutio ex ſano, & optime valente in ægrotum: vt vita ſeu per totum hominem, nondum tamen mortuum, ſeu in parte aliqua ipſius cui imminet ſphacelus, vel gangræna inſta[...]etur, motus reſtituatur his qui ſe mouere non poſſunt, & roboretur:

Ex ſene iuuenis, & ægroto ſanus.

Inſuper corpus totum nutriatur, aut mutetur ad votum, *etiam ſi neque ventriculus, neque Epar officio ſuo fungantur*, & vel nil, vel male agant: vt *omnes affectiones & morbi* alias curam reſpuentes ſanentur, poſtquam expertus fueris quid cuique conueniat ſine antipathia. Ita homo poterit eſſe animo, & corpore ſanus, poteritque maiorem, inſueram, inſperatamque conſtitutionem acquirere. Inueſtigauimus quænam res eſſet tanti? Inuenimus *Patrem Sectæ de roſea cruce non paſſum eſſe quitquam in aduerſam valetudinem incidere*, quod prophy-

Etiam ſine ventriculo alere.

Prophylacticum potens tinctura philos. ex Sole, vel antimon.

lactico potente ex tinctura Philoſophorum eos præmuniret. Alius *Characterem antipatheticum* commendauit: *Paracelſici Elixyr ex ſeptem planetis*: quidam *omnem vim cœli in paruam molem cogunt*: Per *Gammahacas*, & *ſigilla conſtellata*, magiamque totam quid non promittunt? Quid non tribuit *Crollius magneticis aſtris, & imaginationi* intenſæ hominis? Græci *Muſicæ cantu* affectus ducebant, quo volebant. Nonnulli *variarum beſtiarum ſanguine* ſub ſua conſtellatione dato varie mutant animos, vt fiant lupini, bouini, felini, &c. *Mumiam humidam* & ſiccam hominis laudant alii. Quidam ſtatuunt *vas concauum, & ad id ſtare iubent duos homines*, vnum ſanum, alterum ægrotum, ita vt radii ex ſano illapſi in ægrotum hunc afficiant, atque ita ex illo in hunc ſanitatem inferant directe. Oportet autem vtrumque animum fortiter intendere, & auidum eſſe hunc rapiendæ ſanitatis, illum communicandæ imaginatione ſub certo ſyderum poſitu intenta. Quid enim eſt quod per ſydera imaginatione forti deducta, & quaſi ex cœlo rapta nequeant efficere, ſi non fallantur? Quid facilius quam per *mumiam* tanquam per centrum ex vno in alium transferre principium ſanitatis? An non *ſagæ* ſic vtuntur *homunculis*? An non *perſicaria* transplantantur morbi ex paruo mundo in magnum? Quidni rurſus magni mundi ſalubritas in hominem inuehatur? Sagæ & ſortibus, & rebus amatis vtuntur, nec raro ſudoribus arreptis, & *Cardopathia*, & *Hippomane*, &c. *Lucius Vitellius Auli pater remedium fecit ex ſaliua libertinæ deamatæ melle miſta.* Vt *Paulus* & *Eliſæus* 4. Reg. 4. 34. applicarunt ſe mortuis, & ſpiritum, caloremque vitalem eis reſtituerunt, ita & ægrotantibus poſſe videntur ſani. Imo vt catuli & feles *colicam in ſe transferunt*, ita viles perſonæ à nobilibus poterant. *Dauidem* refocillabat pulchra, iuuenis, calenſque, & ſpirituoſa *Sunamitis*, quali remedio quis ſenex frigidus nollet incaleſcere, cum id & iuuenes petant? Sed *Eliæ* & *Eliſæi* potentia non ſucceſſit *Mezentio*, qui mortuos non reſtituit applicatis viuis, ſed hos occidit. Ille vero noſter quo quæſo remedio putabat ſe iſta inſperata conſequi poſſe? *Aſſit iuuenis robuſtus, ſanus, ſanguine ſpirituoſo plenus. Aſtet exhauſtus viribus, tenuis, macilentus, vix animam trahens. Magiſter artis habeat tubulos argenteos inter ſe congruentes. Aperiat arteriam robuſti, & tubulum inſerat, muniatque: mox & ægroti arteriam ſindat, & tubulum fœmineum infigat. Iam duos tubulos ſibi mutuo applicet, & ex ſano ſanguis arterialis, calens, & ſpirituoſus ſaliet in ægrotum, vnaque vitæ fontem afferet, omnemque languorem pellet.* Sed quomodo ille robuſtus non langueſcet? Danda ei ſunt bona confortantia, & cibi: medico vero helleborum. Caput III. Promiſſorum grandium. Eſt ars qua *piſces marini ex ſua patria in exilium miſſi*, & in alias terras illati ibi tam viui & vegeti ſint quam in mari, quin & permaneant, propagentur, & menſis inſeruiant. Si etiam ſunt fluuiatiles certarum regionum (quales ſunt in Danubio *Huſones*, &c.) ii poſſunt omni loco, & cœlo communes fieri. Hoc modo *Harengæ, rhombi, ſoleæ, aſelli, Gobii, Raiæ, congri, ſquillæ, cancri, conchæ, oſtrea*, & ſimilia aquatilia ex mari, aut ſtagnis marinis poſſunt transferri, & ita curari, vt gratiſſimo ſint ſapore, virtuteque & ſubſtantia alia quam exiccata illa, ſalſa, & aliter condita. Num vno in loco? Imo omnibus. Erit & commoditas, facilimaque ratio *piſces venales ſemper viuos, & vegetos in longa tempora ſeruandi*, quo ſanius veniant in cibum, maiore copia, & viliore precio quouis tempore ſint præſto. Ecquid placet promiſſor? Minime ſalſamentariis: Apiciis & cupedinariis, præſertim Ichthyophagis multum. *Seminio* transferri piſces aliquando in regiones peregrinas poſſunt. *Mario*, ſeu *Huſo* incola *Boriſthenis*, & *Danubii* à *Matthia* rege olim in viuaria *Bohemiæ* illatus eſt. *Sergius Orata* oſtrea ex mari in viuaria ſua immiſit in *Baiano*. Priſci *Euripos* maris in piſcinas coegerunt. *Aldrouandus* ſcribit Romanos auratarum ſeminia in lacus mediterraneos inuexiſſe. Num ſic poſſint & haleces, paſſeres, aſelli, &c. incompertum eſt. Caput IV. Medicum iterum eſt: Vult enim *infœcundas fœcundare*, eiſque policetur media ſingularia, & exoptata, modo inter perſonas nulla ſit antipathia. Quid? Num etiam exoletis, & emortuis vuluis? Et his quoque ſiue maribus, ſiue fœminis. Hic enim *renouationis* adminicula ſunt accerſenda, vt licet ætate graues, tamen viribus ſint iuueniles, poſſintque procreare. Sane *ſi nouus ſanguis & ſpiritus, cum animo & calore ex iuuenibus fœcundis in ſenilia corpora miſſus fuerit*, aliquid ſpei eſſe poſſit, niſi fallit medicus. Quid inde commodi? Non tantum vt *vetulæ renouatæ*, quaſi arte *Medeæ* per herbas coctas, gignant; ſed & *pro arbitratu maſculus, vel fœmella* concipiatur, & generetur: vt *homo totus à primo conceptu fiat purior, melior, ſanior*, minuſque obnoxius affectionibus, morbis, peregriniſque cupiditatibus, ad quod *media ſumenda ſunt ab aliis fœcundis* (hauſto ſanguine ex fœmina pro fœminis, ex maribus robuſtis pro viris) vt homo naſcatur corpore, & animo melior, & felicior, etiam vltra media conceptionum per rationes præſtantes, & media exoptata. Eſt & profuſior promiſſis. Vt enim *homo* fiat *artificioſus*, Paracelſus etiam maiore vanitate ſcripſit; & vt degat ſanus, *Græci medici per ſuos ſales*; fratres de Roſea cruce forte per lapidem philoſophorum, qui & renouatorius eſt, obtineri poſſe putant. Sed ille noſter machinam, ſiue inſtrumentum fabricare poteſt, cuius ope *partus ex vtero liberetur quando eſt lubitum* (præclara res pro virginibus impraegnatis, ne ſit opus ſaltu hippocratico, aut phthoricis.) Cur iſtud? Quia *genethliaci* fata pendere ex aſtrorum momentis & hora natiuitatis dicunt. *Vt ergo naſcatur infans optima conſtellatione*, illud inſtrumentum efficere poſſit. Differri, vel accelerari partus eodem valet. Sed num etiam fœcundas ſcit ſteriles reddere, vt fiant ſimiles Gelliæ apud Martialem, quæ colludere viris, ſed non parere volebat? Quidni? Ignorata ea huc vſque ratio eſt, ſitque tantum medicaminibus tam vtiliter, & neceſſario quam neceſſaria ſunt calidum, humidum, frigidum, ſiccum, additio & ſubtractio ſuis temporibus deſiderata. Quicunque ergo vir in opere venerio languet, & impotem ſe agnoſcit, & quæ fœmina ignaue ſeruit libidini, ad hunc artificem adeſto. Alacriter laſciuire & hircire diſcent, ſiue *à ſenectute* ſit impotentia, ſiue *faſcino*. Chymici multa promittunt fiducia tincturæ ſuæ phyſicæ, & arcani antimonii tam pro longa vita, quam renouatione. Sed exempla ſunt tum rara, vt putentur nulla eſſe, cum & *ipſi poſſeſſores arcanorum talium non ſiunt ſenes*. Alia *renouatoria* eſt Pſalmi 103. quam Deus probauit in *Abrahamo, Sara, Zacharia, Eli-*

Margin notes:

Mira ratio confortandi.

Transplantationes morborum.

Act. 20 10. Elias 3. Reg. 17. v. 21.

Mirabile remedium ægrotos ſanandi.

Piſces exoticos viuos in patriam transferre.

Steriles fœcundare.

Maſculum vel femellam pro libitu concipere.

Conſeruatio ſanitatis.

Machina pædhulca.

Fœcundas reddere ſteriles.

Emaciati.

ria, *Eliſabetha*, *Hanna*, *Ioſua*, *Calebo*, *&c.* Hac qui fruitur, votorum fit compos. *Emaciatos* nouimus reſtitutos eſſe lacte ex mamillis iuuencularum ſucto,& calore vna cubantium:alios alia iuuerunt, etiam in ſterilitate ſanabili. Sed illa excedunt captum noſtrum. Caput V. Hoc eſt χρηματιστικὸν, & neſcio an tale vt etiam *Guiberto* perſuadere poſſit. Nouit oſtendere rationes veras, & conſtantes, quibus *auri* vel *argenti facti infecti ſumma re vera multiplicentur*, *& ſui duplum*, *triplumve producant vltra id*, *quod primo vel expoſitum eſt*, *vel in arca repoſitum*, *& hoc quotocunque numero*. Hinc Veræ diuitiæ, (at tu promiſſor eras pauperior Iro) pro ſe, & poſteris permanentes. Si hæc ratio non vſurpatur, pro augmento tantum detrimentum, & decrementum eſt futurum, idque ſemper, & continuo. Si ante annos plures hoc compendium fuiſſet cognitum, proh quam diuites eſſemus? *Societas roſeæ crucis Theſauros habet indeficientes*, quibus & regis Hiſpaniarum vectigalia Indica poſſit vincere, & alios principes ditare. *Paracelſus* alicubi tantum opum defodit, quantum nec tria regna poſſideant. Num ergo his eſt *Fortunati crumena*? Sed vix ſperanda eſt tanta pecuniarum copia, vt argentum præ auri multitudine & abundantia, ſicut ætate florentis Salomonis in regno Solymitano, deſpicatui habeatur. Noſter tamen etiam quid amplius promittit. *Eſt ratio qua pecuniæ abſentes poſſint acquiri*, *& in ſolidum pro ſe & poſteritate poſſideri.* Num pie & honeſte? Imo cum bona Dei gratia, fauore, benedictione, honore, fama integra, amplitudine dignitatis, & magnificentia. Vſuras tamen alias execramur, licet eis non perceptis damnum exurgat maius. Sunt & aliæ admonitiones & declarationes conſideratione, & vſu dignæ, vtileſque & fructuoſæ, lucroſæque hactenus incognitæ: Et licet hæc incredibilia videantur, tamen ſunt certa, & in expedito. Hæc de pecuniis. Videtur non ſtulte ſapere. Nam nummi qui ante paucos annos valebant groſſis 24. iam aſcenderunt ad 31. cum dimidio. Hic in arca creuit pecunia. Poſſent & ſummates efficere vt vnicus groſſus valeret decem. Ita egregie pecunia multiplicaretur. Incidebat ſuſpicio de tinctura philoſophorum in infinitum multiplicabili. At ille *negabat Chryſopœan ſapientum veram eſſe*, quod qui eam maxime profiterentur, eſſent pauperes & infelices. *Theſaurinella Paracelſi* quæſtionem explicaret, niſi mali genii foret opus. Succurrit tamen phyſicum quid de *variis magnetibus* in micro- & macrocoſmo. *Crollius* tantam attractiuam tribuit imaginationi cum fide naturali coniunctæ, vt per eam homo poſſit omnium, quæ velit, compos fieri. Alii proponunt magnetes auri & argenti raptores. Tales ergo iubeamus per mare nauigare, & magnetibus ſuis aurum, argentumque cum gemmis ex profundo trahere. Si per piratas licebit, onerabimur opibus. Quo modo vero Iudaici fœneratores, & eorum ſimiles nummos multiplicent, adeo vt fuerit qui dixerit, *ſe ſi vnicum groſſum otioſum haberet intra paucos annos* (pone 20. vel 30.) *poſſe centies mille aureorum lucrari*, mihi eſt incognitum. Vidi rationes cuiuſdam qui ſuadebat principibus vt omnium ſubditorum pecunias vacantes, & fœnori datas ad ſe reciperent, expenderentque mercatoribus pro certa vſura, ex qua ſumma paulatim reſtitueretur moneta viliore quidem at maiore valore. Collecta erant & alia conſilia, quæ principes quidem pecunioſos efficere poſſint, ſed ſubditos in paupertatem coniicere. Melius autem eſt principem imperare abundantibus, quam abundare ipſum. Caput VI. Quæ ad *Poliorcetica*, & alia *Martialia*. *Rogerius Bacchon* in mirabilibus ſuis modum proponit, quo tonitru naturali excitato hoſtes perterrefacti in fugam vertantur, quale quis dicat illud eſſe quod Olaus de antro *Smellen* recitat. *Crollius* magus rationes oſtendit per *fiduciam* & *imaginationem*, *characteres*, *verba*, & alia magica. quorum cumulum inuenire eſt in libris Paracelſi & Agrippæ: Et ſunt qui putent *Iudam Maccabæum* hoſtes viciſſe literis hebræis vexillo inſcriptis, ſicut *Magnus Conſtantinus Labaro inſignito cruce ſibi in cœlo oſtenſa*: alii fiſtulis, carminibus, ſigillis; quidam *armatura Martia* & *gladio* admirandam contra inimicos vim aſcribunt: noſter promittit etiam grandiora, quæ in aliquot claſſes poſſunt diſtribui. I. *Efficere tormenta noua* & ſingularia pro vrbium, arcium, & caſtrorum muris, valliſque defendendis, quæ ſingula pilas, aut tela plura per extenſionem lateralem ſimul explodant. II. Ex iiſdem emittere tormenta cubica, quadrata, priſmatica pro arbitratu, quæ validiorem impetum habeant quam globoſa. III. Quod primarium & inſperatum eſt, catapultæ hæ fiunt *in & ex muro ipſo*, ſeu muri materia iam ante parata, & congeſta ad mœniorum extructionem. IV. Tempus & negotium ad id requiritur exiguum, ſumptuſque quaſi nulli, vel exigui momenti, cum eadem alias opera & ſumptus fuiſſent in muri ædificationem, ſeu conſtructionem impendendi. V. Efficere *ne veteres bombardæ rumpantur*, vbi ſimul cauſa, cur, dum exploduntur, frangantur, explicatur. VI. Noua tormenta conflare, quæ minus craſſa ſint, & ſumptuoſa, aut ponderoſa, poſſintque expeditius vehi, promoueri, & vſurpari, nec diſſiliant à ſoni diſplodentis tranſitu, neque vi, & diſtenſione pulueris pyrii. VII. Quælibet tormenta, ſiue recentia ſint, ſiue vetera, eodem puluere incendiario fortius multo & longius eiaculari, quin & rectius, certius, & exactius, idque ſine ruptura, ſcopum ferire. VIII. Ex cannis cylindricis cylindricas moles proflare vtilius, & maiori cum effectu. Poſſunt autem miſſilia longitudine arbitraria fieri in eadem matrice, ſeu forma, in qua machinæ ipſæ idque æque facile. Eadem in armamentariis pari, vel etiam maiori cæteris copia ſeruari poſſunt, id quod in vſu eſt neceſſarium, & exoptatum. IX. Eadem conueniunt manuariis ſclopetis, ſeu bombardis enchiridiis, idque maiori cum commodo. X. Ratio exoptata, facilis, vtilis, qua *aula principis*, *domus*, *manſio*, *cubiculum*, *etiam non munitum aliis præſidiis*, *poſſit reddi tutum* ab acceſſu, inuaſione, inſultu, impetu, & irruptione hoſtili, *etiamſi plura agmina armata*, *& phalanges aduenerint*, adueniant, aduentura ſint. Arcebuntur enim perterrefacti *horrore panico* (ſicut Sciſcæ Bohemi metu caſtra imperii) perculſi ſternentur, interimentur, idque totum vel *ſolus dux* prout volet, peragere poterit, vel ſtipatus aliis in loco ſuo, & ſi libuerit, *vel in lectulo manens*, quouis tempore, noctu, die, tenebris, luce abſque vllo ſuo & ſuorum periculo, ſine moleſtia, quaſi per luſum. Ea arte defendi poſſunt & vrbes,

De augenda pecunia.

Theſauri Paracelſici.

Ratio ditandi principes.

Mira artes contra hoſtes.

Mirabilia Rogerii Baconis

Noua tormenta.

Contra tormentorum rupturas.

Incredibilis defenſio ædium.

arceſque

arceſque & alia domicilia. (Crediderim hoc de diuino angelicoque præſidio. *Turris enim fortis nomen Domini*, qui & ſpiritu emiſſo omnes hoſtes in fugam vertere, & proſternere poteſt, aut etiam excœcare ne Lothi ianuam poſſint inuenire, aut Samaritanam regionem agnoſcere. De humana vero arte narrantur impoſſibilia. Magis autem dæmoniacis non ſemper permittuntur quæ volunt, & facile eſt *magica magicis ſoluere.*) XI. *Equum tam* robuſtum reddere vt geminatis viribus in hoſtem feratur, & duplo plus valeat. XII. Efficere vt *equites quinquaginta* plus poſſint quam centum, & quingenti æquent vires armatorum mille. XIII. Vt *eques inſidens equo* omnia commodius, & rectius agat, proque libitu melius perficiat, eaque omnia ratione expedita, facilima, & ad vſum commodiſſima, cum & alias, licet rariſſime, per ignorantiam minus perfecte idem ſit vſurpatum. XIV. Eſt medium quoddam aliud æque, cito, & ex ſeſe practicabile, quo equi commodius, rectiuſque viuere, & conuenientibus frui neceſſariaque peragere, & in labore durare queant. XV. Vt caballi ſuis rectoribus ſint obſequentiores, & ad nutus pro neceſſitate faciles, minimeque effrenes & feroces. XVI. *Vt eques equo tam pertinaciter, firmiterque inſideat, vt inde* nec detrahi, nec detrudi, nec decidere quacunque occaſione obueniente valeat: Et tamen eques ipſe pro ſe quando vult ex equo poſſit deſcendere, iterumque in eum ſe recipere, quoties & quamdiu placuerit. XVII. Ne ſeu hoſtis, ſeu alius prehenſo freno equum poſſit retinere, aut capere equitem tanquam mancipium, nec cum equo abducere captiuum, aut interficere: id quod mediis compendioſis, præſentibuſque & factu facilimis peragitur. XVIII. *Europæ ab hoſte Turca*, & aliis analytica, ſemeſtriſque liberatio & reſtitutio in integrum, ſi ſatis ante proſpectum fuerit de mediis, ſeu adminiculis neceſſariis, & agantur quæ in hunc vſum agi poſſunt. XIX. Id fieri poſſit *ſine machinis muralibus*, & aliis tormentis quibuſcunque, cum alias machinæ & tormentaria ſupellex ſint ad vehendum difficiles & ſumtuoſæ, valdeque impeditæ, quin & alicubi hæreant, & rebus præclare gerendis moram afferant, ne tantum, quantum ſperatur, obtineri queat, & rariſſime res ad votum ſuccedant. Id autem perfici poteſt ſine mediis hucuſque vſurpatis. Offeruntur

Equum robuſtum facere. *Equites inuictos præſtare.* *Equos facile alere.* *Facile domare.* *Equitem ab equo non poſſe detrahi, nec capi.* *Europam liberare.*

„ & alia plura varii generis artificia & ſtratagemata. Vide *Panoplian Burggrauij*, *Rogerium de mirabili*
„ *artis & naturæ poteſtate*, *Paracelſum de archidoxi magica*, *& de myſteriis vermium* cap. 3. & 4. vbi de ver-
„ bis, characteribus, ſigillis, imaginibus in charta virginea, laminis metallicis, Gemahæis, carnio-
„ lo, caphura, &c. Lege & *Corneliana*, & *Tritemiana*, cum *Crollianis*, *Artephianis*, & ſimilibus. Inuenies
„ ſtultitiarum, vanitatum, & impietatum magicarum plus ſatis, vt & in libellis *ſecretorum VVeckeri*,
„ Mizaldi, I. B. Portæ, Alberti, & aliorum, qui mirifica & diabolica, aut præſtigioſa ſcribere magis
„ voluerunt, quam vera, licita, & honeſta. Neſcio an ſocietas de Roſea cruce ſimiles artes ſit pro-
„ feſſura. Subolet enim quid, cum ſcribat *ſuum domicilium à nullo inuentum iri*, & ſi quis velit inſidiari

Theſauris, ipſum hoc facturum cum magno ſuo damno. Diſcimus nimirum hinc in quæ ſecula ſeruati ſimus, & quibus machinis bonæ artes oppugnentur. Nuper Paracelſiſta *Scheunemanus* ſimilia deliramenta ex Paracelſo repetiuit, ſtulte perſuaſus quendam *Styrum ægrotantem ab aſtante robuſto iuuene vim & naturæ robur attraxiſſe per imaginationem, ita vt ſenſus, cogitationes, & animus ipſe in illum ſit translatus.* Si quid tale contigit ex aliis potius quam his cauſis euenit. Si enim eſt naturale, cur tot medicinas quotidie interpolles excogitant Paracelſici? An nullus inuenitur qui tam fixas habeat cogitationes? *De fide miraculoſa garriunt* inaniter. Ea donum Dei ſingulare eſt, nec cedit in detrimentum proximi quaſi vt tu valeas, alterum ægrotare, aut interire neceſſe ſit. Neque enim verum eſt, quod ſine alterius damno aut incommodo prioris commodum iſto modo contingere poſſit, quod & fateri coguntur de vſu radicis *Chamæleontis* nigri. Cur autem robuſtus non potius reſtitit attractoriæ ægrotantis imbecillioris? Cur non vt *Theamedes* proflauit? Confirmatur autem mendacium mendacio. Nam vt probetur imaginatoriæ fortitudo, producitur *pauo*, qui ex appetitu ſerpentis imaginando intra ſe ſerpentem gignat. Quis hoc hominibus dixit? Crediderim potius *equas Hiſpanas Zephyrias* deſiderio conceptus imaginando ex Zephyro vento (equo potius) concipere quam pauum ſerpentes.

Paracelſus in Tom. 6. Vbi de Vita longa. *Fides naturalis miraculoſa.* *Carlina.* *Pauo imaginans ſibi ſerpentem.*

CAPVT V.

Quo conſilio conſcriptum ſit arcanorum Syntagma, & quid circa id euenerit.

CVR plenum difficultatis & laboris onus illud Alchymiæ in artis methodicæ formam redigendæ ſuſciperem, viribus bene perpenſis, & conſilio artificum partim publicis epiſtolis, partim priuatis ſcriptis quæſito, hoc erat propoſitum potiſſimum, vt, *quæ ſcientia improborum hominum, & impoſtorum, maxime Paracelſiſtarum, peſſime audiret, deterſis maculis ſuæ puritati & integritati reſtitueretur, poſſetque inter ſcelera & virtutes diſcerni.* Noueram id tentatum eſſe à *Gebro*, *Thurneiſſero*, *Pantheo*, & aliis; ſed fere particulariter tantum, minuſque ſcientifice, quod methodus artium vniuerſalis requirebat. Nolo de re ipſa multum dicere. Eſt opus in manibus eruditorum. Tantum mihi per Dei gratiam tribuo, quantum per illud poſſum, licet *Scheunemanus*, *Cramerus*, & alii Paracelſiſtæ valde leuiter de eo ſentiant, & ſcribant, qui tamen neque me erudire, neque meliora in publicum dare poſſunt. Declarabam axiomata exemplis ſummorum artificum. Falſa enim eſt opinio *Scheunemani* putantis philoſophum ſua experimenta proponere debere, & non farraginem ex aliorum Commentariis facere, neque de perplexe editis myſteriis diuinationes in publicum dare.

Coniectura de formulis hermeticorum.

date. Eſt quidem & illud præclarum ſi quis ſua induſtria inueniat vtilia, & eximia, inuentaque ſyncere cum filiis doctrinæ communicet: ſed *qui artem informat, & non vnius ætatis vel artificis hiſtoriam complectitur, ſed omnium temporum, is cogitur ſapientum experimenta colligere, & præcepta ſecundum ea conſtituere. Dolent Paracelſici ſe* poſſeſſione, & dominio nobiliſſimæ artis excuſſos eſſe, & *principem ſuum de monarchia deiectum*, ſeque ad leges ſcholaſticas reuocari, quarum ſunt impatientiſſimi. Ideo & in Doctores Scholaſticos, quos *Crollius Athenienſes* vocat, acerbe inuehuntur, & vincula omnia diſrumpere cupiunt, *vt libere & pro arbitratu quiduis ex quouis facere, & diuendere pro quouis, idq; ſemper nouis inuentis, quibus alter alterum ſubuertere, & de gradu deiicere ſatagit ſine vllius iudicio & interpellatione queant.* Quam enim male habuit *Ambaldum* ſuam panaceam iudicatam eſſe? Quam ringitur & furit *Scheunemanus* ſuum *antimonium, præcipitatum veneris*, & *halinitrum* in lucem producta fuiſſe? Quam inſaniet ſi videbit *hygian argenteam* deprehenſam eſſe *Mercurium dulcem, ex Quercetano in Syntagmate noſtro explicatum*, quanquam & alii eandem medicinam in publicum dederint? *Philoſophi* volunt eſſe, & *philoſophiam* methodicam *habent nullam.* Garriunt de *ſulphure, mercurio, ſale*, & parabolis varie ludunt, tanquam *oracula* eſſent, *quæ quiſque delirus, aut ebrius effutiit, aut etiam per febrim ſomniauit, vel transſcripſit ex Paracelſi deliramentis.* Mihi exprobrant artificiorum collectiones ex magiſtrorum ſapientum commentariis. Cum *Scheunemanus totum pene Paracelſum in ſuam peſtilentiam transfert*, nullum eſt probrum: ſcilicet: Ego *fur* vocor, quia experimenta & artificia ex *Gebro, Lullio, Euonymo, Andernaco*, ipſoque *Paracelſo*, & *Paracelſiſtis*, aliiſque multis cum autorum nominibus repoſui. At *Scheunemanus* fur non eſt, cum peſtem Paracelſi cum placitis eius repetiuit, & medicinas ab aliis proditas ſine eorum nominibus tanquam ſuas vendit: S CILICET. Quando tandem prodibit R O T A *illa mirifica, & Harmonia*, quam iactitant ad conſtituendam *vniuerſam philoſophiam & medicinam contra peripateticos & dogmaticos medicos*? Sed quod ad *Syntagma noſtrum* attinet, cum plane monſtroſum fuiſſet, ſingula, omniaque, quæ paſſim extant exempla, aut etiam ſeu ex latebris poſtea protracta ſunt, ſeu recens inuenta, in compendium congerere, cui breuitas præceptorum, & pauca exempla ſunt ſatis, & tamen *ſtudioſi* deſiderarent multa, quædam etiam ſic eſſent edita, vt vix, vel non intelligerentur ab incipientibus, dareturque erroribus multis occaſio (nam Paracelſici obſcuritate traditorum pro ſe vtebantur, volebatque hic hanc ſententiam eſſe, alius aliam, vt ſic perplexitas populum auerſura *impoſtorum nequitiæ* præſidio eſſet) conſilium iniui non tantam commentandi in artem, ſed & arcana ſcripta, impreſſa, ab amicis accepta, comperta coordinata in nouum volumen coniicere, atque ita ſeorſim *ſtudiis filiorum doctrinæ* communicare. Contigit hic quorundam difficultatem vinci vix potuiſſe. Itaque collatione & coniectura fuit opus, quam dum fideliter recito & propono candide, iterum offendo *nebulones illos, qui dicuntur Paracelſiſtæ.* Ab alia parte accuſor quaſi meâ inſtructio *rudiſſimis iſtis aſinis ex grege Paracelſi* inſeruierit, & gladium contra me præbuerit. Quod enim iſti nunquam intellexiſſent, id me explicatore didicerunt. Sed *non omittendum eſt bonum propter malos.* Si ipſi didicerunt ex me interprete, etiam noſtri diſcent, poteruntque iſtos fucos eo melius iudicare. Alia ex parte *rigidos Galenicos* turbaui. Ideo *Nicolaus Guibertus Lotharingus* ex Paracelſiſta demente Galenicus ſtultus factus, adeo in me ſæuiit, vt res careat exemplo. Ego vero mea ſynceritate & bonitate cauſæ fretus per Dei gratiam hactenus reſtiti hoſtibus, & deinceps quoque, ſi vita prorogabitur, reſiſtam, vt omnes intelligant me *veritatis ſtudioſum* fuiſſe, & *meam alchymiam, quam Deo benedicente, conſcripſi* poſſe defendere. Minitantur mihi ex tenebris neſcio quibus nonnulli ſapientuli. Sed ſi in publicam lucem progreſſi fuerint, quales ſint, iudicare poterimus.

Paracelſiſtarum erga Libauium odiũ quia fallacia ipſorum iam iudicari poſſunt.

Hygia Scheunemani cruda.

Oracula paracelſiſtarũ ſomnia vel furta.

Libauius nõ turgidis paracelſiſtis ſcribit, ſed ſtudioſis.

Coniectura Libauii.

Crudi Galeniſtæ offenſi.

Latentes hoſtes.

C A P V T VI.

De iunioris Cramani intemperiis.

QVID cum *Cramano ſeniore* in Galenicos inuecto actum ſit *Antigramania* prima, & ſecunda ſatis docent. Ille *Satyra* improba ſcripta tandem nihil aliud ponit, quam anicularum delirantium, & canum latrantium more verba contumelioſa ſpargere. In locum eius ſucceſſit filius, quem ego quidem num aliquid eſſet ignorabam, & ſi ſciuiſſem aliquid eſſe, melius tamen de eo ſperaſſem, quam de patris acerbitate, qui ex *Euangelico prædicatore paracelſicus factus*, non putauit ſe emergere poſſe, niſi Galenicis ſuppreſſis, qui tamen cum ipſe perierit, ſuperſunt. *Mali corui malus iſte pullus* vt primum nactus eſt prelum, in *virum nobilem, clariſſimum, & doctiſſimum Laurentium Hoffmannum ciuem & medicum Hallenſem in Saxonia* ſtimulum acuit, idque cum mea quoque nota, & Alchymici operis reprehenſione, quaſi *caminum calcarium* ex publico ridicule in meas annotationes ſeu commentationes Chymicas tranſtuliſſem, quanquam Chymia calce vulgari carere non poſſit, & ſi Chymicas ipſe nolit efficere, tamen non ignorare modum, & ſceuaſian, ſit pulchrum. Interim artificioſiora & elaboratiora ſi quis protulerit, ei gratias agere parati ſumus. Sed ille *coruinus pullus* ita gladiatoriam ad me affectat viam, quem ego non dignum iudico, *cum quo vel calculæ meus certet.* Tantum repono epiſtolam, quam ad *nobilem medicum Laurentium Aulæandrum* ante annum dabam, quam Philiatrus ipſius flagello antigramannico adiecit. Ea ſic habet:

Craman Iunior paracelſiſta nondũ coctus.

CLARIS-

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO Dn. Laurentio Hofmanno Philoſ. & Med. Doctori excellenti, Chymico Hermetico peritiſſimo D. Sympatriotæ & amico

Andreas Libauius M. D. S. P.

EX tuis literis, Vir clariſſime, Sympatriota dilectiſſime, nobiliſſimeque, poſtridie Id. Auguſti Iuliani mihi redditis intellexi, *nouum quendam alaſtorem ex tenebroſis Paracelſi fuliginoſiſque nec minus venenatis, & mordacibus furnulis in lucem prorepſiſſe, Georgium Craman, mali corui malum ouum, peiorem ex ouo pullum, qui ſuam ſcriptionem à calumnia, & vituperijs ſummorum philoſophorum & medicorum exorditur*, nec contentus in hodiernos inuectum eſſe, ipſum quoque omnium philoſophorum principem *Ariſtotelem* per tot ſecula in philoſophia ſummum, famoſa nominis corruptione ad exemplum *magiſtri ſui Paracelſi* traducit. Ego muſcam illam furibundam (veſtrum, Aſilum, aut Tabanum vocant) non curo. *Heroicum* enim cum Macedone Alexandro eſſe puto, *cum omnibus benefeceris publice, adeo nullam referre gratiam, vt etiam calumniis & conuitiis, quibus non ſolent moueri viri fortes, impetaris.* Quid quæſo nos poſſemus ſcribere in hominem turpius, quam quod ipſe in ſeipſum? Quis *Apelles* ipſum artificioſius depinxerit, quam ipſe ſeipſum ſuo penicillo? *Baccha bacchanti*, inquit ipſe, *ſi velis aduerſarier, ex inſana inſaniorem facias: feriet ſæpius.* Id nobis ab ipſo euenier, ſi velimus calamum in eum ſtringere. *Sine canem rabidum latrare, & furere.* Sua ipſius rabie conficietur. Legum vinculis coercenda iſta petulantia erat, niſi *dormirent leges*, vt ob id quilibet ſcurra ſibi licentiam in viros bonos debacchandi ſumat, & *Typographiæ non vereantur ſatyriias eiuſmodi inuectiuas publicis typis excudere*, & paſſim ſpargere, quaſi magnæ, præclaræque laudis ſit virorum illuſtrium ludibria circumferre, & quam vitioſo animo ſis, turpique lucro inhies, omnibus manifeſtum facere. Ignorabam antehac *Cramanus ille* *eſſetne aliquid, an nihil.* Itaque nuper interrogatus noſſemne *Cramanum*, de ſene reſpondebam, de alio neſcire me dicebam. Adeone dementem eſſe, vt in eos furoris ſui vim euomat, à quibus nunquam eſt cognitus, nec vllo vel verbulo, vel facto læſus, idque non ſcribendo contra ſententiam aliquam, ſed *iniuria nominis*? Maledicta & dedecora ſui noſcat cui volupe eſt alios maledictis inceſſere. Miror à patre degeneraſſe. Ille omnem rabiei atrociſſimæ vim conuertebat in *Galenum, & Galenicos, eorumque principia villicabat: hic ſpurios Galenicos lacerat, quaſi genuinis parceret.* At qui ſunt ſpurii? qui genuini? Proculdubio ſuo exemplo γνησίους voluit oſtendere. At quales homines, qui *Hippocratis & Galeni humoribus, & qualitatibus, ſicut & peripateticis principiis ſunt infeſti?* Iactitat ſuas *excurſiones* ad aliquot milliaria, non conſiderans illas ſæpe temeritate potius fieri, quam conſilio prudente. Solent enim plerique faſtidire nota, & peregrina, quæ audiunt ab aliquo minus circumſpecto prædicari, quæque cum ambitioſiſſimis commendationum ampullis offeruntur, appetere, nec raro *odio præſentium ſeu medicorum, ſeu medicinarum* exotericos accerſere, peioraque melioribus domeſticis anteferre. Is morbus temporum vltimorum eſt, de quo & Paulus in 2. Tim. 4. 3. ſcripſit, *fore tempus cum ſanam doctrinam* (in Theologia, Philoſophia, Medicina, adeoque omnibus ſcientiis) *homines non ſint ſuſtenturi, ſed ad ſua deſideria ſibi Doctores lecturi, quod aurium* (& animi, malique iudicii) *quodam pruritu correpti fuerint.* Sed & alias *Omne nouum carum eſt, vileſcit quotidianum. Qui ſapiunt, non facile mutant medicos fidei & notitiæ explorata.* Neque enim fieri poteſt, vt momentaneus ex peregrino medicus naturam patientis vno atque altero die inueſtiget, & cognoſcat, quod tamen ad bene medendum adeo requiritur, *vt ad ſanandum ſufficiens non ſit, qui non eſt in cognitione ſapiens.* Non eſt laus magna, quam habet ille cum agyrtis, ſeu circumforaneis, *Iudæis, Theriacopolis, myropolis, erronibus Ægyptiis, vagantibus ſcholaſticis, & mendicis communem.* Eſt *Schmalcaldiæ faber cultrarius, rarus in ſuo camino.* Is in ſat diſſita *Franconiæ* loca medicinæ cauſa, quam aiunt didiciſſe à quodam pharmacopola à quo etiam formulas remediorum à peritis medicis ſcriptas, collectaſque accepit, deuehitur equis, quadrigis certatim. Vix enim domum redit, quin literas, & equos nouos non ab vno nobili inueniat. At eſt & manet *Macharopœus* illiteratus, qui & fortuito ſanationes, temereque aggreditur, & aliquid de morbis deblaterat, quod vel vetula aliqua ſimiliter poſſet, tametſi & occultiore ſuggeſtore vti dicatur. Meliorne eſt fortuna, & iactantia *Cramani*, quam iſtius? Nos in ſtatione noſtra perſiſtentes, & officiis demandatis conſtanter perfungentes irridet fatuus, *quaſi melior ſit vagi hominis conditio, quam medici ſingulari iudicio ſelecti, & in auxilium principatibus, & ciuitatibus conducti.* Dignius eſt *oraculum*, ad quod ſuam ſedem ſeruans à multis confluitur, eo quod ad extera loca delatum cogitur hoſpitum voluntatibus obſequi, & non raro etiam indigniſſimorum ſordida tuguria ſubire. Illud quieſcendo pluribus conſulit ſapienter (*ſedendo non vagando anima fit ſapiens*) hoc laborioſum eſt, & aliena ope indiget, cogiturque multa pericula itinerum experiri, & moleſtias non paucas *pro ſordida mercede* deuorare. Patriam iuuare Hippocrates liberaliter medendo malebat, quam ſpe & promiſſis maximarum opum ad regem *Artaxerxen* ſe conferre. Qui opinione populari multitudinis imperitæ fit notus, & ea perſuaſione acceſſitur ad vnum atque alterum peregre decumbentem, animo, iudicio, corpore male affectum, ſi de hoc gloriatur, *non probat ſuam ſcientiam & artem eſſe præſtantiorem eorum induſtria & peritia qui in ſua ciuitate manentes conſulentibus ciuibus, & peregrinis conſilia dant, & oracula publicant.* Aliquoties vt malum *Cuculum* decet, in profeſſo-

Vocat Nariſtotelem ille pullus cornicinus vix heri genitus.

Fiſcales dormiunt vbique in re literaria.

Cramani excurſiones.

Mutationes medicorum periculoſæ.

Doctor Meſſerſchmidt von Schmalkalden. NB.

profeſſores ſcholarum & *ludimagiſtros*, quos *vulpes ſcholaſticas* vocat, eſt iniurius. At horum opera adhuc indiget, non tantum Academicorum & Gymnaſticorum dico, ſed & triuialium, *quorum ferulis manum ſubdere adhuc tenetur*. Si quid literarum ſcit, ab his didicit: Si quid adhuc diſcendum eſt, id ab eis expectare debet, & ſane non paruum hoc eſt. *Adeo enim prauam & corruptam emiſit ſcriptionem, vt vix multis ſcuticarum verberibus, & ferularum plagis, ſicut & Scheunemannus ſimilis ſecu homuncio, poſſit corrigi*. In rebus autem οὐδὲν ὑγιές. Nulla ſchola adhuc magis vterque indiget, quam in qua *virgis cæduntur mali Grammatici*. Gymnaſium illuſtriſſimorum PR. PR. *Ducum Saxoniæ* Coburgi apertum, *cuius ego legitima vocatione & functione ſum Director conſtitutus*, tales beanos non admittit, ſed *abigit ad ſubſellia puerilia, & ferulas triuiales*. In his aſinus iſte diſcat latine prius quam doctis viris ſe opponat. Qua fiducia ſe MEDICVM, & quidem VTRIVSQVE MEDICINÆ & Philoſophiæ Doctorem iactet, non video, niſi forte ea, qua alicubi & barbitonſores & cultrarii, & circumforanei audiunt medici, & qua *pater ipſius* deſerta Euangelica ſtatione *Paracelſicus decoctor*, & *impoſtor*, bonorumque criminator, & perſecutor verorum medicorum eſt factus, cuius opera, ſi qui ſunt vſi, ſuæ valetudinis cauſa ex opinione vulgi ſunt vſi, non quod exiſtimatione & dignitate aliquem eſſe cenſerent. Itaque & *Riolanus* eum ex virtutibus deſcripſit. Verum per me ſit qui eſt. Tibi ſi placebit *cum ſtercore iſto luctari*, & picem tam ſordidam, fuliginoſamque tangere, experieris fortaſſe aliquam pollutionem. *Quid enim impudentius, & fœdius eſt iſtis harpyis*? Veruntamen non grandi ſpongia tibi erit ad maculas detergendas opus. Qua leuitate enim ſunt illitæ, ea ſtatim euaneſcunt, & redeunt in ſuum autorem. Quis quæſo ſapientum eſt, qui tales maculatores magni æſtimat? Hoſtes noſtri rictum diducunt, cum criminationes legunt; ſed ad ſanam mentem, cum redeunt, damnant ipſi. Philoſophico animo ſcripſiſti TE MECVM CENTIES A TALIBVS SCVRRIS velle vituperari quam laudari. Id enim decretum eſt ſapientum: *Nebulonum ſed malorum laudem eſſe vituperium, & vituperium laudem*. Vituperant enim nequiſſimi ſui diſſimilimos, eosq; odio infeſtant: ſimilimos autem hoc eſt æque nequiſſimos, vel non multum diſpares laudant. *Vera enim laudes & vituperia naſcuntur ex virtutibus & vitiis quidem*; ſed ſæpe iſta permutantur, & qui moribus, ſtudiiſque conueniunt ſe mutuo laudant, non conuenientes improbant, & criminantur. Quod de *Biſterfeldio* mihi in demonſtratione Ariſtotelica aduerſato narrat, quid hoc ad medicinam? Scire debet homo fatuus pridem reſponſum eſſe, & *Biſterfeldium* quieuiſſe. Quid enim opus erat nos de logica quæſtione capitaliter digladiari, & odia ἄσπονδα fouere? Eadem virulentia mihi *Scheunemanus* obiicit ſilentium ad reſcriptum *Goclenii*, quod ego nondum vidi, nec ſciui hactenus reſponderitne aliquid, an nihil. Erat pugna de *analogia* & nonnullis aliis. Iudicent inter nos eruditi. Neque enim noſtrum eſt ad mortem vſque depugnare, aut vetularum attopolidum more conuitiis ad laſſitudinem certare. *Quicunque vitio vertit Philoſophis, quod re ſemel, iterumque agitata quieſcant, ille ignorat morem ſapientum, & ſe inſanire verborum pugnis liquido conteſtatur*. Quid enim dici poteſt, cui non opponi verba, vt in *Concilio Niceno* vbi Syllogiſmis contra Philoſophum agebatur? Is nulla diſputatione victus, manus dabat ſpiritui. Qui nos ſumus, qui volumus ſpiritus regimen, & virtutem anteuertere? Illi ipſi qui in aperto nobis contradicunt, conuicti à veritate in ſua conſcientia aſtipulantur. Pudorem ſuperare non poſſunt, & ſunt homines malitioſi, qui ſemper ignem gladio fodiant, & irritent quietos, id quod non dubito eueniſſe *Nicolao Guiberto Lotharingo*, qui cum ante annos vndecim contra tranſmutatoriam Chymicam ſcripſiſſet, & ſummos viros peſſime cum ipſo magiſterio tractaſſet, ei tunc temporis occurri vti decuit. Siluit decem annos. Tandem, opinor, *Gheſuitarum ſtimulis* tanquam œſtro percitus adeo rabioſe, furioſeque proruit in publicum, *vt ne diabolum quidem putem deteriora euomere*, & atrocius inſanire conuitiis poſſe. Quis ſenem hunc excitauit alius, niſi furiarum vna? Legiſti proculdubio *diabolicam*, *& ſceleratam eius inuectiuam*, quam *apologiam* vocat, cum tractatibus de interitu Alchymiæ. Ne cauſam deſeruiſſe videar, præſertim cum nouis argumentis vti ſe ſibi perſuadeat, reſpondendum fuit, vt & *Scheunemani* inſaniæ priuatim, & publice in me effuſæ occurrendum. Videbis *egregium par nebulonum*, quorum vnus ex rigida Galenia, alter ex Paracelſia æque in me inſanit. Sed vincet, Deo protegente, veritas, & vterque apud omnes bonos confundetur. *Miſerum genus hominum, quod cum ſuo dedecore aliorum famam arrodit, & opprimere ſtudet*. Habent ineptum vulgus & *Verſifices* quoſdam aſtipulatores, qui ſcelerata ſua ora, & calamos in viros magnos ſtringunt. Sed *finis eorum pœnitentia eſt, & ignominia*, vti hactenus omnia mundi exempla ſunt conteſtata. Non quidem ego iſtorum nequitiam multum curauerim: Veruntamen publicæ rei intereſſe iudicant ſapientes, vitia & vitioſos homines innoteſcere. Quid enim tum poſtea ſi ogganniunt? Mihi fuit etiam cum *Pariſianis* certamen, qui nondum perſpecta Chymiatrorum differentia nimium in alterum extremum inclinabant. Sed arbitror iam pacatos eſſe. Vt amplius & luce meridiana clarius pateat, neque veterem philoſophiam & medicinam, *niſi qua ſacris principiis & comprobatæ veritati aduerſantur, abominandas eſſe, neque Chymiam genuinam negligendam*, explodendamque, iterum accingor armis quanquam *Veteranus*, qui iam rude erat donandus. Dum autem inter aduerſos fluctus medius feror, & ab vna parte legitimam Chymiatrian contra impoſtoriam Paracelſicam adſero, ab altera rigidos Galeniſtas mitigare ſtudeo, euenit vt ictus ab vtroque latere excipiam. Sed in bona cauſa bene eſt ſperandum. Vtinam cæteri quoque ſapientes tuo exemplo excitati *ſeni fatiſcenti* ſuccurrerent, & communibus armis contra aduerſarios pugnarent. Breui deſineret iniquitas, & non *omnia pene oppida impoſtoribus Paracelſiſtis paterent*. Si vixero, & Deus me adiuuerit, non deſinam & vera, ſynceraque profiteri, & falſa, ſpuriaque redarguere, & eradicare. Tu viue & vale pancratice. Coburgi Nonis Martiis Iulianis, Anno M. D C. X V.

Vulpeculæ ſcholaſticæ Heideri omnibus literatu conuenit, etiamſi principes ſint.

Gymnaſ. Coburgic.

Aliquibus volupe eſt legere conuitia innocentium.

Biſterfeldius

Goclenius.

Verſifices improbi.

CAPVT VII.

De occaſione arroſi Syntagmatis arcanorum ab Henningo Scheunemanno medico apud Aſcanienſes Semipolitano.

Videantur literæ. Improbum pecus. Si non meliorem agoniſtam habes, cur non taces?

CVM in Alchymia ſyncera elaboranda eſſem, ab amicis monebar cauerem mihi. Eſſe enim quendam *Pontificium Alchymiſtam ex factione Paracelſi Bambergæ*, qui mihi neſcio quid minitaretur. Comperi poſtea, & euentus docuit *S.heunemanum* eſſe, qui ſupercilio magnæ experientiæ tumidus paſſim ſuas chymias & ſanationes, vt & in literis ad me datis, prædicauit, imo de quo cuiuſdam opinio vulgabatur *non eſſe parem*. Allicuit fama nonnullos *paraſitos & adulatores*, qui vt ex epiſtola innoteſcit, *cum ipſo contra Libauium conſpirarunt*, & clanculum colludunt, mutuum ſemet ſcabentes, & iucundo riſu titillantes, ex quorum numero puro eſſe etiam olim amicum meum, iam in diabolum tranſmutatum. Euenit vt peſtifer quidam libellus à *Scheunemano* in publicum volaret, in quo *damnatis Galeni canonibus, Mithridatio, Theriaca, &c.* commendabantur Chymica quædam per ſe non mala, ſed tum vſu, tum autoris commendatione, occultatione, & *emptorum ad merces Paracelſicas inuitatione omnibus bonis ſuſpecta.* Petebatur à me ſententia. Non tantum priuatim, ſed & publice *in Syntagmate* quid videretur dicebam, non eo fine vt *propola* eſſem *homini impoſtori, & alaſtori*, ſed vt agnoſcerent Chymiatri Paracelſiſtam, qui *ſchedula propoſita in contemptum veræ medicinæ ad ſe alliceret emptores non alio modo quam quo fere circumforanei ſolent*, & alii Paracelſici impoſtores. Olim medicina *Chymiatrica* à regibus exercebatur, qui magno beneficio afficiebant cæteros, ſubminiſtrando ipſorum ſaluti magiſteria ſua. Ipſe quoque *Paracelſus* nunquam legitur hedera ſuſpenſa medicamenta vendidiſſe. Qui hodie diſcipuli eius eſſe gloriantur, *medicinam in mercimonium illiberale vertunt, venduntque magno precio ſua domi inter ſacra eleuſinia quocunque modo parata medicamina*, tanto diſſimiliores Paracelſi, quanto ille fuit munificentior. *Schedulas* quidem pro hedera, buxo, picea, &c. ſuſpendunt: ſed ſi pecunia emungere homines volunt, etiam medicamina prodere neceſſe habent. In illis mirifice ſe impediunt, & cum pauxillum quid, iamque notum cæteris proponant, tamen id verbis ambitioſiſſimis tantum deprædicant, quantum ne impudentiſſimus & fallaciſſimus quidem agyrta ſuam ex ſucco granorum ſambuci, & pauca Gentiana theriacam. In venditis ſpeciminibus latere non poſſunt. Et quomodo lateant, cum adeo crude, & ruſticè pleraque coquant, vt à popularibus quoque pharmacopolis poſſint iudicari? *Panacea Ambaldi* quem latuit, cui notus fuit crocus, argentum viuum, ſulphur, (ex quibus, forte ſtibio adiecto, cinabaris) & conchæ fluuiatiles? Vendit *Marburgicus aquam vomitiuam.* Eam ex præcipitato, vitro, floribuſque antimonii, aut epate parant alii; *Gramanus* ex albo vitriolo roſato, *Quercetanus ex infuſo colcotaris*, alii ex *Elleboro, &c.* Si conſtat *ſomnificum colcotarinum* ab eodem, licet craſſa minerua, confici, quis non putat *vitriolatam* eſſe? Ita actum eſt cum *Scheunemani* medicinis, quæ inſuper etiam agnoſcebantur ex deſcriptionibus *Quercetani* & aliorum, quorum pennis ſe hæc *cornicula* ornauit. Nunc obtrudit ſuis miſellulis *hygian argenteam, non ex argento procedentem, ſed ad argentum tendentem.* Sed vt *Syntagma* meum vindicetur, ſic ſcripſi in Apocalypſeos Hermeticæ parte priore cap. XIII. de medicinis ex Antimonio. Non ita pridem peſte per varias Germaniæ vrbes vagante quæſtio nobis propoſita eſt de huiuſmodi medicatione.

Paracelſiſtæ ſunt mercatores & agyrtæ cum ſchedulis.

Paracelſiſtæ & ex ſchedulis, & merce innoteſcunt.

Speiwaſſers *Doctor.*

p. 266.

” In prima inuaſione detur puluis vomitiuus aſtraliter præparatus cum hauſtu aquæ oxalidis. Iſte
” vero eſt donum Veneris, & vocatur Aremiſia, quæ inuenitur ſub viridi tentorio Veneris, niuea
” tunica veſtita, habens potentiam placandi Martem, & Saturnum. Sequetur operatio horæ di-
” midio.
” Secundo: poſt vomitum ſtatim propinetur niueus puluis, quem pater minetarum Tarbaſon
” ex promtuario ſuo clauſo non niſi interceſſione Boracis, & coactus iracundi Martis fumo, ardo-
” reque porrigit. Hoc ſudor prouocetur ſumto ex hauſtu aquæ acidæ. Vires reficiantur Epithematis
” alexipharmacis.
” Tertio: Diureticum ad reliquias per vrinam exigendas præbeatur. Id eſt aſtrale & fixum, *Hal-*
” *cyon* volatilis de *citrinis vaccis*, iunior *Cribtit*, deplumatus, & intus foriſque bene aſſus, & totus fixus.
” Dari debet cum diuretico liquore pro ſiti ad ſatietatem. Sequuntur confortantia ex vegetabilium
” claſſe. Eſt & globulus loco ſuppoſitorii ad attrahendum arſenicale venenum.

Si credere par eſt, & non quid pro quo datum.

Hæc eſt illa medicatio parabolica. Nos quidem *Daui ſumus, non Oedipi.* Si autor, quiſquis eſt, vult latere ſua, lateant ſane. Amico vero noſtro ſic reſpondimus: Vomitiuus puluis videtur idem eſſe cum *præcipitato Veneris*, cuius mentio eſt in *Alexicaco Quercetani*, & *Elia artiſta*. Fiat ex Venere argentum viuum, vt *Heliophilus* deſcribit. Id in ſuperficie *viride* eſt, intus niueum. Præcipitetur *per ſpiritum ſulphuris*, vel *vitrioli* in album puluerem. *Quercetanus* in *croceum* reuerberat, & *non dat ad vomendum, ſed ad ſudandum.* Vide in Alexic. pag. 487. Non mirum eſt vomitiuam perire calcinatione & ablutione. Secundus puluis hydroticus ex *antimonio minerali* eſt. Id Paracelſici vocant *Tarbaſonem*, quæ vox deprauate ex *Plinio* (modo Paracelſici legerint Plinium) libro trigeſimo tertio, capite ſexto transſcripta eſt. *Larbaſon* enim legitur. Sed *iſti ſuis monſtris delectantur. Turbaſonem* dixeris rectius ex parte Paracelſiſtarum, vt & turpethum *à turbando. Pater æris, ſeu metallorum vocatur*, quia matrix, & minera auri, argenti, aliorumque metallorum eſt, ſi non actu, at potentia: vnde & Paracelſici metalla ex regulo eius fabricant. Vt *calx hydrotica* fiat, liquandum ſtibium eſt per Boracem, aut halinitrum, addito aliquando & tartaro, tertiique ſquamæ apponendæ, vnde valde

Larbaſon.

Pater æris.

Hydroticum ex ſtimmi.

flagrat,

flagrat, & æſtuat. Crematur tandem calx ad albedinem, & abluitur ſtillatitia dulci. Si placet, prius regulus, aut ſtella conflertur, & ex his diaphoreticum concinnetur. *Tertius puluis* videtur mercurius quidam vitæ eſſe ex glaciato liquore per ſpiritum, aut liquorem ſulphuris præcipitatus, reuerberatuſque & fixus. *Globulum metallicum* loco ſuppoſitorii (poteſt ex Regulo fieri, aut vitro ſtibii, aut calce plumbi viuificata, &c.) videre poſſis. *Si enim vera eſt illa attractrix purgantium Hippocratica, rectè in anum intruduntur medicamenta*, vt ad locum ſecretionis per familiaritatem naturæ alliciantur. Sed hæc valeant. Hactenus verba Syntagmatis. Fateor *me deceptum fuiſſe in vaccis citrinis*, pro *flauo culinario miniſtro*, hoc eſt, ſulphure communi. Typographus errauit ſcribendo gelbe Kühe / pro gelben Küchen Junge. Doleo vero me impoſtori iſti arcanum maius tribuiſſe quam dignus erat. Noſtri ſeplaſiarii & aniculæ cum barbitonſoribus vocant *lapidem Bruni*, Breunſtein. Paracelſiſtæ *prunellam mineralem*. Lapis hic qui conficiatur, pluribus exemplis pag. 292. & ſeq. docetur, de quo & infra in caſtigatoriis epiſtolis. In *Artemiſia* errauerim an non, ignoro. *Scheuneman* de me triumphat, & videri non vult proditus. Quantum autem aſſequi poſſum, *per Artemiſiam*, idem eſt, quod PER ARTEM. Sed res non eſt magni momenti. *Pro Borace* ille fatuus poſuit *Bunicum* Baurach. Verum vt iudicari res tota poſſit, & mores Paracelſiſtarum pateant, Epitomen iſtius peſtilentis tractatus exhibeo bona fide.

Gelbe Kühe / Gelber Küchen Jung ſoll Schwebel ſeyn.

CAPVT VIII.

Epitome, ſeu breuis translatio tractatus Scheunemani de peſte aſtrali curanda.

SECTIO I. Qui ſe vult præſeruare à *Saturnali afflatu* iſto, poſt auxilium diuinum debet ſe ab omnibus *mercurialibus* & *Archenicalibus* bene purgare, id quod non poteſt fieri cum *medicinis vegetabilibus* præparatis de foliis Senæ, Rhabarbaro, Turbit, Colocyntide, Scammonieto, cum nullam communionem, ſeu familiaritatem, neque virtutem magneticam id *minerale excrementum* attrahendi habeant: verum hoc perficit *ſolus omnium planetarum ſupremus iudex, & rex mercurius ſolis* appellatus, at paucis notus, *quando ex ſuo competente voluptuoſo ferino aqua lauacro, ſeu balneo rectè calefactus, exiccatus, egreſſus eſt*: *Kibur* ipſi precioſiſſimam veſtem, rubrum, coccinum dictam, quam *Tartarhan* albis pennis olorinis ſubduxit, induit: ipſe vbi ſe locauerit in ſumma cœlorum feneſtra, habet poteſtatem regendi omnium planetarum impreſſiones. Vbi id arſenicale ſubiectum adhuc ante inuaſionem huius morbi, per nominatum iudicem, & regem de medio ſublatum fuerit, tunc radius venenatus & ſaturnalis non facile humidum radicale, balſamum vitæ poteſt incendere. Huius generatio fit hoc modo.

Lector Vitia Grammaticalia non faſtidiat. Sunt enim Scheunemanno optimum Latinum, ſi abeſt ludimagiſter, aut poetaſter aliquis.

Sectio II. *Influentia Saturnina* virulenta ſuis *aſtralibus*, & *mercurialibus* radiis reuerberat ſalem in chylo, excrementis, & nutrimentis iacentem, & immixtum: qui ſal, quando in dicto chylo, excrementis, & nutrimentis copioſè inuenitur, & ſolidis partibus, *vt fuligo* camino adhæret, & per dictam *aſtralem reuerberationem*, aut etiam, vt id experientia teſtatur, obſtupefactione, vel perterrefactione, timore, vel ira incaleſcit, incendit eum ſulphur prædictis contentis inhærens: quod ſi non ſtatim ordinariis mediis extinguitur, & euacuatur, incendit etiam *nobile ſulphur mobile vitæ in corde* contentum, verum humidum radicale, & balſamum vitæ, cuius flamma ſolidas partes colliquat, adurit, & exiccat, vnde cita mors, vt & per ſuam ipſius conſumptionem, & extinctionem neceſſario ſequitur: vti id ego copioſius in meo *tractatu de morbo mercuriali oſtendi*.

Modus generationis peſtis aſtralis.

Sect. III. Quo modo aſtralis peſtis ſit curanda. Cum *arſenicale* venenum principio in *chylo excrementis* & *nutrimentis* ſe augmentet, debet ſtatim, quando ictus reuerberationis ſeu inuaſio per frigus, calorem, tremorem, dolorem capitis, vel puncturas laterum percipitur, *per Arthemiſiam apud mire pulchram Venerem ſub viridi tentorio ex toto niuis inſtar candide veſtitam, quæ ſenem Saturnum & excandefactum Martem bene ſciunt placare, auxilium & conſilium quæri, donum & munus Veneris, vomitiuum puluiſculum arte Chymica aſtraliter præparatum, in hauſtulo aquæ oxalidis aſſumi, id quod infectum chylum per vomitum aufert*: Simul etiam *rotundos globulos ex ſalubri minerali*, quod per proprietatem ſuam *ſympaticam mercuriale & archenicale venenum attrahit*, vt experientia in macrocoſmo dat, in rectum inteſtinum immittat quis, hoc ſine omni debilitatione incenſa venenata putrida excrementa *in magna copia, quod vix credere poſſit imperitus*, expellit. Hoc medicamentum operationem ſuam abſoluit dimidia hora.

Curatio.

Vomitiuum. Alii Vitrum ſtibii præbuerunt.

Suppoſitorium.

Incredibilis copia ſtercorum.

Sect. IV. Poſt hæc è veſtigio, cum fortaſſe iam ſulphur mobile in corde contentum verum humidum radicale & vitæ balſamum ſit accenſum, debet niueus puluiſculus, quem *pater aris* (Ertzvatter) TARBASON ſine magna interceſſione Baurach bunici ex clauſo ſuo theſaurario non promit, niſi videat fumum validum, & incendium irati martis, aſſumi in hauſtulo *aquæ acidæ*, & bene ſudari. Hic *imber incenſum humidum radicale reſtinguit, & mumiam balſamicam reſocillat*.

Hydroticum.

Sudor eſt imber internũ calorem reſtinguens.

Sect. V. Cum ſic bene eſt ſudatum, arteriæ aquis roborantibus, & puluillis confortantibus ſunt muniendæ, & regioni cordis imponi debet bona *Tyriaca*, & natura roborari efficace *iuſculo*, & cibis facilis digeſtionis.

Roboratio per externa & cibos.

Sect. VI. Hoc diligenter peracto tertius puluiſculus, verum *diureticum aſtrale & fixum fugitiuus halcyon à flauis vaccis iuniore Cribtit appellatis, deplumatus, intus, & foris bene aſſatus, & totus fixus, qui reliquias per vrinas educit*, & calidas impreſſiones refrigerat, in mediocri (Zimlicher) quantitate liquoris diuretici pro ſiti ad ſatietatem aſſumatur.

Diureticum. Bona.

Vena ſectio. Sect. VII. Quæ ſequuntur, *de venæ ſectione* agunt; quod ſi perſona ſit plethorica ſanguis, quanquam paucus ſit mittendus, aut pro re nata ſcarificandum. Additur omnia iſta media poſſe vſurpari, vt primum quatuor horæ à primo inſultu finiuntur. Proponuntur & *confortantia*; vt: Citrones, Granata, ſuccus violarum, Nympheæ, citria condita, cortices pomorum arantiorum conditæ: Rad. fœniculi, Endiuiæ, Eryngii, lactucæ Hiſpanicæ, & alia refrigerantia in ſatis bona copia, Item cibi & iuſcula confortantia. Si tunc *ſomnus* vrgeret, dicitur poſſe permitti duabus horis, qui tamen prohibendus dum vſurpantur medicinæ, quia multum dormire ſit nocentius quam vigilare.

Confortantia Galenica. *Somnus.*

Sudorificum ſecundum. Sect. VIII. Poſt horas XII. à ſumpto ſudorifico, denuo ſumendus eſt *puluiſculus hydroticus*, & diæta ſimiliter procuranda in cibo & potu: item adhibenda confortantia, idque tertio, quarto, quinto, quantum vires patiuntur cohobandum (repetendum.)

Paracelſo hæc ſunt peſtes circa emunctoria. Sect. IX. De *apoſtematibus & ſignis* mouet ea eſſe maturanda citius, melius. Quod ſi celerius auxilium ſit neceſſarium, apud ſe inueniri ait *cauſticum*, quod *ſine omni dolore cutem in circumferentia aperiat vna hora*, quo facto *emplaſtrum maturatiuum*, & *attractiuum* ſtatim imponendum, & ſecunda hora mutandum. Eo *cauſtico fonticulos* quoque fieri *poſſe abſque omni dolore*, qui ſingulariter præſeruare poſſint à veneno peſtilente, vti id omnes ſanioris mentis medici obſeruauerint, & conteſtentur.

Momi Scheunemani diaboli incarnati. Hæc eſt *Aſſcherslebienſis medici Scheunemani* peſtis curatio, diſſentiens à prioribus duobus ſcriptis item de peſte editis. Quomodo autem in Galenica, & *momum incarnatum diabolum, &c.* debacchetur, indignum relatu iudicaui, præſertim cum in contentione de iſtis ſat verborum ſit faciendum. Quoniam autem Paracelſiſta ille peſtilentialis non potuit contentus eſſe Syntagmatis annotatione, addam iudicium plenius, vt habeat, quo magis inſaniat.

CAPVT IX.

Iudicium præcedentis de peſte ſananda conſilij plenius.

QVÆ opera in publico proponuntur, hoc ipſo eorum examini & iudicio ſubiiciuntur, qui ſcientiam rei tractatæ, & experientiam habent, quibus & licitum eſt de editis ſententiam ferre, præſertim ſi *priuilegiis ſummorum magiſtratuum & Academiarum ſunt armati.* Quorſum magiſtris & Doctoribus publice creatis daretur poteſtas docendi ea, quæ didicerunt, & quorum recte cognitorum teſtimonia honorifica reportant, confutandi autem & redarguendi contraria, ſi magiſtratus nollet *pro veritate contra falſitates pugnandum ſeu priuatim ſeu publice eſſe?* Iure ergo ſuccenſere nobis Paracelſiſtæ non poſſunt, ſi quæ in populum ſpargunt, ad examen reuocamus. Aiunt illi quidem à nobis ſua non intelligi. Ita enim ſcriptitant obſcure, vt cum nihil niſi *lenticula quædam*, & *ſterquilinia, fuliginesque ſuas caminarias*, interdum etiam aliorum inuenta pro ſuis ediderint, tamen lateant, & credantur magnum quid, & mirificum dixiſſe. Si item deprehenduntur, irrepunt in ſua atramenta, & fumos, ne niſi ab *Hercule* ruptis montium compagibus & immiſſo ſole poſſint conſpici. Sed non ſemper in tenebris eſſe poſſunt. *Redarguuntur enim tandem à lumine*, in quod neceſſe eſt omnia protrahi & iudicari. Ita *Scheunemanus* latibula quæſiuit verbis fruſtra. Quanquam enim vt eſt in Epiſtolis, mirifice ſe voluat, reuoluatque, & modo in hanc, modo in illam formam ſe conuertat, tamen tandem cogitur fateri agnitas eſſe ſuas merces, licet fuco hoc addito, non fuiſſe caligine tectas, ſed apertas, & propriis nominibus deſignatas, qua de re infra. Nunc ad Epicriſin accedimus. I. Si ideam communem totius conſilii ſumas, & vna cogites de his, quæ contra Canones Galenicos, prolixas compoſitiones, *Theriacam*, *Mithridatiam*, *fictitium momum*, quo quaſi amuleto arcere iudicia Doctorum volunt malæ artis, mentiſque ſibi conſcii, quaſi ni probes, ſed caſtiges, ſtatim *momus ſis*, & *diabolus incarnatus*, verboſe & ampulloſe proiicit, è veſtigio agnoſcas *ſuperbiam & arrogantiam*, ſimulque *philargyriam* hominis. Plus ſcilicet ſapere Galeno, & omnibus tum medicis, tum philoſophis Academicis ſibi videtur, eamque gloriam apud popellum ſuum captat: ſed ne ſine lucro, ſuas merces venum exponit, vtque agyrtæ vaniſſimi, & rixoſiſſimi, lucrique cupidiſſimi facere ſolent, officinarum antidotos, vt & *Cramanus* olim, contemnit, & *veneni, mortuque ea medicamina accuſat, quæ iam à temporibus Mithridatis & Andromachi fuerunt in vſu non apud magnates & doctos tantum, verum plebem vrbanam & ruſticam*, cum vix ſit vllus ex pago ætatis prouectæ, cui de Theriaca non conſtet. Curationem ipſam quod attinet, ſi dogmatice iudices, vt veſana eſt cauſarum expoſitio, ita ſtulta & temeraria ſanatio, de qua ſi apud *Aſcanienſes* inquirere poſſis, proculdubio mirificas hiſtorias audias, niſi fortuito aliquid euenit: ſin autem Paracelſi principia ſpectes, maximam partem videas conſumi purgando per omnes fere corporis vias, quod aſtrorum virtute eſt indignum, quandoquidem tradunt aſtralia medicamenta *ſpiritalia eſſe*, & *ſpiritualiter ſuas operationes*, vt Panacea Ambaldi, & tinctura Philoſophorum *perficere*, purgatorem illum explodas. II. Notandum, quod fateatur *vix quicquam poſſe dici, quod non ſit prius à multis doctiſſimis antiquis, peritis, & vera hermetica, hippocraticaque arti addictis ex aſtrorum influentia publicatum*: fateatur item ſuas medicinas *iam eſſe nominatas*, & notas Chymicis. Si hoc ita eſt, cur iſtorum antiquorum mentionem omiſit, & nomina eorum, per quos profecit, tacuit? Cur ſibi aſcribit inuentionem? *Qui ſunt illi antiqui*, qui aſtralem peſtem & ſydereum venenum in homine tot Catharticis tollere iubent? An ignotum eſt *Cacochymiam, & non ſpir. tuale virus, & aſtralem afflatum auferri purgantibus?* Quis *Catharticam præcipitati, & antimonii aſtralem dixit?*

Prædicat ipſe aliquas, ſed ſine teſte. *Aſtralia non ſunt fecibus addicta.* *Aſtralitas Scheunemani.*

III. Quo vero argumento probat aſtralitatem, fixitatem, & cœleſtem naturam ſuarum medicinarum? Sola iactantia verboſa. Effectum enim ſi reſpicis, materialia ſunt omnia,

omnia, minimeque formalia & cœleſtia. Agunt & patiuntur vt *præcipitatum*, & *ſtibium*, cum ſimilibus, ad quæ non opus erat Vulcanum cœlitus aſciſcere, ſed officinæ ſatis inſtructæ erant catharticis vegetabilibus, atque etiam *vitro antimonij* ſi hoc opus fuiſſet. Iactat *mercurium ſolis præcipitatum*. Sed cuius autoris, & qua deſcriptione? Imo qua fide? Quid enim ſi eſſet *turbit minerale*, vel *quod aurum vitæ*, & ſimpliciter *præcipitatum* vocant? Quo iudicio id eſt aſtrale? Quo cenſu *aſtrale eſt præcipitatum mercurij veneris*? Quo *ſtibij puluis Diaphoreticus?* Quo *lapis Bruni*? Non ſunt iſta eſſentialia, imo ne extracta quidem, ſed *magiſteria* ſatis materiata, tantum abeſt vt poſſint formæ & aſtra dici. Noſce hinc paracelſicos fucos, & diſce impoſtores illos vitare, qui *quodcunque quouis modo in ſuis catillis & furnulis conflant, id immodice prædicant, & pro aſtrali obtrudunt, nec paruo vendunt.* *Impoſtura Paracelſicorum.*

IV. Scripſerat *Artaxerxi Pætus*: Τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους: Et hoc modo commendauerat *artem Hippocratis*, quaſi aliis remediis vteretur quam phyſicis. Sed ille indicare volebat *Naturam* per ſe non poſſe ſuperare peſtem; opus eſſe arte medica. Ita enim ait: ἃ ἐκ φύσεως γίγνεται νοσήματα αὐτὴ ἡ φύσις ἰᾶται κρίνουσα: ὅσα δὲ ἐξ ἐπιδημίας, τέχνη τεχνικῶς κρίνουσα τὴν τερπλὴν τῶν σωμάτων, &c. atque inde *Hippocratis* ſcientiam, artemque laudat. Quidam morbi ex Diæta & internis cauſis oriuntur, ſuntque ſimplices, ſeu veneni vt plurimum expertes: Quidam forinſecus ex Epidemiali conſtitutione euadunt, ſuntque fere venenati & contagioſi: Illi *ſporadici*, hi *communes*. Illos poteſt natura ſæpe per criſes ſuas diſſoluere; hi artis opera indigent, qua *Hippocrates* fuit inſignis. *Scheunemanus* itaque delirat, tum *Hippocrati* tribuendo id quod *Pæti*, hominis artem medicam ignorantis, eſt, tum Hippocraticam medicinam in Paracelſicam, vel potius ſuam aſtralem transformando, atque ita oſtendit ſe dignum eſſe qui purgetur, ſi non *Helleboro* Hippocratico, attamen *præcipitato*, aut *globulo ex ſtibio*.

V. Titulus libelli ambitioſe iactitat *peſtis aſtralis curam per* TRIA ASTRALITER *præparata*, *& quidem forma pulueris*. At quidam alius Paracelſiſta ſic argumentatur: *Si peſtis eſt aſtralis, ſpiritualis eſt, & vno antipathetico aſtrali poteſt expugnari. Nam aſtraliter agentia & patientia, vel per ſympathian & magnetiſmum agunt & patiuntur, vel per antipathian & Theamediſmum.* Atqui iam tria vni hoſti præſidia opponuntur, eaque non ſpiritualiter & antipathetice agentia, *ſed craſſo Galenico modo* per purgationem. Deinde num certum eſt, quod TRIBVS peragatur ſanatio? Imo fumus eſt Scheunemanicus, & bulla fatua. Decem enim præſidiis vix ſuam peſtem delet, ſi delet. I. Singulare *præſeruatiuum* eſt. II. *Vomitiuum.* III. *Globulus* ex inteſtinis incredibilem fecum copiam euocans. IV. *Hydroticum.* V. *Confortans* ex vegetabilibus prius ſpretis non omiſſa *Theriaca* damnata mortis. VI. *Diureticum* ex aqua vrinas ducente & halinitro per ſulphur culinarium fixo. VII. *Venæ ſectio* in plethora. VIII. *Roborantia* alexipharmaca vegetabilia primis & tertiis qualitatibus valida. IX. *Diæta* iuſta. X. *Bubonum & apoſtematum* cura eſt ſingularis. Hocne eſt peſtem tribus puluiſculis mineralibus, in quibus nullum eſt formale & ex proprietate venenum iugulans, ſanare? Nimirum Paracelſiſtis omnia ſunt licita: etiam ſine fronte mentiri.

Fumus Scheunemani fœcundus.

cuius titulum Paracelsista quidam, sic argumentatur.

VI. Quale vero illud eſt, quod ſua mineralia & fumidas merces non poteſt laudare, niſi *cum iniuria vegetabilium*? VII. Vetera obtrudere videri vult, & tamen *medicationes veterum appellat Nænias*. Per antiquos profecit, & ornatus eſt. Nunc Nænias vocat præceptiones, ſeu canones, & obſeruationes, medicationeſque eorum. VIII. Agnoſcit ſe non defodere debere *talentum ſuum*; & id nihilominus tanquam ſphinx inuida, & infeſta *ænigmatibus* inuoluit, nobiſque coniicientibus ex arte obloquitur virulentè. IX. Male ſibi conſcius eſt, dum in *momum incarnatum diabolum debacchatur*. Inuehuntur in momos antequam momos experiri poſſint qui vulnere malæ conſcientiæ ſunt ſaucii, & lucem fugiunt. Cur non manes domi? Magis ridiculus eſt in Paracelſia, vbi ſibi perſuadet *μιμεῖσθαι paucos poſſe iſtum præclarum fœtum* ex vulcania Paracelſi ſubreptum, & medicorum dogmaticorum vituperiis ornatum. X. Putat fatue *momos* iſtos ſuos particulare Scheunemanianum proclamaturos pro virulento *mercurio, antimonio, infernali tartaro*. Et tamen *mercurius, ſtibium, tartarus* (Tartarhan) ſulphur, halinitrum, &c. ſunt materia puluiſculorum. XI. *Aſtralis eſt medicina* inquit. Cur quæſo? Quia fixa & in igni conſtans. Ad coruos cum hoc argumento. Neque enim aſtrale eſt, quod ſic fixum eſt, vt in igni maneat, niſi & *aurum* naturæ, & *amianthus*, & *Adamas*, aliaque multa ſint aſtralia. Sed quid de *argentea hygia*? Num & hæc fixa? Imo fugacior ſeruo fugitiuo tametſi ex hoc facta. Miſer ille non intelligit neque *aſtralia*, neq; *fixa* chymicorum. Non ſunt abſoluta, ſed relata; & licet ex igni fugiant, atque etiam conflagrent, vt *vini ſpiritus, ſpiritus roſarum, &c.* tamen ſunt quintæ eſſentiæ. Ita mentitur *ab omni corruptione ſua aſtralia eſſe immunia*, & hoc ſupercilio vituperat *electuaria, ſyrupos, decocta, &c.* Num & infuſa? XII. *Aſtrales morbos negat curari niſi medicinis aſtralibus*, quales coquunt Paracelſiſtæ. Putat autem peſtem ex aſtris eſſe. Sed alibi *ens naturæ, ens imaginarium, ens diuinum, &c.* proponuntur, & *Paracelſus* ex quatuor elementis, & aliis mirificis fabricat peſtilentiam. Galenici ergo aliquam poterunt, Deo propitio, ſanare. Sed & qui integris vtitur valentibus, vel infuſis, non poteſt carere aſtris, ſi omnino his eſt opus. Si enim in integris ſunt aſtra viribus præualentia, qui integris vtitur, aſtris vtitur ſimul, teſtaturque mundi experientia longe plures peſtes ſanatas eſſe integris quam Paracelſi extractis. XIII. *Vegetabile* negat poſſe ſuperare id quod cœleſte eſt. Mittatur ad cœlum Vlſtadii & Lullii. XIV. *Ex viperis* poteſt parare infallibilem antidotum. Delirat miſer. Num viperæ ſunt minerales, & earum eſſentia fixa in igni? Num incorruptibiles? Sane Quercetanus nuper in hac re elaborauit veterum & recentium adiutus monitis. Sed tam non deſipuit quam Scheunemannus. XV. Peſtem, quæ eſt medicæ contemplationis, ex mendacium calendariographorum tabulis colligit eſſe aſtralem morbum. Legat Paracelſum de peſte terrea & aquea: Imo ſuum tractatum de peſte mercuriali.

Momus incarnatus diabolus.

Lege libros de peſtilitate, & de peſte ad Sterzingenſes.

XVI. Subiectum ſuæ peſtis ponit *excrementa mercurialia, & arſenicalia.* Indignum eſt aſtra radios ſuos in ſtercora, lotium, phlegmata, &c. elementaria mittere. Cur? Quia Paracelſicis *ſimile trahit ſimile.*

XVII. Negat ſtercora, phlegmata, vrinas euacuari medicinis ex ſenna, Rhabarbaro, &c. ridicule. Fac periculum. Aſtra negabit ineſſe: at quis ea magus ſtercoribus impreſſit? Non eſt ſatis *dicere*: Demonſtratio requiritur. *Principij petitio* in Monarchia Paracelſi potentiſſimus eſt dominatus.

XVIII. *Purgantia vegetabilia negat habere attractiuam magneticam excrementorum.* At id Hippocrates ſcripſit, *Deus ille Henningi poſt Paracelſum.* Sed nihil refert attrahant an non, modo purgent.

Deus Stercu lius Paracelſiſta.

XIX Iam audite magnifica: *Magnetica virtute excrementa alui, & ventriculi attrahit* SOLVS *ſummus omnium planetarum iudex.* Mirum autem. Quis ad tam ſtercoraceum munus tam magnum, & nobilem iudicem alligauit? Cur non aliquid mandat pedaneis? SOLVS? Imo non ſolus. Nam & *Turbaſi Paracelſici globuli* tantum vacuant ex inteſtinis, vt mirum ſit, ſcribente *Scheunemanno.*

XX. *Rex ſummus, & iudex omnium planetarum mercurius ſolis.* Aliquid diceres Paracelſiſta, ſi *tincturam Phyſicorum* ſcires. Eam te ignorare in dedicatione oſtendis. Interim te mendacium committere de tuo aperte dicimus. Tuum enim ex ſole mercurium nihil poſſe in metalla iam pridem experti ſumus. Vide *Penotum.*

Mercurius Solis.

XXI. Quæ eſt præparatio iſtius REGIS? In tabula de lue peſtilente anno M. DC. VIII. Bambergæ edita ſic deſcribitur: *Capite optimum aurum Vngaricum, quod per cæruleum tartareum ſalis ſpiritum in aqua mercuriali in viuum mercurium ſit redactum. Calcinate id in ſalino ſpiritu balinitri* (præcipitare per ſpiritum ſalis petræi) *donec aureum colorem recuperet.* Hæc ibi, vbi dantur grana 4. 5. 6. in vituperato illo *mithridatio.* Virtus: Purgare vel vomitu vel ſeceſſu. Antiballomenon ponitur *ſtibium per balinitrum calcinatum, & optimo vitrioli ſpiritu maceratum*, inque puluerem redactum, cuius doſis ad euacuandum totidem grana. Id notandum. Alias qui velit *ex auro mercurium*, conſulat noſtram Chymiam, & Syntagma: aut videat additamentum Tomi VI. paruo: vbi manuali adiectus eſt modus *omnia metalla vertendi in mercurium.* Vt paucis referatur: Eſt via humida. *Fit aqua mercurialis, ex libris iij argenti viui ſepties per vitriolum, balinitrum & alumen ſublimati. Additur ſalis armeniaci ter à ſale communi ſublimati, clari, albi, ſeſquilibra. Contrita in marmore ſublimantur ex arena horis nouem. Sublimatum quod eſt, abraſum redditur fecibus, ſublimaturque, idque toties repetitur, donec in fundo vaſis ſine ſublimatione fluat maſſa inſtar ceræ. Fracto vaſe extrahitur, & imbibitur aq. ſalis ammon. præparata ſec. art. ſiccatur, rurſumque potatur vſque ad* 10. *vices, donec non amplius fere coagulet. Soluitur deliquio: Solutum ratificatur deſtillatione. Huius vnciis octo laminarum* (melius calcis per hydrargyrum) *ſolis, aut lunæ ſeſcuncia digeritur in cinerem vitro clauſo horis octo: vaporis modo mercurius conſiſtet. Pergendum donec tota quantitas ſoluta ſit. Separatur aqua deſtillando. Mercurius aqua calente dulcificatur.* Acetum præmittunt nonnulli. Sed vide etiam *Penoti* aquas mercuriales. Paracelſus aliter mercurium facit *per mercurii vaporem* ſeu fuliginem, vt appellat libro VI. de reſuſcitat. rerum naturalium; Habes modum quendam etiam apud *Heliophilum de Elia artiſta.* Via ſicca eſt, cum *ſal ammoniacus, ſublimatus mercurius, & ſal tartari artificioſe componuntur, & proprio ſpiritu impragnantur more philoſophico*, qui non eſt ignotus Quercetano, & Iohanni Hartmanno Marpurgico.

Ecce ſummi regis officium.

Mercurius ☉ per viam humidam.

Roſ. Fac mercurium per mercurium, vel aquam mercurialem.

Via ſicca Mercurii Solis.

Alii modi ſoluendi metalla in argentum viuum. I. Generalis: Cape argentum viuum ſublimatum: Salem ammoniac. ſublimatum pari quantitate. Sublima ſimul aliquoties. Deinde redacta in puluerem irriga aqua ſalis ammoniaci. Reſicca. Repete imbibitionem ſepties, aut ſæpius. Deinde ſolue per deliquium in cella in aquam pellucidam. Iam metalli quoque calcem imbibe aqua ſalis ammoniaci. Deinde reſiccatam perfunde aqua altera mercuriali. Horis 24. fiet mercurius viuus.

II. Mercurius Solis. Duos ducatos ignitos & conciſos cum reguli antimonii pari pondere colliqua. Effunde in cochlear ferreum calens, vt fiat paſtillus ſine iactura ponderis. Tunde in puluerem ſubtilem. Cape ſalis ammoniaci vnciam mediam, argenti viui ſublimati vnciam vnam. Fiat puluis ſubtilis. Primum puluerem mitte in phiolam inſtar pomi arantii. Superficiem æqua ne ſit inæqualis. Ei impone puluerem alterum, & vide ne commiſceantur. Phiola ſit aperta. Detine ſuper paruo igni prunarum etiam in triclinio. Superior puluis varios edet colores & fumos, qui ſunt ſpiritus ſicci. Deinde incipiet feruere, fietque aqua. Puluis inferior liqueſcet, & ſub aqua innatante in fundo vitri ex puluere ſcaturiet pulcher Solis Mercurius, & conſtans. Poſtea aqua innatans congelaſcet inſtar vitri vel ſcoriæ. Phiolam cum materia transfer in arenam calentem, & ibi relinque, donec paulatim per ſe refrigeſcat. Mercurius Solis nonnihil indurabitur, quaſi amalgama, vt conteri poſſit. Phiolam diuide in duas partes caute. Vitrum ſuperſtans detrahe. De pondere nihil perire debet. Vt mercurium viuum & currentem reddas, adde ſeſcunciam argenti viui ſublimati, & ſine in patella leniter expirare ſuper prunis. Tunc ſublimatum decedet, & Solis Mercurius viuus manebit. Si vis Mercurium ex Luna, adde ei dimidiam partem reguli antimonii, & procede vt prius. Mercurius Iouis fit vt Mercurius Solis, ita & Martis. Saturnus debet lima in puluerem radi, vel inter duas patellas fundi. Patellæ creta ſint perlitæ, vt minute granuletur. Inde miſcetur cum Regulo ſtibii, & imponitur medicamen prius quod in Sole & Luna eſt adhibitum.

Sed redeamus ad peſtilentem deſcriptorem: Factus Mercurius eſt præcipitandus. Audiamus qua arte.

XXII. *Thermæ adeſſe debent* quibus ille gaudeat, & quæ ipſi competant. Finge eſſe aquam Regis, aut ſpiri-

aut ſpiritum ſalis ammoniaci, aut ſalis tartari, vel halinitri &c. Poſſunt enim concinnari plures. *In his incaleſcit.* Nam ebulliunt metallica cũ ab aquis cauſticis ſoluuntur. *Aqua ſeparata reſtat ſicca maſſa eaq; alba, conteritur cum floribus ſulphuris* (Ghibur, Cibur, Riſur, & Sulphur) *reuerberatur, inde colorem contrahit Cocci ſeu purpuræ tyriæ rubræ,* qui dicitur veſtis precioſa. Hanc *Tartarhan* albo ſubduxiſſe ſcribitur, quaſi præcipitatio facta eſſet per *ſpiritum Salis tartari.* Si Scheunemanniana illa ſapientia eſſet fundamentis philoſophicis inſtructa, non aliter poſſet dictio accipi. Nam *ſub albedine Philoſophica latitat rubedo, illaque hanc antecedit.* Sed ille pro ſua ſtultitia atramentoſa, ne ſe intellectum cõcedat, finget aliud. Iſte præcipitatus mercurius poſtquam philoſophice exaltatus eſt, dicitur vim habere in omnia metalla, & elementa. Sed Scheunemanniana ſapientia hic eſt fatuitas. Non enim hoc eſt iſtius corporalis Mercurii, qui ne ſuum quidẽ Solem amplius agnoſcit, nec vllum imperium exercere poteſt in metalla alia. Spiritualẽ alium adeſſe oportet, qui in heroico bello (Ritterkrieg) & libris philoſophorum inuenitur. Hactenus iſta.

Præcipitare ♀

Quidam particulare promittunt ex tali Mercurio: Sed res non reſpondet opinioni.

XXIII. Eſt peculiaris ſapientia in vocabulo *Tartarhan.* Turpe foret Cabaliſtæ Paracelſico, barbaro & truculento regi, qui necis potius quã vitæ cauſa eſt bonis, piisque, comparare Tartarũ artis. Subire oportet nos officinam Scheunemannianam, & inde ignem ſapientiæ inſtar Promethei ſuffurari, quanquam coniecturis tantum. *Han* eſt Gallus. Saxones ita vocant audaculos ſuos & ſiquid eſt præclari. In hieroglyphicis Gallus itidem ſuam habet ſignaturam. Hinc innoteſcit, Tartari Gallum, ſublimatum & exaltatum ſalem eſſe intelligendum. Acute ſane, niſi ruſticitas ſtolida Cabalam pollueret. Nos ſpiritu Tartari præcipitationem procuramus Mercuriorum: ſolutionum vero deſcenſiones, liquore. XXIV. Etiam Ramæam dialecticã ſcit Scheunemannus licet peſſimus grammaticus. Nam excrementa purganda ex ventriculo, vel inteſtinis vocat *SVBIECTVM Arſenicale.* Peſtis ergo erit adiunctum eius. Sed hoc ne Paracelſus quidẽ credet. Neq; enim peſtilentia eſt in ſtercore ſeu excrementis, ſed eſt morbus Epidemicus venenatus cõtagioſus, qui primum cor petit, aut cerebrum: nec, vt detur, ex cœlo eſſe infectionem, excrementa petuntur ab influentia: Sed vitæ, ſenſusq; principia, quanquam putredines, & aliæ ſuper fluitates poſſint diſponere organa principalia ad facilius ſuſcipiendum venenum. Cabaliſtæ Paracelſico conueniebat ſpiritus facere ſubiectum, quod πρῶτον δεκτικὸν dicitur. Nam hi analogia reſpondent cum cœlo nec raro ſunt magnetici. XXV. Non putamus vllum vel ſemibaccalaureum in Paracelſi ſchola eſſe, qui putidius poſſit de peſtis infectione garrire. Summa: *Nihil niſi principiorum petitio, & extrema hic ponitur dementia. Saturnus habet influentiam venenatam:* Falſum. *Saturni influentia habet radios Mercuriales:* mendacium. *Saturni influentia Chyli, extrementorum, & nutrimentorum ſalem reuerberat.* Flagris digna fatuitas. *Sal iſte copioſus ſi eſt ſolidis partibus vt fumus camino adhæret:* Ridiculum: quaſi ſal dum à frigidiſſimo illo Saturno, & Mercurio crematur, halitus emittat coagulantes in ſolidis. Quis vnquam ſtultiora effutiuit? *Sal iſte dum reuerberatur ab influentia, vel affectu incaleſcit, incendit Sulphur quod eſt in ſolidis partibus.* Deliras. Cur non ſulphur à ſulphureis halitibus id patitur? *Sulphur fixum partium ſolidarum niſi reſtinguatur eius incendium, incendit Sulphur mobile cordis* (Sulphur vocant calorem inſitum, cuius ſubiectũ eſt pinguis ſubſtantia) imo contra, prius in corde accenſa febris, inde propagatur, & communicatur cæteris. Hinc & tabes, marcor, & conſumtio cæterorũ, vel etiã ſi ſpiritus, & humidum, vitalia conſumpta fuerint, vel proprietate totius naturæ iugulata, repentina mors ſequitur. XXVI. Phantaſia medici ſibi perſuaſit venenum ex ſyderibus delatum primum excipi *Chylo, excrementis & nutrimentis.* Sed in curatione deficit. Nam tantum chylum vomitu, excrementa ſeceſſu alui tollit: *nutrimenta* relinquit. Excogitandus puluis eſt etiam ad hæc profliganda.

Hahn Germanicum eſt Tartariæ rex Cã, vel Chã, aut Ham dicitur.

Peſtis definitio: ſit morbus epidemicus, venenatus, contagioſus ab influentia q[ui] primum cor petit aut cerebrum.

XXVII. *Principio venenum arſenicale augeſcit in chylo.* Falſum. Aſtrales enim radii non tangunt chylum primum, ſed ſpiritus. Eadem falſitas eſt in excrementis, & nutrimentis. Si ſit talis peſtis, nequit Epidemia, & aſtralis eſſe: Imo ne communis quidem, cum victus, chylus, nutrimenta mire varient.

XXIIX. Quid hic faciendum? Attendite *maximum ſecretum,* quod ne acutiſſimus quidem chymicus ſtochaſmo peritiſſimo explicauerit. Conſilium & auxilium quærendum eſt. Vbi quæſo? An non *apud Deum primum,* poſtea medicum ordinarium? Non. vbi ergo? Apud *Venerem* ô venereum medicum. Qualis Venus illa? *Mire pulchra* eſt. Cuprum intelligamus, cuius eſſentiam *Paracelſus* aſtronomicè alligauit membris genitalibus. Vnde ſequetur peſtem Scheunemanni eſſe in genitalibus. Hoc eſt axioma Paracelſi, *aſtra externarum rerum conuenire cum aſtris internis, & ſimile curari ſimili,* vt aſtro ſolis, cordis eſſentiam labefactam, aſtro Lunæ, cerebri &c. Vt cuprum fiat mire pulcrum, per *Artemiſiam* eſt agendum. Nos cum Syntagma ederemus, *Daui eramus non Oedipi.* Donum veneris putabamus eſſe illam Artemiſiam. Quam ob cauſam? Quia arbitrabamur *Scheunemannum eſſe Paracelſicum Doctorem,* qui ſui Monarchæ decreta teneret. *Paracelſus* autem Tom. 2. pag. 110. tractat. 1. paragrani de philoſophia ſcribit: *Quid putatis eſſe Artemiſiam?* Quid *artemiſia* (non ſcribit *Arthemiſia* vt ferula dignus Henningus) *niſi VENVS? Quid vtrumque? Matrix, Conceptio, Sperma. Ita ferrum eſt Mars, & contra. Eadem eſt vrtica, & terentiabin quarta. Venus dirigit medicinas renum, & matricis, Venus cœli, & matrix mulierum vnius ſunt naturæ.* Hæc Paracelſus. Intellextin, Scheunemanne? vbi iam tuus infectus chylus, nutrimenta, excrementa, per venerem, & artemiſiam euacuanda? Sed ille eſt ſingularis Paracelſiſta. Quid ergo *Artemiſia*? Diuinemus: *Eſt ARS Chymica per quam præparatur Mercurius Veneris.* Nam vt Tartarum vocabat *Tartarhan,* ita artem *arthemiſiam.* I, nunc & irrita vates. Pergite Pierides: *Venus eſt in viridi tinctorio* Quodnam illud? Dicat *Heliophilus* in ſuo Artiſta: Dicat *Quercetanus* in Alexicaco: Dicat

Examen primi pulueris.

Artemiſia.

Ad ferulam.

Venus ſub viridi tinctorio.

Iohannes Beguinus in ſuo Tyrocinio: *eſt color ſubuiridis, quo tectus latet albus cupri Mercurius*: qui color in vſum debet tolli. Hi ſunt illi antiqui autores hermetici dogmatici à quibus ſuffuratus eſt Scheunemannus medicamen, ingratiſſimus hominum, dum, per quos profecerit, tacet, & ſimul malitioſus, dum quod illi expreſſis verbis tradiderunt, occultat figmentis ſtolidis. Quomodo quæſo fit? præ-
Mercurius Veneris. paratur aſtraliter per artem chymicam. Tace inuide medice. Dic Beguine: Recipe *limaturæ veneris vnciam, argenti viui ſublimati ſextantem, Salis mercurialis vncias duas cum dimidia. Poſita in catino diutius fluant, quam cum Mercurius Martis conficitur.* Sed Beguinus recentior eſt. Procedat antiquior. Ita Quercetanus anno 1608. *Fit ex vna parte limaturæ, & duabus Mercurii ſublimati, pauloque maiore portione ſalis Solaris* (ammoniaci præparati, qui ſoli ſeu auro analogus: vnde regiæ fiunt) *contrita mittuntur in catinum, & arena ſepeliuntur. Ignis lignorum viuus ſupra & infra adhibetur, donec materia inſtar ceræ fluat. Tunc ſubito vas in aquam frigidam transfertur. Veneris Mercurius colore ſubuiridi inuenitur.* Antiquior eſt Elias Artiſta, nempe anno 1606. quem legas pag. 35. 36. Num autem hoc ſufficit? ad medicinam nondum. *Heliophilus Sulphur viridicans abſtrahit, affuſoque oleo vitrioli facit turbith, minerale, quod corrigit ſpiritu vini. Doſis eſt gr. 1. ante vigeſimam quartam horam.* Quercetanus præcipitat *ſpiritu Sulphuris, vel Vitrioli*, iteratiſque vicibus colorem *calendulæ* florum inducit: mox aquis competentibus edulcorat. Vocat *Sudorificum Bezoardicum* doſi vnius, aut duorum granorum ex liquore appropriato dandum poſt 10, vel 12. horam ab inuaſione. *Heliophilus* dat cum *Sacchаro Roſaceo*, prædicatque eximie in peſte, tanquam certum, & innoxium experimentum. Beguinus Quercetanū explicare voluit dum ſcripſit: *Matratium calens frigidæ impone, vt in partes diſſiliat, & Mercurius ſubuiridis effluat: quem exiccatum in retortam paruam cum ſpiritu Sulphur. vel vitr. in cineribus per diem naturalem digerendum collocabis, & poſtea cum binis colobiis in arena* (ſpiritum) *diſtillabis, tandemque bis aut ter ablues, & vltima vice aqua cordial. &c.* Obiicies: Scheuneman vomitiuum fabricat: Ille vero puluis eſt Diaphoreticus Alius ergo ab Henningiano. Nil refert inquam, Nam *præcipitatorum* vires, vt & *Antimonii* &c. ſunt multiplices, poſſuntque etiam varie apparari, veruntamen tanti ego vomere non emerim. Antefetat aliquis *Hartmanni vomitiuum*, aut *Rulandi benedictam.* XXIX. Quid præterea? *Henningus* ait tanquam de pluribus loquens, *quæ vetulum Saturnum, & ira inflammatum Martem bene poſſunt placare.*
Ouid. Virg. Belle de Veneris & Martis ſocietate admodum placabili in ſuo cubiculo narrant etiam Poetæ. Si in corpore hominis, & quidem venenato chylo, excrementiſque coiuerint, bellum habebunt lectulum. Hoc tu gaude Scheunemanne. Quid ſi vero Marti ſuccumberet Venus? Natura offenſa adulterio ſcilicet lectulum cum adulteris excutiet. An Venus poſſet Saturnum illum rigidum, frigidum, auſterum, homicidam, & virilibus carentem ſenem (ita enim deſcribitur) placare, non immerito dubitant maiores, minores. *Credat Scheunemannus Paracelſiſta.* Puluis iſte vocatur *donum Veneris*, ſeu cupri. Pueris dic iſta, o Medice puerilis. Cuprum non donat, ſed artifex chymicus ex cupro præparat. Donum Dei eſt, & artificis. *Puluis aſtraliter confectus* narratur: & ſimul *fixus, inque igni permanens.* Hoc ipſo inquam aſtralis non eſt. Aſtra enim ſunt mobilia. Puluis præcipitatus ex argento viuo vt ſit fixus magno indiget labore: Et ſi fixus eſt, vomitum non facit. Si chymicus eſſes, ſcriberes relate fixum magiſterium, & non aſtralem eſſentiam, nec in igni permanentem.
Globuli attractiui arſenici. Sed valeat illud emeticum. XXX. Quid *de globulis pro ſuppoſitorio Galenico*? Hi debent eſſe magnetes quidam, quibus venenum arſenicale ex inteſtinis *in magna, & vix credibili copia* extrahatur. Proprietas dicitur *Sympathica*. Declaratur experimento *macrocoſmico*, quanquam innominato. Nec tantum *Arſenicale*, ſed & *Mercuriale* venenum perhibentur attrahere. Hoc ſi verum eſt, globuli illi familiaritatem habebunt cum Sulphure & Mercurio, atque ex vtriſque conſtabunt. *Sulphur &*
Semimetalla *Mercurius* ſunt in mineralibus parentes metallorum, & *ſemimetallorum*, ſeu marcaſitharum, vt *ſtibii, Biſmuthi* & congeneorum. Sequitur hinc ex *Cabala*, & *arte ſignata* eos habere naturam metallicam familiarem alui ſtercoribus, & ſero quodque phlegma vocant Galenici Hippocratici. Non itaque fefellit *apocalypſis* noſtra globulos tales fieri ex *Antimonio*, vel *Biſmutho* (quod ſtibium album Paracelſo) vel aliorum imperfectorum regulis aut vitris, quanquā *vitrificationem* ſubtiliores hermetici alias improbent. Sed *Quercetanus* in vſu ſtercoraceo dignum putat patella operculum. Itaque & *clyſteribus* adhibet. Verum & amplius attendamus. *Globuli iſti debent attrahere virus Mercuriale & Arſenicale.* Hoc autem martium eſt & ſaturninum ex autoribus peſtis. Conſtare ergo debent ex *regulis tribus Mercurii, Saturni, Martis*, ſeu argenti viui, plumbi nigri, & ferri. *Plumbum philoſophicum ma-*
Regulus antimonii. *gneſia eſt*, ſeu ſtibium. Ex hoc fit *regulus* ope tartari, ſalium & ferri: Et eſt ipſe regulus pars Mercurialis in antimonio (Sulphur enim in tinctura, & oleo eſt) ſi itaque Scheunemanniana ſagacitas fuit ex arte ſignata, Chiromantia, Aſtrologia, & Cabala Paracelſica, globulos ſuos fecit ex *Regulo Martio Stibii.* At ſic non poterit attrahere *arſenicale* virus quod ſulphureum eſt, & ſulphur regulis non ineſt. Rimam elabendi inueniunt Paracelſici dicentes *ſine Sulphure non eſſe Mercurium*, idque eſt
Plumbum ex ſtibio per plumbum. credendum cum extrahatur, & ex regulo ſtibii per ſalem, ſeu animam plumbi poſſit fieri plumbū malleo obſequens. Sic ergo abſoluti ſumus. XXXI. Quo modo fiunt iſti globuli? *Per minerale ſalubre.* Quid hoc rei? Eſt *ſympathice affectum ad venenum arſenicale & Mercuriale, eiuſque attractiuum, argumento macrocoſmico*, hoc eſt, artificiorum externorum. Quando enim volunt artifices *regulos* ex ſtibio, aut vitrum facere, SALEM vſurpant, nempe *nitroſum*, quem *petra* vocant, aut *gemmeum foſſilem*, aut *boracem*: In regulo, halinitro duplo addunt *tartarum vt ſtibii ſit portio vna, tartari duæ, halinitri quatuor.* Hæc contrita mittuntur in catinum terreum & excoquuntur. Medicamina adiecta ad ſe trahunt ſpumam feculentam, quæ vulgo dicitur *Plachmalium.* Idem fit cum *Crocum metallorum* conflamus, quanquam potius dicendum ſit *ſales ſues eſſe purgatiuos, ſegregatiuos, diſſipatiuos.* Excitato enim fumo, ſeu halitu peſtilente, venenum, & quicquid impuri arſenici, & mercurii ineſt (quod poſtea excipitur titulo ſpirituum, & florum ſi placet) ſeparant, relicta ſpuma, feci-

fecibuſq; craſſis ſuper puro regulo, ſtantib. Hoc eſt noſtro Paracelſitæ *Sympathice attrahere in macro-coſmo.* Sed indulgentius iudicat quā par erat. Conflatores & docimaſtæ ſegregationis purificationiſq; opus eſſe putant. Tantum inter ferrum & ſtibium agnoſcunt familiaritatem, idque ratione Mercurii magis quam ſulphuris, aut arſenici. Vnde & cum ex ſublimato per ſolutionem reducere volumus Mercurium, id optime fit ſubſtrata *martis* lamina, & in excoctione *ſtibii* ſi quis ferramenta imponat, fauillam Mercurialem eis melius excipiet: Imo *fuligo Mercurii ferrum adeo debilitat, vt inſtar vitri diſsiliat incuſſu.* Henningus non facit mentionem ferri, ſed ſalis tantum. Mala ergo eſt ipſius *ſympathica* affectio, adeo vt potius ſit *antipathica*, & hoſtilis.

Crollius: Sal nitrum & Sulphur hoſtes.

XXXII. Stercora ex aluo *tanta copia* per globulos iſtos extrahi mirum eſt. Sed vorax & ingloriosum oportet eſſe genus, quod tanta copia ſcatet. Conſequens eſt *globulos Scheunemanni eſſe magnetes ſtercoris humani:* qua de re infra plura. Percepimus iam peſtem *Scheunemanni* curari *vomitiuis & catharticis ſuppoſitoriis.* Nam ſatis Paracelſice? Imo vt ſic loquamur *ſcatice. Paracelſus* enim venenum aut *iugulat antipharmacis, aut extrahit impoſitis* externis. Deinde purgat, quo ipſo non ſtulte ſapit. Eſt vero hæc bene medendi methodus, quanquam aliqui ſtibii vitrum, & *Quercetanus* ſuum crocum metallicum etiam in principio videantur commendaſſe. Alias *hydrotica antidota*, Quercetanus proponit, vt videre eſt in alexicaco. Hoc quoq; conſequens eſt, ſi *præcipitatum ex argento viuo veneris, & regulus vel vitrum ſtibii* peſtem vomendo, & aluum vacuando tollunt, primo curam *accidentariam* eſſe, deinde peſtis iſtius originem *ex aſtris non extitiſſe,* atque ita Paracelſiſtam illum vanis verbis circumduxiſſe ſimplices.

Paracelſus ſuo diſcipulo alapam peſtis infligeret ſi viueret.

Aſcanienſes ſunt verbis deluſi.

XXXIII. *Dimidia hora* ſcribitur *operatio ſtercoracea perfici in tanta quantitate:* Et paulo ante dicebatur *Emeticum* vna dari: (Zugleich auch) intra tantulum ſpacium ergo infecto & *vomendū* eſt & *magnum alui pondus deponendum*, impulſa natura *ſurſum deorſum,* vt fit *vitro ſtibii, & Elleboro aſſumpto.* Solet autem peſtilens venenum cerebri & cordis officinas primum adire, & ſpiritus animales, vitaleſque adoriri, ſique principium putrefaciendi habet, etiam tum ipſos, tum humores putredine corripere. An ergo non ſit periculoſum vomitiuo, & cathartico naturam ſolicitare? Idne eſt *TVTO curare?* XXXIV. Sed neque id ſatis. Poſtquam exonerauit ſe aluus, & ventriculus, ſtatim (als bald) *pulniſculus hydroticus* eſt dandus, qui niuem colore æquiparet. At inquam is debebat non *hydroticus* tantum eſſe, ſed & *Bezoardicus* atque ideo initio ſtatim propinari. Non culpamus tamen ſicubi opus eſt, leni clyſtere ventrem ſubducere, aut balano. Id enim decet medici prouidentiā. Sed non ſemper eſt opus, nec medicus ſemper in principio accerſitur. Qui intelligunt iam corrupta circa ventriculum cumulum eſſe, *Bezoardica* motiua audacter præbent, ſiquidem robuſtus ſit homo. His enim inſtigata natura per ſe moleſtum pondus quaqua poteſt excutit. Itaque non male *Crollius antimonio Diaphoretico*, quod & *Bezoardicum minerale* (Quercetanus parumper mutauit) *Aq. Theriacali, Theriaca de mumia* & aliis ſtatim initio vti iubet, vt & omnes rationales, & periti medici. Vomitiua, & cathartica per ſe dare, valde eſt periculoſum, niſi artificioſus ſtochasmus perſuadeat.

Puluis hydroticus.

XXXV. Quæ vero præparatio iſtius pulueris, & quæ materia? ex *antimonio* fieri manifeſtū eſt, & licet lolliginem, & ſepiam agere ſoleant empirici Paracelſici, Scheunemannus tamē hic captus hæret. Primum ponitur *pater minerarum* TARBASON, de quo vocabulo infra audietis pulchros luſus. Intelligendum eſt *ſtibium minerale* metallis fœcundum, præcipueq; auri. Ideo *Quercetanus* Vngaricum auriferum ſeligebat. *Patrem metallorum* vocant qui alias ſulphur, (in philoſophico lapide ſol) quia, vt *Quercetanus* ſentit, *magneſia ſaturnalis eſt prima radix metallica, & de ſtirpe vitrioli:* Vt *Suchthenius,* quia ex eo poſſunt fieri omnis generis metalla, vt ſit q. *cōmunis materia Mercurialis & Sulphurea cum ſale analogo. Scotus per auri tincturam id in aurum tranſmutabat.* Alias metalla cōſtant Mercurio, ſulphure vitriolato, & nitroſo ſale in ſuis mineris, & venis. Hic *pater ſtibialis vt puluiſculum diaphoreticum* ex ſua camera clauſa, ſeu ventre ſuo, & ex ſe promat, interceſſore opus habet, & exoratore: Imo potius non hoc, ſed *claue* vim inferente, & diſſipatis obſtantibus latitantem intus eſſentiam nudante, quomodo *Cerberum Hercules* ex inferis extraxit, & *Cacum* in tenebris incendia vana vomentē in apertum protulit. Siue velit, ſiue nolit *ſtibium*, cogitur reddere quod occultat. Quo vero? *Nitro Bunicenſi,* Ridiculum. At illud *Nitrum* hodie nuſpiam apparet. Artifices vtuntur *Halinitro* vel *Borace Cryſtallino,* aut æquiualentibus ſalibus qui ſunt claues minerarum, *Halinitrum ſeu Salpetræ* quid commune habeat cum veterum Nitro quod *Auicenna Baurach* vocat, alibi diſputatur. Noſter Tenebrio quod ab aliis diſerte expoſitum eſt, nec indiget occultatione, cum res iam ſit proclamatiſſima, omnibusq; fere tonſoribus nota, ſtolide inuoluit, *vt admiratiunculam aliquam ab imperitis venetur.* Quo modo exoratur ille pater & qui reddit ex ſe puluerem? Minis quibuſdam. At hoc non eſt interceſſori & oratori gratificari. *Mars iracundus* aduocandus eſt, qui & inardeſcat, & magnum fumum effundat. *Lamellis chalybeis,* aut limatura vtuntur qui regulum ſtellatum conficere volunt. *Borax* aut *Salpetræ* igneo ſuo fluxu penetrat, reſoluit, colliquat vtrumq; atq; ita incendit poſtquam feruore ignis externi excanduit, vt alterum agat in alterum magno cum conatu. Inde fumi mercuriales, arſenicales, & alii qui erant ſtibio commiſti. Modus eſt conflaturæ ad exemplum officinarū metallicarum. Quo modo tamen fit *puluis niueus*? eo quo *medicina del' oro.* Quod enim exhalat, excipitur capitellis. Vocant *flores albos,* qui eluti, & rectificati per ſalem *ex purgantibus fiunt Diaphoretici;* Hic vnus eſt modus. Alius eſt *calcinatio,* quæ fit *ſolo halinitro,* vel ſimili ſale, donec niueam calcem adipiſcamur, quæ eſt proxima materia vini. Ea *Emetica, Diaphoretica, Cathartica* eſt, niſi corrigatur.

Tarbas on Stibium minerale.

Baurach Bunicum.

Scheuneman ruſticus tenebrio, vt ſtruthio ſtolidus.

XXXVI. Puluis factus potandus eſt cum aqua acida, *fors oxalidis,* cum qua etiam Emeticum ſumebatur. Quid fiet? Cum bene ſudabitur, *nimbus* talis, ſeu imber incenſum *humidum radicale reſtinguet, & mumiam Balſamicam* recreabit. Primum ſi ita eſt, peſtis eſſentia fuit febris in humore cordis eſſentiali. At erat *venenum aſtrale.* Hoc debebat in primis expugnari *antidotis,* & ſimul *Diaphoreticis,* non vt humor radicalis exudaretur, ſed tum infecti halitus, tum ichores corrupti

Mira vis ſudoris extinguentis ardorem: Imo incendentis magis.

altera-

alteratis, & munitis interim ſubſtantialibus. Secundo quis eſt ille *Imber* quo incendium humoris radicalis extinguitur? Num puluis aqua dilutus? At ſcopus erat *hydrotico diaphoretico* vti. Aqua oxalidis (ſi hæc intelligenda eſt) calorem præternaturalem retuderit quidem, at alterata, & præoccupata vi diaphoretica pulueris calidi non poteſt. Fors ſudor erit ille imber. Sit corporis externi perfuſio & ablutio, interni humidi non erit. At ex accidente diſſipatis halitibus virulentis, feruidisque refrigerat in morem imbris plantas ſitientes reficientis. Hoc inquam non ad *Cabalam*. Imbre rigare, & exudare humorem, ſunt contraria potius quam ſimilia. Verum *Paracelſicis omnia omnibus ſimilia facere licet, etiam delirare.*

Galenica tandem optima.

XXXVII. Intelligit medicus vomendo, purgando, ſudando debilitatam eſſe naturam abnormiter. Refectione opus eſſe iudicat. Vbi iam *mineralia illa fixa*, & putredini nulli obnoxia? Silet officina *Scheunemanni*, & vacat. Galenicæ aquæ confortantes, ſacculi virtutum, *Theriaca* dudum irriſa, quia ex vegetalibus, quia non fixa, quia ex plurium miſtura, iam pene morbo, & medicina enectum ægrotum reſtituere iubentur, adiecto iuſculo *potenter* inſtaurante. Ecce tibi. A mineris nullum eſt pro reſtitutione virium auxilium. Ad Galenica confugiendum, & quidem quæ *Nania* appellabantur. Cur non ſal ille ſalubris offertur? cur non *auri inſtauratiui* ientacula? Qua fiducia vero foris cordi applicatur *Theriaca*? An vt venenum extrahat? num vt ſpiritu ſuo iuuet ſpiritum inſitum, & virulentiam domet, expellat, aut ſaltem ad expellendum præparet? Nihil horum iudice *Scheunemanno*, qui in dedicatione *Galenicam Theriacam* accuſat, quod per eam, *Mithridatium* & ſimilia Electuaria medici portas aperuerint morti. Oportet ergo nos cogitare *Scheunemanno* propoſitum eſſe puluiſculis ſuis reſtitutum ægrotum, *Theriaca* ad ſtygem mittere. Hoc enim eſt ex prædictis conſequens. Quod ſi ipſe putat releuari ſic poſſe ſemimortuum, calumnia atrox eſt quod ad ſuos dominos *Aſcanienſes* de Galenicis ſcribit.

IIXL. Iam ſequitur tertius puluiſculus: vomitum eſt, cacatum eſt, ſudatum eſt hactenus, inſuperque bibitum, eſum, fotum. Quid reſtat? *verum Diureticum, aſtrale, fixum*, Ridiculum. Toties nobis de fixis aſtralibus verba data ſunt: At *nullum fixum vſurpatum eſt* niſi prius per aquas volatile factum. Terminatur initio humidum ſicco agente calore. Mox reſoluitur ſiccum humido, fitq; interminabile. Si hoc opus erat, quorſum prædicatur fixitas? Stultum eſt fixitatem prædicare cum volatilitas ad medicandum longe ſit commodior: & hygia Scheunemanni poſtea volaticum ſublimatum elegerit. Sic *Diureticum* illud admirabile fixum validis ignibus, volatile reddendum eſt, vt poſſit *ſat bona quantitate* bibi, & quidem *quantam ſitis poſtulat*. Officium eius eſt per vrinas educere reliquias veneni. Hæc erit pars illa quæ in nutrimento iacet, ſicut ea quæ per ſudorem expellebatur, habitum corporis videtur, & cutem occupaſſe. Magna certe eſt cacochymia, quæ vomitu, ſeceſſu, ſudore, vrina eſt vacuanda: Et tamen peſtis aſtralis eſt. Videbimus de hac amplius *in ente peſtis aſtralis*, ſi Deo placuerit.

Typographus videtur auricula Scheunemanni, & nasum tetigiſſe.

Corneolum glaciatum.

IXL. Quo modo paratur ille puluiſculus, & quæ eius materia? Fatendum eſt nos in *apocalypſi hermetica* hic aberraſſe, verum non noſtra culpa, ſed impreſſi codicis vitio. Cum enim ſcribi debuiſſet: von dem gelben Küchenjungen: Typographus poſuit von den gelben Kühen/ (commate diſtinguitur) jungen Cribtit genandt. Putauimus magnũ quid ſubeſſe iſtis flauis vaccis, & forte Mercurium aliquem aſtraliter præparatum: At ecce in *Calonem* expectatio noſtra exit. *Parturiebant montes Henningici: naſcitur ridiculus* jung. Die Küchen bub/ mit gelben narren kleidern. ô aſtrale remedium. Sed quæ tamen materia: *volaticus Halcyon*, ſeu auis glacialis. Quid hoc monſtri? *Corneolum glaciatum Quercetani*, quod in aquis concreſcit fiſtulatim, teſſellatim, & aliis formis, præſertim priſmaticis, quo modo Cryſtalli volatiles, ſeu fluores Cryſtallini ſolent. Vulgus appellat ſalẽ petræ, Salpeter Zapffen. De *Halcyone*, quæ & Halcedo, (quidã ſcribũt ſine aſpiratiõe *Alcyon*: vide Aldrouandum lib. 10. Ornit. c. 60.) παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, quod in mari pariat, vel ab algore, ꝙ frigidis temporibus gignat, vt quidam arbitrantur, *Cabalam*, ſeu parabolicam translationem non improbamus, quanquam & aliæ ſpecies ſalium, & Tartari Cryſtallorumq; in liquorib. conſiſtant, ſed nulla cum frigidis mercurialibus, & calidis ſulphureis ſpiritibus, vnde & halinitrum audit *Sal ſulphureus, hermaphroditicus &c.* apud *Quercetanum*: alias etiam Mercurialis, ſicut *ammoniacus ſolaris*, & communis, *muria terrea* &c. prout quiſque ſpeculationibus indulget, & ſua occultare pro licentia, quæ in *paracelſia* nullis limitibus circumſcribitur, atq; adeo ſcientifica eſſe non poteſt, *vt ne artifex quidem artificem queat intelligere*, ſed vti cogatur incerta coniectura, ſtudet.

Salſulphureus Sal Mercurialis.

Ammoniacus.

Muria terrea.

Paracelſia non poteſt eſſe ſcientia nec ſcientifica.

XL. Fugitiua halcedo requiritur: nimirum Salpetræ crudus, vti in *halinitrariis* paratus venit in mercatorum tabernas. Neque hoc improbamus, modo purus ſit, & iuxta artem Cryſtalli inſtar elaboratus, non ſordidus.

Sal fuſilis.

Lauacrum metallorum.

Sal metallicus.

XLI. Debet *deplumari*: hoc eſt volatilitate exui, quaſi præciſis pennis, ablatiſque plumis auis. *Penna & plumæ quæ*? ſpiritus incluſi glaciei concretæ, calidi, frigidi, humidi, ſicci, fulminei, qui à calore in pugnam exciti corpus ſuum rumpunt, & cum fumo impetuoſo prodeunt. Corpus ſalis non eſt vniforme, & homogeneum ex toto. Debebat quidem vniuoce, dictus ſal terreus ſeparatus eſſe in præparatione, ſed non potuit totus tolli. Manet itaq; cum Sulphurea fuſibili parte, & ſic ei coniungitur vt homogeniã conſequatur, fiatq; totũ corpus fuſile: vnde *Sal fuſilis* dicitur. Penetrat acumine liquoris, reſoluit, ſeparat heterogenea, & purificat, vt ſit *lauacrum quoddam minerale venarũ metallicarũ*, & ſemimetallorũ, imo & metallorum ipſorum, ꝙ ſciunt & aurifabri & probatores, ſeu examinatores metallici, eſtq; materia aquæ ſoluentis, cauſticæque, quanquã & ſpiritu liquoris formã habente in vſum veniat, & iure optimo debeat Mercurii ſublimati pars eſſe, cũ ſit *Sal metallicus*, & ex venis, ipſisq; metallis reſolutis poſſit extrahi, *Num autem omnes plumæ ei detrahuntur*? Eſt aliqua latitudo præparationis. Si ſic figitur, vt nihil niſi ſal terreus eſſe appareat, nec aliud ſapiat quam ſal

com-

communis, artis metá exceſſa eſt. Debet enim in igni fluere, & aliquos ſpiritus ſecum habere, quorum beneficio viuere dicitur & animatus eſſe: Imo adhuc inflammatilis eſt in vſu medico, nec omnes frigidos ſpiritus perdidit, vt videre eſt in *lapide prunellæ vulgari*, febribus, ſitique hydropicorum, & ardori linguæ accommodato.

XLII. *Plumas pennasque detrabit?* In prima editione hoc munus aſſcribebatur *vaccis citrinis*, non ſine ridiculo errato. Correxit autor, & *vaccas mutauit in calonem, ſeu ſeruum culinarium, quem veſtit flauo*, æque ridicule & ſtulte. Galenicis exprobrat *Henningus* delicatulas manus, & munditiem muliebrem, tanquam quos puderet manus in carbones immittere, easque atrare. At quam mundulus eſt *ille calo, qui flauo veſtitus* in culina ſeruit? Irridete philoſophum iſtum calones, permingite eum caculæ. *Calones non flauent veſte*, ſed ſordidati ſunt, & pullati. Stultorũ, & morionum eſt potius ille habitus. Delirat & *magiſter cabaliſticus, ſeu parabolicus*. Sulphur volebat ſymbolice deſcribere. Id damnat ad ſeruitia culinaria improuide. Quo vtuntur culinæ, eo non hermetici. Nam purum ſulphur adhibent, idque ſæpe per ſublimationem à fecibus impuris ſegregatum. Culinis addicta ſunt fila ſulphurata. Quod nomen iſti caloni? *Cribrit?* ſic ſcriptum eſt apud *Matthiolum*, ſed vitioſe, vt infra patebit. Scribitur & *Kybur*: melius *Chuphar*, vel *Caphur*: pix, bitumen, Camphora; quæ ſunt ſpecies ſulphuris ſymbolici apud myſticos philoſophos, à liniendo, & operiendo dictæ. Cognatum eſt *Gopher* & *Gopurith*, pinus, abies, tæda, ſulphur. Sed de his ſuo loco, valde culinarium, & anile eſt in culinas detrudere id minerale, quod arcanorum profeſſores *patrem metallorum*, quanquam affectum haud vulgariter, & Paracelſici *principium mixtorum* vocant.

Vaccæ citrinæ flauus calo.

Sulphuris Cabala non bene cabaliſtica.

XLIII. *Ille Calo ſulphureus debet halcedinem bene aſſare*: hoc eſt: halinitrum per ſulphur coqui, reuerberari, fulminari, figi. Quæ aſſantur humiditate cruda ſpoliantur, natiua intus cumulata, ꝙ externus calor ſiccus concluſis poris fugam intercipiat. Ita aſſari debet halinitrum vt internam humiditatem, quæ eſt hypoſtatica, & eſſentialis ſeruet, crudam, frigidã, mercurialem, & aquoſam amittat. Aduretur ſi & radicalis, ſulphurea, vnctuoſaque diſſipabitur. Ille calo ergo citrinus nõ nulla debet eſſe induſtria. Signum eſſe aiunt *ſi pelluceat, pureque fundatur*: Imo *ſi ad candelæ ignẽ fluat inſtar ceræ*. Hæc melior eſt elaboratio, & conſeruat humidum radicale. Fit ſublimando, vel deſtillando, fixa parte inſidente fundo ſpiritibus volaticis mercurialibus ſurſum contendentibus, ibiq; conſiſtentibus ſpecie ſicca, vel humida aquoſa, quæ ſegregatur. Hac de re *Quercetanus* ſæpe diſſerit in materia priſcæ medicinæ, & defenſione. *Henningus* ſi peſte affectis voluiſſet probius conſulere, non *lapidem prunellæ* commendare debuiſſet, & ridiculum quid de *calone flauo* cõminiſci, ſed *artificioſiorem fixionem proponere*. Debet *intus, foriſque bene aſſari* inquit. At iſtud bene non perficiet *Calo* tuus: Debet totus figi. Si ita auem aſſaret coquus, & medico apponeret, indignis modis exciperetur. Nã internam humiditatem perderet. *Artis eſt terminum ponere fixioni medicæ, qui non debet eſſe extrema.* Quæritur ex te *Scheunemanne*, quidnam deplumatur, aſſaturque, *Halinitrum, an ſulphur, an vtrumq; mutuo?* Quid manet in fixione, num ſulphur quoque an ſolum halinitrum? Si ſulphur tantum eſt miniſteriale, ita vt aſſer inſtar *ſerui culinarii*, non intrabit. Serui enim non irrepunt in aues quas aſſant, ſed externum miniſterium tantum præſtant. Deinde quid agit? *Seruusne an ignis quo ſeruus flagrat ſimul cum ſua aue?* Quid ſi ita fieret ac cum duo ſpiritus cauſtici, vel regia & liquor tartari confunduntur, ita vt ignis externus non præſtet quicquam aliud niſi fluxum cum violento incendio? ſi hoc eſt, *abi ad coruos cum tua Cabala ſtulta*. Cum ſulphur vulgare inceditur, aut etiam ſoluitur oleo, ſemper aliquid ſecum reſiduum eſt. Si adhibes calonem culinarium, quo feces ſeponit? Sed de his infra exactius.

Melior halinitri præparatio.

Ecquid deplumatur in culina Scheunemani?

Miraaſſatio. Baſilius. ſpir. vini & aq. cauſtica. Solutio martis, & Ol. Tartari.

XLIV. *Præparatus ſic puluiſculus*, quanquam ſine manuali tritione non fiat puluis, neq; opus ſit terere, cum ſal liqueſcat aquis, iubetur coniungi *liquoris diuretici bona quantitati*, & ſumi pro ſiti *ad ſatietatem*, hoc fine vt reliquiæ per vrinam euehantur. Iam autem *vrina* nihil eſt aliud quam *ſanguinis arterialis, & venalis colamentum*, quod obiter ſecum vehit ramenta, & quæ alia natura ſeparare ſolet ſiue ex membris principalibus deriuata, ſiue in viis hærentia. Conſequens eſt peſtis iſtius vel eſſentiam in putredine venenata totius corporis eſſe, cũ ex chylo, excrementis alui habitu corporis & vaſis ſanguinis per ſerum debeat exigi, vel effectum ſepticum habuiſſe, quo contenta ſint corrupta, ſeu totaliter, ſeu partialiter. Galenici id intelligunt de *ichoribus putridis*. Ichores autem qui ſint, *Ariſtoteles* docebat, ad quem remittimus *Scheunemanni* calones: ſymbolici medici ſua hic habent commenta, & in vrinis ſales, ſulphura, mercurios, aliasque res quærunt, quas hic oportet arſenicales, & mercuriales putridas eſſe. Relinquantur ſuis paraboliſmis incertis. *Sal nitroſus* alias per ſeceſſum mouet, & renes. Si itaque liquor diureticus ei iungatur, non dubitamus quin poſſit ſanguinem per vrinas purificare. Illud ſaltem *culinam olet quod ad ſatietatem in bona quantitate bibi* mandetur. Qui cauſo, aut alia febre peſtilente putrida correpti ſunt tanto plus bibent quanto amplius ſitient, *Noſter ſenex* bene monet: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Non abutendũ eſt licentia. Hactenus ἐπίκρισις, quantum eſt viſum. Nam ſi omnia ad exquiſitam trutinam eſſent reuocanda, medicus ille omnino in culinam intruderetur, niſi mallet culeum.

Vrina.

Capvt X.

Galenica Hippocratica peſtilentis febris putridæ curatio.

DEmus *Henningo aerem cœlitus infectum* eſſe & principium ſepticum communicaſſe *alimentis*, ita vt inde *chylus* euaſerit peſtilens, *excrementa* alui venenata putredine corrupta *ichores* in venis & arteriis virulenti, inque habitu corporis item inquinati *humores*: In omnibus vt & in cordis

Data hypothetica.

ſpiritibus

ſpiritibus, & humoribus cauſus venenatus & malignus. Si euaſurus eſt talis patiens, *Deo ſingulariter benigno vtitur.* Galenicus medicus in principio vocatus, admiſſusque *agentem cauſam*, quæ vitæ principio, calori natiuo vitali, ſpiritibus vitalibus, & humido primigenio, abſque mora *ſtatim iugulabit.* Qua re vero? Non certe mineralibus, quæ plus habent hyperbolicarum decantationum, quam veritatis, & vtilitatis. *Bezoar animale*, ſi certum adſit, non improbamus. Indica illa magnifica ex *Rhinocerote, vnicornu* & ſimilibus non faciunt ad populum. Sit præſto *cornu cerui* iuſti temporis, eiuſdemque *Bezoar humidum* in oculorum cantho. Sint *ſanguines anatum, ciconiarum, ceruorum* & ſimiliũ, quæque alia ex animalibus capi poſſunt. In vegetabilibus experientia probauit *Angelicam, ſuccifam* & quam multa, variaque? *Caphuram, Citrium, Limonium, Acetum rutaceum* & ſimilia commendabimus. Nec mineralia contemnemus, *vt terras ſigillatas, Ebur foſſile*, & ſimilia. Eſt in *halinitro* vis non parua. *Serpentum, viperarumque* pulueres, *Drakenam, contrayeruam,* & omnino alia multa (nam breues eſſe laboramus) ſuo in loco relinquimus. Animare puſillanimes poſt Eccleſiaſtica auxilia licet etiam fictis *pentaculis, & amuletis.* Non repudiamus magnetica, nec *Carauitæ oleum*, & ſimilia externa. Illud ſtudet dogmaticus Galenicus vt *ſeminarium principiumque peſtis, & contagii tollat*, ſiue in ſpiritu ſit, vbi ſpirituoſa conferunt: ſiue in humoribus, ſiue ſolidis membris. Attendit & qualitates primas, ſecundasque quibus viget principium peſtiferum. Dat ſtatim *alexipharmacum*: Exempli gratia: *Ruta, caphura, viperinus puluis ex carne, corde, epate* viperarum, *acetum Theriacale*, in medicinam cogantur. Potus alteretur citriis, halinitro, vitrioli, ſulph. ſpiritibus. *Cibus* ſit acidus, iſq; oppoſitus peſtilenti principio, calori, putredini, vt iuſcula cũ citriis & allio &c. addantur pro refectione virium Tabulæ *Diacitri*, & ſimiles. Omnino peſtilens principium ſic internis expugnetur, vt ſimul natura roboretur. Qui ſudare poteſt, balano prius aluo ſubducta, ſudet vti decet. Foris accommodentur attrahentia illa, quæ & *Paracelſus* commendat. Ponantur ſub axillis, ad præcordia, & alia loca. Conueniunt maxime *veſicatoria*: vt *ranunculus, flammula* &c. Item *Phœnigmi* ex allio, cepa, ſinapi, fermento, aceto rutaceo &c. Veneno interemto, aut ſegregato dentur vomitoria, & cathartica ſi cacochymia animaduertitur: Et ducatur quo vergit natura. Sint hic metallica, ex croco metallorum, vitro antimonii, argento viuo, vitriolo, & ſimilibus in ſuo honore. Vſus oſtendet virum. Nos quibus non ſordent Galenica fortaſſe præſcribemus talem puluerem, qui capit *Cardu. b. ℥ ii. fl. centaurei minoris: radic: aſar. an. ℥ i. nitri puriſſimi* ℈ ii. Miſce: fiãt doſes quatuor ſumẽdæ ex *oxymel. ſcil. diluto aqua Cardui benedicti*: vel: *℞. aq. Carduib. trientem, ſucci citri ſextantem*: Miſce: ſi opus erit purgatione vberiore, non deerit nobis *Cremor tartari cum infuſo Rhabarbari & Carduibenedicti in aq. End. aut ſero lactis*, quin & vino. Abundamus autem talibus, ſimul attendentes ne dum purgamus valide, naturam veneno debilitatam opprimamus. Notamus circumſtantias, *Rulando* in fortibus ruſticis permittimus ſuas *aquas benedictas.* Interim ab alterantibus arcanis, & reficientibus non diſcedimus. Si *hydrotica* requiruntur præter ea, quæ in principio ſunt adhibita, dantur adhuc alia, vt *ex aqua Bezoardica extractum rutæ domeſticæ*: vel *acetum Theriacale*: *aqua Theriacalis* & ſimilia cum *citri ſucco & ſalibus Theriacalibus.* Si opus tandem ſit *diureſi, oxymeli ſcilliticum cum halinitro puro ex aq. raphani, halicacabi, petroſelini*, & ſimilibus, vel etiam *cremorem tartari cum vino fragorum, & Geniſtæ: aut ſpir. vitrioli, vel ſulphuris cum ononidis, cicerumq; decocto* & alia propinabimus. Omnino vires medicas vertemus in *extinctionem principii venenati, depulſionem corruptorum, & naturæ robur defenſionemque.* Non eſt opus aurum in argentum viuum laborioſe ſumptuoſeque diſſoluere: non opus Tarbaſonem ex Vtopia Paracelſicorum adſciſcere: nec Venerem præcipitare ex cœlo vt Martem & Saturnum microcoſmicum placet. Stultum & delirum eſt iſtis occupari, cum meliora, compendioſioraque ſint ad manum, eaque fuſe deſcripta plurium excellentium Medicorum commentariis, vernaculis, latinis, nec obſeruatum ſit Paracelſiſtas iſtos ſuis mineralibus Bezoardicis laudem maiorẽ, niſi forte ex funeribus, aut forte fortuna per *vitrum ſtibii, & crocum metallorum*, qui parum à vitro differt, in his qui cacochymia laborant, conſecutos eſſe, quam Galenicos ex vegetalibus, animalibus, & terris ſigillatis, ſalibusque theriacalibus. Nos tamen vt conuiuis multum diuerſi palati etiam illa, ſi conuenire iudicauerimus, permittemus. Et ſi ita libet longe melius præſeruabimus à peſte cacochymica homines purgatione per *aquilam catharticam exaltatam*, quam ſolis mercurio, quibus tamen ſimul Diætæ leges præſcribemus iuxta res conſeruandæ valetudini dicatas, non tractantes vt porci Paracelſici, ægrotos pleno ventre, ſed abſtinenter, & prouide, modo ſe morigeros, quod rariſſimum, præbere velint. De venæ ſectione non eſt vt diſputemus in morbis ab intemperie, & infectione. Eſt vt poſſit adhiberi, eſt vt non debeat. Si aluus ſit balano ſolicitanda, aut clyſtere, intrudatur ſane nodus metallicus filo annexus, aut infuſum antimonii vitrificati. At ſunt & vegetabilia eius finis non pauca, chymica, non chymica: Quoniam autem ſymptomata ſæpe ad ſe trahunt ſolicitudinem medici, hic quoque qui peritus eſt, & prudens non feret vltimas. Itaque & per emunctoria, & apoſtemata nouerit virus extrahere buffonibus & aliis. Henningus quoque in ſua breui informatione quam eſt diligens? Nimirum cum Galenicus eſſet, bonus erat medicus, poſtquam in culinam Paracelſi irrepſit, totus eſt corruptus. Nobis non opus eſt diſcere à *Monantha ſtultitia.* Domi naſcuntur, quibus DEI benignitate vti poſſumus. DEVM autem, pie monemus, publice priuatimque placandum eſſe ſacrificiis cordium, & labiorum, & vſurpanda ea quæ præſcribuntur ab Eccleſiæ miniſtris. Tunc alacer accedet medicus corporis, qui ſeipſum quoque cum ſuo chirurgo & miniſtris clinicis non negliget. Hæc ſaltem attingere voluimus, cum copioſe ſint pluribus libris in publicum ab aliis data.

Mineralia Paracelſiſtarum improba.

Vomitiuum.

Drakena contrayerva

CAP.

Caput XI.

Epiſtola Henningi Scheunemanni de iudicio ſuæ ſphingis in ſyntagmate Chymico.

Excellentiſſimo, ac Doctiſſimo viro, Dom. Andreæ Libauio Med. Doctori, nec non Gymnaſii Coburgenſis Directori vigilantiſſimo, amico ſuo plurimum colendo. Subſcriptio: Tuæ excellentiæ addictiſſimus Henning Scheuneman Medicus. *Bona fide ad autographum.*

Corpus Epiſtolæ.

S. Cum Apocalypſis tua hermetica, vir clariſſime, ad manus meas perueniret, incidi in ænigmaticam peſtis curam, quam nomine cuiuſdam Paracelſiſtæ recenſes fol. 266. Agnoui ſtatim ex edito meo tractatulo Germanico idiomate promulgato translatam eſſe. Quia vero iſtum obiter ſaltem legiſti, ſi legeris, conſultum fore arbitrabar vt hac de re ad te ſcriberem. Velim autem vt exiſtimes me tua interpretatione nequaquam offenſum, quocunque animo à te ſit exarata. Quiſque ſuum figit clauum, clauumque clauo pellere licet: Sed rectius Poeta:

——————— Didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores nec ſinit eſſe feros.

Non is ſum, doctiſſime Libaui, qui experimenta mea, qualiacunque ſint, occultare velim. Si præfatiunculam legiſſes, aliter forſan de me iudicaſſes. Nouit hoc amicus meus *Iohannes Hartmannus*, *Wilhelmus Budæus Halberſtadenſis* Phyſicus, *Adamus Bruxinus* Medicus Anhaldinus, *Iohannes Faber* S. Pontificis *batanicus*, & alii multi, qui mecum ſua ſtudia communicant. Cum *Quercetano*, *Penoto*, *Rulando*, dum in viuis erant conferebam. Tuam amicitiam non auſus fui expetere, cum *Paracelſi* nomen tibi ſit odioſum, nec hactenus chymicorum vllus A Te Intactvs abierit. Vnde mihi priuilegium vt non contemnar? Quod tractatum meum non legeris vel inde auguror cum dicas: Quisquis ille fuerit, ſi latere ſua velit, lateant: quaſi vero tractatus ille ab anonymo fuiſſet editus, vel *filo Adriadnæo* conſutus, vel petenti quicquam denegaſſem. *Amici Scheunemanni.*

Primus næuus eſt me primum puluerem *Arthemiſiam* vocaſſe. Senſus meorum verborum eſt iſte. *Peſte infectus confeſtim ab Arthemiſia coram Venere, ſub viridi tentorio niuea tunica induta latitante opem imploret.* *Alter næuus* meus erit, quod *Larbaſon* Plinii *Tarbaſonem* vocauerim, idque iuxta opinionem tuam eueniſſe credis, quod Paracelſici non legerint Plinium. Qui excidit tibi vox iſta? Si deprauate ex *Plinio*, vt ais, transſcripta ſit, fieri non poteſt, quin Paracelſici *Plinium* legerint. An vero cuncta in Plinio *manantia vlcera* cicatrice obducta ſanata ſint, quæri poſſet. Fertilior fuiſſet diuinatio tua, ſi addidiſſes *Antimonium ab effectu, quē in PORCIS exercet, recte dictum à Plinio Larbaſon.* Nam Monachus tuus Baſilius affirmat ſues cito ſaginari dato prius crudo antimonio, ita vt *Lardi BASIS ſit antimonium*: vnde Larbaſon, larinæ ſues, petalides. Paracelſici antimonium Tarbaſonem vocant à nomine τάρβος ab effectu ſcilicet, quem in corporibus humanis exerit. Quid ſi deriuetur à particula, τὰρ & βάσις? vt interroganti τὶς τὰρ ἐςι βάσις τῆς ἰατρικῆς? Interrogatum ſibi ipſi reſpondeat τάρβασον. Si tibi minus *Cabala* placeat, non male dixeris à particula βάσανον Tarbaſonem deriuari expungendo per eliſionem an dicitur βάσον, cui præponitur particula, ταρ, vnde Tarbaſon, quo ſignificatur id cum quadam affirmatione quod experimento comprobatum eſt, βάσανος experimētum, probationem, examen ſignificat. Plato de legibus ἀλειτὴς ἡ βάσανος, & Eraſmus (Lexicon nō recte eſt inſpectum citatur ex Platone) βάσανον λαμβάνω quod eſt probo. Hoc eſt illud monſtrum quo Rogerus Baco Angelus delectatur in tractatu de ol. Antimon. Tua, docte Libaui, ſi in antiqua arte nouis & fictis nominibus ludendum, non contemnenda eſt nominis latio. Qui antimonium *Turbaſonem* vocitas, forſan ideo, quia aſſumtum morborum baſin turbat, & deturbat. Verba pro verbis dare vnicuique facile, facilius quoque *deprehendere*, vtilia inuenire, rite medicamenta præparare, præparata recte adminiſtrare ſatis arduum. *Næuus I.* *II.* *Ohe Græcè:*

Tertius næuus eſt *Halcyon volatilis de citrinis vaccis iunior Cribtit deplumatus &c.* Forſan pro Küchein jung legiſti Kühe. Senſus hic eſt. Halcyon volatilis à famulo *culinario glauco* nomine Cribtit deplumatus &c. Globulum meum mineralem loco ſuppoſitorii amicus tuus irrideat, quantum velit, & poteſt. Pari iure globulus tuus eadem adhuc pagina ex croco metallorum paratus irridendus, ſi non ex Quercetano eſſet transſcriptus, hic tibi moſchum & ambram olet, meus fœtet, quia idem dictum non idem valet à quouis dictum. *Næuus III.* *Glaucus pro flauo:*

Globulus meus non ex metallo conflatur, nec voco eum metallicum ſicut mihi imponis. An metallicum & minerale ſynonima ſumo. Nihil profecto tam ſancte dictum, quod non ſiniſtre interpretari poſſit. Interim adhuc in viuis ſunt, qui vſu medicamentorum meorum à peſte liberati " famam meam defendunt, extra polum antarcticum non habito, hic Aſcaniæ in Saxonia praxim " medicam exerceo, qui ante paucos annos Bambergæ Deo benedicente ſat multos hydropicos, " phtiſicos lue venerea per balneatores infectos ab amico tuo D. Sigiſmundo Suitzero, & à reliquis " tunc temporis collegis meis, Galenicæ ſolum ſectæ addictis incurabiles iudicatos curaui. Inquire " Docte Libaui in mores & vitam meam, reum iſtius labis, quam mihi inurere præſumis, nunquam " inuenies, viros doctos perpetuo veneror, cum agyrtis mihi nihil commune. "

Qui cunctis placeat fœmina nulla parit.

Vale hermeticæ diſciplinæ decus, & ſi quid in cæteris meis ſcriptis occurrat, quod tibi ſcrupulũ faciat, rogo vt amice prius admoneas antequam publici iuris non recte percepta facias, ſic fiet vt nec ego ad reſpondendum compellar, nec candidus lector falſis hypotheſibus circumducatur. Iterum vale & quid de tua amicitia ſperare debeam paucis ſignifica. Aſcaniæ 26. Iunii an. 1613.

T. Excell.

addictiſſ.

Henning Scheuneman.

Redditæ 31. Iulii 1613.

Capvt XII.

Reſponſoria.

Notabis reſponſum eſſe acrius quod diceretur Scheunemanus cum quibusdam aduerſariis meis conſpiraſſe, vt patebit ex Epiſtola eius ſecunda.

Literæ iſtæ commiſeratione, aut exploſione potius, quam reſponſione dignæ erant: adeo ſunt partim fœdæ, partim ridiculæ, & ineptæ, Priſciano aliquot colaphos infligentes, & turpiter garrientes de nonnullis, quomodo ſolent hi, qui peccata per ſe indecora pallio pollutiore, fœdioreque inuoluere, & velare ſtudent. Erat tamen ſpes reductionis in viam. Videbatur ab humanitate alienum, ſalutantem non reſalutare, præſertim cum id poſtularetur. Durius quædam, & liberius proferebantur. Liberalem reſponſionem & ingenuam (neque enim adulari noſtrum eſt, & palpo ſuaui quempiam præter veritatem demulcere) locum inuenturam arbitrabamur. Reſcripſimus ergo in hunc modum, quem alicubi deficientem ſtudioſorum cauſa expleuimus:

Andreas Libauius M. D. Henningo Scheunemanno medico apud Aſcanienſes S.

Epiſtola reſponſoria aucta.

QVAS ad me, Henninge, 26. Iunii ſcripſiſti literas, pridie calend. Auguſti Bamberga accepi. Intellexi ad manus tuas perueniſſe libellum meum titulo *apocalypſeos hermeticæ*, eo quod arcanorum quorundam in hermetica diſciplina, à Myſticis ſeu Parabolicis magiſtris, myſteriorum naturæ, & medicinæ ſuo quodam modo profeſſoribus, editorum explicationem, & interpretationem, *quæ ob difficultatem non raro ſaltem eſt diuinatoria, & coniecturalis*; promitteret, publicatum. Legiſti in eo myſterium peſtis curandæ, hermeticorum more ſymbolice deſcriptum, à me vero petentibus ſic amicis, quibus dicendum erat, ſi non τὸ ἀυταληθὲς, attamen veriſimile, & quid in præſens videretur, iuxta Philoſophum 2. de cœlo text. 34. (*certiores neceſſitates quando quis fuerit aſſecutus, tunc gratiam habere oportet inuenientibus, nec iuſtum eſt ſimiliter omnes increpare &c.*) coniecturaliter expoſitũ, quod facile indicant verba προθεραπευτικά: *Nos quidem Daui ſumus non Oedipi &c.* Id tibi autori aſſcribis, qui in germanico quodam tractatu de præſente tunc peſte *per Dei gratiam tribus puluiſculis chymica arte præparatis & aſtraliter elaboratis curanda*, medicamentum iſtud myſticum propoſueris. Iudicas conſultum vt de eo ad me ſcribas, id quod ſic ſatis modeſte, citraque obiurgationem & importunitatem, at non ſine aculeis ironicis, facis, quam ob cauſam etiam commendandam ingenuitatem tuam puto. Noſti enim quo furore in me inſaniuerint *Michelius Aſſyluanus, Palmarius, Riolanus, Gramanus* quorum tu es diſſimilimus, licet in aliquibus à me diſſentias, procul dubio exiſtimans id quod res eſt, *amicitiam eſſe in affectuum ſecundum iuſtitiam & veritatem, non autem opinionum conſenſu*: χάρις χάριν τίκτει, inquiunt Græci. Beneuolentiam itaque tuam beneuola reſponſione compenſare annitar, in quo ſi quid liberius dictum occurrerit, memineris rem ipſam ſic exigere, oportereque παῤῥησία citra adulatorium ſchema Philoſophiam tractari, vt ſolent οἱ φύσει φιλόσοφοι, vt eos appellat Ariſt. in 1. de part. an. 5. Peto vero à doctis veniam mihi dari, dum tibi reſpondeo, *qui tam es rudis in literis tuis*, vt, qui legent, omnes dicturi videantur *te eſſe* ἀναλφάβητον, qui indignus ſis cum quo vocabulũ permutetur, quod apparet dum ſcribis τῆς ἰατρικῆς, ἀλήτης, Batonicus, Atthemiſia Rogerus Baco, Glaucus gelb/ fætet, ſynonima &c. Eraſmo tribus, quod in lexico citatum eſt ex Platone, ne lexicum quidem intelligens, & circa alia valde pueriliter peccans, licet tibi tantus videaris vt cum Galeno auſis congredi eiusque prolixos canones orco adiudicare. Verũ ad res tuas. Remittam enim tibi Fervlam orthographicam. Primum dubitas legerimne tractatum de peſte ſub tuo nomine anno 1611. diuulgatum. Iam enim legiſſe ſcribis, quanquam obiter, & interdum perperam: iam non legiſſe conicis, quia indefinite dixerim: Quisquis ille eſt autor. Scito, mi Henninge, me legiſſe ſcriptum quod mittebatur ab amicis cum efflagitatione quid ſentirem. Videbam tuum nomen, *Henningum* ſcilicet *Scheunemannum* breuem tractatum de graſſante tunc peſte deſcripſiſſe, dedicaſſe, elaboraſſe: ſed *puluerum autorem non videbam*. Ita enim cogitabam: Henningus ille ante triennium, cum eſſet medicus epiſcopalis, ſcriptum edidit continens modum curandæ peſtis abſque multo ſumptu per vera experimenta ex fundamentis Philoſophicis pro diuitibus, & pauperibus, in quo omnia ſunt aperte prodita, nihil ſymbolicum, parabolicum, myſticum, & vt ſolent aliqui vocare, paracelſicum. Si enim Hipp. & Galenus reuiuiſcerent, nihil à ſuis principiis alienum inuenirent, omniaque probarent. At Henningus alter adeo differt ab illo Hippocratico, & Galenico, vt totus ſit Paracelſicus, contemnatque Theriacam, Mithridatium (tanquam alter Gramanus) & alia alexipharmaca compoſita veteris artis, de quibus dicit *quod viam mortis aperiant, tantum abſit vt depellant, arceantve*: imo vocet *doctrinam veterum errorem noxium, qui ſatis ſit ab Hippocraticis, &*

Nempe in illa Epiſtola: at non in ſequente, in qua vltra modum inſanis.

Excipe mercurium auri ſolis dictum.

ticis, & Hermeticis confutatus, licet adhuc de iſto morbo edantur veterum naniæ, & fabulæ Galenicæ longarum receptarum &c. pro quibus putat commendanda eſſe ſimplicia, & vniuerſale illud Chymicorum ſapientum. Omnino optat vt *prolixi canones Galenicorum, quibus irretiantur ipſi, ad orcum mittantur.* Hæc & ſimilia multa me de tuo nomine incertum reddebant. Et quid eſt tandem, optime Henninge, cur Hippocraticis principiis inſiſtere velis, non autem Galenicis? An non ſunt eadem eiuſdem artis? *Galenus* multa addidit de ſuo, plurima ex vetuſtate repetiuit: At *fundamenta manent eadem, neq; eſt hermeticus vllus ex veteribus, qui diſcedat à Galenicæ artis principiis,* aut alios morbos curet, aliudve ſubiectum habeat. Ita vtuntur iiſdem medicinis animalibus mineralibus, vegetabilibus, diæta, chirurgia, licet aliqua circa accidentia varient. Sed de hac alibi? Baſilius monachus paulo plus centum ab hinc annis primus ſæuiit in medicos fiducia ſui antimonii, & trium principiorum chymicorum, cuius animam in Paracelſum irrepſiſſe putes iuxta opinionem Pythagoricorum, & Herodianorum. Paracelſicum autem dum prætefers, quid tibi ex hoc titulo compendii? Tune ignoras *ignominioſum eſſe iſtud vocabulum, & infame adeo, vt vix ſit ingenuus aliquis, qui ſuſtineat ſe Paracelſiſtam dici,* licet ſit hermeticus profeſſor? Cogita hac de re amplius. Hæc vna cauſa eſt cur de autore pulverum iſtorum ambegerim. Alia eſt quod videbam te nihil noui afferre, aut polliceri, quia ſcribis *vix poſſe quid dici, quod non ante ſit reuelatum ab Hermeticis, & Hippocraticis, ex quorum ſcriptis tu tua ſumſeris, & didiceris, impenſisque ſumtibus laborando compereris, & vſum probum inueneris:* quanquam iſtud particulare etiam tuum eſſe dicas, quod *Momus, incarnatus* ſcilicet tuo iudicio *Diabolus, velit ſibi manifeſtari, vt iudicari poſſit, quod tu neutiquam facias &c.* Si primus puluis eſt, vt coniicio, *ex Mercurio Veneris,* ſecundus *ex ſtibio,* tertius *ex halinitro per ſulphur præparato,* tu non es autor, ſed occultator tantum, qui ſi vis tua neſciri, quis te coget reuelare? Ecce etiam nunc te transformas in alia rerum miracula & impreſſa tua verba mutas verſutia paracelſica. Quid de te ſynceri ſit ſperandum? Tertia eſt quod ſcribis intelligentibus, & chymicæ artis peritis particulare tuum iam eſſe notum: *Momum* ſaltem non intelligere modum ſermonis, & tædere manum carbonibus polluere, & quæ alia multa iracunde congeris. Quartam pono, quod tuo nomini pepercerim, voluerimque potius indefinite dicere: *Quicunque ſit autor &c.* quam definite, quia mea expoſitio erat tantum coniecturalis, nec conſtabat, aſſecutus ne eſſem mentem tuam, an non. His perpenſis excuſatum me habebis de nō appoſito tuo nomine. Quod ſi indigne fers à me repoſitum eſſe particulare iſtud, memineris *id non amplius tui iuris eſſe.* In publicum enim emiſiſti. Si noluiſti iudicari, cur publicaſti? Inſtituta mihi erat, apocalypſis hermetica. Ad eam referri poterat & tuum iſtud, quod videbatur minerale, & metallicum eſſe, conſtateque ex Venere partim, partim antimonio, partim mercurio (ſulphure debebam, & halinitro ſcribere) Anſam volebam dare cæteris de medicina iſta plenius, exactiusq; cogitandi, & ſimul prouocare autorem ad liberalem reuelationem, quod ante hac feceram etiā in Rulandinis, Quercetanæis, & aliis multis defunctorum, aut viuentium, & ſane cum ex his aliqui legiſſent meas coniecturas, nunquam indigne tulerunt. Quod ſi omnino aberraui à tua mente, tamen adhuc verum eſt ex venere, mercurio, & Laibaſo poſſe confici contra peſtem medicinas egregias, quales tu in primo ſcripto docebas fieri ex mercurio ſolis, & antimonio ad peſtilentem putredinem expurgandam. Negas te eſſe eum, qui tua medicamenta velis occultare. At quid aliud facis, & profiteris in dedicatione tua? Quid aliud in argentea hygia? Quid in peſte mercuriali? Si præfatiunculam legiſſes, inquis, aliter de me iudicaſſes. Ego vero legi, ſed nihil SANI in ea inueni. Quantum enim inſanis in Galenicos, & galenica? Qui exigit à te rationem medicaminis, *Momus* vocatur, & *Incarnatus Diabolus.* Negas naturalia remedia tollere luem peſtilentis morbi, idque putas ab *Hippocrate* dictum. Noli errare. *Pati* eſt, *non Hippocratis,* qui ſuo quodam modo vulgaria auxilia per Diætam, aut ſolam naturam effecta vocauit *naturalia,* quaſi Hippocrates, cui tribuitur ſanatio peſtis, præternaturalibus ſit vſus, aut etiam tua ſint ſupra & extra naturam. Arte vtebatur Hippocrates in ſanando. Populus naturæ ſoli & Diætæ inhiabat. Hæc quoque Hippocratica ſunt, ſed artis auxilio perite adhibenda, tractandave. Verum nolo in iſtam tuam præfationem inquirere, quam conſultius ſuppreſſiſſes, quam vulgaſſes. Pergis in literis, te non auſum fuiſſe meam amicitiam expetere, cum nomen *Paracelſi* mihi ſit odioſum, hoc eſt, inuiſum. Audiueram de te, eratque rumor pene publicus velle contra meam Alchymiam ſcribere. Expectabam ſcilicet euentum. Si id feciſſes, quo modo meam amicitiam expetiuiſſes appatuiſſet. Non repudio amicos, μυσῶν θύραι ἄφθονοι. Ad me acceſſus pater omnibus bonis. Paracelſiſtas quomodo, & qua de cauſa auerſer, ſi ex meis ſcriptis non cognouiſti, ſignifico tibi id fieri *non propter nomen ſed furias & inſaniam in medicos, & medicinam veterem:* Item *impoſturam, mendacia, vaniſſimamque ſcientiæ iactantiam,* quibus virtutibus ſuis iam toti mūdo ſe illuſtres effecerunt, adeo vt maxime mirer, quid tibi, viro docto & ingenuo (vt viſus es) in mentem venerit Paracelſi nomine innoteſcere. Scribis hoc quoque: *Hactenus Chymicorum nullus à te intactus abiit. Vnde ergo mihi priuilegium, vt non contemnar?*

Paracelſica ſepiæ deprehenſæ, fugiunt in atramentum ſuum.

Citium oleum ex pumice.

Nembt deß Vngeriſchē Golds/ ꝛc. oder nembt Spießglaß mit Salpeter wol calcinirt/mit dem beſten VitriolOel ertrenckt/ zu Pulver gerieben/ꝛc. *Et paulo poſt:* Der weiſſen bereiten Spießglaß blümlein: Vitriol Oel/ ꝛc.

Item ad anginam Salpetra ſolutus cū ſulphure.

Anno 1608. Paracelſica Henningi Scheunemanni &c.

(In te hoc ſitum fuerat, ſi bonus fuiſſes)

Mi Henninge, quid quæſo cogitabas cū hæc ſcriberes? Vocas me hermeticæ diſciplinæ DECVS. Gratias tibi habeo pro honorifico iudicio: Verum prius tibi facile poterit excutere lectio autorū, quos Alchemiæ præmiſi, & libellorum, quibus artem chymicam cum chymicis veris defendi. Lege ſaltem Antiriolana in commentariis chymicis, & Alchymiæ triumpho. Si tibi chymici ſunt, Aſſyluanus, Gramanus, Michelius, Palmarius, hoſtes illi mei, facile patior illos à me tactos eſſe, quantum ad errores attinet. Vſus ſum autem etiam libertate mea in alios, qui mihi ſunt amiciſſimi, poſſumq; viciſſim ferre, vt mecum agatur eodē modo. Non perdit hoc, ſed conciliat firmatq; amicitiam,

An ſoli ſcurræ Paracelſici hermetici ſunt?

am. Ita enim communi veritatis, & iuſtitiæ vinculo obligantur animi, qui conniuendo erroribus aut ſententias ſiniſtre accipiendo (quorum illud adulatorum eſt, hoc calumniatorum) non poſſunt firmiter cohærere. Reprehendis quod ſcripſi: *Quisquis ille ſit &c.* Rationem affers, quia *tractatus ab Anonymo non ſit editus, nec filo Adriadnæo conſutus, nec petenti quicquam denegauerit: &c.* Audiuiſti ante cur ita ſcripſerim, & nomen tuum diſſimulauerim. Itaq; primum argumentũ facile diluitur.

In ſecundo erras. Nam filo Ariadnæo (ita enim debueras, ne Priſcianus à te vapularet) quod ſcribitur, labyrinthum explicat, non implicat. Tertium tua præfatione tollitur. In hac enim negas te manifeſtare. Adde, mihi non fuiſſe, vel deſiderium, vel otium inquirendi tua. Amicorum poſtulatis volebam publice reſpondere, & autorem ſi quis eſſet viuus, ad ingenuam confeſſionem inuitare: (imo furto ſubtracta, & in tenebras ex luce intruſa, luci ſuæ reſtituere) Iam tres næuos in mea recenſione, & coniectura indicas, & à te amouere ſatagis. De his placide inter nos conferamus. Primus næuus eſt, inquis, *me primum puluerem vocaſſe Arthemiſiam.* Non quidem ſcripſi

De tribus næuis.

Te Vocasse: ſed: iſte eſt donum Veneris, & vocatur artemiſia. Verba tua germanica: Mann ſoll durch die Arthemiſiam bey der wunderſchönen Venus vnd er jhrem grünen Zelt gantz ſchneeweiß bekleidet hülffe vnd rath ſuchen/ die gabe vnd geſchenck Veneris das vomitiu pülverlein/ durch Chymiſche kunſt aſtraliſch zugericht ꝛc. Sphalmata graphica omitto. Senſum verba hunc reddunt: auxilium & conſilium eſſe quærendum Per Artemiſiam apud mire pulchram Venerem, donum, & munus Veneris &c. Quærimus auxilium morbis per medicamenta. Tu quæris per artemiſiam. Concluſi: Ergo artemiſia tua eſt medicamentum, quod & puluis vomitiuus dicitur, & donum Veneris, nempe ex Mercurio eius, aut mercuriali fumo, de quo Quercetanus &c. Si per *artemiſiam* voluiſti *inſtrumentum artis*, vel *artem ipſam* Chymicam intelligere, potuiſti ſane, ſed id minus conueniebat myſterio, (Paracelſico, vbi artemiſia & Venus ſunt idem) Iam enim indicaueras qua arte fieret & mox repetebas. Senſum tuum fuiſſe ais: *Peſte infectus confeſtim ab Arthemiſia* (ita & ſcribis, & inprimis aſpirate, cum Græcorum ἄρτεμις, καὶ ἀρτεμισία abſque aſperitate (abſque Theta) notentur. Fors deduxiſti ab ἀρθεὶς, vt ſublimationem reſpiceres. Coram *Venere ſub viridi tentorio niuea tunica induta latitante opem imploret.* Credo tibi tuorum interpreti. Alias fateor me non aſſequi quomodo Germanicum illud, Durch die Arthemiſiam: reddatur latine Ab Artemisia. Aliud enim eſt, Durch/ per: aliud von/ Ab Deinde bey der Venere tu interpretaris Coram. Agnoſco ambiguitatem. Putaueram eum, qui auxilium quærit per aliquem apud aliquem, non coram aliquo quærere. Verum tranſeant iſta. Nondum reuelaſti tuam ſententiam, ſed me in mea coniectura relinquis. (Imo confirmas ſcribens *ab Artemiſia* auxilium petendum eſſe, quod euidentius eſt quam *per Artemiſiam.* Sed tales ſunt ſepiæ Paracelſicæ) Quomodo ergo ſcribis te reuelationem petenti non denegaſſe? Intelligis fortaſſe me nolle ſcire, quod non vis ſciri, & contentum eſſe diuinatione, qua ſi non plane tuum, ſaltem æquiualens aſſequor. Hic eſt næuus primus. Secundus eſt de Tarbasone pro Larbaso. ψευδόγραφον eſſe putabam, vtpote nomen deprauate ex Plinio transſcriptum, modo Paracelſici legant Plinium, alias ſuis monſtroſitatib. gaudentes. Tu erratũ diluere multis conaris, tanta cum ſuauitate, vt mihi iucundum riſum (ne dicas me tibi ſuccenſere) moueris, & adhuc moueas: Imo puto & te riſurũ eſſe tuas (ignoſce παῤῥησιάζοντι) ineptias. Ego non tibi primũ impegi erratũ, ſed Paracelſicis, quanq; in Onomaſtico & libris Paracelſi τὸ Tarbaſon nõ inueniatur. *Aliud eſt Paracelſus, aliud Paracelſici.* Id inueniebã apud Scholiaſten Rogerii de ſtibii oleo, ꝙ inter alia ſtibiũ vocetur etiam *Tarbaſon*, citatq; autor Plinii lib. 33. ca. 6. & Dioſc. lib. 5. c. 98. vel 93 (duplex enim eſt ſcriptura) qui quod non ipſe legerit Plinium, & Dioſcoridẽ hinc conſtat, quia apud vtrumq; latine quidem apud illum, Græce apud hunc extat *Larbaſon* λάρβασον, licet *Matthiolus* in verſione *Ruellii* hoc nomen omiſerit, quod eſt in Græco Aldino. Caput Dioſc. in meo eſt ωογ totius operis,

Egregius interpres: durch die Artem. bey der Venere: ab Artemiſia coram Venere. Ad ſcuticam. Henning. Non u ſum, qui velit ſua occultare. Ecce mendacem. Næuus II. Tarbaſo. Larbaſo.

873. libri vero eius 99. tantum: alias Matthiolo 59. (In *Hermolai* editione 49.) Quo modo numerauerit ille autor, ipſe viderit. Quanti vero *Paracelſus* & Paracelſici æſtiment *Plinium*, ſi tu ignoras, vide prologum *Paracelſi* in lib. de herbis ſub finem Tomi VII. & Tom. III. tract. 1. de peſtilitate, vbi negat *medicinam, & Philoſophiam in Plinio animaduerti &c.* Tu argumentaris: *Si iſta vox deprauate ex Plinio transſcripta eſt, fieri non poteſt, quin Paracelſici Plinium legerunt.* Euge fortiter, Wie wenn ſie hetten hören leutten / aber nicht zuſammen ſchlagen? Quid ſi aliorum ſphalma atripuiſſent? Ego non nego legere *Plinium, modo legerint,* dico quod eſt dubitantis. Tu certe facis vt de te quoque dubitem num ante meam admonitionem inſpexeris eo in loco *Plinium.* Cur? Quia non tantum praue ſcribis, ſed & prauitatem defendis, cui mederi poterat lectio *Plinii.* Omnino *Plinio* erratum impingis: tuam & Paracelſiſtarum tuorum ſcriptionem ſaluare cupis. *Vlcus* vocas *nondum cicatrice obductum apud Plinium*, quaſi male *Larbaſon* poſitum eſſet pro Paracelſico *Tarbaſon.* Perſuaderes, niſi conſtaret proprium *Paracelſi, & Paracelſiſtarum* in *quarto modo eſſe rerum vocabula peruertere,* vt opus ſit *noui onomaſticis, Dornæi, Thurnheuſeri,* fratrum de Ros. cruce & aliorum, quibus tamen & ipſis non omnia monſtra vocum ſunt expugnata. Illud ipſum nomen extat apud *Dioſcoridem,* & ſic legitur ab omnibus Plinii ſtudioſis, nec vllus præter te (*nouum Ariſtarchum*) erratum vocauit. Sed quo argumento *Tarbaſon* eſt legendum, aut quo poteſt defendi *Larbaſon*? Ne quæſo ride. Ego mappa riſum compeſcam. *Baſilius Valentinus monachus affirmat dato prius crudo Antimonio ſues pingueſcere,* hoc eſt *Laridum* accipere, vt *Larbaſon* ſit quaſi *LARDI BASIS.* At, inquam, illa vox tota Græca, vel barbara eſt, non ſemilatina & Græca. Qui vero poteſt id *baſis* vel fundamentum *Laridi* eſſe, ꝙ crudum, & inconcoctile purgandi cauſſa bibitur, ſeu ſuibus infunditur? Num *ſtibium* eſt materia concoctilis, & in adipem porcinum tranſmutabilis? Tota *Saxonia* id ignorat, & tamen *ſuccidias* habet

Plinius Paracelſiſtis contemtus. Proprium Paracelſiſtarum. Larbaſon. Tarbaſon. Lardibaſis.

habet, *præpingues*. Quid de *Græcia* dicam, cuius forte eſt id vocabulum, & quidem antiquius *Dioſcoride*? Vnde vero ille *Monachus*, qui vitam totam in chymicis, & profeſſione ordinis ſui conſumpſit, *ſues didicit ſtibio pingues reddere*, imo non ſues tantum, ſed & alia pecora? Quo quæſo experimento? *Paracelſus* tuus aſtralis, & Paracelſici quid dicent, cum *crudum antimonium*, quod ipſis eſt *venenum*, & nullo modo alimentum, audient *ſaginare porcos*, eſſeque *fundamentum Lardi*? Putasne me *mendaciſſimo & loquaciſſimo monacho, qui non tantum ſuos diſcipulos, ſed & apoſtolos, tanquam* „ *nouus Chriſtus, & Papa compellat*, plus credere, quam his quæ artis potentiæ ſunt ſubiecta? *Omnia* „ *probo, quod bonum eſt teneo.* Non poteſt iſtius Monachi vita vel aliquot ſeculorum par eſſe his, quæ de ſuis ex ſtibio medicinis affirmat. Pag. 142. ita loquitur de ſuibus pinguefaciendis: *Cum paterfamilias pecus ſuum ad ſaginam vult imponere, præſertim ſuillum, ille debet ei diem vnum, vel tres aliquid, attamen non nimium propinare de crudo antimonio, veluti dimidiam drachmam in cibo fruendam, atque ita ipſum purgare. Inde pecora accipiunt non tantum cibi appetitum, ſed & cito creſcunt corpore, & ſi vlla in eis eſt impuritas, ſiue in epate, ſiue aliis locis, ſique grandinoſa fuerint, ſanantur, grandinesque exiccantur.* (Si vis cognoſcere de cura ſuum, præter vulgatem experientiam conſule Sebitii Agriculturam Germanicam lib. 1. cap. 30. Monachus ſues ſuo antimonio nunquam fecit pingues) Purgari etiam aliis poſſunt porci, & grandinibus liberari. Quis per ſtibium id fieri ex veteribus vnquam vel febricitans vidit? Si etiam *Larbaſon* ideo dictum eſt, quia eſt *Baſis Lardi* in ſuibus, Plinius recte ſcripſit *Larbaſon*. Tu vero & tui Paracelſiſtæ male. Tu dum *Galenum, Auicennam, Oribaſium*, & omnes Galeniſtas audes contemnere, quid de te ſentiendum ſit, hoc ipſo aperuiſti? Quo quis eſt ſtultior, eo magis contemnit ſapientes iuxta Prouerb. 26. verſ. 16. Sapientior ſibi ſtultus videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. Vis ſapere mi *Henninge*? γνῶθι σεαυτὸν, κ̀ λαθὲ βιώσας. Hoc eſt optimum conſilium. Si perrexeris ſcribere Paracelſice, fabula vulgi fies. Ego fidus *Echardus* te fideliter moneo. Tale eſt tuum *Larbaſon*, latinæ *ſues*, *Petalides*. Quis hic interpres tam temerarius: *Henningus Scheuneman*, dicent. Sic innoteſces: ſed cum tua infamia. Ne errauerint Paracelſici appellando ſtibium TARBASON, patronum te ſiſtis. Videamus qua arte, & quo ſucceſſu. Commentator Rogerii ait: *Antimonium à Mauritanis vocatur: alii appellant Alabaſtrum, aut Tarbaſon.*

Pag. 149.

Sues ſtibio pinguefacere.

Sebitij Agricultura Germanica. NB.

Iam Tarbaſon etiam eſſe ſtibium contenditur.

(*Baſilius in triumphali:* ab Arabibus in ſua lingua longo tempore, & ab antiquo dictum eſt *Aſinat*: Chaldæi *ſtibium* vocarunt: in latina lingua appellatum fuit *antimonium* vſque in hunc præſentem diem: qui tantum vernaculæ Germanicorum linguæ ſimplici modo ſtuduerunt, pro *vitro ſpiſſo* (Spißglaß) prædicarunt, quia materia iſta ſpiſſa eſt, & tum per ſe, tum per additamenta poteſt conflari in vitrum variorum colorum, qui inſunt antimonio, & ex eo poſſunt fieri) Nulli Paracelſico attribuit appellationem, ſed aliis à Mauritanis. Putemus tamen tuis Paracelſicis nomen arriſiſſe. Quo argumento? Notationis, & coniugationis. Vis enim dictum eſſe à τάρβ☉, *quia effectu in corporibus humanis operetur* τάρβ☉, hoc eſt ſtuporem, metum, tremorem, timorem. Tune ſis hermeticus medicus, & hoc dicas? Num crudum efficit ſtuporem, metum, tremorem? Nolim eo vti, & ne ſuibus quidem purgandis. At de crudo *chymicus per ſe non differit*, vel promittit, nec præcipit. Nam iuxta rectam nominum impoſitionem *Aſtrali*, ſeu chymico medicamento *aſtrale dat nomen.* Si ergo Galenicorum aliquis audiuerit, aut viderit tuam Etymologiam, iuret ſic eſſe, non tantum quia Monachus pag. 97. & alibi merum venenum eſſe affirmat, ſi crudum accipias, verum etiam quia vitrum ex crudo per magiſtrum Vulcanum, vti eum appellat pag. 99. *Baſilius Valentinus*, conflatum talem habet effectum, & ideo ſæpius à *Quercetano*, & aliis multis repudiatum. Negat tamē de eſſentia idem monachus (pag. 98.) *Quercetanus, Rulandus, Dornheuſerus, Crollius Penotus*, & alii. Crudum in vſus internos vix ſemel legitur adhibitum apud *Dioſcoridem*. Quid tu ipſe? Si in peſtis ſanatione ſis ſtuporem vel illaturus, vel relaturus, nolis medicamentum. Nam ſtupor opponitur ſentiendi energiæ expeditæ. Tollit ergo vim ſenſuum, præſertimque tactus, & conſequenter mentis quoque facultatem ligat, faciens attonitos, & inſenſatos. (Exemplo eſt *opium, Maslac, Hyoſcyamus, Datula &c.*) Mittamus & hoc ad Cynoſarges. Quid præterea deſpumas? *Quid ſi deriuetur, inquis, à particula* τὰρ & βάσις? Ignoſce meæ ſimplicitati, *optime Henninge.* Ioco dicam. Tua deriuatio ridetur à Grammaticis & Logicis. *Si ex* τὰρ *&* βάσις *fit Tarbaſon, per compoſitionem fit, non per deriuationē.* 1. Deinde τὰρ nulla eſt vox neq; latina, neq; græca licet in lexico extet.

Baſilius Valentinus hic exagitatur. q.

Nota vanitatem à Paracelſicis repoſitam.

Falſa enim eſt ſcriptura apud Homerum, ex quo citatur Iliad. lib. 1. verſ. 8. vbi legitur: τίς τ' ἄρ σφῶε θεῶν. Mali notarii ex duabus vocibus apocapatis, fecerunt vnam, & pro τε ἄρα expletiuis legerunt τὰρ. Inſuper τε ἄρα poſtponitur potiſſimum. Non poteſt habere primum locum in compoſitione. Vnde βασίς τ' ἄρα dicendum foret. *Incidiſti in ſcyllam miſer volens Charybdim vitare.* Quid autem ſignificaret τὰρ in τάρβασον? *Vt interroganti* (repeto tua verba) τίς τὰρ ἐςι βάσις τῆς ἰατρικῆς *interrogatum ſibi ipſi reſpondeat,* τάρβασον Inepte inquam reſponderet. Nam in reſponſione, niſi Echo eſſet repeteret particulam interrogatiuam. Deinde fictio tua non eſt ex arte Poetica, & Cabaliſtica. Nam interrogatum ſibi ipſi non poteſt reſpondere, niſi & ipſum interroget ſeipſum, ſuſtineatque idem duas perſonas. Apud quem veterum autem, aut recentiorum inueniſti *ſtibium eſſe medicinæ baſin*? Tuus monachus vniuerſale ex ſtibio non facit, licet id plusquam hyperbolice deprædicet. Vide pagin. 180. vbi poſt calcinationem, vitrificationem, digeſtionem, coagulationem, fixat, coagulatque poſtremum in lapidem IGNEM, *qui non ſit vniuerſale*, vt lapis Philoſophorum. Et quanquam eadem pagina ſcribat *Oleum* deſtillatione confectum ex præparationibus præmiſſis, *omnia efficere quæ medico ſummo neceſſaria ſint ſcitu, quia omnia ſymptomata corporis humani conſumat inſtar ignis: tamen* pagina 131. *aſtrum ſolis & Mercurii ipſi*

Ol. ſtibii.

Aſtrum ☉ *&* ☿

ante-

anteſert. Ita pag. 100. 91. 92. vbi *de alio quodam minerali* loquitur *in quo ſulphur ſolis aque validum, & forte, imò potentius, quam in auro inuenìatur, & reperiri duo genera metallorum*, ait, *in quibus tam potens dominatus ſuperflue triumphet.* Profer aliud: *ſi tibi minus placeat Cabala* (inquis) *non male dixeris à particula* βάσανον (cur non Faſenacht/ da die Narren brüten.) *Tarbaſonem deriuari.* Transformas te iam in Iudaicum metaſchematiſten, & Tarbaſon tranſmutatione facis ex βάσανον (Græcis βάσανος eſt, vnde Tarbaſus, vel potius Tarbaſanus oriretur) æquo ſolœciſmo. Foret enim & ſic *compoſitio* non *deriuatio.* Eſt autem βάσανος *lapis lydius auri probandi:* Eſt *tormentum, quæſtio &c.* Qui inde fiet Tarbaſon? *Expungendo*, inquis, *per eliſionem* αν, *vt dicatur* βάσον, *cui præpoſita particula* τὰς, *facit* τάρβασον *qua ſignificatur cum quadam affirmatione, id quod experimento comprobatum eſt,* βάσανος *experimentum, probationem, examen ſignificat. Plato de legibus:* ἀλειτὴς *(ſic enim ſcribis)* ἡ βάσανος: *Et Eraſmus* βάσανον λαμβάνω, *quod eſt probo. Hinc Tarbaſon, quod probatum eſt.* Hæc tu perquam lepide. *Baſilius Valentinus* ſane vult inuentor eſſe probatarum ex ſtibio medicinarum. Apud *Dioſcoridem* nihil tale eſt, vti nec cæteros antiquos, quibus tamen nota fuit appellatio *Larbaſon.* Sacræ literæ fucis accenſent non admodum commendato facto. Scholaſtici te rident cum tua *Eliſione.* Non enim ſi an expungis ex βάσανον Eliſio eſt, ſed *ſyncope.* Deinde quis credat βάσον *ſyncopatum* ſermone Græcorum vſitato eſſe? In aurem tibi. Rectius βάσσον dixeris, quod eſt βαθύτερον. Vnde quidni Tarbaſſon, & abiecto vno ſigmate, Tarbaſon, vt ſignificet *profundæ ſpeculationis & generationis minerale?* Ecquid placet? Sed ſi hoc modo ineptire licet, inuenias qui dicat ſignificare *frequens ſtomachi faſtidium & nauſeam* ex crambe tot inanium deprædicationum ad ravim vſque repetitarum, vt ſit quaſi ταρφὺς ἄσυ, litera φ in β tranſmutata. Ego me ſtupidiorem eſſe fateor, quam vt iſtam profundam *cabalam* intelligam, quæ vox cum apud Chaldæos *doctrinam viua voce tanquam per manus acceptam à Patribus ſignificet* (ἄγραφον ἀκρόαμα: Pontificiis verbum non ſcriptum, ſed traditum viua voce) miror quo autore perpetua ſucceſſione vſque ad primum didiceris Cabaliſticum tuum Tarbaſon. Forte bibi Tarbaſon tuum ex τάρβ☉ natum. Tertio ſi per βάσανον accipitur examen, num id quod examen ſuſtinuit & probatum, ſeu experimento cognitum eſt, erit *antimonium?* Atqui hoc eſt *medicamen auri probandi, probans non probatum. Lapis Lydius* eſt βάσαν☉: aurum vel argentum eſt βασανιζόμενον. Subſtitue Lydio *ſtimmi*, erit βάσαν☉, non autem id quod probatur. *In vitium ducit culpæ fuga ſi caret arte*, inquit Horatius. Nunquam crediſſem te tam fœcundum eſſe ineptiis, & tam paruæ ſolertiæ. Profer aliud. *Hoc eſt illud monſtrum* (inquis) *quo Rogerius Baco Anglus delectatur in tractatu de Ol. Antimonii.* Monſtrū ſit an non ex Rogerio nō diſco. Vocat *ſtibium*, Arabibus *Azinat*, Chymicus, *Antimonium.* Baſilius vult *Antimonium* eſſe latinam vocem. Sed *Plinius ſpumæ candidæ nitentiſque lapidē* vocat dictum ab aliis *Stimmi, Stibium, Alabaſtrum, Larbaſon.* Apud Dioſcorid. dicitur στίμμι, στίβι, πλατυόφθαλμον λάρβασον: quæ Græcis vſitata nomina. Ebræ. *Zedadah*, Chaldaice *Zedidah*: vel *puch* in ſacris. Arab. *Cohol*, vel *Cihul*: Gallice & Chymice *Antimonium*, vt & Italice, & Belgice. Hungari *Alabaſtrum*, vt & Poloni appellare dicuntur. Latini vel circumſcripſerunt, vel Græco nomine *ſtibi* & *ſtibium* vſi ſunt. Quidam *ſulphur nigrum* vocant. Auicennæ eſt *Atzmed* אתמד *Tamad* eſt continuare, durare, Interpres reddidit *Antimonium.* Ruditatis autem barbariæ eſt legere, vel pronunciare *Azinad* pro *Atimed, Athemed*, vel *Azmed*, aut *Azimad.* Ex hac docet parare *Oleum miræ virtutis* in Podagra, Lepra, Apoplexia, Hydrope, Epilepſia, Catalepſi, Analepſia, Hectica, Febribus, Peſte, vitæ prolongatione &c. Tu non oleum, ſed puluerem proponis. Nihil habes in *Rogerio* firmamenti. Vide etiam num monſtrum, & medicina admirabilis ſint idem apud eundem. (perinde eſt ac ſi quis virum excellentem vellet monſtrum ſui ſeculi vocare, cum monſtrum ſemper ſit in malis) Monſtris veſtris vos interim delectari, ſi non ex aliis, ſaltem ex tua ad me epiſtola quam luculentiſſime patet. Quid enim monſtroſius poteſt ſcribi ab eo, qui ſapientiæ chymicæ vult eſſe antiſtes? Ego ſcripſeram rectius vocari poſſe *Turbaſonem*, ſicut *Turbith* à turbando quidam deducunt, quanquam origine ſit vox Arabica vel Saracenica, qua *Serapio, Meſue* & alii vtuntur. (Ventris conturbatiuum eſſe *Meſuæ* interpres ſcripſit. *Morinus* putat nomen excogitatum eſſe ab aliquo impoſtore: *Actuarius* quoque Græcus vſus eſt eo nomine in radice *Pityuſæ* & *Alypiæ*, quas *nigrum & album Turpetum* appellat. *Dioſcoridis* capiti de *Pityuſa* in aliquibus exemplaribus adiectum eſt, ὑν καλοῦσι τύρπετ) Reſpiciebam ad querelas publicas de Antimonio Paracelſice (pleno ventre) præbito, quod mouit etiam *Quercetanum*, vt ſtibii vitium execraretur cum præcipitato *Turpeto.* Tu iocaris. Ita enim accipio verba tanquam ſuaui delirio correpti. *Si in arte antiqua* (inquis) *nouis & fictis nominibus ludendum, non contemnenda eſt Nominis latio, qui Antimonium Turbaſonem vocitas, fortaſsis ideo, quia aſſumtum morborum baſin turbat & deturbat. Verba pro verbis dare vnicuique facile, facilius quoque deprehendere, vtilia inuenire, rite medicamenta præparare, præparata recte adminiſtrare ſatis arduum.*

Hæc tu. Vti ſobrius fuiſti poſterioribus verbis, ita ebrius prioribus. Quid eſt *Latio nominis?* Nomenclationem ſcio, nominis Lationem ignoro. Deinde alluſio eſt, Græcis παρονομασία, (colluſio παρήχησις ſimilis ſonus) non nomenclatio cum *Turbaſon* dico pro *Tarbaſon*, cum ſono reſpondeat verbo *Turbo*: (τύρβη Turba eſt, τυρβασία ſaltatio turbulenta: Latinum Turbo creditur à Græco τυρβέω, vel τυρβάζω factum. Vnde recte Turbaſon, quod eſt turbas daturū) *Baſin morborum* quam vocas? Qui in litera tam pueriliter erras, quid de re tibi vendices? Quis medicus ſic loquitur? Eſſentiam morborum quod tollit, turbat, deturbat, poſſit eſſe antimonium (in aliquibus) ſed non vulgariter præparatum, vt tu ſcribebas an. 1608. *Recipe antimoniū per ſalem Petræ bene calcinatū, & optimo ſpiritu vitrioli potatū, & in puluerē redactū. Da iuxta ætatum diſcrimina cū Mithridatio grana* 3. 4. 5. vel 6. *ad vomitum & ſeceſſum purgandum.* (Obiter addo: *Thurneiſerus* in ſuo herbario ad purgandū tale

En cabalam Paracelſicā, ſtultam.

Der kurtzweilige Henning.

Syncopa de medio tollit quod Epentheſis infert.

Cabala

Paracelſici monſtris vocabulorum delectantur. At delectantur ſtibio. Ergo ſtibium monſtrum.

Ol. Antim. Rogerii.

Turbit.

Calx antim: Henningi. Thurneiſeri oleum purgans.

oleum

oleum conficit: ℞ *antimonij crudi* vncias octo, *argenti viui ſublimati* vncias quatuor, *ſalis* ſeſeunciam. Commiſta contritaque deſtilla ex retorta per gradus ignis donec concurbita rubefiat. Primum exit ſpiritus albus. Deinde ſuccedit rubor: ſed cum hic apparet, ſtatim mutandum eſt receptaculum. Alias concreſcit in *butyrum*, & amittit perſpicuitatem. Cape ſpiritus, ſeu olei puri, & limpidi vncias quatuor. *Radicum tormentillæ* probe arefactarum, & conciſarum vncias duas. Deſtilſa per alembicum lento igni. Prodibit *oleum pulchrum, & iucundum purgans potentiſſime.* Valet & ad vlcera putrida. Hæc ille qui perſuaſum habuit *olea mineralia ſic corrigi per vegetalia*, vti & ſcribit de *ceruaria alba*, quam *Libanotin* vocant. *Olea ex ſalibus, liquoribus, ſulphure, & aliis ſpeciebus metallorum extracta*, inquit, *quando vt tuto intra corpus ſumi poſſint, parare volumus, nos extracto radicis ceruariæ albæ proportione ſeſquialtera miſcere, igni reddere, & ſubigere oportet deſtillando ex cucurbita in alembicum roſtratum cum receptaculo; Deinde deſtillatum rectificare. Ita in ſpiritibus arſenici, ſublimati, vitriolique qualitas corroſiua mitigatur, vt fiant innocui.* Hæc Thurneiſſerus. Felicius eſt noſtrum ſeculum. Si enim purgare corpus volumus Mercuriali medicina, commodiſſime id fiet per *Mercurium ſublimatum dulcem, quam Aquilam albam dulcem & panaceam vocant. Et ſic neque opus erit Mercurio Solis, aut calce antimonij tua.* Verum hæc obiter, vt lectores ex noſtris diſſertationibus aliquid frugis reportent.

Corrigere mineralia per vegetalia.

Hæc eſt hygia argentea furto ſubtracta Syntagmati meo & ſic appellata à Scheunemano.

Caſtigas meam *Paronomaſiam*: *quia facile ſit verba pro verbis dare* (Turbaſon pro Tarbaſo & Larbaſo) *facilius deprehendere, &c.* Quid deprehendere? Tibi facile eſt *Reprehendere* meas coniecturas, & *pro medicinis ſalubribus verba dare, quod latinis* eſt *decipere.* Ego nec verba do cuipiam, nec deprehendo: imo nec reprehendo, ſed coniicio & animaduerto. Si vtilia inuenis (*furto ſubtracta ex aliorum ſcriptis tua facis*) rite præparas, & rite præparata adminiſtras, non prohibeo. Sed cum vltra vulgares Paracelſiſtas nihil ſapias, non cenſeo laborioſe tecum diſputandum eſſe, niſi res ſit tanti, vt ea proficere ſtudioſus veri poſſit. Hactenus *næuus ſecundus*, qui tibi multos alios peperit. Tertius incidit in *Halcyonem volatilem de citrinis vaccis*, vbi & *iunior Cribtit, deplumatus, &c.* quæ ego vocum τέρατα ex tuo tractatu, vti eſt impreſſus, repoſui. Primum coniicis me legiſſe *vaccas pro culina*, Kühe pro Küchen. Ariolare. Qui aliter legere potui quam tu ſcripſiſti, & nota eſt Paracelſiſtarum τερατολογία, quam *myſticam* vocant, vt nefas ſit quicquam in ea mutaſſe? « Das dritte Pülverlein verum diureticum, aſtrale, & fixum, den flüchtigen Eißvogel von den gelben Kühen / (hic enim ponitur virgula diſtinctiua) jungen Cribtit genant / beropfft / innen vnd auſſen wol gebraten / vnd gantz figirt / &c. » Non potui ſenſa tua abſentis aliter quam ex ſcripta litera cognoſcere. *Diureticum* vis cudere. Id eſt forma primum *pulueris*, mox *liquoris* per ſolutionem in eo, quod *vim per ſe habet vrinam mouendi.* Quomodo cuditur? *Halcyon deplumatur, & aſſatur intus foriſque per vaccas citrinas.* In myſterio cabaliſtico indefinitæ Paracelſiæ nihil intereſt, ſiue ſeruum culinarum operi addicas, ſiue vaccas; ſicut & in *Steganographia Trithemii.* Germanorum linguæ peritus latinus non aliter tranſtulerit, neque ego tum videram tuam correctiorem editionem, quæ ne digna quidem erat inquiſitione. Ego, *qui tibi recondita myſteria tribuebam*, iam intelligo te ſermonem feciſſe *de lixa*, ſeu *cacula & calone*, vel *ſeruo culinario*, qui tanquam columbas aſſaturus Halcyonem volatilem deplumet, aſſet, & totum figat, hoc eſt, faciat id, quod aniculæ & barbitonſores noſtri, qui *ſalem petræ ſulphure citrino purgant, faciuntque, quod vulgus vocat lapidem Anginæ, vel Bruni*, Brunſtein / Paracelſicis prunellam mineralem. Ita *Nitrum* olim tractabant in Ægypto circa *Memphim*, vt annotauit *Plinius* lib. 31. c. 10. *Nitrum frequenter liquatum cum ſulphure coquentes*, ne Paracelſici de inuento glorientur. *Dioſcorides* carbonibus vri ſubiecta teſta noua, donec incandeſcat ſciuit. Vtitur verbo καίειν & πυρῶσαι. Tu aſſas ita vt intus foriſque igneſcat, & deflagret. Si halinitrum eſſet nitrum (non multum aut differunt, cum in Nitro naturali materialiore ſit noſtrum artificiale formalius; quanquam alicubi in *ſalicum* quodam genere vt *Rhauvvolfius* in hodœporico commentatur, eiuſdem virtutis & vſus halinitrum ſponte quoque naſcatur) riderent tuam *Optesin* & veteres & noui. Neque enim aſſatur, quod intus foriſque igneſcit totum. Verum hic fatendum eſt me à tuo ſenſu aberraſſe, & ſpeculationes meas μετεωροπόρους perdidiſſe. Etenim aſtralia omnia & fixa promittebas. Atqui aſtra non erant circa centrum, & in fundo Tartari quærenda, ſed in cœlo. Promiſſa tua plus quam Paracelſica me ſeduxerunt. Adeo enim non aſtralis eſt ille tuus ſal fixus, vt ſpoliatus parte ſubtili, & ætherea, nihil niſi terrenum corpus ſit, & ſalem terreum, maxime ſi ſæpius crematus fuerit, ſapiat. At quid eſt *figere*? Num ſeparare partem ſubtilem à ſpiſſa? Minime. Doceat te *Hartmannus* tuus per *ſulphuris vitriolati Anodyni* confectionem, vbi tuum aſtrale opus dicit eſſe coctionem culinariam, idque non immerito. Nam id per ſeruum culinarium mundulum, vtpote non nigrum, ſed flauum procuras. Non ſunt plumæ, quæ vſtione ſecedunt ex halinitro, ſed ſpiritus, qui in vera fixione debebant cum ſuo corpore manere. Ideo & inepta deplumatio. Sed dic tuis verbis, quid ſenſeris. *Halcyon volatilis à famulo culinario glauco, nomine Cribtit, deplumatus, &c.* Mirum vero. Nouum Deorum Paracelſicorum interpretem audimus, qui quod Germani vocant gehl / id eſt, *flauum*, *citrinum*, ex hoc coram concilio ſuorum Deorum appellat *Glaucum*, quaſi de *marino Deo* vi herbæ cuiuſdam ex homine tranſmutato ſpeculatus, vt ſic habeat noctuas, quas Athenas ferat. Ibi enim non ſunt flauis oculis noctuæ, ſed *cæſiis*, qui dicuntur *glauci.* Γλαῦκας ἀθήνας, Eulen mit gehlen Augen gen Athen tragen: Deſinet eſſe prouerbium de ſuperfluo ſtudio.

Deprehendere Scheunemani.

Næuus III.

Diureticum Scheunemani.

Facere lapidem bruni ex Plinio transſumtum.

Aſſatio ridicula Scheunemanni.

Iungentur iam gryphes equis, æuoque ſequenti
Noctua non glauco fuerit, ſed lumine flauo.

O te ferula dignum interpretem. *Glaucum* blaw / vel graw appellant; latinis id alias *cæſium* eſt, & oculis Mineruæ, noctuarumque conuenit. *Scaliger* cæſium & glaucum vnius coloris vocabula duo eſſe notabat in oculis Mineruæ, & medicorum glaucomate: Platonis iudicio id conſtare ἐκ κυανοῦ καὶ λευκοῦ, vt ſit cœruleum dilutum, ſeu hilare. Quidam rutilum dixerant. Sed hos corrigit

Glaucum quid.

Antonius Scarmilionius lib. 2. de colorib. cap. 22. ſpeciem cærulei appellat, qualis ſit in noctuarum oculis. (Noli ægre ferre, quod contra tuam ſententiam virorum doctorum iudicia proferam. Ita enim requirit veſtra tergiuerſatio.) Verum Paracelſiſtarum colluuies putat ſibi integrum eſſe τὰ ὑπέρτερα νέρτερα θεῖναι, & non tantum colores rerum mutare, ſed & popularem ſermonem. *Sit ſulphur famulus tuus culinarius,* qui ſeruit coquis vulcaniam flammam quærentibus, eamque ex fomite, qui excuſſas ex chalybe ſcintillas excepit, prompte rapit. Num & Chymico in halinitri vſtione ſic inſeruit? Fila ſulphurata in eum vſum publice adhibentur. Quis hæc appellauit Cribtit? De ſulphuris ſynonymis ſcribit Matthiolus id ab Arabibus vocari *Cribtit* & *Rabric*. Inde expiſcatus eſt Paracelſiſta vocabulum, quod non facile inuenias in Paracelſo. Galenicis itaque etiam contumelioſiſſime deſpectis id genus homines non poſſunt carere. Non tamen fila ſulphurata ſic appellantur. Voces ipſas quod attinet, eas ex *Matthiolo* repoſuit *Schindlerus* in lexico in explicatione nominis *Gopher*, quod pinum ſignificat. Inde *Gophrit* ſulphur, & Chaldaice *Kybrit* (Græce melius κύβειτ) vel *cüphrit*. Inde videtur & *küfur*, vel *cybur* factum. Corruptum eſt *cribtit*.

Rabric adhuc eſt corruptius, licet legatur apud *Auicennam* lib. 2. tract. 2. c. 620. Videtur natum ex *Tabric*, ſeu *Baric*, quod ſignificat ſplendorem, niſi velis pro *Rabric* eſſe legendum κύβειτ, vt ſit libera vocalium literis ſubiiciendarum pronunciatio. In Thurneiſeri Onomaſtico *Girat* vocatur ſulphur: Item *Cabric* & *Caliab*: Apud Dornæum *Chiſir*, *Chybur*, *Cibur*, & *Kibrith*, quanquam & *Lunariam ſulphur naturæ* appellet, & ſulphur ſub nitrialibus comprehendat. Item ex Græco Θεῖον ſcribit Thion, &c. Varia enim habet vocum figmenta, vt Pyrtin, qui & lapis ignis, Kiberit, Kibrit, fumus citernus Eirat, crocus viuus. (aliud eſt ſulphur eſſentiale, de quo in principiis) Gummi rubeum dicitur in *Maria Prophetiſſa Kibric Philoſophorum*. *Pantheus* Synonyma habet *Goporu*, *Kibrit*, gumma rubea, ſulphur rubeum, Thion, &c. *Gophris* autem ſcribit ex Ebræo *Gophrit*, ibi litera Tau pronunciatur cum ſibilo ſicut T latinum ſequente I vocali, vt in oratio: quaſi dicas oratio, vel orazio, aut oraçio. Scribit tamen aliquando etiam *Gophrit*, quod eſt *Chibur*, & *Kibrit*, & *Thion*, omnino ſulphur. *Criptit* in veteribus vix occurrit. Neque tamen conſentaneum eſt id nomen *Matthiolum* confinxiſſe. Hactenus de næuis diſputatum eſt cum auctario quodam, vt ſimul Lectoribus noſtris aliquid vtilis pabuli præberemus, cum alias ex noſtra diſſenſione parum commodi haurire queant, niſi in lucro ſit, te cum tua hæreſi intus & in cute pernoſſe. Quomodo à te curatur peſtis in tua regione graſſata? Quod erat curatiuum Bambergæ, Aſcaniæ fit Prophylacticon exonerans naturam vomitu, & ſeceſſu. Si vero peſtis iam corripuerit hominem, ex te diſcit tuus populus primum vtendum eſſe *vomitiuo ex cupri argento viuo*, quod fieri nequit ſine aqua mercuriali ex ſublimato. Ita enim chylus infectus ex ventriculo reuocabitur. Huic ſuccenturiatus quaſi ex inſidiis ſuccurrit *globulus mineralis*, & mirabili copia feces alui non deturbat, ſed ad ſe allicit, tanquam pabuli vice, vt Paracelſici ſolent nugari de *magnete* ferrum attrahente. Velis, nolis, agnoſcere debes inſufficientiam trium tuarum capellarum pulueratarum. Nam mouere ventrem nulla ſine globulo ſuppoſito poteſt, & tamen in inteſtinis poterat camarina, vel Lerna mali eſſe. Euacuata aluo quid faciendum? *Sudandum*. Quid inde? *Meiendum* cum bona venia. Belle. Sed conſideremus materias. Ex qua re fiunt rotundi globuli (niſi addidiſſes Rotundi, nemo intellexiſſet ſphærulas eſſe) ita affecti, vt *proprietate ſympathica Mercuriale & Archenicale* (pono tua verba) *venenum attrahant in podicem* immiſſi, ſeu intruſi, vbi ad exemplum experimentorum in macrocoſmo agant ſine omni languore, & *incredibili copia* alui feces ſubtrahant, idque dimidia hora. Multa hic erunt quærenda. Primum vnde didiciſſes alui feces eſſe venenatas. II. Veneno *Archenicali*, & *Mercuriali*. III. Globulos tuos eſſe *Archenicales* & *Mercuriales*. IV. Tales ſi ſint, qui non lædant rectum inteſtinum. V. An non tam magna copia feces potius globulum ſint attracturæ, quam contra. *Maior enim virtus eſt in maiore quanto*, adeo vt magno pondere ferrum ad ſe rapiat magnetem minorem. VI. Vnde cognitum ſi vtrumque ſit *Archenicale* & *Mercuriale*, quod ſe tractura ſint mutuo συμπαθητικῶς: Non omne arſenicum trahit arſenicum, nec mercurius mercurium. VII. Proprietatem illam eſſe, & non communitatem. VIII. Quæ ſit illa experientia macrocoſmica. An cum *conflatores* venas ſtibiales, ſulphureas, coboltieas, & ſimiles rapaces ferro, & medicinis ex ferro, ſalibuſque, & aliis medicaminibus domant, ita vt argento ſpatium detur ſe à vi rapace ſubducendi, & per lapidem in plumbum fugiendi? Sicne fit etiam cum tu alui feces ſubducis globulis tuis? Sed mittantur iſta. Nam ad inſaniam te adigerent cum tuo Paracelſo. *Globuli tui fiunt ex minerali ſalubri*. Illud quod eſt? Galenicus aliquis diceret *ſalem* aliquem, vt gemmæ, eſſe ſuppoſitoriis miſcendum. Sal enim minerale ſalubre eſt. At qui hoc foret arſenicale, & mercuriale? Sit ex vitro, regulo, ſtella, ſtibii, aut ſimilis *metalli*: (vt tibi caput doleat cum tuis ſtultis Paracelſiſtis, & ilia rumpantur, vtor *metalli* voce) Impurus erit globulus: Et ſic rationabiliter impuras alui feces videbitur attrahere non aliter, ac ſi quis furioſum *Turcam* vellet compeſcere, intruſo in anum ex *maslac* ſuppoſitorio. Ego non globulum tuum ridebam, ſed quaſi digreſſione facta rideri ab aliquo poſſe ſcribebam ob eorum opinionem, qui obſtinate *contendunt purgantia agere per familiaritatem naturæ totius, qua ſimile attrahit ſimile*. Si enim feces ventris per podicem ſunt exigendæ, vbi rectius ponas trahens quam in inteſtinum, vt inde veluti magnes alliciat ſui ſimile? Alias tractio fieret ad ventriculum aſſumptis per os catharticis. *Ratio mea tibi diſplicet*. Putas enim quaſi animo male ſibi conſcio in te prolatam eſſe. *Si ridendus* (inquis) *meus globulus eſt, etiam tuus, qui fit ex ſtibio, & Quercetani alius ex croco metallorum*, hoc eſt, *ex antimonio vſto adiectis ſalibus*. Accuſas me malæ naris. Tuos globulos mihi fœtere meos ſuaue olere arbitraris, quos tamen ſuffuratus ſim tranſcriptione ex Quercetano. Temere inſanis. Neque meus bene olet, neque tuus globulus hactenus mihi fœtet. De *attractrice* diſſero. Hanc tu videre non potuiſti, quia *conſcius ipſe*

De cura peſtis putridæ cacochymicæ.

Tres pulueres Scheunemanni claudicant.

Purgantium operatio.

ſcius ipſe

ſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici. Glaucoma hoc eſt te interprete, das gelbe ab oculis remoue. Mihi videtur purgatio mirabilis eſſe, vt & *Fallopio*, fierique aliam ob cauſam, quam familiari attractrice.

Dictum verum, ais, *non valet idem dictum à quouis.* Ariolare. Tot enim mendaciis Paracelſiſtæ ſunt infames, vt, etiam cum verum dicunt, fidem non inueniant. Si vis, vt tibi credatur, globulum tuum arſenicale & mercuriale venenum ex ventre in rectum inteſtinum proprietate aſtrali ob familiaritatem trahere, non verbis, quæ eſt principii petitio, ſed rerum euidente demonſtratione eſt vtendum. *Paracelſus* tuus ſcripſit *aſtro magnetis ferrum ſortiſſime trahi.* Factum periculum eſt. Nugæ inuentæ ſunt. *Non ſi integra natura ſuæ vim illabefactam habentia trahunt, etiam ignibus corrupta trahunt.* Si tuum minerale vacuat, flammis fuſoriis in vitream ſpeciem redactum, non neceſſe eſt idem efficere etiam crudum, & contra, multo minus effectum proprietati aſſcripſeris naturali. Pone *Martium venenum in inteſtinis hærere.* Subiiciendum foret aſtrum magnetis forma competente. Num attracturum hoc illud eſſet? *Globulum metallicum* vocaueram. Putabam enim materiam eſſe metallicam ex tuis fundamentis. *Si ſimile attrahit ſimile: Et in inteſtinis eſt venenum Martium, Saturnium, Mercuriale, Arſenicale*: iniuriam tibi feciſſem, ſi non medicamentum quoque metallicum ſtatuiſſem. Paracelſici enim ſanare volunt *ſimilia ſimilibus.* *Fixa* requirebas. Cætera volatica & putrefactioni obnoxia irridebas. Ex metallis, & metallicis aſtralia, potiſſimumque planetis reſpondentia conflabas. Tu quaſi mortale peccatum commiſiſſem, & patrios cineres perminxiſſem, magno cum ſupercilio negas *tibi vocari globulos metallicos.* Suauiter deliras. Vbi hoc tibi tribui? Et tamen poteram iure maximo ex conſectariis à te poſitorum. *Metallicus eſt globulus, ſiue ex metallo vniuoco factus, ſiue ex æquiuoco.* Metallis accenſetur *ſtibium* vtrumque & aliæ marcaſithæ, quæ proxima potentia ſunt metalla, & argento viuo conſtant. Tuum argumentum contra meam coniecturam eſt: *Metallicum & minerale non eſt idem.* Scripſi ex minerali fieri. Ergo non eſt metallicus globulus in podicem immittendus fecum ſympathice attrahendarum cauſa. Argutulus es, ſed vnum tibi deeſt: Perperam ſapis. Non enim recte es informatus, aut ſi es, deliras malicioſe. Cum Dioſcorides vellet ſcribere de mineralibus, *cadmia, pompholyge, ærugine, ferrugine, ſcoria, ſtibio, lythargyro, lapide Armeno, Cyano, Indico, Ochra, &c.* in genere proponebat περὶ παντὸς λίθου μεταλλικοῦ.

Tom. 6. pag. 311. lib. 7. de tranſmut.

De metallici notatione.

Num minerale & metallicum ſint ſynonyma.

Andreas Cæſalpinus tres libros de metallicis edidit, in quibus variæ terræ, ſales, & omne pene foſſilium genus.

Galenus in IX. Simplic. ait, μεταλλικὰ φάρμακα προσαγορεύειν ἔθος ἐστὶν τοῖς ἰατροῖς ὧν ἡ γένεσις ἐν τοῖς μετάλλοις ἐστὶν, ἤτοι γε αὐτοφυής, ἢ διὰ καμίνου, καὶ ὅσα πάλιν ἐκ τούτων αὐτῶν οἱ ἄνθρωποι σκευάζουσιν, &c. ponitque *ceruſſam, pſoricum*, & ſimilia. Tractat de *ſalibus, armeniaco, arſenico, aphrolitro, gypſo, ſulphure, &c.* Quæ *metalla* Plinius vocet, habes libro trigeſimo tertio & trigeſimo quarto. Diſce hinc, (pluribus autoribus non eſt opus cum *Calepinus*, & *Lexicon* tibi poſſint eſſe ſatis) *minerale, foſſile, metallum, non raro idem ſignificare*, quod & indicat *Agricola* libro primo, capite primo, de nouis & veteribus metallis.

Vide & tertiam concionem *Matheſii in Sarepta* de origine metallorum, vbi cogeris à foſſoribus diſcere *metalla vocari aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum album, plumbum nigrum, argentum viuum, biſmathum, ſtibium, & metalli nomen tres res complecti.* Vbi vero dixi, quod Synonyma ſint minerale & metallum? Si tuus globulus eſt mineralis, & metallica ſunt mineralia, ſolentque tales globuli fieri ex vitris metallorum, *ſtibij, biſmathi, plumbi, &c.* vt te docere poterit *Quercetanus* in defenſione prima, capite decimo de vitro antimon. plumbi Regulo, &c. ibi & de *annulo cathartico ex vitro plumbeo*, an nequeat eſſe metallicus? Cerebrum tibi deminutum eſſe video. Cape vittum ex Luna. Metallum id fuerat, iam erit metallicum & minerale, poteritque in metallum reduci, ſi non fallit Geberus cum aliis artificibus te peritioribus. Ita *ſtibij regulus per animam plumbi ex metallico fit metallum*, indeque reduci poteſt in regulum. Nimium ſimplices habemur à *ſtultiſſimis hominum Paracelſiſtis*, qui cum ætatem triuerimus diſputationibus de metallorum tranſmutatione, adhuc ignoremus quæ res vocetur metallum. Quærit *Roſarij Philoſophici autor poſſintne minora metalla, ſeu mineralia in maiora conuerti.* Negat, argumento deficientis mercurii, metallorum vniuocorum principii. *Vbi mercurius eſt, ibi metallum actu, vel potentia.* Ita *Auicenna* in ſuo tractatulo capite tertio. Talis diſputatio eſt in *correctione fatuorum* capite ſeptimo, quod caput adi, *fatue Henninge*, & ſine te corrigi. Cognoſces mercurium quoque non ſemper metallum dici, & non raro ſulphur, minoraque mineralia metalla. Verum de hac quæſtione infra ſuaue ex te deliramentum audiemus. Ideoque plura non addo. Accuſas me, quaſi *Globulum iſtum tuum Eccoproticum ſiniſtre ſim interpretatus.* Erras. Deterge oculis nebulam calumniæ, rectius videbis. Quæ apponis ſatis thraſonice *de ſanationibus tuis felicibus*, me non offendunt. Neque enim inuideo ſaluti humanæ opitulatores, ſed opto vt his, quorum intereſt diu viuere, *Æſculapii* contingant multi.

Magnus ſanator Scheuneman.

Id autem quod rei eſt, quis me iudicare prohibeat? *Si per ſe ſanaſti, & ex arte, iiſdem principiis ſanationem obtinuiſti, quibus & Galenus.* Quid enim tum ſi aliis nominibus tu rem appelles, aliis Galenus, cum non ſit alia. Tua opinio, & phantaſia, locutioque parabolica non efficit, vt quæ febris eſt bilioſa, nō ſit, ſi pro bile putrefacta & inflammata ſulphur incenſum dicis. Si hydropem ex ſale & mercurio conficis, num ideo non eſt hydrops ex aqua, aut tumor aquoſus, quem Paracelſus tuus *vndimiam* vocat? Si aquas expurgas, *Eſulæ eſſentia extracta*, aut *ſtibio tuo*, aliove hydragogo, an id non ſic agit, vt *Galenica Eſula, Elleborus, Iris, Ebulus, Sambucus*, & ſimilia? Aliter nominare materias medicamentorum, cauſas, morbos, ſymptomata, nutrimenta, & alia iuuantia, vel læden-

vel lædentia, non murat medicinæ principia, & naturas rerum. *Ex principiis rationis & experientiæ methodum curandæ peſtis oportet eſſe rationalem & Galenicam*, vt vt tibi inuiſa ſunt, & ſordent Galenica. Si medicus es per artem medicam principiis ſuis, & methodo iam ab antiquo (neque enim cum Paracelſo delirante nata eſt) conſtantem, & ab Hippocrate, Galenoque deſcriptam es medicus, licet in praxi aliquando à ſcopo aberres. *Si non iiſdem vteris principiis, noli vſurpare artificis medici titulum.* In diem enim & perfunctorie ſanas, fortuitoque incidis in ſanationem, vt *Hippocrates* in lib. de arte monuit. Vis audire *Hippocraticus*. Qua quæſo fiducia? Num Paracelſiæ tuæ? Neutiquam vero. Iſtam enim ignorauit *Hippocrates*, qui cum *humores* proponat, ignominioſo nomine ſocietati tuæ eſt *humoriſtarum pater*. Si es *Hippocraticus*, oportet eſſe iis dogmatibus, quæ *Galenus ex Hippocrate repetiuit*, explicauit, auxit. Ais me præſumere tibi *Labem inurere.* Cur malum ſuſpicaris? Quotus quiſque eſt, qui legens mea in *Syntagmate* verba putet ex tuo tractatu eſſe ſumpta? Si lates, qui potes labe tangi? Vtinam abſtinuiſſes vituperio artis *Galenicæ*, & compoſitionum priſcarum in tua ad Senatum Aſcanienſem præfatione, manſiſſeſque in ea profeſſione, qua eras *Bambergæ*, vbi de peſte chartam patentem egregiam edidiſti. Quod autem tuæ ſanationes felices, quas iactas, non ſine nota aliorum medicorum, cum iudicio de morbis non conueniant, *diſce ex te ipſo*, *qui Gallicum ſtulte iudicas*, *ſeu venereum ex alia cauſa*, *eſſentiaque morbum.* Tu tibi ipſi peperiſti ſiniſtram de te ſuſpicionem *inuectiua* in Galenica vegetabilia, & animalia medicamenta iniquiſſima, vt & in cibos medicamentoſos. Aut reuocanda tibi iſta ſcriptio eſt, recantandaque iniuria, aut ſapientiore modo emendandum, quod commiſſum eſt imprudenter.

Paracelſiſta induit larvam Hippocraticam.

Sanationes felices Scheunemani.

Hæc ad tuas volui reſpondere animo tranquillo, *vt corrigerem male conceptam opinionem, & te ex Paracelſicis fumis in apertam Hermeticæ profeſſionis lucem, ingenuamque philoſophandi viam protraherem.* Illud adhuc addo: *Penotum* noſti? Is, cum *Baſileæ* promotus fuiſſet, & Galenica, Hippocraticaque lauro donatus, deflexerat ad Paracelſian: ſed pedem ſapienter retraxit, vt vides in calce ſcripti *Iohannis Hollandi* ab ipſo editi. Exemplum habes, quod laudabiliter ſequi poſſis. Si tibi placent Symboliſmi Chymici *Seuerini*, *Quercetani*, & ſimilium, modo eas recte explices, & ſine iniuria veteris medicinæ vſurpes, me non offendis. Vale ex ſententia. IV. Non. Aug. M. DC. XIII.

Coburgi.

PRO DE-

D. O. M. A.

PRO DEFENSIONE ET DECLARATIONE SYNTAGMATIS CHYMICI, CONTRA REPREHENSIONES HENNINGI Scheunemani Actio ſecunda: In qua ſecunda Epiſtola examinatur.

ANno Saluatoris M. D C. X I V. Martii Iuliani X V I. cum vix illuxiſſet ad Gymnaſium Illuſtriſſimorum Principum & Ducum Saxoniæ, quod eſt Coburgi, quidam Bamberga veniens, homo ignotus, obſcurus, ſicarium potius dixiſſes quam tabellarium, miniſtræ tradidit faſciculum chartarum male conſutarum & funiculo craſſo leuiter colligatarum, ſeque ilico in pedes coniecit conſcius ſceleratæ mentis, & mali, flagitioſique facinoris. Inſcriptio erat Andreæ Libauio coronato Poetæ, Galenico Doctori, & ſupremo ludimagiſtro Coburgi, eaque teutonicis verbis, vt prima ſtatim fronte appareret τὸ σηλιτώπικὸν, καὶ ὑβειστικὸν, mali corui malum ouum, lucifugæ hominis, & veteratoris lucifugum & veteratorium ſcriptum; quod non auſus fuit more ſolenni, & candido reddere, ſed ritu eorum, quibus mala mens, malus animus, idque crepuſculo matutino, ne ater, an albus eſſet poſſet agnoſci. Latuerat id Bambergæ aliquo vſque inter eos proculdubio, quibus volupe eſt famam clarorum & honeſtorum virorum vellicare, mordere, inquinare, & eximie lætari Satyricis in homines innocentes inuectiuis. Datum enim erat anno M. D C. XIII. Decembris X I V. & ſatis attratum, vt pateret primo intuitu inter manus improborum fuiſſe volutatum. Amoto fune craſſo, & cera, quæ erat leuiter, ruditerque appreſſa, in conſpectum prodiit autor:

Henningus Scheuneman Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor Andreæ Libauio ludimagiſtro apud Coburgenſes S.

Riſi ſcilicet craſſam ſuperbiam hominis fatui. Euge, inquam, bona facis tuarum virtutum auſpicia. Factum iſtud non eſt viri boni: quomodo Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris? Tu Philoſophiam & Medicinam nunquam docuiſti, ſed decoxiſti. Creatus quidem eras Herbipoli Doctor; ſed in Paracelſiam irrepſiſti, proiectaque dignitate tibi honorifice collata incepiſti veram Philoſophiam, & Medicinam oppugnare, proque ea Paracelſicas ſordes, & inquinamenta obtrudere legentibus, id quod ſtulta tua ſcripta titulo Paracelſiæ edita conteſtantur. Sim ego Ludimagiſter, ſiue ſupremus, ſiue quicunque. Quo tu me nomine contemnis, eo glorior ego non apud homines tantum, verum etiam in conſpectu Dei & angelorum. Diuinitus ſum ad id munus vocatus. Per Dei gratiam in eo hactenus ſic ſum verſatus, vt me mei non pœniteat, neque etiam laborem in Domino vanum ſuſtinuerim. Si mei diſcipuli tibi eſſent comparandi, videres quam tibi in omni genere literatum curta ſupellex foret, quamque vix vllus eſſet quin te melior Grammaticus. Te nunquam dignatus eſt Deus, vt vlli ſcholæ præficeret, idque ex merito tuo, qui tam rudis es, vt ἀναλβάβητον potius dicere deberes, quam Doctorem. Sed hæc faceſſant. Qui per Dei gratiam ſim, ſatis patet non vni prouinciæ. Qui tu ſis, pauci norunt, & noſcent vix tui familiares, niſi chartis ſtultis in publicum emiſſis indicaſſes nouum tenebrionem Paracelſicum, artium bonarum dedecus, & inquinamentum ex furnulis carbonariorum prorepſiſſe, & emendicato ex Paracelſicis deliramentis fuco nitorem ſibi quærere voluiſſe. Sed ille fucatus nitor tibi detergendus eſt, vt quam ater ſis appareat, omnibuſque comedendus, & ridendus propineris.

Primo omnium mittendus adhuc in ludum aliquem literarium es, vt non tantum diſcas latine & græce loqui, verum etiam ſcribere ſine vitio orthographico. Hoc quamdiu non facis, indignus es, vt *Nota 1.*

es, vt tecum vel verbulum commutet vllus literatorum. Scilicet tuus ille ludimoderator, qui dicitur Bambergæ literas tuas correxiſſe, non erat ad manum cum chartas pollueres.

Nota II. Secundo: Cum epiſtolam ad me quandam de interpretatione tui myſterii miſiſſes, & ego tibi reſcripſiſſem eo modo, qui tibi conuenire videbatur: accuſas me loquacitatis tu nullo non *Hirundo.* graculo loquacior, & magis garrulus. Comparas me *hirundini, quæ tenui ſolitum fruſtratur voce laborem.* Doleo quidem te tam malum caput eſſe, vt Labor, quem in admonendo conſumſi, ſit temerarius: Putabam te nondum eo malitiæ perueniſſe, vt monentem recte non poſſes ferre: Veruntamen quod tu ex hirundinis ſtrepitu conuitium in me iacis, id te inſcitiæ arguit. Non enim conuitium eſt prolixa admonitione aliquem correctum velle, ſed digna præmio opera. Vt enim in viam reducantur errantes etiam ſtentorea voce eſt opus, & clamoribus ad rauim vſque repetitis. Ecce ego repeto mea verba: *Ad ſanitatem redi Henninge. Abijce ſtultitiam Paracelſicam & perſuaſiones ineptas. Sine te ab iſta Lepra curari. Quid cunctaris?* Voca me iam etiam graculum. Quid tum poſtea? Graculus aſſidet graculo. Sim ego vt ſcribis ἀπιθανώτερος κολοιοῦ, vt qui tibi amenti homini minus poſſit fidem facere, & perſuadere, quam graculus ſuo garritu: at tu es κολοιὸς ἐν Μούσαις, qui cum ſis *Harpyia.* graculo indoctior tamen eloquentibus, & doctis audes te immiſcere. Comparas me etiam *Harpyis* Virgilianis. Agnoſco tuum morbum. Quam enim ſcabiem in te ſentis, eam affricare mihi ſatagis. *De diuinationibus Libauii.* Quid facis homo veſane? Qui mea & tua legent, quid eos putas iudicaturos eſſe? *Vbi Libauius eſt virginea facie Harpyia, & proluuie ventris fœdat omnia?* Recitauit Philoſophi dictum: Certiores neceſſitates quando quis fuerit aſſecutus, tunc gratiam oportet habere inuenientibus. 2. de cœlo tex. 34. Hîc iudice Henningo Libauius eſt facie virginea. Vbi vero ventris proluuies? Mox (inquit ille bellus iudex) fit ventris proluuies. Qua re quæſo? Dum coniecturalibus dumtaxat diuinationibus inhias, Dauus dici mauis quam Oedipus eſſe. O te Marſyæ vel Midæ præmio dignum iudicem.

Nota III. Sit ergo hoc tertium. Accuſatio eſt: *Libauius plura ſibi arrogat quam ſunt in ipſo.* Quo argumento? *Ad ſcuticam.* Sutor eſt vltra *crepitam.* (Diſce ſcribere grammatice rudis aſine. Græci & Latini crepidam non crepitam dicunt.) Proba: Quia nimirum coniecturis & diuinationibus inhiat. Ridiculum argumentum inquam. Quæſo te, quid tu in ænigmatibus & myſteriis Philoſophiæ arcanæ faceres *Sitne crimen in dubiis & perplexis diuinare, & coniecturis vti.* aliud? Ænigmata & perplexa Philoſophorum dicta quo alio quam coniecturis probabilibus explicantur? In artibus & ſcientiis apertis tu nondum didiciſti qua methodo ſit vtendum, & ne paragraphum quidem laudatum informaſti, nedum ſpecimen nobilius tuæ induſtriæ dederis. In myſticis qualia ſunt interpretamenta? Finge te artem magni magiſterii ad vnguem tenere, cuius tamen, niſi quantum ex me didiciſti, nihil quicquam intelligis. Ego tibi propono ſolum Iſaacum Hollandum, aut Ariſlaum. Hîc te virum præſta, & ſcientifice dic, quid hac illa paragrapho intellexerint. Imo quia Paracelſicos caminos perrepſiſti, expone mihi theorematice librum de tinctura Philoſophorum, aut quem de lapide ſcripſit. Virum audiemus, cui ſi neceſſitates certiores attulerit, gratias debebimus. Tam obſcure ſcripſit Paracelſus, vt Crollius neget ſenſum eius ex litera patere, & Societas de Roſea Cruce ſingulare vocabularium proponat, laborentque Dornæus & Thurneiſerus in declarandis terminis. Diuinandum ſæpe eſt etiam peritis. Tibi ſcilicet omnia ſunt aperta. Affer meliora: Quid carpis mea? Vbi argumenta reprehenſionis? Age aggredere diuinationes meas, & monſtra vbi aberrent. Quid temere latras? Meæ coniecturæ non ſunt temerariæ, aut ex Paracelſicis ventis hauſtæ, verum ex principiis ſcientiæ extructæ. Hæc oportet te demoliri, ſi coniecturas vis diſſipare.

Sed argumentaris: *Veri Philoſophi (inquis) munus eſt non coniecturaliter diuinare, ſed abſtruſa, & incognita per cauſas inueſtigare. Huic gratia debetur. Inſulſo diuinatori ſcutica.* Bene, inquam, meminiſti ſcuticæ debitæ inſulſo diuinatori. Talis autem tu es. Cape tibi ergo ſcuticam maſtigia. Ratio aſſumti eſt: quia male hic diuinaſti. Nam meæ coniecturæ non ſunt ſcientiam meditantis & informantis, ſed interpretis. Interpreti licet, vbi in abſtruſo latet ſententia, probabilibus vti coniecturis. Sed video morbum tuum. Velles tibi porco immundo, & cani rabioſæ proiici ſanctum & margaritas? Scilicet. Paſcere ſiliquis ſuillis. Nondum aptus es cibis Philoſophorum capiendis. Eſt & alterum ſcutica dignum in eodem iudicio. Nam veri Philoſophi non tantum eſt abſtruſa, & incognita inueſtigare; ſed & de inuentis iam, & inueſtigatis diſſerere, eaque docere alios. Tertia ſcutica eiuſdem: Philoſophus non tantum inuenit per cauſas iam notas, ſed potius latentes, & abſtruſas per effecta, & proprietates indagat. Hoc dum facit, nondum ſcit, ſed ad ſcientiam tendit. Cum cauſas conſecutus eſt, iam tenet effecta ſcientifice & demonſtratiue. Hæc tu inter carbones Paracelſi nunquam potuiſti inuenire. Ideo de Libauio iudicas tanquam de tuæ fecis porco. Sed ſcito Libauium quid ſit Philoſophi intelligere magis, & exactius quam tu compoſitionem grammaticam Philoſophiæ noſti. Veni ad ſcholam ludimagiſtri Libauii. In ea tibi inculcabitur illud Ariſtotelicum: *Dubitare cauſa fuit inuenta Philoſophiæ.* Et illud: *Non ſolum illis agendæ gratiæ ſunt, quorum opinionibus quis acquieſcet; ſed illis, qui ſuperficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam iſti. Habitum namque noſtrum exercuerunt. Simili modo & de illis eſt, qui de veritate aſſeruerunt. A quibuſdam enim aliquas accepimus opiniones. Quidam vero vt hi fierent, cauſa fuerunt. Recte autem ſe habet Philoſophiam ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe. Speculatiuæ enim finis veritas, &c.* Hinc tibi cape & quartam ſcuticam. Philoſophi enim officium eſt ſtudere ſapientiæ & aliorum opiniones reſumere, & declarare: quod dum facio, ſum equidem Philoſophiæ affinis. An vero tu cum tuis Paracelſiſtis ſis Doctor Philoſophiæ, qui nihil vnquam ſapientiæ docuiſti, nec ſapientum parabolas explicaſti, Libauius cum ſuis non ſit, qui tamen in eo ſtudio ætatem conſumpſit? Carcinomata tua & delitamenta in publico hactenus vidimus: Philoſophi ne hilum quidem. Philoſophomaſtigem

ſi te in

ſi te in poſterum nominabis, rectius facies. Nihil enim minus es quam Philoſophus, aut Philoſophiæ Doctor. Perge: Audiemus Philoſophum; ſi diis placet.

Nota IV. Ad ſcuticã Grammaticam.

Quarto: *Si ad omnes* (inquis) *tuos pueriles motus & LVSOS* (ô he ad ſcuticam) *ne dicam ineptias reſponderem, in eadem impudentia, qua nauigas naue tecum nauigarem.* Riſu dignum caput. An tu vero non nauigas mecum, qui tamen in meam nauim irrepſiſti, & arroſiſti diuinationes? Imo ſuadeo tibi vt mecum etiam amplius nauiges. Nam ex me diſces LVSVS non Luſos. Permingite hominem calones Paracelſici. Neſcit declinare. Tune, ineptule, ſcires, quid ſignificet vocabulum Motus, Luſus, Ineptia?

Nota V.

Quinto: Perfricueram porcum, & verborum blandimentis pro ſandalio demulſeram. Id ei quam iucundum? *Gratulor mihi* (inquit) *quod ingenuitatem meam laudas, meque aliquoties virum doctum appellas. Salua ergo res eſt, SPERANS* (ad ſcuticam) *me de cæteris facile veniam impetraturum, ſi is es, quem ego meo efformaueram animo, qui cum bonis bonus. Nam & mala bonis mala, ſolumque malis mala, mala, &c.* Si ſtultus taceret, ſapiens cenſeretur, inquit prouerbiorum magiſter. Tu tuam ſtultitiam, vt ſorex, prodis. Demulſi te vocabulis blandis. Noli errare. Talem eſſe volebam, non agnoſcebam. De Paracelſiſta ex Galeniſta quid poteram præclari ſentire? Si item laudem tui meã vis ſynceram eſſe, cur me vituperas? An nondum didiciſti laudem veram eſſe ex laudatis? Qualem tu me in tuo fœdo animo efformes, non curo; quin malo vt à me abſtineas. Nam & ſi optimum finxeris, tamen apud ſapientes ero peſſimus, quia malorum hominum laudes ſunt vituperia, nec ego capto laudem ex ſtultis Paracelſiſtis. Sum cum bonis bonus. Sed qui ſit bonus, mihi tecum in hac cauſa non conuenit. Scelerum caput eſſem, ſi ex grege Paracelſiſtarum eſſem. Quid ſibi velint iſti tui graculiſmi: *Solumque malis mala mala:* nolo diuinare, ne parum Philoſophus audiam.

Paracelſiſtarum vulgarium deſcriptionem vide apud Crollium.

Nota VI. Ferulæ plures in vno paragrapho.

Sexto: *Quis ergo* (ita loqueris porro) *te AGITVR* (ad ferulam) *ſpiritus, vt propter ſphalmata quædam graphica tam acutum inſtituas examen? Itane ex feſtinatione dubium calami lapſum tam acri pœnitentiæ, FERVLA ſcilicet, diluam? Si tuo iudicio DOCTVS SIM, qui EGRIGIO ſcripto ſpecimen eruditionis, vt ais, in publicum dedi, idque ab ipſo Galeno, ſi in viuis eſſet, approbaturum* (ſcutica) *qui petis veniam tibi à doctis dari, quod me reſponſione aliqua digneris, &c.* Inſanabile caput & cor habes Henninge. Ego volebam te puerili ferula admonere erratorum grammaticorum, & ſimul adhortari, ne te opponeres ſcriptis Philoſophorum, aut immiſceres Doctorum choris prius quam didiciſſes grammatice ſcribere. Etenim graues ſunt viris eruditis & literatis *ἀγράμματοι, ἀναλφάβητοι, ἀπαίδευτοι.* At adeo non emendaſti linguam, vt hoc tuo ſecundo ſcripto plus quam ſexcentas ferulas & ſcuticas ſis meritus. Cur non conſuluiſti tuæ famæ miſer? Me puderet vel tuos iſtos næuos publicare, niſi ſic reprimi deberet faſtus ille tuus ruſticus, & ſuperbia inepta, & ni Paracelſiſtarum mores viuo colore eſſent deſcribendi. Quo quis rudior eſt, & literarum imperitior eo audacius in Paracelſicos furnulos irrepit, indeque putat ſe oppugnare, & expugnare poſſe omnem liberalem literaturam Ariſtotelicorum, Galenicorum, Philoſophorũ academicorum, & cæterorum doctorum. Eos oportet ſuo penicillo depingere, & dignum patella operculum (quod aiunt) præbere. Rideo tua ſphalmata graphica ex feſtinatione. Tamne feſtinanter ſcribis, nec relegis ſcripta? *σπεῦδε βραδέως.* Tu quid & cui dicas videto. Volat emiſſum ſemel irreuocabile verbum. Si in prima celeritate peccaſſes, in altera epiſtola debueras cautior eſſe. Nam malo accepto ſtultus ſapit, niſi talis eſt, qualem ſapiens deſcribit, qui ſcilicet etiamſi in pila tundatur, ſicut ptiſana, tamen non reſipiſcit. Impingis in eundem lapidem. Id non eſt ſapientis. An vero me tam ſimplicem putas, vt non animaduertam, feſtinationiſne ſit erratum, an inſcitiæ & ruditatis? Caue ludimagiſtros ea in re accuſes. Tuum eſt vitium qui latine loqui & ſcribere vel nondum didiciſti, vel es oblitus. Quod attinet ad ſpecimen eruditionis in publicum datum; humanitus tibi id tribui. Tu vero vide, ne plumas alienas tibi coaptaueris, & furtum commiſeris. In germanico latuit tua ruditas. Si latine ſcripſiſſes, ſine ludimoderatore nihil potuiſſes. Verum hoc tranſeat.

Cauſa cur hæc ſcripta publicentur.

Nota VII.

Septimo: *Qui petis veniam tibi à doctis dari, quod me reſponſione aliqua digneris? Nonne GRACCVLVS graculo aſſidet? Chaonis & qualis oſcula iungit aliis? Si doctos erudire contris, quidni dicerem ſus Mineruam? Docti non egent Doctore, ſed indocti. Cur ergo veniam à doctis poſtulas, vt indoctum inſtruas? Peccatum putas, ſi opus miſericordiæ exerceas, hoc eſt, ſi indoctum inſtruas? Caue ne ἄχθος ſis virginei vultus fœdiſſima ventris proluuies, &c.* Ecce Henninge! Singulis verbis efficis, vt non tantum à doctis, verum etiam à me ipſo veniam petendam putem, quod tibi inſulſiſſimo & rudiſſimo omnium aliquod tempus tribuam, qui indignus eras, in quem vel punctus impendatur. Doctorum de me opinio eſt, poſſe me precioſum theſaurum, tempus, in longe meliora, & magis neceſſaria collocare, quam in te erudiendum. Ipſis ſuffuror, quod tibi impendo. Hæc eſt cauſa petitæ veniæ. Rideo te Gracculum. Bene es gracculus, quæ auis ſolet ſe pauoninis pennis ornare, vt eſt in apologo, quanquam idem tribuatur corniculæ. Ego tibi aſſideo non vt gracculus. Neque enim ſum tui gregis: ſed cupio, vt ex gracculo fias pauo. Argumentum, quod à doctis non ſit petenda venia, quia docti non indigeant Doctore, puerilem tibi & fatuum ſenſum tribuit. Nemo tam doctus eſt inter homines, quin ſciat ſibi multa deeſſe, ſeque poſſe per alterum, cui ſpiritus autor donotum, reuelauerit aliquid amplius, cognoſcere. Monentur & colloquuntur docti interdum etiam de iis, quæ ſciunt. Iidem fortaſſe ignorauerunt tuam ſtoliditatem. His fuiſti aperiendus cum præfatione licentiæ, quod rem moleſtam audire cogerentur. Cætera ſunt verba inſanientis. Libauius voluit erudire Henningum Scheuneman. Sus Mineruam, inquit ille. At inquam illa Minerua nondum perſoluit pædagogo mineruał, nec dum didicit literas latinas. Miſerum fatum bonarum literarum. Rudiſſimi qui nondum ſubduxerunt manum ferulæ, ius ſibi ſumunt in virorum doctorum ſcripta, audentque oblo-

Nota VIII. Cum ferula ambulare.

qui infanissimi diſertiſſimis. Hic fructus eſt ſcholarum Paracelſicarum. Octauo: *Meliora, inquit porro illa Minerua ſuilla, de te ſperabam: quamuis mihi ex aliorum ſcriptis cognitum erat, te ſemper virgis betulaceis inſtructiſſimum incedere, &c.* Quid tu ſperaueris, parum intereſt. Tam bœoticum pecus cum ſis, metuere debuiſti iudicia de te Doctorum, & abſtinere à ſcriptionibus ſeu publicis, ſeu priuatis talibus, quales ad me miſiſti. Qui tibi de meis betulaceis ferulis, cum quibus SEMPER incedam, ſcripſerunt, tui ſimiles mendaces, & ſcurræ calumnioſi fuerunt. Quod ſi reformidas ferulam correptionis literariæ, caue ſcribas ferulis digna. Noſti illud Sapientis Prouerb. 26. verſ. 3. Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo ſtultorum.

Nota IX.

Nono: *Cogitabam tamen fore, vt ingenuitate mea te ad meliora conuerterem: ſed operam perdidi, nec mirum. Conſuetudo res dura, vtpote altera natura, quam ſi expellas furca, ſemper tamen recurrit, &c.* Ridicula amentia. Stolidus ille Paracelſiſta putat ſe ſapientiorem ſeptem ſapientibus loquentibus ſententias. Tune rudiſſime, & inſulſiſſime audes tibi fingere aliquam mei correctionem? Opinor in Paracelſiam tuam deliram trahere me voluiſti? Ecquid tibi quæſo eſt præſidii, artis, aut ſcientiæ, quod Libauium poſſit meliorem reddere? Vnum duntaxat agnoſco; cum talibus non luctandum eſſe, à quibus polluaris. Sed ſtudium publicæ vtilitatis veniam meretur.

Nota X.

Decimo: *Gratias tamen tibi ago quod mihi ferulam tranſmiſeris, tibique reſeruaueris ſcuticas à Goclenio & Gretſero tibi datas. Nam vt æquo animo ferulam tuam betulaceam ſuſcipiam, ſuadet Etzlerus, ſerio & ſancte affirmans betulaceam ferulam ſuo ſpiritu, & odore mire triſtes & melancholicos recreare, eiuſque ſpiritum è ferula egredientem per ἀναπνοὴν attractum Hepar reſerare, ictericiæ mederi, &c.* Obiicis rabiem, & inſaniam duorum, cum quibus amplius rixari nolui, nec tempus perdere conuitiis retundendis, ſicut nec tuas contumelias curaſſem, niſi iudicaſſem Reip. intereſſe, vt & tu innoteſceres quali ſis ingenio, tuaq; conuerſatione abſtinerent boni. O miſeros homines, qui non aliis armis poſſunt repugnare, quam rabioſorum canum dentibus & vetularum amentibus rixis. Vin' ſcire quare non reſponderim iſtis? Miſeritum eſt. Millies ſi reſpondeas, eadem conuitia & intemperias audias. Iuſto Dei & Eccleſiæ iudicio vtrumque commendo. Præterea prudentis eſt litem abſcindere, vbi nihil nouorum argumentorum audias. Duobus etiam rixantibus ſapientior is eſt, qui reſpondet nihil. Nimirum tibi nec calido, nec frigido in fide voluptatem creaſſem, feciſſemque vt clamaſſes: Euge Goclen: Euge Gretſere. Place tibi his tuis moribus. Idem autem mihi obiecit etiam Guibertus Lotharingus, & Cramanus: Belli ſcilicet homines, qui cum nihil habeant, quod pro ſe dicant, probro dant prudens ſilentium. Quæ materia diſceptationis mihi fuit cum vtroque, eam Academiæ & Gymnaſia ſuſceperunt, atq; ita tractarunt, vt abundantiſſime ſatisfecerint, victoriaſq; & triumphos reportarint. Fuſtes & ſcuticas Goclenianas & Gretſerianas ego vidi nullas. Fuerunt inanes crepitus, qui vt primum naſcuntur, euaneſcunt. De vi & efficacia flagellorum ex Betula fortaſſe verum ſcripſit Etzlerus tuus. Sed tu eum incorrecta vita mendacem, & periurum facis. Si enim veram in te vim habuerunt ferulæ, cur non fructus ſecutus eſt? Audi non Etzlerum, ſed Salomonem: In labiis ſapientis, inquit Prou. 10. v. 13 inuenitur ſapientia, & virga in dorſo eius, qui indiget corde. Et Prou. 22. v. 15. Stultitia colligata eſt in corde pueri: Virga vero diſciplinæ fugabit eam. Refer huc c. 23. v. 13 & 14. c. 26. v. 3. Eccl. 33. v. 25. vbi remedium eſt ſtultitiæ, & morum aſininorum. Hæc effecta nondum videre poſſum in te, etiamſi tibi ferulam miſſam gratuleris. Quid aliud ex verbis iſtis tuis colligent ſapientes, quam te ad ſtultitiam, & aſininos mores ſic natum, & in eis obfirmatum

Nota XI. Henningus Batonicus.

eſſe, vt virgæ ſeu ferulæ longe ſint impares corrigendo? Iace in tua amentia pro deplorato. XI. *Poſſiſne credere, Docte Libaui, ſi epiſtolam ad te datam legerem, me BATONICVM BATONICVM (pro botanice) lecturum aut pronunciaturum? A pro O ſit ſcriptum. Putaſne hoc ex ignorantia profectum? Malum iudicium, mala proluuies, &c.* In priore epiſt. Batonicum non ego lego tantum, ſed omnes, qui poſſunt legere latine. Dicerem id humanitus factum animo rerum grauitate ſuſpenſo, ſi vllæ res graues occurrerent, aut illiteratus iſte non ſæpe eodem flagitio ſe macularet. Hæ cauſæ faciunt meum iudicium iuſtum. Audi Horatium: In magno opere fas eſt obrepere ſomnum. Tibi indocto non licet, quod viris ſummis. Vt te ad γνῶθι σεαυτὸν adducerem, verbera Priſciano inflicta monſtraui. Id tu adeo

Nota XII. Ad ſcuticā.

fers indigne ac ſi parricidam, aut ſacrilegum vocaſſem. XII. *Forſan tu, qui hebetudine viſus laboras, cui nec aqua Rulandina OPHTALMICA profuit, connexum literarum non bene cernis, pinge oculos ſtibio, imitare viros doctos, ſenſum venare, verba neglige, noli tenere primas inter gracculos, ſi aquila eſſe poſſis, hæc non captat muſcas, &c.* Ecce tuam fatuitatem. Quo plus facis verborum, eo grauius peccas. Non loquor de grammaticis tantum, ſed logicis quoq; atq; adeo rebus ipſis. Quis te iſta effutientem non agnoſcat inſanire? Quid ad acute videndum pingere oculos ſtibio? Aquam ophthalmicam Rulādi ne litera quidem noſti, nedum re & virtute. Bona vero præcepta condis pro arcadico pecore, quod rudere didicit, non autem latine loqui. Si imitari debeo viros doctos, recte tua errata noto, & concludo eum, qui in verbis eius linguæ, quam in ſcholis didicit, & cum rebus imbibiſſe debet, hallucinatur, rerum peritum eſſe non videri. Experientia enim exhibet eaſdem notas, quas vſu ſcribere recte diſcunt etiam lixæ. Rideo te cum tua aquila. Hæc muſcas non captat, ſed nec elephas eas curat. Si ego te muſcam vocarem, iniuriæ dicam mihi ſcriberes. Bene reipſum depinxiſti. Lege librum III. Vlyſſis Aldrouandi de Inſectis. Qui ſis, videbis in hiſtoria muſcæ. Fateor meum peccatum. Te tam virulentam muſcam, quæ vnguentum perdis, non debui nec captare, nec curare. Multa fiunt non

Nota XIII. De Arthemiſia & H demtione.

tui, ſed aliorum cauſa, ne impuræ muſcæ aliis ſint moleſtæ. XIII. *Quod ad ARTHEMISIAM attinet, noſti aſpirationem non eſſe literam, nec latini ſemper ad græcas notationes reſpiciunt, ſic apud B. Gordonium de paſſionib. matricis par. 7. Item cap. 13. Item fol. 333. 336. 339. Et in Philonio aur. conſumatiſſ. medici Dn. Valeſci de Tharanta lib. 6. f. 323. 333. 343. aſpirate Arthemiſia ſcribitur. Si hoc crimen ferula diluendum, nō tam in me, quā in iſtorū manes ſæuire teneris. Si illis parcendū, cur mihi indulgentia denegabitur? Forſan cū mortuis luctari nō vis*

En viuen

En viuen[illegible] [illegible]e ſimilem ſcholæ Oſſantbrug. in VVeſtphalia Lectorem craſſo podice dotatum obtrudo Henricum VV[illegible] [illegible]n Mathematicum, qui lib. de mundi mira: cap. 6. Arthemiſiam cum aſpirationis nota ſcripſit. Si igitur non poteris ob hoc crimen commiſſum manum cohibere, huius præpinguem podicem ferula tua VIBRA, oculoſque tuos iſtius aſpectu paſce: mihi ſaltem parce, qui orthographiam non profiteor, nec ab vllo conductus, vt pueros linguas doceam, quos à lectione librorum meorum arceo. Sed dic amabo Docte Libaui, cur Grammaticorum libertate non fruar, cum aſpirationis notæ poteſtas nulla ſit, niſi quod ſonum augeat illius ſiue vocalis, ſiue conſonantis cui adhæret? Quis adeo ſtupidus vt neſciat, quando ſonus intenditur, auditores magis ad attentionem inuitari? Quia & ego tanquam ad rem maximi momenti aſpiratione excitare volui. Hoccine peccatum ferula expiandum? Hæc tu tam copioſe ad vnum meum verbum: *Arthemiſia.* Et audes me gracculo, hirundinique comparare, cum ſis Architæ crepitaculo clamoſior, & ære Dodonæo, littoreque Adriatico vocalior, magiſque garrulus vlla anu? Qua de re vero? Num de capite, fama, fortunis, ſalute animæ? Non: de tricis, apiniſque, & ſi quid vilius illis. Non de lana caprina. Ea enim adhuc eſt aliquid: Sed de litera H vel Græca aſpiratione, quæ non eſt litera, ſed ſpiritus quidam. Hoc eſt: Scribendum ne, & legendum ſit Hilum, an Ilum, Il an Hil, Henning, an Enning: Seuneman, an Scheuneman: Hering, an Ering, & ſimilia. Hic es copioſus argumentator, & ſimul facetus in podicem cuiuſdam ludimagiſtri: in cæteris magnus malus, piſcis. Adeſte pueri imorum ſubſelliorum, & examinate magnum illum Piloſopum (nihil enim intereſt, te iudice ſic ſcribas, an Philoſophum, quia H non eſt litera, & ſi vſurpetur, tantum attentiores facit) rectène ſcripſerit Arthemiſia annon? Ipſe defendit ſcriptionem argumentis:

Ecce impurum Paracelſiſtam.

Lis ridicula Paracelſica de H litera.

I. *Si aſpiratio non eſt litera, recte ſcribitur Arthemiſia. Eſt enim perinde ac ſi abeſſet.* Quid vos pueri? Negamus ſequi. Finge non eſſe literam, at non omitti debet ſcribendo, & pronunciando. Diſtinguit enim ſignificata, & gentem prodit; vt: Cedrus & Schedrus: Sibbolet, & Schibbolet: Haſta & Aſta: *ἁγνῶς & ἀγνῶς*: Herꝛ / Erꝛ: Hara, Ara: ἕξ, ἔξ: ἕν, ἔν, &c. Non ſit litera apud Græcos, quis eam loco mouit apud Latinos? Dic puer: Quot ſunt Latinorum literæ? Tres & viginti: A, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, &c. Philippus ait magis eſſe aſpirationem H. at ideo non eximit numero viginti trium. Noſter Iohannes Rhenius, & illis accenſet, & inter conſonantes ponit, vocans conſonantem lenem. Huic nos hanc diſputationem committamus, vt doceat magnum iſtum Paracelſiſtam quot ſint Latinorum literæ, inter quas & H vel Ebraica origine, vbi inter Gutturales locum habet honorificum.

H eſt litera apud Latinos, Ebræis, & Germanos.

Arg. II. Latini non ſemper ad notationes Græcas reſpiciunt. Ergo Henningo integrum eſt ſcribere Arthemiſia, pro Artemiſia. Pueri reſpondent nec hoc ſequi. Non enim ſi quid magni autores latini auſi ſunt, id licet teutonico Henningo, qui nec a, nec b, nec c eſt inter autòres latinos.

Arg. III. Gordonius & Valeſcus ſcripſerunt Arthemiſia. Ergo & Scheunemano licet.

Reſp. Eſt Elenchus imparium. Homero licuit dormitare, non Chœrilo. Deinde illi fuerunt æuo barbaro: Seuneman debuit elegantiſſimo, latiniſſimo, eloquentiſſimo eruditus eſſe, quia Doctoratum accepit non in barbara academia, ſed in Romanæ eloquentiæ ſtudioſa. Ex conſequente non, ſi illi cacographia peccarunt vna tecum, vt tu, ita & illi ferula ſunt digni. Duo enim cum faciunt idem, non eſt idem propter circumſtantiarum diuerſitatem. Ad Winandi podicem os tuum impurum merito remittendum cenſent ſcholaſtici. Sacræ literæ ſtultorum dorſo non podici virgas deſtinant. Impuri cordis eructatio impura per os obſcœnum.

Ein Vnflath.

Arg. IV. Scheuneman non profitetur orthographiam. Ergo non debet accuſari, cum in eam peccauit. Ridiculum. Non profiteris grammaticam. Ergo licet tibi grammaticis vitiis abundare in ſermone. Si talis es, ex numero literatorum & Doctorum Philoſophiæ es expungendus. Sin literatus haberi vis, & doctus, intelligis ſine grammatica te nomen, & dignitatem illam noſtro ſeculo literatiſſimo tueri non poſſe, & pertinere ad id genus, quod titulo obſcurorum virorum eſt infame.

Arg. V. Scheuneman non eſt conductus, vt pueros doceat linguas. Ergo licitum eſt ipſi ſcribere arthemiſiam pro artemiſia. Totidem flagra logica mereris, quot argumenta eructas. Quanquam enim nec ego, nec tu, nec multi alii ad id officii conducti ſimus, linguam tamen latinam correcte loqui, & ſcribere debemus, ſi volumus latini videri. Alioquin ſcholaſticis erimus luſui, & ioco. Si non es conductus pædotriba, debes tamen potentiam habere, vt vel tuos filios poſſis erudire, vel ſaltem iudicare rectum & obliquum in grammatica.

Arg. VI. Arceo pueros à lectione meorum librorum. Ergo licet mihi *κακογραφεῖν*. Nec hoc ſequitur. Taceo te mox auditoribus ſono fortiore tua dictata proponere, inter quos fortaſſe ſunt etiam ſcholares: Quid de eruditis ſentiendum? Si peccato ortographico venia ſit apud pueros, non eſt ideo etiam apud doctos, & grandiores natu, quos tu librorum tuorum, ſi libri & non potius monſtra & ſcandala ſunt vocandi, lectores poſcis, vel expectas. In horum purgatis auribus tua cacophonia crimen eſt.

Arg. VII. Notæ aſpirationis nulla eſt poteſtas, niſi ſonum augere conſonantis, vel vocalis, cui adhæret, idque eſt libertatis grammaticorum pro arbitratu facere, aut omittere. Scheuneman voluit Arthemiſiam ſecunda ſyllaba fortius, auctioreque cum ſono enunciare. Ergo bene potuit & ſine errato H adiicere. Reſpondent Grammatici: Scheunemannum non intelligere vim aſpirationis. Neque enim eius poteſtas eſt ſonum aliarum literarum augere, ſed ſpiritum aſperum in pronunciando eis, quibus debetur, aſſignare, & ex conſequente ſcriptura, & elatione diſtinguere, certaque ſignificatione donare. Aliud enim eſt ἕξ, aliud ἔξ: Litera θ aſpirata longe aliam vim habet quam litera τ aut δ: nec vlli Grammatico licuit eas permutare. Id apparet in pronunciatione Græcorum etiam noſtri temporis. Illi enim vocabulum θεὸς pronunciant quaſi δσεὸς diceres; non τεὸς: quo modo ſcilicet & Ebræi ſuum Thau blæſo nimirum ſono. Eſt ideo τὸ θ etiã damnatorium;

at non τ. Myſticum eſt T, at non Θ. In lapidibus antiquis legimus ſcriptum haue pro aue; ſed id vulgi erratum eſt à doctis alienum. A literato viro, & Philoſophiæ Doctore Grammatici exigunt emendatam locutionem & ſcriptionem. Alias iudicant eum non poſſe retinere laudem eruditionis. Omnino ſi vis barbarus eſſe, profitere nomen tuum inter eos, & puram latinitatem abiura: & eris aſinus, quem pigritia & inſcitia aſinum fecit. Ridiculus es, cum ſcribis te per aſpirationem in Arthemiſia voluiſſe auditores ad rem maximi momenti excitare. Quis quæſo eſt, qui non potius vitium agnoſcat in ſcriptione, quam illam tuam intentionem? Debuiſti præmonere lectorem. Quis item tibi illam poteſtatem dedit, vt aſpires ſcribendo, cum vis aliquid intendere? Num ho dicendum eſt, cum vis, ô Deus, pronunciare? ò tempora, ô mores exclamat Cicero, & licet vocem intendat, tamen non ſcribit ho Themphora, ho mhorhes. Verum plurima vbi dixiſti adeo ferulæ verbera non abegiſti, vt etiam ſcuticas multas in te prouocaueris. Ex hac fabula morale ſit: Paracelſiſtæ noſtri temporis non tantum in medicinam ſibi licentiam ſumunt, verum etiam in artes liberales, quaſi rectum ſit quicquid faciunt, & dicunt. Ad alia pergamus.

Nota XIV. Baco an Baccho, Rogerus an Rogerius.

Decimoquarto: *Stulte reprehendis me Baconem Rogerum appellaſſe. Qui ego ipſum alio nomine vocare debui, quam eo ipſo, quo ſe ipſum nominat? In tractatu tertio aurei velleris fol. 546. hic extat titulus:* Ein fürtrefflicher Tractat von der warhafftigen Compoſition deß *Lapidis Philoſophorum Theorice & Phyſice* gantz luſtig beſchriben. *Rogeri Baconis de Sole. Tractatus de oleo ſtibij hiſce inſcribitur verbis:* Von dem Edlen vnd Hochgelehrten *Philoſopho* vnd *Medico Regero Bacone Anglo* beſchriben. *Item in præfatione eiuſdem tractatus:* Vnd weil im erſten Tractätlin der fürtreffliche *Philoſophus Rogerus Baco Anglus, &c. poſt præfationem ita exorditur: De oleo ſtibij tractatus Rogeri Baconis. Quin imo ſingulæ paginæ inſcriptæ ſunt de oleo ſtibij Rogeri Baconis. Adhuc in epiſtola dedicatoria Iohannis Tholdij currui triumphali præfixa bis Rogerus, & nullibi Rogerius legitur: Lipſiæ impreſ. an. 1604. Ne autem exiſtimes amici mei Tholdij eſſe erratum, qui magis practicis operationibus incumbit, quam vt latinitati ſtudeat, qui hac in parte ſuum agnouit defectum, quamobrem Baconis manu ſcriptum exemplar Senatui Medico Academiæ Lipſenſis emendandum, & corrigendum exhibuit. Lipſienſium vero proceres tractatum iſtum non tantum ſumma diligentia perlegerunt, authoritateque gymnaſtica approbarunt: Verum etiam eorum Antiſtes doctiſſimus Tanckius eundem libellum præfatione exornauit, & omnibus arcanorum inquiſitoribus commendauit. Si igitur peccatum commiſſum eſt, his academicis imputari debet, verum academici patres noluerunt delinquere in octauum præceptum, quo cautum eſt, ne quis temere alterius nomen immutet. Ego quidem antehac neſciui te Anabaptiſtarum eſſe dynaſtam, qui Rogerum alio nomine rebaptizaſti, cum huius rei nullum diploma ad meas manus peruenerat. Sed de his ſatis, puto namque te modo iam ſubpudere tuæ impudentiæ, arrogantiæ, & immaturi de me iudicii, me non pudet eſſe eum, qui ſum, qualemcunque tu me iudices.*

Octauum præceptum.

Anabaptiſta

Vetula Paracelſica ridicula commotio

Hactenus hæc rixa. Annon autem de rebus grauibus anus iſta motu puluerem excitans concionatur tam odioſe, tam prolixe, & garrule, vt vel obtundere poſſit legentes? Quid ſi de Scheunemanno podagrico litigaremus, ſaltitarene poſſet in paroxyſmo, an quiritare & lamentari? Magna & digna vindice ſcilicet quęſtio eſt, rectene ſcripſerit Paracelſiſta Scheuneman Rogerus Baco, an ſecus. Videtur enim erudite & latine ſcribere debuiſſe cum eruditis & latinis, correctiſque exemplaribus Rogerius Baccho. Vulgus perinde habet Rogerum, an Rogerium dicas. Eruditis placet Rogerius, idque in annalibus Baronii legitur frequentius. Rogerium Bachonem lego in volumine ſecundo artis auriferæ aliquoties; vbi & titulus: Fratris Rogerii Bachonis Anglici de mirabili poteſtate artis & naturæ libellus. Ita in ſecundo volumine theatri chymici in elencho, & pag. 433. Rogerii Bachonis libellus; Speculum Alchymiæ, &c. Sic Quercetanus eundem enunciat ſæpe de materia medicinæ priſcorum Philoſophorum. Vtrorum autoritas præpollet, vulgine, an eruditorum? Recentium Germanorum, an Anglorum veterum latinorum? Per me tamen liceat tibi delirare, & vel Rhoghethem Bacchum dicere: quid ad me tua deliramenta? Vt autem appareat quam ſtolidus ſis nugator, conſidera quæſo argumenta tua. Eo nomine Rogerus nominandus eſt, quo ipſe ſeipſum. Hoc eſt principium ſyllogiſticum. Credo: niſi per fraudem nomen mutauerit, quod ſolenne eſt impoſtoribus, aut binominis ſit, vel aliquo alio accidente in aliud nomen fuerit ſeu admiſſus, ſeu adoptatus. Quidam etiam adepti ſunt vocabula alia virtutibus, aut vitiis conſpicuis. Interdum patrium idioma magis ſequimur, vt Hans/ Iannes, pro Iohannes; Interdum latinius dicimus. Aſſume: Rogerus Baco ipſe ſeipſum ſic appellauit. Non credo tibi homini factionis mendaciſſimæ. Proba ergo. Audite probatorem robuſtum: Germanici aliquot tractatus in Teutonia noſtra excuſi Rogerum Baconem ſcribunt. Ergo ipſe Anglus ſeipſum appellauit Rogerum Baconem, & non Rogerium Bachonem. Hem acumen. Germani aliqui, qui eſt Iohannes ſcribunt Hans/ vel Hanſo/ & aliter, ſicut Heintz/ Heinzo/ Heino/ ꝛc. eum, qui eſt Henricus, vel Hainrichus. Ergo ipſi ſeipſos ſic nominarunt. Plagam ſtulto, aut Elleborum. Quæ narras de exemplari autographo oblato Senatui Academico Lipſienſi, tunc credam cum argumenta audiuero fideliora. Tibi ſtolido Rhapſodo, & temerario Paracelſiſtæ nulla eſt apud me fides. Tanckii autoritas non eſt magna. Nihil ea obtinueris. Rideo te cum ſcribis eſſe peccatum in præceptum octauum, ſi quis cum veteribus latinis pronunciet Rogerium Bachonem, & non cum barbaris Germanis Rogerus Baco. Vbi eſt illud interdictum? Cum enuncio Henning, num octauum præceptum violo? At tu baptizatus es Henning, & non Henningus, vel Henningius. Fors Anglus Sacerdos dixit in Baptiſmate Roger, aut Roggier, & nec Rogerus, nec Rogerius; Item cognomen vulgare gentiles enunciarunt Bac, vel Bach, non autem Baco, vel Bacho, aut Bachon. Et tamen latini barbaras terminationes ſine violatione legis moralis in latinas verterunt, nec ideo ſunt dynaſtæ Anabaptiſtarum, niſi & tu es Anabaptiſta, qui te appellas Henningus Scheuneman in literis ad me tuis, & tamen baptizatus es Hennig, vel Henning.

Octauum præceptum.

Ecquid agnoſcis ſtoliditatem tuam? Cum probatis latini ſermonis authoribus loquendum

eſt ei,

eſt ei, qui velit artium liberalium Doctor, quem te appellas in libello Kurtzer Bericht / ꝛc. audire, non cum barbaris, & ruſticorum vulgo. Delicatuli ſcilicet & arrogantuli eſtis vos munduli ex fumario fœtido Paracelſiſtæ. Quicquid facitis aut dicitis, licet vobis, nec quiſquam quærere debet, vnde iſta verborum portenta, & carcinomata? Ad alia.

Decimoquinto: Inter alia vitia Grammaticalia erat ſcriptum *Synon Ima*. Si vnicum hoc fuiſſet, non tetigiſſem. Plura fœdiſſima cum occurrerent, conſignaui nonnulla, vt homini pudorem affricarem, quem Paracelſia impudentiſſima pridem detriuerat. Impatientiſſime, & veluti crabro in ocrea furioſiſſime fert ille indoctus, & turpis grammaticus Scheuneman obiectum vitium ſcripturæ in *Synonima* pro Synonyma. Furor iſte, & impatientia delictum geminauit. Iam enim ſcribit *SINONIMA* duplici errato, atque ita incidit in ſcillam dum enatare è charybdi ſatagit. Integram autem Tragœdiam quinque paginas implentem turpiſſime conſarcinauit. Ego vt diſtincte ſingula poſſint cenſeri, diſtribuam in aliquot capita.

Nota XV. Fuſtis Synonimus pro συνώνυμ☉. Tragœdia Scheunemani circa vitium grammaticale Synonima.

Caput I. *Porro* (inquit) *ſi magno I SINONIMA ſcribo, quæ hinc altioris eruditionis ſegmina? aut quo mentem paſcent meliore nectare?* Quid tibi dormitor proderit Endymion?

Reſp. Laberis turpius. In vnico I pro y te admonueram: tu iam vitium geminas. Adeo placent tibi fœditates barbaræ. Quæris de ſegminibus altioris eruditionis? Nihil, inquam, ſequitur eruditionis. Iſtud enim vitium eſt argumentum ruditatis tuæ aſininæ, lege Categorias Ariſt. ſeu anteprædicamenta περὶ συνωνύμων: & cogita te rem non intelligere ſi vocabulum ignoras. Segmen pro ſegmento ponunt. Num tu idem, videris. Stulta ſane & illatina locutio eſt. Nemo eruditorum & literatorum putat iſtum magni æſtimandum, qui cum artium liberalium ſe Doctorem profiteatur, in prima tam flagitioſe impingit. Diſce prius latine, indocte aſine, quam ad ſcribendum accedas. Nectar hoc eſt, vt paruis erratis cautior factus maiora vites, & cum graculus ſis, ne tibi præſumas inter cycnos locum honeſtum. Endymion iſte Grammaticus te debet excitare ad linguæ, calamique vigilantiam & animaduerſionem. Noueris in latinitate tibi valde curtam eſſe ſupellectilem, & ideo tacendum, latitandumque eſſe, ne ſono incondito anſerum obſtrepas harmoniæ Doctorum.

Cap. II. *Iſta ſyllabarum anguſta ſpatia ridet Æſculapius, neque ab hac ſupellectile medicus redit doctior, apage iſta oculorum infida naufragia, aurium inſidioſa blandimenta, ſi in his luxuries an non hoc eſt ætatem in ſyllabis conterere, & ad Ariſtarchi calamum aliena carmina compingere, vt audias ô hominem literatum ſeculi ſui lumen, Grammaticorum decus, gloriam, delicias, quem omnes muſæ, omnes charites ſuum venerentur, quem Apollinem, quem Mineruam, vt dij ament honeſtentque lauro. Nimirum poſt effrenatam conuitiandi libidinem, poſt crudas contumelias, irriſiones, cachinationes. Quidni laurum characteriſticis commentatoribus, litterionibus iſtis criticis caſtigatoribus, quibus à Græcorum dictionibus ſeu voculis à paucis quorundam codicibus omnibus latinitas? &c.*

Paracelſiſta rudis rudes vult eſſe medicos.

Reſp. Pulchre te depingis tuo vnius penicillo. Quid eſt aniliter nugari ſi hoc non eſt? Animi character ſermo eſt. Niſi ſtultus eſſes, & elegantiarum in dictione oſor, iſta tam temere non effunderes. Recte Salomon: Os fatuorum ebullit ſtultitiam. Ego te corripui in leuiculo errato. Si prudens fuiſſes, correptio profuiſſet. Vt enim iterum Sapiens: Plus proficit correptio apud ſapientem, quam centum plagæ apud ſtultum. Garris de ſyllabis apud Æſculapium. At tu non eras Æſculapius. Non ſi ad medicum actu medentem non ſpectat ſermo emendatus, & ſcriptio correcta, neque ad Profeſſorem, Doctoremque liberalium artium ſpectat. Lege tamen non tantum hippocratica illa de Lege, de Arte, de Medico, de decente ornatu, &c. Sed & quæ poſt fugatam Barbariem medici Latiniſſimi, Germani, Itali, Galli, &c. ediderunt. Si aliqua in te eſt ſcintilla boni viri, erubeſces, & intelliges, quam futilibus & anilibus nugis coneris tuam plusquam aſininam inſcitiam palliare. Si ad lectulum ægroti ſtetiſſes, & de morbo medicinaque verba feciſſes, hæſitatio tua tolerari poterat: at epiſtolam ſcribere de rebus Chymicis, & errare loquendo DOCTOREM, non eſt tolerabile.

Cap. III. *Non neſcis, Docte Libaui, quod Barbari egregiam operam in medicina nauarunt, & præclara ſua experimenta poſteritati quamuis minus latine commendarunt. Quis hos ob minutula quæque auſus fuit reprehendere? Quis ſine illis perfectionem artis conſecutus? Horum ego picem ſi tangam qui non inquinabor ab ea?*

Barbaris barbaries condonatur: Ergo & Scheunemano.

Reſp. Et quis te, ô hominum ſtultiſſime, iuſſit barbaros autores ſequi? An non habebas Hippocratem, Galenum, Fuchſium, Fernelium, Celſum, Matthiolum, Amatum, Cratonem, & tot latiniſſimos, vel latiniſſime, elegantiſſimeque redditos autores? Remittendus mihi es ad epiſtolas obſcurorum virorum, & Priſcianum Vapulantem Friſchlini. Mirum vero cum ſis Paracelſiſta ſtultus, quem ipſe Paracelſus viuis coloribus depinxit in ſuis chirurgicis, & alibi, quod non tibi licentiam ab ipſis barbaris quoque ſumſeris. Paracelſus enim tuus neque Auicennam, neque Meſuen, neque Galenum, Hippocratem, & omnino vllos curat. Omnes ſe iubet ſequi. Qui etiam ſequuntur, vt Seuerinus, Quercetanus, & alii, nolunt barbari videri dictione. Eleganter enim ſcribunt licet terminis vtantur Paracelſicis. Quis te barbarorum picem tangere iuſſit? An tu Paracelſiſta etiam aliquid á barbaris hauſiſti? Vbi ſunt documenta? A Galenia ad Paracelſiam, non ad barbaram medicinam defeciſti. Quid de te homine furuo, & ignoto, qui non ita pridem deſerta Galenia in caminos Paracelſiſtarum ſtolidiſſimorum irrepſiſti, dicendum eſt? Scribite Henningum Scheunemanum in prima linea obſcurorum virorum, & in gratiam eius facite comœdiam de latinitate barbara viri horrei, vel horrei viri, qui cum inter philomelas natus ſit, maault cum cuculis, & gracculis, ſturniſque barbarum quid ſonare, cumque potuerit aræ aſtare, cum Grillo in hara ſuillum quid grunnire pro delectamento habet. Negat ſine barbaris medicis quempiam conſecutum eſſe artis perfectionem. Quis eſt qui hoc ſcribit? Henning Scheuneman Paracelſiſta.

Lib. 1. de tumorib. &c. cap. 7. Croll. in admonitoria. Parac. tom. 2. defenſ. ſexta.

Nota bene: Vbi ergo monarcha Paracelſus?

Quid hoc monſtri? Eſt tale genus impoſtorum, qui omnibus veteribus, & nouis reprehenſis, abiectis, contemtis, conculcatis, ſingulare genus medendi mentitur, & cum ſtultiſſimum ſit, tamen cardinem, & clauum ſapientiæ ſibi vendicat. An ergo nihil perfecti habet ſine barbaris? Alii ſummo ſtudio id negant: vnus Paracelſiſta Scheuneman, vt habeat quo flagitium grammaticale palliet, affirmat. Quid reliquum eſt Paracelſiſtæ quin hoc vlcus ferro excindatis? Si illi barbari experimenta habent, quæ tu amplecteris, vbi illa in tuis peſtilentibus ſanationibus apparent? cur noua proponis? Cur vellicas omnium de peſte ſententiam, & ſcabiem tuam Paracelſicam ſubſtituis? Non par eſt, vt is ſe barbarie barbarorum defendat, qui in cæteris omnibus eos pro ſtercore habet.

Cap. IV. *Damna tu* (inquit porro) *roſas, quæ ſpinis internaſcuntur, ride mella,* (ſine diſtinctionibus ſcribit homo fatuus, & indiſcretus) *quæ per fauos currunt, calca ſaccharum, quod incultior cortex ambiat hac ſuauia? Nec prudens rerum æſtimator admirabitur eum, qui ſolum aerem verborum largitur tanquam nobilem pompam rebus caſſam & vacuam? Quis non videt prudentius medicinam vulneribus infundi, quam ſonos auribus? At dictionis amœnitas mulcebit aures, fateor: Aegros nunquam ſanabit, non purgabit, non leuabit, lauigata ſelectilium verborum compoſitio feriet illos, non nego, nullam ſatiabit mentem doctam.* Reſpondeo:

Hîc quoq; te fatuum, & bliteum, & plumbeum eſſe euidenter demonſtras. Tune ex ſpinis barbarorum roſas protuleris, qui contemtis omnibus ſingularia Chymica proponis? Vbi ſunt tuæ iſtæ roſæ? An cum ſcribis S I N O N I M A pro Synonyma, iſtæ ſunt roſæ? Scilicet quas aſinus Apulei comedat, vt ex inſano conualeſcat. De melle, ſaccharoq; nugaris, vt te botanicorum & ruſticorum ſeruuli rideant. Verba ſine mente licet alias nemo miretur in motionibus, ſomniantibus, ſtultis aniculis & delirantibus, tamen in te mirantur, qui vis eſſe Doctor liberalium artium. Deliras cum ſcribis prudentius medicinam infundi vulneribus, quam ſonos auribus. Vtrumque periculoſum eſt, ſi inepte & imperite fiat, & aliquando ſatius eſt camarinā vulnerum mouere vnguentis, quam verbis mentem. Amœna dictio ſanare poſſit an non, deliberate vos Paracelſiſtæ, qui multum tribuitis verbis, & ſimilibus ineptiis. Naturaliter quid poſſit bonus ſermo, ſapientes explicant, noruntque Oratores & Poetæ. Si oratio comta non ſatiat mentem doctam, vt tu ais, ſylueſtrem, horridam, & incomtam, quæ vix vlli ſatisfaciet erudito, eſſe oportet. Omnino nihil tibi excuſationis eſt in barbara dictione. Non enim aſtitiſti lecto ruſtici febricitantis, ſed ad Libauium vitioſe ſcripſiſti volens videri literatorum apex. Cap. V. *Tu ſolus tam firma memoria* (inquis) *vt neſcias ſcientias eſſe labiles?* Reſp. Mentiris nugator. Scientiæ non ſunt labiles. Aut enim ſunt principiorum, aut ex principiis demonſtratorum. Si id labile eſt, quod tu putas te ſcire, falſa ſcientia eſt.

Crollius in admonitoria Chymia. Parac. in chir. mag. parte 1. tract. 2. cap. 8.

Cap. VI. *Quot practicos in tota Germania inuenies, qui Grammaticorum regulas verſiculis comprehenſas recenſere poſſint? Si omnes neglecta praxi ludimagiſtros agerent, facile eorum recordarentur. Verum prouerbio dicitur:* *Pluribus attentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

Reſp. Infamia afficis medicos longe te meliores. Ego ſcio plurimos eruditiſſime & elegantiſſime ſcribentes. Si neſcis, lege epiſtolas Scholtzii, & commentarios ſummorum Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Angliæ, &c. virorum. Practici fuerunt ſummi. At & latiniſſimi. Nullus tam fœde labitur, ac tu, qui tamen omnibus audes dicam medicam ſcribere in tuo peſtilente tractatu. Non tenent regulas: at vſum regularum non ignorant. Tu neque regulas ſcis, neque vſum regularum. Noli vero præterire academicos medicos, qui ſi non eſſent, tu non eſſes Doctor medicinæ, & fortaſſe Hadrianus Romanus, qui tibi lauream Doctoream impoſuit, iterum demet. ſi perrexeris tam vitioſus Paracelſiſta eſſe. Cap. VII. *Minutula quæpiam ſummi viri negligunt verſutiloquentiam contemnunt, quæ & olim quoque erat blandorum morborum comes, doli cogitatrix, maleficum opprobrium, quæ quod ſplendor violenter deprimit, obſcurorum marcidam attollit gloriam.* Reſp. Diuinas belle. Tua enim verſutiloquentia contemnetur ab omnibus doctis. Quis autem tu es, qui tua ſcutica digna errata comparas cum dormitionibus ſummorum virorum? Tune vir ſummus? Imo cloaca dignus.

Chaos Vitiorum.

Cap. VIII. *Nunquam mihi ſint tales Deus mores, vita viis ſimplicibus inſiſtam, in qua licet non omnes ex omni ſcientiarum quaſi oliuis & venetis plenam colligam autumnitatem, exprimunt tamen non ignobilem palmitis rorem, qui ſatis ſit vt à muſis laudata veniat gloria.* Reſp. Si quid garrias intelligis, miror. Quæ ſunt iſtæ viæ tuæ ſimplices? At non Paracelſicæ ſemitæ, imo latæ in perniciem ambages? Tua autumnitas (vt ſtulte loqueris) quid pariet? An non labruſcas, & pro vitiis vitia? Si à muſis gloriam petis, diſce rectius ſapere, loqui & ſcribere. Muſæ non ſunt inſcitiæ patronæ.

Cap. IX. *Hæc cum ita ſint, & nemo qui bonus eſſe volet, rectique tenax implacabilem ſe præbeat ſibi exorabilem aliis ille peſſimus eſt, qui dare veniam niſi ſibi neſcit, noli Docte Libaui, quicquid calami lapſu & Typographi errore commiſſum eſt, ferula corrigere, alioquin viri docti tibi de nouo officio gratulabuntur, teque relegabunt ad Officinas Typographicas, vt tandem te correctore libri omnes emendatieres prodeant.*

Perge potens prægnantis ouanti lumine mentis *Scripta vetuſtorum detenebrare Patrum.*

Num etiam hinc doctior fortunatior proſiliet medicus? Non magis quam adminicula aurea laudatam vitem dabunt, quam gemmei freni equum meliorem, quam bracteata iuba leonem generoſiorem. Reſp. Ecce vetulam, quam eſt verboſa? Si tu quæres placabilitatem, inuenies; ſi orabis, exorabis. Tune vero tumidus & inflatus Paracelſiſta ab vllo veniam petas? Imo pertinaciter deliramenta tua defendere pergis. Si potes humilis eſſe, & te ipſum, tenuitatemq; tuam noſſe, cur ſcribis plenam faſtus & inſolentiæ Paracelſicæ epiſtolam? Cur nugatis plus quam vlla garrula anus ad defenſionem flagitiorum tuorum? Cur addis contumeliam, iniurias, mendacia, ſcommata? Deprecanti conuenit modeſtia, & correptionis cum emendatione humilis agnitio. Vbi hæc in te? Non ſi tuas ſcriptiones arguo, prælis ſum præficiendus, quanquam quilibet Doctor vi iuramenti debeat vera docere, & falſa redarguere in ſua profeſſione. Incuria Typographiarum nimis nota eſt. Poſtquam labores eruditorum inceperunt mercimonium fieri bibliopolarum, irrepſerunt tot ſphalmata, vt vix agnoſcat quiſque

laborem

laborem ſuum, & doleat tam deprauatum eſſe, quod ipſe correctiſſimum dedit. Quæ de Patrum ſcriptis detenebrandis narras, ad te non ſpectant. Non enim es vetus pater. Medicus in opere medico ex correctis ſcriptis non fit agilior: doctior tamen fieri poteſt. Perſpicua enim ſententia magis iuuat, quam verbis perplexa & polluta, quæ ab emunctæ naris viris negligitur potius quam legitur.

Cap. X. *Si tu poetas laureatos*

Grammaticos humiles qui ſolo cortice gaudent Quos non admittit intus pinguedo medullæ.

Cæterosque linguatos eloquentiæque caupones pro doctis medicis agnoſcas, & cenſeas, fateor me ad hoc iugum taurum eſſe imparem. Si autem tibi medici ſunt qui ægrorum ſanitatem & ſalutem non iſtam verborum concinnitatem muliebre ornamentum non illam venuſtam dictionem criſpam fœmineæ comæ paramentum quærunt, qui vtramq; medicinam hoc eſt veterum, & Neotericorum præcepta in iuuentute didicerunt & experimenta iuxta medicorum canones longo vſu comprobarunt, tunc ſane cõmuni populi ſuffragio huic catalogo me inſcribi patiare.

Reſp. Si vera narras, vtramque medicinam te à iuuentute didiciſſe, & longo vſu ſecundum canones medicorum ſcientiam tuam comprobaſſe, poſſeque bene mederi, cuius nomine etiam medica lauro es honoratus, non eſt vt timeas. Gere te talem, qualem profiteris. Sed tu te Paracelſiſtam ſtupidum in medio eruditorum demonſtras. In qua academia creantur vtriuſque medicinæ Doctores tales vt Galenicam vituperent, explodantq;, Paracelſicam laudent, doceant, exerceant? Impudentem Thraſonem in te videmus non medicum genuinum. Interim ſi medici gloria vis frui, debes de his quæ didiciſti docte, & eleganter, etiam diſſerere, & loqui poſſe ſicut ſcis facere luminà noſtri æui. Ne ſis item adeo præſumtuoſus vt tuam Paracelſiã anteferas hippocraticæ medicinæ, vt ſoles in peſtilitate tua: & ſicubi erraſti, patere te in viam ſine murmure reduci, ſed fruſtra cano ſurdo. Tu coryphæus & vertex vis eſſe medicorum cum nondum ſis cauda. Amet te tuus populus, & medicum dicat. Non moror. Ego illos medicos agnoſco qui tales ſunt, & re, & iudicio ſapientum. Quam longus ſit vſus medicinæ tuus non curo: vide vt pariter fuerit proficuus.

Cap. XI. *Hoc votum illuſtriſsimus princeps ac dominus D. Iohan. Caſimirus Dux Saxoniæ vtriuſq; noſtrum princeps clementiſsimus, quem quondam Bambergæ diuina Dei gratia ea arte à febrili incendio liberaui non denegabit. Inquire apud magnates, & nobiles Franconiæ num arte an fortuito ſanauerim. Illi nihil magis in votis habent quam vt amplius meis conſiliis frui poſsint.* Reſponſ.

Finge vera eſſe quæ narras, quid ad tua errata grammaticalia, & ruditatem latinæ locutionis? Si tam felix & artificioſus fuiſti medicus, cur te aula dimiſit? Cur proceres Franconiæ non repetunt? Audiui qui diceret te redire cupiẽtem Bambergam, reiectum, repulſumque eſſe. Illuſtriſſimũ meũ Principem ſanaueris an nõ, nihil moror, nec libet inquirere. Fuit qui ventris onus totum (ſit venia dicto) cõmiſcuit, & cuiuſmodi eſſet ore guſtauit, dignus talibus lactucis. Si princeps meus etiam tuus eſt, cur eius Gymnaſium liberale & Academicum ferularum crimine flagellas? Nobilitas Francica non curat arte, an fortuito ſanes. Parum eſt tibi præſidii in multitudine artis imperita.

Cap. XII. *De te tui patroni quid? Amicus quidam meus nuper hæc intimauit:* es hat auch ꝛc. *Reddam latine ne offendantur aures noſtrorum. Doctor Libauius librum dedicauit nobili & ſtrenuo N. N. Quia vero ipſius Strenuitas honorarium diſtulit vltra tempus, ob id multum moleſtiæ factum aiunt, id quod dictus nobilis comperit. Itaque paulo poſt poculum argenteum inauratum ſexaginta florenorum pro honorario ipſi offerri curauit, id quod ſtrenuitas ipſius mihi ipſa cum apud ipſam eſſem dixit, prætereaq; tantum intellexi, quod dictus D. Doctor Libauius non redire debeat, quia tales libros non magni æſtimet &c.* *Nota bene de patronis.*

Reſp. Si tales ſunt patroni quales tu mendaci tuo calamo deſcribis, næ ego illos pro patronis non habeo. Si eorum honorem & gloriam meis operibus notiorem reddidi, agnoſcant meam de ipſis honorificam ſententiam. Ad gratias per munera referendas nullum adegi. Quicquid fecerunt bono animo, minimeq; aſtricto fecerunt. Promiſerant ſcriptis epiſtolis remunerationem nõ ſemel, ſi ſeruantes fuerunt promiſſorum, id præſtarunt quod maxime cõmendat nobilitatem. Multis meas opellas de more conſecraui. Qui ſe munificos, aut non probarint, non eſt vt tibi homini maledico, qui laudem & præmium virtutis calumniaris, aperiam. Beneficos ad beneficia non impuli. Si ab aliis admoniti ſunt promiſſorum, mea non fuit importunitas. Verum id quod res eſt ſcribam. Nobiliſſimo & ſtrenuiſſimo D. N. N. ſignificatum curaui id quod tu ſcribis. Is coram fideli teſte ſancte obteſtatus eſt, ſe quicquid fecerit, animo liberali & ſpontaneo feciſſe. Scit enim nobilis ille perire gratiam munificentiæ ſi animus ſit difficilis, & coactus. Coniectura illa me non debere redire, ſtolidi hominis eſt, & qui tam nobiliſſimi viri quam meo honori parum eſt æquus. Scio veſtræ factionis nebulones paſſim vagari, & ſe apud nobilitatem cum aliorum vituperio, ſui vero plauſibili commendatione inſinuare, & aliquid ſiniſtræ voculæ arte iſta diabolica elicere. Sed qui conſtanter ſunt ſapientes, prudentesque ſuſurronibus talibus non præbent aures. Ego ſuaſerim nobiliſſimo vt tales deinceps fuſtibus, & venabulis, vel canibus ex ſua aula abigeret. Ita rectius conſuleret ſuæ dignitati. Poculum miſſum mihi tam carum eſt, vt ne duplo quidem eo caruerim. Eſt enim monumentum veri de meo opere iudicii. Seruo & literas quas tum ipſe vir nobiliſſimus ſua manu ad me ſcripſit, tum alii nobiles, ignobiles, quibus facile poſſim te impudentiſſimi mendacii conuincere. Quæ vero eſt iſta comparatio: Scheuneman magnas de ſua medicina ampullas proiicit, Libauius honoratus eſt poculo 60. florenorum? Hoc ne mihi dedecori, illud tibi honori? Fors tu ſtercus & lotium guſtando tantum non accepiſti, & doles mihi pro honeſto opere tantum datum? An oculus tuus nequam eſt, quod alii in me liberales?

Cap. XIII. *Profeſſor quidam in Gallia hæc ad me ſcripſit: Efficiam Deo bene concedente & atteſtante mihi mea conſcientia, vt videant omnes boni, quantum in Libauio ſolidæ eruditionis ſit, multum loquentiæ, & garrulitatis quidem in eo eſt ad ſcribendum, ſed vas tinniens & Ægyptiacum reperies vbicunque dabitur cum eo conferendi locus. Nihil habet in receſſu: Sunt omnia ad oſtentationem comparata. Sed de his alio tempore.* *Nota de profeſſore Gallia.*

Reſponſ. Nihil & hoc ad rhombum. Finge iudicium iſtius profeſſoris verum eſſe: Tunc ideo priuilegium habes in Grammaticum ſermonem? Si vero lubet iſti blateroni, & inani oſtentatori Gallo mecum in pugnam deſcendere: experiatur. Virum inueniet. Non metuo bombos anicularum, & aſininos crepitus. Ipſa verba indicant hominem eſſe fatuum, & tui ſimilimū. Non me latent conuenticula Paracelſiſtarum, & conſpirationes in me clancularię. Sed ego eas ne pili quidem æſtimo.

Cap. XIV. *Alius quidam hæc narrat: Libauius ſtultus in Syntagmate ſuo extremo me grauiter & iniurioſe laceßit, quod ſi itaque ipſi integrum eſt immerentem me tantis traducere ſannis, quidni in mea poteſtate poſitum fuerit par vt pari referam.*

Ex mathematicon: hili Veſanus paracelſiſta.

Reſp. Quem velis bene video. Hinc illæ lacrumæ. Iſte perfidus amicus clam literas miſit ad Rulandum, Tanckium & alios, quæ cum proprio ſigillo ad meas manus peruenerunt, & in quibus tum me traduxit, tum ſiniſtra quædam de Quercetano ſcripſit. Eas literas ſeruo, vt calumniatorem iſtum clancularium ſuo tempore perfidiæ conuincam. Non ita pridem Marburgica vulpecula in præfatione ſuarum exercitationum me verbis ſcopticis tetigit. Ego non verba ſed argumenta expecto. Irriſorem inanem contemno. Experietur autem ille bellus ſapientulus breui quam curta ſibi ſit ſupellex in Hermetica. Stultum me vocari non miror. Is morbus eſt inſanorum. Alios putant delirare: Sua ſibi deliramenta ſunt mera ſapientia. Date ei bonum hauſtum de D. Hartmans Speiwaſſer, vt ſtultitiam euomat, & à faſtu ad humilitatem detrahatur.

Cap. XV. *Hæc tibi notifico non vt bilem mouerem, ſed quia tu recte admonuiſti oportere citra adolatorium ſchema philoſophiam tractari, tum vt cognoſcas quid de te viri docti cenſeant, tum ne te quicquam celarem quo candidum meum in te animum proſpiceres.*

Libauius tãgit Vlcera Paracelſiſtarum paulo durius. Hoc ferre non poſſunt, ſed maledictis vindicant.

Reſp. Si quæ ſcribis alio loco, tempore, & forma mihi ſignificaſſes, potuiſſem animi candorem & ingenuitatem agnoſcere. Nunc cum obiicias ex mero liuore ſtudioque vindictæ, & animo amarulétiæ felle pleniſſimo, præter illiberalia crimina nihil video. Quid Philoſophiæ eſt in iſtis tuis narrationibus? Inuectiuæ eluceſcunt: nihil philoſophiæ. Quos autem viros doctos narras? Tui ſimiles ſcilicet picas, & coruos qui conſpiraſtis in Libauium, quem ſi poſſetis, in atro iure deuoraretis. Longe alii & plures, & laudatiores ſunt docti quibus mea non ſordent, vt eſt in meridiana luce. Tuum & tui ſimilium de me iudicia nihil ſunt niſi infamationes, & opprobria quibus viros doctos & honeſtos soletis conſpurcare. Hactenus Tragœdia de vnica litera I in voce Synonima.

Nota XVI. *Verum ex eſto ludus moroſiorque vellicatio: rem ipſam non eloquentiæ tumore ſed rerum ſoliditate librabo, afflictamque inſcitiam verborum veracium lumine diluam, nec me terrent efferæ tuæ voces, nec diſcolor tuus vultus, viuum inter fragores minarum colorem teneo, alium quære quem ſubigas, quem à vero dimoueas.*

Haſtenus verbà, iam res.

Reſponſ. Bella tranſitio. Vt incipis, ita telam texes, & finies. Stulte ſcilicet omnia. Id ad oculum cognoſces. Linguam tuam impuram de ſubigendo coercuiſſes ſi ſapuiſſes. Dum rerum ſoliditatem ampulloſe promittis, videris mihi ſcriptorem Cyclicum Horatii agere, aut Elium illum prætumidum Iobi 32. Sed procede.

Nota XVII.

Paracelſiſta Cancriſſans.

Mithridaticum Theriaca.

SCripſeram ad Henningum de Henningo duplici, altero Galenicæ doctrinæ ſectatore, altero eiuſdem contemtore, qui profeſſione Galenicæ medicinæ abiecta, & proculcans magnis compoſitionibus, Theriaca, mithridatio, canonibus priſcis &c. Paracelſiam doceat. Res eſt in propatulo, extatque publicis typis diuulgata. Anno enim Chr. 1608. Bambergæ ex Typographia Antonii Horitii prodiit charta patens, vt appellant, cum titulo, Breuis inſtructio (Kurtzer bericht rc) quo modo per diuinam gratiam abſque multo ſumptu lues peſtilens ſit curanda, & ſananda, ex „ veris experimentis, & fundamento philoſophico pro diuitibus & pauperibus confecta per Hen„ningum Scheuneman Med. Doct. & principis Bambergenſis medicum &c. In ea inſtructione „ mithridatium eſt in aliquo honore. Auctum enim auri calce propinatur: Item Theriaca nondum euiluit. Datur enim cum hyacintho præparato, & Bezoare Orientali ex aceto ros: Ingreditur etiam aliam quandam compoſitionem non vilipendendam diaphoreticam & Epithema duplex cordiale, ita vt in internis & externis ſuum locum obtineat. Eodem anno prouolauit alius tractatus latinus cum inſcriptione: Paracelſia Henningi Scheunemanni Semipolitani Saxonis de „ morbo mercuriali contagioſo, quem peſtem vulgus nominat, ex quintuplici ente, Dei nimirum, „ aſtrorum, pagoyi, veneni, & naturæ prognato. In hoc tractatu nihil fere probatur niſi quod Paracelſum ſapiat iuxta titulum, qui etiam pag 1. *Monarcha medicinæ* dicitur, cuius definitio peſtis cæteris antefertur.

Summa libri Scheunemanni de peſte mercuriali.

Cap. II. *Galenus* de morborum diſtributione proponitur quidem, ſed ei opponitur *Argenterius* & *Galeni* defenſores pag. 4. redarguuntur: pag. 6. diſtinctio morborum ſimilarium tradita à *Galeno* prorſus labefactatur, vt vana, & irrita merito putetur habenda. Idem dicitur pag. 8. præmiſſa *Fernelii* opinione de morbis materiæ, quanquam in peſte ab eius ſententia recedat Ariſtarchus iſte, & redarguat *Fuchſium* pro *Galeno* ſentientem pag. 12. vt & cæteros quos hallucinari ſcribit pag. 13. productis *tribus chymicorum principiis* tanquam cauſſis omnium actionum, vt eſt pag. 15. pag. 17. ait peſtem à cauſa efficiente *mercurialem morbum* eſſe, ſe in *Botonomantia* ſua explicaſſe.

Inde

Inde cap.3.peſtem *ex Ente Dei* educit,& curam ponit *Supplicationem*, qua placatus Deus ſanet, adhibita tamen plerunque aliqua naturali cauſa.

Cap. IV. Peſtem *ex aſtris* deſcribit conſentientibus Galenicis, & Arabibus,quibus tamen *Paracelſus* præfertur pag. 25. & *Adamantia* Scheunemanni iubetur conſuli, & explicatur modus quo cœlum in homine ſulphur accendat, vt inde peſtis trium vomitoriorum fiat, omnia ex Paracello transſcribendo, quanquam pag. 31. etiam *Galenum* & *Hippocratem* attrahat,quaſi vocabulis colludentibus ſtatim ſit mens eadem. Remedium proponitur *auri ſpiritus*.

Cap. V. Agitur de *Ente peſtis pagoyco*, vbi per propriam imaginationem quis dicitur *Baſiliſcum* microcoſmici firmamenti in ſeipſo gignere, quod *Imaginatio* hominis malorum omnium ſit mater vt eſt pag. 33. quo refertur & *peſtis per incantationem*, negaturque pag. 37. imaginationi iſti quicquam reſiſtere,quanquam præſeruantia proponantur,magiſtratus prouidentia,& moderamen imaginationis: Curantia vero naturalis magiæ *vſus imaginum*, *Gamahaornm*, *verborum*, *& characterum*,quæ ſpecies duntaxat contagium illud auertant. pag. 39. proponuntur medicinæ ex aſtris, Mithridatium olympi, Theriaca cœleſtis, ſuffuf æthereum &c. quæ opponuntur medicinis ex terra, dicunturq; ex arte cabaliſtica, quæ ſit pars magiæ, ſcaturire, & formidinem imaginationis tollere, Commendatur & *fides naturalis dominans omnibus*, quæ ſit illa Chriſti montium translatrix, vnde vſus vetus *Gamahæorum*, *Characterum*, *Imaginum*,cum fide ſcilicet rigida coniunctus, qua ratione etiam ſerpentes per ὀρεὶ ὀρεὶ ὀρεὶ adiurentur, quod & Pſylli fecerint. pag. 41. *Galenus* arguitur inſcitiæ, vt qui ignorauerit veram præparationem carnis viperinæ, quã promittit in tractatu ſuo de venenoſis animalibus Scheunemannus GRATIS. Nam in arcanis ſeruari dicitur.pag.41.nihil ſperari debere ait ſine addita ope & auxilio *characteris triangularis Ylhaſtrici*: tam ſimplicia, quam compoſita medicamenta ad iſtam peſtem eſſe petenda è cœlo microcoſmico Iouis, & Veneris commercio, vt Xenechdon, aranea auellanæ incluſa, lingua ſerpentis plenilunio extracta, cor lupi, Talpæ, Vpupæ &c. Sequitur deſcriptio Mithridatii olympi, Theriacæ cœleſtis, & ſuffuf atherei ex rebus monſtroſis magna ex parte, quæ num vnquam fuerint in rerum natura dubites, nec adhibitæ alias leguntur à Scheunemanno. Fit autem ex iſtis amuletum magicum, vt eſt pag. 42. & 43.

Imaginatio Paracelſica.

Magica peſtis Therapeutica.

Fidis naturalis.

Serpentum adiuratio.

Pag. 42.

Cap. VI. De peſte ex Ente veneni declamat, quod beſtiæ aerem conſpurcent, & expuant venenum ad peſtis generationem. In margine citatur Hipp.in lib.de Aeribus:Gal.lib.de Ther.ad Piſ. & 1.de diff.feb. Hipp.3.de morb.vulg. Adduntur beſtiis barathica &c. Cœlum dicitur Elementa, & mixta diſponere,vt in venenoſam ſubſtantiam abeant,quod fiat cum Mercurius in ſalis humido reuerberatur, & ſublimatur, ſicut artiſtæ ſublimatum argentum viuum conflant, & inde aquam Gehennæ faciunt. Sublimatum putat eſſe puluerem illum quem Hipp.poſteritati contemplandũ commendauerit, quaſi is ſpagirus fuiſſet. Attrahitur in eam ſententiam & *Galenus* de aere miſto vaporibus venenatis ex Æthiopia, quaſi & *Galenus* ſciuerit aliquid de argento viuo ſublimato, qui ſit *Galeni* vapor, & puluis *Hippocratis* vt habet pag. 45. quin & *Foreſtus* adducitur, & dicitur eſſentiã naturalem peſtis cenſendam eſſe ex ſale, ſulphure & mercurio hominis, ſi in his pedem figat venenũ, ſiue omnib, ſiue duobus, ſiue vno. Reprehenduntur antiquorum *ſigna Diagnoſtica* pag. 47. & alia ſulphurea &c. proferuntur quæ dicuntur patronymica pag. 48, indeque accidentia enarrantur, & ſigna alia. pag. 52. defenſicula vulgaria carpuntur vt pil. peſtilentiales, & Electaria, quia non poſſit certo ſciri quenã feriat peſtis,nec medela ſint tangendi illi, qui ea nondũ opus habent. Negatur cor, cerebrum, Epar eſſe ſubiectum peſtis. *Confortatiua* reiiciuntur: *Diaphoreticum* negatur peſtis alexipharmacum eſſe. *Theriaca* peſtem non curat, inquit Marginalis nota pag. 53: ſed ſolum abigit ſomnum narcoticum. pag. 54. cõmendatur præſeruatiuum auri tanquam nobiliſſimum, Item Zenechdon, mithridatium olympi, Theriaca cœleſtis de collo ſuſpenſa. Cura ponitur in Mercurii venenati depulſione, quam negat fieri purgationibus, Theriacalibus &c. licet *Auicenna* præſeruet per Theriac: & mithr. ſed *Auerrhoe* reclamante qui dicitur *Galeni* argumento niti, *Theriacalia eſſe media inter Venena & corpus humanum*, & tempore præſeruationis vbi nullum eſt venenũ lædere potius quam iuuare,ſicut & purgante læditur ſanum. pag. 56. *Galenus* in arenam contra Galenum producitur. *Alexiteria interficiunt, niſi dentur in pauca admodum quantitate, quod & Auicenna docuit.* Diſputatur cõtra Galenum iubentem eam quantitatem qua quis ante infectionem præſeruandi cauſa vſus ſit, infectione iam facta quadruplum aut quintuplum aſſumere. Henningus putat hac doſi cordis robur extinctum iri, idque eo magis quia iam ſit à veneno labefactatum. Accidentis ratione nõ prohibet Theriacam, vtpote attenuantem, aperientem,exiccantem,& venenis aduerſantem, nec interdicit ratione caliditatis, ſed ratione virium, quia vires exantlatæ Theriacam aſpernentur (q.d. Ratione cœterorum Theriaca admitti poſſet: ſed ratione virium non poteſt, quia eas proſternit, vt ante dictum &c.) Ideo infectis pueris datur recte ſcordium, non autem Theriaca quia proprietas puerorum à proprietatis Theriacæ actiuitate extingueretur. Si ſanati ſunt quidam à Theriaca, Mercurius peſtilens non fuit viſcoſus, vel Theriaca non fuit bona (nã bona interfeciſſet) vel aliunde ſunt adiuti. Imo Galenus fatetur ſe non Theriaca ſed bolo armeno profeciſſe in peſte Romana.

Argentum viuum ſublimatum.

Prophylactica reiecta.

Prophylactica Henningi.

Quatenus Theriacam prohibeat Scheunemã.

Idem intelligitur de omnibus alexiteriis, quæ non habent admiſtam vim alimentalem, inquit pag. 57. vt eſt elect. de ouo à medicis Auguſtanis deſcriptum, Elect. Guidonis, ſeu Papæ: Dioſcorid. Fracaſt. Antid. Matthioli: El. contra peſtem Ferdinandi: El. peſtilentiale Baſilienſium: Antidotũ Loniceri: pul. Bezoardicus: mirabilis cõpoſitio regis Francorum: Antidotus Galeni de ſanguinib. quæ omnia corpori aduerſantur ob ſummam actiuitatem, & exiguam corporis reſiſtentiam. Itaq; in hac peſte, qua virtus eſt languida homines interficiunt. (Antidoti neque ad præſeruandum dari debent, neque ad curandum: Ratio eſt: quia ibi nihil eſt veneni, & ſic fruſtra dantur: hic virtus proſtrata amplius proſternitur, & homo occiditur alexipharmacis)

Lib. 9 ſimpl.

Antidota reprobata.

Nota egregiũ argumentũ Scheunemanni.

Si quæ-

Si quæris, ad quæ ergo eſt confugiendum ſi in alexiphatmacis Galenicis nihil eſt præſidii, & potius mors quam auxilium? Reſpondet pag. 58. ad fundamentum fundamentorum. Quod vero illud? Quod venena ad ſe prolectat, & ars ſignata, & cabalia prodit: hoc eſt animalia, & aliæ res attractiuæ bubonibus foris ſunt applicandæ vt venenum eliciant, quales ſunt ad Inguinum bubones ranæ, anguillæ, anates &c. ad alarum, paſſeres, pauones, ciconiæ &c. ad aurium, allium, cepæ, viperarum adeps &c. omnia ex Paracelſo transſcripta. Debent apponi per integrum annum microcoſmicum hoc eſt, 24. horas. Interim danda ſunt alexiteria facultatis alimentalis participia, vt citri ſuccus, acetoſa, margar: aceto ſolutæ: eſſentia auri, lapis Bezoar, bolus armenus. terra lemnia. Quia vero ſulphur incenſum eſt (febris vrget) à potentia ſalis, reſtinguendum eſt Nitro macerato in aceto ros: & ſucco ſedi maioris, foris alligato arteriis: Item lacte ſulphuris per emulſionem (Nam ſulphur linteo incluſum coqui tribus horis in vino bono debet, digitis fricari, exprimi, iterumque in nitrum intingi & toties repeti, donec vinum lacteſcat &c.) proponitur & caphura, ſpecificum anodynum Paracelſi, & alia pag. 60. & 61.

Fundamentum fundamentorum. *Annus microcoſmicus.* *Febris reſtinctio.* *Lac ſulphuris.*

Cap. VII. habet de generatione peſtis ex Ente naturæ, quæ iudice Scheunemanno ex Paracelſo fit, quando in nobis gignitur putredo, qua Mercurius exaltatur, quam, ſi Saturnus cum Luna Mercurium apprehendit, ad aures protrudit & cum ſale in carbunculum coagulat, & ſulphur accendit: à marte, & ſole ea pellitur ad axillas, à Ioue & Venere ad inguina. Ita febris putrida fit, in qua rigor eſt ex ſalis reſolutione, calor ex ſulphure incenſo. Cauſa communis eſt cibus & potus. Cura ponitur pag. 64. Mercurius venenoſus, lentus, fœtidus, tollendus: victus malus fugiendus, vt & cepæ, allia, &c. Si in ſanguine eſt vitium, is mittatur, & dentur alexipharmaca: cæteræ ſuperfluitates diureticis, hydroticis, pharmacis catharticis expelluntur quorum exempla ſubiiciuntur: vt: Præcipitatus mercurius Solis per ſalis ſpiritum, vel calx antim. per halonitrum facta, & ſpiritu vitri: ad colorem lilii decocta: vel Ol. ſalis, vini ſpiritu, & ſolis eſſentia quinta circulatum, vel quint. eſſen. croci magiſterio vitrioli, & tartari circulata. Hæc ſunt cathartica. Hydrotica, Hyacinthus è menſtruo correctus, & congelatus: Bezoar, Theriaca cœleſtis, fl. antimon: albi cum Trach. de vipera, & ol. rubr. vitrioli &c. Diuretica, ſuccus citri, ſp. vitr. aqu. font. vel ſucc. limon. tinctura mineralos maioris, aq. font. & alia. Tandem complicari dicuntur poſſe peſtes diuerſæ, vel etiam altera ex altera naſci, vbi danda medicamenta naturalia, pagoyca, cœleſtia, cito, tuto, iucunde &c. Hæc ſunt illa quæ complexus eſt Henningus Scheunemannus ſua Paracelſia de peſte. Quæro ex omnibus medicinæ peritis, Hippocraticis, Galenicis, Hermeticis, Paracelſicis, num hic Galenicum Doctorem medicinæ agat Scheuneman, an pro Paracelſo contra Galenum, omnesq; Galenicos diſputet, & damnet alexipharmaca eorum tam in prophylaxeos, quam therapeuſeos cauſa? Si verum volent dicere, atteſtabuntur mihi Galenica damnari ſiue veterum ſint, ſiue recentium. Iſta cudit Bambergæ. Quid Aſcherslebii poſt triennium anno 1611. edito Magdeburgi libello? Propoſitio eſt: Quomodo diuina gratia annuente tunc temporis graſſans peſtis curanda ſit tribus arte chymica præparatis, & aſtralibus factis puluiſculis. Num hic pro Galenica profeſſione agit? Iudicate.

Peſtis ex Ente naturæ. *Summa libelli de peſte Aſcanienſi.*

I. In præfatione ait: fere in omnibus ciuitatibus per ordinarios medicos ſingularia regimina in iſta peſte eſſe propoſita, & vix inueniri poſſe quicquam aut dici, quod non pridem à multis doctiſſimis veteribus, & peritis, veræ hermeticæ, & Hypocraticæ arti addictis (Ita ex teutonico ad pedem reddo) ex aſtrorum influentia non ſit proditum, & in lucem datum.

II. Ideo ſcripſi teutonice quia vidi, quod vt plurimum, ſimplices, & pauperes homines iſta lue præoccupati, & ſine auxilio, cuius tamen ſpes ipſis facta (deren ſie getröſt) in Galenicis Theriaca, mithridatio, & aliis coaceruatis contra venena Electuariolis, cuiuſcunque ſane nominis, (ſenſus eſt: eos fiduciam ſpem & ſolatium habuiſſe in illis, vtpote contra peſtem coaceruatis) mortui fuerint cito.

III. Quo modo credendum bene (in maſſen wol zu glauben) quod ſi iſtis mediis abſtinuiſſent natura id venenum fortaſſe bene potuiſſet vincere: (ſenſus eſt idem qui in præcedente tractatu: nempe: Galenica antidota interficere peſte correptos, quia vim proſtratam morbo penitus extinguant. Vnde ſatius fuiſſet abſtinuiſſe ab vſu, quia natura per ſe potuiſſet venenum fortaſſis ſuperare.)

Galenica antidota interficere peſte correptos.

IV. Itaque per vſum (den gebrauch/non abuſum) Tiriacæ, mithridatii, & aliorum ſimilium electuariorum morti veram portam ad moriendum aperuerunt. (quaſi iſtis alexipharmacis viam ad mortem ſibi ſtrauerint, vt non tam peſte interierint, quam vi pharmacorum.)

V. Probatur hoc Galeni confeſſione: *Alexiteria interficiunt niſi dentur in pauca quantitate*, quæ tamen quantitas, vt alibi dicit, præſente veneno nihil proficui poteſt efficere. Quaſi argumentaretur: Si maiore quantitate abſente veneno data interficiunt, nec poteſt parua quantitas veneno præſente iam labefactata natura quicquam prodeſſe, conſequens eſt infectis veneno magis eſſe pernitioſa. Sed calumnioſam eſſe interpretationem, Paracelſi diſcipulo dignam, cognoſces ex cap. 2. ad Piſonem, vbi Marcus Imperator dicitur Theriaca affatim vſus: & cap. 10. vbi diuinum medicamentum vocatur, tantum abeſt vt damnoſum & lethale iudicetur: cap. 15. vbi variis morbis tanquam catholicum commendatur: cap. 16. ſola peſtem curat, vbi reliqua auxilia in vanum recedunt, meminitque ibi peſtis æthiopicæ, cuius & Thucydides cap. 2. & ait, ſe arbitrari Theriacam tanquam ignem expiatorium in peſte præſumtum omne malum amoliri, & contagio afflata corpora perſanare. Ideo & ſecunda valetudine crebrum vſum Theriacæ ſuadet, vti ſoliti ſunt facere Romanorum nobiliſſimi, quod apparet in vita *Caii Caligulæ* apud *Suetonium*, vbi *Tiberius* imperatoris frater antidotum oboluit ſumtum propter aſſiduã, & ingraueſcentem tuſſim, obiiciente ipſi

Calumnia Scheunemanni.

Ipſi Caio: *Antidotum aduerſus Cæſarem?* Idem habes apud Galenum lib. 1. de antidotis cum inquit: Quod ſi quis etiam ſingulis diebus, quemadmodũ noſtro ſeculo Imperator *Aurelius Antoninus*, vel vt ipſe *Mithridates* medicamentum capiat, omnino à deleteriis venenis erit ſecurus &c. Sic vſi ſunt ea *Traianus, Adrianus* & alii. Senatus itaque Aſcanienſis turpiter à ſuo medico decipitur. Nam quod allegat de quantitate aſſumenda, locus eſt in 5. ſimpl. ca. 17, vbi hæc verba χρὴ μέσον τῇ φύσει τὸ ἀλεξιτήριον &c. id eſt, oportet alexiterium medium eſſe corporis quod ſanat & lædentis veneni. Sin. aduerſiſſimum ſit corpori, in id aget magis, quemadmodum aliquod deleteriũ, nec venenum euacuabit (Nota hæc hypothetice dici, nõ categorice) ſcire oportet deleterias poteſtates craſi eſſe maxime contrarias corporibus, quæ ab eis læduntur. Si ergo à pharmacis craſi ſimilibus expurgantur, oportet & hæc craſi eſſe naturis aduerſa (ex fundamento Hippocratico, quod familiare trahat familiare, ſi verum eſt) non autẽ eo vſq; vt interficiant ſed ἐπαμφοτερίζει μᾶλλον (ambigunt magis & inclinant in vtramque partẽ) ἐν τῷ μέσῳ καθεστηκότα τῶν βλαπτόντων, καὶ ὠφελούντων. In præcedentibus alexiteria diſtinxit alterantibus, & vacuantibus, quorum illud fiat qualitatibus, hoc totius ſubſtantiæ ſimilitudine &c. vide & reliqua, quæ à Paracelſiſtis calumnioſiſſime allegantur.)

Vide in 5. methodi de curatione hæmoptoi͡ſeos ex catarrho.

VI. Eſt proinde (ita pergit Paracelſiſta) mirum, cum Hermetici, & Hippocratici Doctores, huiuſmodi illapſos (eingeriſſene/ inuectos, inolitos) damnoſos errores ſatis refellerint, quod nihilominus plures, qui de hoc morbo regimina in publicum ſinunt exire (emittunt) veterum Nænias tanquam precioſum moſchum & Zibetam proponant (zu marck bringen. oportet me pene Germaniſſare, ne ille præſumtuoſus Paracelſiſta clamet ſuam mentem eſſe peruerſam) Galenicas fabulas (mährlin) per longas receptas ex precioſis gemmis, & margaritis, & quæ alia peregrina mercimonia ex VTOPIA afferuntur, præparatas, ſatis pompoſe & faſtuoſe verbis populo (vulgo) offerant, quemadmodum nuper cum compoſitorum, quæ quidam in vnicum medicamentum conſcripſit, numerarentur, & ſupputarentur ſimplicia, inuenta ſunt 379. numero.

VII. Quid autem ſit ſentiendum de medicamentis iſtis coaceruatis, teſtatur autor ipſe, cum paulo poſt inquit, quod homines pauperes poſſint vſurpare puluerem ex Dictamno, Tormentilla, Gentiana, Chamæleontis nigri radice, ſcordio, Carduobenedicto, qui puluis non minus efficax & bonus ſit quam priora (ſumme laudata medicamenta.) Vulgus igitur per tales nugas, garritus, crepitus, & pro more anſerum Martinalium, gratitationes, comploſiones & ſtrepitus (mire copioſus eſt: geſchnatter/ klapper/ getader/ geplader/ geſlader/ quibus ignominioſis vocibus Galenicorum Theriacæ commendationes traducit) adeo turbatur (in errorem ducitur) & copia receptorum, quorum ſemper alterum altero amplius commendatur ſeu prædicatur, ita excæcatur, vt cui credat in magno dubio verſetur.

VIII. Contra illi ſublimiter & bene celebrandi ſunt, qui ſtudioſe indagant medicinam vniuerſalem (ex lapide ſcilicet philoſophico, auro, antimonio, mercurio & ſimilibus) quam (compendium facio verborum) inquirere debebamus, aut ſaltem contra vnumquemq; morbum ad minimum particulare vnum omnibus induſtriæ viribus expiſcari.

IX. Vt tandem prolixi Canones Galenicorum, quibus ipſi ſeipſos impediunt, & intricant inq; errorem ducunt, vt neque principium, neque finem poſſint inuenire, vitentur, & ad ORCVM mittantur. Hæc ſumma fide ex teutonico ad verbum tranſtuli. Iterum autem aduoco iudices Hippocraticos, Galenicos, Hermeticos, Phyſicos, Medicos, & quicunque linguam intelligunt (neque enim res eſt abſtruſa, & perplexitatibus Delphicis implicata) vt per ſuam conſcientiam candide dicant, an iſtis paragraphis Paracelſiſta Scheuneman non tantum canones medicos Galenicorum damnet, verum etiam medicinas eorum compoſitas, & contra morbos cõmendationes? Sed quid tamen iſte Cancer lutulentus agit? *Apage inquit iſta tua MENDACIORVM inuitatoria.* Putat homo calumnioſus & mendax me mentiri dum ipſi tribuo id quod res eſt, & quod expreſſa manifeſtaq; omnibus teutonicam, & latinam linguam intelligentibus ſtatim primo intuitu eſt obuium. Manum ego quidem Leuiſſimi iſtius nugatoris cauſa non verterim: Sed vt omnes videant quam turpes & impudentes beſtiæ ſint Paracelſiſtæ, non potui redargutionem præterire. Qui pudorem nõ perdiderunt, voluntq; eſſe id quod ſunt, candide perſeuerant in Paracelſica perſuaſione, & quicquid contra Galenum dicunt, id conſtanter profitentur. At iſte nihil habet ſynceritatis. Negat ſcripſiſſe quod euidentibus verbis per publicos typos diuulgauit. Videamus quomodo, & qua arte Cancriſſet.

Canones Galenicorum Ad orcum.

Vide quam futilis, leuis & impudens ſit Scheuneman.

I *Theriacam* (inquit) *in peſte iſta, quam ciuitatem Aſcanienſem inuaſuram prædixeram* (ô vatem) *viam morti aperire dixi: Dico, & adhuc affirmo, idq; NON CONTRA GALENVM, quin PRO GALENO, EX GALENO: Vide tractatum meum de morbo mercuriali fol. 55. 56. & ſeq. Id multorum meis admonitionibus non obtemperantium infelix occubitus demonſtrauit.* Reſp. per calumniam citaſti Galeni dictionem, & voluiſti ea conuincere tuos ciues non debuiſſe vti Theriaca, neque ad præſeruandum neque ad curandum, id quod contra expreſſam ſæpius Galeni dictionẽ eſt, & tam rationi, quã experientiæ repugnat. Vide impudens mendax quam pro Galeno ex Galeno dicas locis ſupra citatis reuolutis. An tu nos putas nihil de ſcriptis Galeni ſcire? An vt ignotum dare nobis verba putas? Fortaſſis quam mortem tua peruerſa medicatione incurrerunt, tu Theriacæ acceptum refers? An ita in eos tonas, & qui beate, in Domino mortui ſunt eos infeliciter occubuiſſe dicis, quia tuas medicinas non redemerunt? *Abuſum duntaxat Theriacæ reprehendo, non autem ipſam Theriacam, quod ſatis manifeſte docent hæc mea verba &c.* Hic te ridendum, & explodendum omnibus & lippis, & tonſoribus [e]xponis. Ita n. argumentantur pharmacopolarum diſcipuli, ſi Scheuneman abuſum Theriacæ [d]untaxat non autem ipſam reprehendiſſet, vel vnico ſaltem verbulo eius feciſſet mentionem. At [N]ullum eſt in tota præfatione, ſeu dedicatione de qua agitur. Ergo.

Cancriſſatio Scheunemanni.

Hic fides naturalis Paracelſiſtarum eſt nullarum virium.

II. Qui præter ſpem & fiduciam ſibi factam (nempe vt ſequitur per præconia, getader/ geſchnader/ flapper/ geplader/ geſlader ꝛc.) de mithridatio, Theriaca, & aliis alexipharmacis, peſte ſunt mortui, illi proculdubio vſi ſunt Theriaca & aliis ad præſcriptum. Quo modo enim fiduciã in ea re habere potuerunt quam non vſurparunt ex lege? Ciues Aſcanienſes propter ſpem &c. Ergo &c.

III. Si abuſu peccaſſent ciues, poliatri fidelis fuiſſet, verum, & proficuum vſum docere, & non ſubſtituere priuata medicamenta, quæ ante iſtud tempus ibi locorum in nullo fuerunt vſu, quæque medicus videtur ad ſuam crumenam implendam denuo excogitaſſe, non habita ratione conſilii primi, quod Babebergæ publicauit ſatis bonum.

At Poliater ille egregius non docuit verũ vſum, ſed omnino remouit vetera, ſuaque noua ſubſtituit. Ergo illi non peccarunt abuſu. Sed ecce Paracelſiſtæ ſpiritus aurem vellicat. Quid eſt abuſus? An non intelligis Scheunemanno abuſum eſſe, quia ciues veteribus ſunt vſi, & non magna pecunia redemerunt noua Paracelſiſtica? Fors res acu tangitur. Aſcanienſes debuerunt Theriacam, mithridatium, & alia Galenica ad coruos mittere. Hic verus vſus fuiſſet. Nunc cum aſſumſerunt ſunt ea abuſi. An non hæc mens eſt?

Abuſus Scheunemanni.

IV. Qui dicit per vſum Tiriacæ, & alia veterum antidota apertam fuiſſe viam ad mortem, non dicit per abuſum. Scheuneman dicit. Ergo. Sed hoc argumentum firmandum eſt pluribus ſuccenturiatis: Et ſane ipſe Scheunemannus aſſumtionem Galeni autoritate putat firmari. Vult enim vt & in Paracelſia ſuæ mercurialis peſtilentiæ, Galenum id fateri experientiæ argumento, quod Alexiteria interficiant niſi data in pauca quantitate, quæ tamen quantitas præſente veneno nihil proficui præſtet. Aſciſcit & *Auicennæ*, & *Auerrhois* autoritatem, (Quaſi ſic argumentaretur: Quod maiore doſi interficit, minore nihil proficit veneno præſente, id cum nihilominus ſit valde actiuum, neceſſe eſt obeſſe, atque ita morti viam ſternere. Alexiteria maiore doſi &c. Ergo &c.) *Auicenna* tamen ſcribit cor, ſpiritum & calorem confortare, & præſeruare à peſte, & venenis, quæ certe non ſunt pro Scheunemanno. vide Auic. lib. 5. ſumma 1. tract. 1. & 12. vbi etiam ſenſus roborare dicitur.

V. Qui ſcribit Hermeticos, & Hippocraticos doctores ſatis refutaſſe iſtos errores damnoſos de præbenda Theriaca ante peſtem præſeruationis cauſa & in peſte ſanationis, is non loquitur de populi abuſu, contra quem fruſtra calamum ſumſerint Doctores, & quem ſatius eſt in ipſa praxi tetigiſſe quam ſcriptis notaſſe, ſed de Galenicorum medicorum Theriaces compoſitione, commendatione, & vſu. His enim ſe opponunt Paracelſiſtæ, vt Gramannus, Aſſyluanus & alii, quanquam nec Paracelſo ſæpe Theriacam vſurpanti ſorduerit, nec Quercetanus eam improbauerit, ſi methodus compoſitionis exactior obſeruetur, de qua vide in pharmacopoea reſtituta totum cap. 23. & in Alexic. pag. 485. & ſeq. Crollius in Baſilica pag. 258. aſſumit in Theriacam de Mumia, quam ante luem & in ea vehementer commendat: Ita immiſcet eandem Arcano Theophraſti ad quæuis veneni genera, & licet Theriacæ de mumia ingerat, tamen infectum ea vti iubet etiam drachmali pondere cum Theriaca Andromachi. Qui ergo ſunt illi Hermetici qui Theriacam, & alias antidotos alexipharmacas Galenicorum erroris conuicerunt, & redarguerunt? Aſſumo: Scheuneman iſtud ſcribit vt eſt in propoſitione. Ergo non loquitur de abuſu populari, quem Galenici non minus taxant quam Paracelſici.

Saniores Paracelſiſtæ Theriacam non improbant.

VI. Scheuneman illos tangit qui regimina publicant de peſte, & veterum dogmata, quæ nænias appellat, reponunt tanquam precioſum quid. Id non facit vulgus: neque etiam hic poteſt eſſe abuſus vulgi. Non ergo calamum ſtrinxit in populi abuſum, ſed in rem ipſam de Theriaca veterum.

VII. Scheuneman loquitur de Galenicis fabulis & longis receptis, quæ nihil pertinent ad vulgus.

Mercimonia ex Vtopia.

VIII. Scheuneman exotica medicamina, vt Gemmas, vniones &c. quæ contemtus cauſa ſcribit ex Vtopia apportari, infeſtat. Id non eſt loqui de abuſu populi.

IX. Scheuneman dicit iſta mercimonia magni precii populo verbis tumidis, & magnificis obtrudi. Nemo obtrudit populo abuſum.

X. Scheuneman inuehitur in eum qui vnã compoſitionem fecerat ex 379. ſimplicibus. Is non eſt vulgus. De eodem dicit quod vaſtas cõpoſitiones paucis mutet, & vulgo præſcribat. Vnde colligit populum turbari, & in errorem duci per compoſitorum iſtorum nugas &c.

XI. Scheuneman expreſſis verbis nominat Recepta quorum ſemper alterum altero magis prædicetur, & quibus populus excæcetur, & in dubium vocetur (quaſi medicus deſit qui moneat, & dirigat, aut potius vſum plebis iudicio permittat, ſi adſit.)

XII. Scheuneman alexipharmacis veterum damnatis opponit vniuerſalem medicinam, quã quidam lucis vtriuſque & ſimul medicinæ Doctor inueſtiget. Eã non abuſui plebeio Theriacæ poteſt opponi. Ita requirit ſingulis morbis particulare ſi obtineri vniuerſale non poſſit: quod rurſus non eſt de abuſu populari, qui poteſt eſſe communis tam chymicis, quam non chymicis.

Doctor ex mittendis ad orcum.

XIII. Cupit prolixos Galenicorum Canones, in quibus ipſi dicuntur ſe ipſos implicare, ad orcum mitti (Hoc eſt pœnitet ipſum factum eſſe Doctorem Galenicum, quam dignitatem debet iſtis canonibus, & adhuc ea ſe iactat.) Hoc ne eſt de plebis circa Theriacam abuſu diſſerere?

Scheuneman haberi debet infamis ab omnibus medicis priſca doctrina donec palinodiam canat.

Ita argumentatur:

Qui innocentem crimine mendacii infamat, ipſum oportet de iure tum notam eandem ſuſtinere & infamem fieri, tum pœnas luere. Scheunemannus Libauium innocentem mendacii crimine infamat. Ergo. Idem colligo de inuectiua in Galenicos, & eorum doctrinam. Non abſoluent

ſoluent te Scheuneman, Galenici, niſi expreſſis verbis fatearis te iniuria grandi affeciſſe priſcam artem, quam Galenici profitentur, & profeſſores eius. Recanta tuum crimen ſerio Scheuneman. Quid feciſti ex te ipſo? Videamus autem putidum tui carcinomatis Emplaſtrum. Ita deliras: *Scripſi: Quoniam magna ex parte ſimplices & pauperes venenato iſto morbo praeoccupati, & ſine auxilio cuius tamen fiduciam conceperant ex Galenica Theriaca, mithridatio (quanquam neutrum ſit Galeni) & aliis coacervatis alexipharmacis cuiuſcunque nominis, celeriter fuerunt mortui &c.* Ex his vis ſequi te abuſum tantum notaſſe: quaſi ſententia ſit: *Neglecta methodica curatione:* Hæc enim verba vis ſubintelligi. Sed ô lepidum caput perſuade hoc tuis ſimplicibus, & pauperibus. Galenicis qui tuam mentem ex verbis colligunt, nunquam facies fucum. Peccauit Paracelſiſta in artem medicam & medicos. Crimen vult diluere. At auget. Ad Anticyras cum tali capite. Fortaſſe vero etiam ſic es bilinguis, aut aliud ἐνὶ φρεσὶ κεύθεις ἄλλο δὲ φάζεις. Nam quod ais, ſimplices illos tuos neglexiſſe methodicam curationem, id eo ſenſu dicis, quod Galenicis medicinis, non autem tuis chymicis ſint vſi. Si hæc eſt ſententia, fruſtra te excuſas. In eodem enim adhuc hæres luto, & me mendaciter mendacii accuſas.

Scheuneman Paracelſiſta Galenicus eſſe ſimul vult & tamē Galenica damnat.

Aliud: *Neque veterum doctrinam* (inquis) *noxium errorem appello:* Quid? An negas te ſcripſiſſe quod ſcripſiſti? Quid ſibi volunt iſta verba: *vt tandem prolixi canones Galenicorum: quibus ſeipſos implicant, & intricant, vt neque principium, neque finem poßint inuenire, ad orcum mittantur.* Quid aliud ſunt canones Galenici, quã doctrina veterum medicorum à Galeno repetita? Quæ ſunt iſtæ veterum Næniæ in regiminibus Galenicorum? An non producis quandam ſententiam Galeno aſſcriptam, & ea ipſa veteris contra Galenum, & Galenicos? Qui ſunt illi errores noxii quos refutarunt tui Hermetici? An non illi canones quibus ſe implicare dicuntur? Hem impudentiam, perge: *Quæſo ſantori palatu, fauce, lingua, dente, mea verba rumina &c.* Rideo te fatuum caput. Quid ruminem amplius cum ad rauim vſque & nauſeam ſingula voluerim, & nihil inuenire potuerim quam turpem inuectiuam in eam doctrinam, & profeſſionem, quæ tibi lauream peperit, & qua adhuc vis innoteſcere? An non id eſt in proprium nidum cacare? Galenici doctoris gloria vis frui, & Galenica principia damnas. vah te ingratiſſimum, & tibi ipſi iniurium hominem.

Impudentiã Scheunemañi mira.

Aliud. Scripſiſti: *Cum Hermetici, & hypocratici* (ſic adhuc ſcribis ferula dignus) *Doctores huiuſmodi inuectos, ſeu inolitos damnoſos errores ſatis refutauerint.* Fateor: ſic ſcripſiſti, quanquam lingua vernacula. Quis eſt ſenſus? Tu dicis: *Qui erant iſti errores? Paulo ante dixeram, quod populus rudis omnem ſpem recuperandæ ſanitatis in vnam Theriacam, vel mithridatium, vel inſimile quoddam ex multis ſimplicibus & variis compoſitis coadunatum medicamen collocaret, quo ſolo contemtis cæteris medicationibus ſanitatem conſequi poſſe omnes ſperabant:* quod *abſque dubio ipſe Galenus ſi reſurgeret ab inferis redargueret.* Hæc eſt tua explicatio: Sed nugaris. Omnia verba tua totusque contextus, vt & quæ in Paracelſia prodidiſti, & iam repetis ex Galeno longe aliud ſonant. Hosne tam fatuos putas, vt Germanice loquentem Germani non intelligamus? Ad populi errorem redarguendum non opus eſt, nec Galenum ab inferis reducere, nec Hermeticos armare. Tuum erat hoc officium, qui eras medicationi tuorum ciuium præfectus. Tu non ipſa antidota debebas mutare tuis puluiſculis, qui longe magis abuſui ſunt obnoxii, & dubii pleniores ob recentem inuentionem, & tuum ſolius DICERE; quam duorum millium annorum ſpacio comprobata publice Theriaca & mithridatium. Itaque tua plebs laudanda potius fuit, ſi maluit longi temporis præſcriptione, & cõmuni experientia cõprobatis, confirmatisque medicinis vti, quã tuæ temeritati ſe committere, certa ſi Deus per publica iſta antidota non iuuaret, multo minus adiuturum per tua priuata vix pridianæ inuentionis, plena fumis Paracelſicis, & plus quam agyrticis prædicationibus. Cœterum illi tui Hermetici quid reprehenderint in Galenicis compoſitionibus, & vſu, ne putes nos ignorare.

Ad ferulam.

Aliud: Scripſeram te contemnere compoſitiones veteris artis. Non ſcripſi id tantum, ſed & probaui ex te ipſo. Quid tu? *Siccine abuſum corrigere tibi eſt rem ipſam contemnere?* Vah correctorem. Id ne eſt errorem plebis corrigere, hoſtiliter inuehi in Galenicos, Galenicorum canones, compoſitionesque & eas mutare recens excogitatis mineralibus, nec dum vſu ſpectatis medicinis? Rurſus ais: *Nonne Theriacam tanquam vtile topicum externum omnibus commendaui?* Ridiculum caput. Cur non commendabas vſum internum verbis antiquorum quæ apud Galenum, Auicennam & alios leguntur? Imo tuos puluiſculos omnibus ante tuliſti. Non erat inuenta Theriaca principaliter propter externam impoſitionem. Non erat prius alio medicamento ſudor mouendus & poſtea Theriaca apponenda pectori, id quod etiam naturæ eius aduerſatur.

Nam Theriaca propter paſtillos Theriacales à centro ad ſuperficiem propellere impuritatem venenatam, corroborare intus, & venenum iugulare debet. At tu tuis impoſitionibus id quod protruſiſti repellis, Vah hominem carum, & medicum induſtrium. Dicis: *Hæc verba veteris artis compoſita Theriacam, & mithridatium non contemnunt.* Belle. At tota dedicatio tua nihil aliud habet, & inter alia etiam infernum canonibus Galenicis imprecatur. An non autem hoc eſt implicite contemnere nobiliſſimam antidotum ab interno vſu legitimo relegare ad externum illegitimum? Eſt autem in iſtis verbis rubor quidam tuus: Te enim arguunt impudentiſſimæ impudentiæ, qui tota præfatione pene ſcabioſiſſime locutus de Theriaca, iam indicas te ea carere non poſſe. Quod ergo me mendacii inſimulas, id retorqueo in tuum ipſius caput, quod iam impudentiſſimorum mendaciorum ſæpius eſt conuictum. Hactenus Cancriſſatio Scheunemanni probroſa.

Nota XIIX.

Cur Paracelsista potius velit Hippocraticus esse, quam Galenicus.

QVanquam Paracelsus, qui & ipse se arcanorum monarcham vocauit, & à Scheunemanno monarcha medicorum in Paracelsia pestilentiæ appellatur, tam veteres omnes quam recentes se sequi iubeat, & Hermetici parabolici tria chymica principia amplexi nec Hippocratis, nec Galeni qualitates, & humores probent, tamen Gramanus, Quercetanus, Scheunemannus & alii nonnulli videri malunt simul & Hippocratici, & Hermetici, non autē Galenici, licet Quercetanus & alii modestiores quidā etiam vsurpent titulum Dogmaticorum, & sint ingenui, quos omnino laudandos arbitror, qui nullius addicti iurare in verba magistri, vt Horatii verbis vtar, quicquid Galenus veri habet, probant, probant & quicquid veri Paracelsus seu collegit, seu inuenit, seu ampliauit veritatis enim sunt studiosi, non autorum, iuxta Peripateticæ scholæ ingenuæ morem, quæ amicum Platonem amat quidem, sed magis veritatem, & iuxta sententiam eorum qui hominum studia sequuntur, sed vsque ad aras. Ita aliud est consensus opinionum, aliud animorum, potestq; fieri vt hominem amemus, cuius tamen opinioni non adhæreamus. Ita Hipp. lib. 1. de Diæta Ego recte dictis testimonium præbebo. Quæ vero non recte dicta sunt & cognita, qualia sint declarabo &c. Sic Crollius in admonitoria. Verum illud mirum est cur, cum Galenus nullam aliam medicinam agnoscat præter Hippocraticam, nec alia fundamenta ponat, & insuper in hoc diligentior sit, quia longe plura medicamenta ex vetustate protulit, & artem sic illustrauit, vt non immerito hinc Galenica dicatur, cur Paracelsistæ (Nota: Loquor de Paracelsistis, non de Paracelso, qui & ipse expertus est suos discipulos à se alienos) Galeno & Galenicis sint infesti, Hippocratem autem in suas partes trahant, & Hippocratici iuxta, ac dogmatici, Hermetici, Paracelsicique, audire gaudeant. Seuerinus in Idea mirifice sententias Hippocratis, vt videantur paracelsicæ esse deprauat. Eum sequuntur Crollius, Hartmannus. & alii Hermetici simul & dogmatici. Gramanus arripuit librum de veteri medicina (quem Comes Montanus negat esse eius Hippocratis qui scripsit librum de natura humana, cuius fundamenta subruuntur) quia in hoc qualitatum elementarium non quidem nulla, minor tamen ratio est quam potestatum interiorum substantialium quæ in victu elucescunt, quod veteres putauerint non siccum neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quicquam hominem lædere, neque aliquo horum homini opus esse, sed quod in vnoquoque forte, & humana natura potentius est, quodque non possit superare, hoc ipsum lædere dixerint, & hoc auferre quæsierint, vt saporibus se prodentia, dulcissimum, amarissimum, acidissimum &c. Assyluanus opponebat Galenicis librum de flatibus, seu spiritibus, vbi dicitur flatus ipsos vere omnium morborum, quos ibi recenset omnimodas esse causas, cæteraque omnia quæ causæ videri possunt, vel hos adiuuare, vel consequenter post hos in corporibus morbos generare &c. His iungunt librum de aere aquis & locis: item libros Epidemiorum, & alios nonnullos, præsertimque placet illud θεῖον, quod de tribus principiis hypostaticis exponunt, item illud, quod Pætus dixit, pestiferam luem non sanati naturalibus auxiliis: Item quæ de calido habentur in lib. de carnibus, quæque in libello de morbo sacro, vbi morbi omnes dicuntur diuini esse & humani, & quilibet naturam & vim habere in seipso, nullusque nec auxilii, nec remedii expers esse, & plærique his curati, à quibus etiam nascuntur. Ita & in lib. de locis in homine: per similia morbus fit, & per similia adhibita ex morbo sanantur: quod accipiunt ita, quasi voluerit Hippocrates mercuriales mercurialibus, salinos salibus, sulphureos sulphure, cœlestes cœlestibus, magicos magicis &c. curari: quæ est regula Paracelsica: similia similibus esse remedio, secus ac Hippocrates in lib. de flatibus scripserat, & alibi de contrariorū per contraria cura Quærebam ex Scheunemanno *cur Hippocraticis principiis insistere vellet, non autem Galenicis?* Mihi enim eadem vtriq; principia esse persuasum est, nec voluit Galenus aliam artē profiteri quam Hippocratis, de quo statuit: Nihil male scripsisse. Respondet Scheunemannus: *Hoc tibi hac vice do responsi. Me malle sequi Hyp.* (ita enim scri-
„ bit Hypocratē, Hypocratica &c.) *quod eius dogmata adeo firma & certa sint, vt cum singula pene verba Phi-*
„ *losophicum aliquod mysterium contineant, à* NEMINE *totis iam bis mille annis vel minima ex parte conuelli, aut*
„ *erroris argui potuerint, tum quod nullus medicorum aut verius, aut breuius, aut grauius scripsit, tum quod eius do-*
„ *ctrina de causis morborum chymicis principiis magis conueniat, verosq; morbos omnes à spiritibus, flatibus, proxime*
„ *proficisci docet, qualitatesque primas, neq; fundamentum, neq; scopum medicinæ esse asseuerat: Galenum vero in*
„ *multis errasse ab Arabibus & Latinis, ab anatomicis, & chirurgis ostensum est. Quæ vero ex veterum scriptis recenset*
„ *Galenus lubens admitto: Errores solum repudio iuxta illud: Omnia probate &c. Artis fundamenta semper certa*
„ *manent, quamuis in improbum sensum à quibusdam male feriatis, & olim interpretata & exposita sint, quos carpit*
Hyp. lib. de veteri medicina. Hæc tu sic satis ingenue. Sed patere quæso te admoneri. Primum dicis Hipp. dogmata firma, & certa esse. Vellem exposuisses quid per dogmata intelligeres, placitane omnia Hippoc. an ea quæ medicinæ sinceræ axiomata, & principia dicimus. Si illa, sane & apud Hipp. multa sunt à vero aliena: Si hæc: etiam apud Galenum dogmata medica sunt certa, vt propter hoc nulla ratio sit cur magis Hippocraticus quam Galenicus esse velis. Quod autem multa Hippoc. placita sint à vero aliena, puto tibi constare.

Vide paradoxa in lib. de flatibus & de anima in lib. 1. de Diæta. in lib. de corde venæ sunt ex corde: in lib. de Alimento radices sunt in Epate. in lib. de Genitura dicit eā à toto corpore secerni &c. quod nec Aristoteles, nec anatomicus Physicus medicus cōcesserit. Sunt enim eius gignendæ certa instrumenta in quibus semen formam & vim accipit, quibusque sublatis, aut in facultate læsis

Aliud est de Paracelso loqui, aliud de Paracelsistis.

Opinio Veterum cal. hu. sicc. frig. non lædere aduersatur communi experientiæ.

semen

ſemen ſit nullum. In lib. de carnibus platonicum chaos aſtruitur, quod tu non receperis, vti nec calidum quod dicit Immortale intelligens &c. quaſi Deus ſit calidum in mundo. In eodem libro fœtum in vtero materno alimentum, & ſpiritum ſuctu oris trahere autumat, quod tu vix probabis, vt neque omnia de corde, cuius ſiniſtro ventriculo animam includit, contra ac in lib. de morbo ſacro. In lib. de arte & veteri medicina morbos & ſanationes ex Diæta, & purgantibus &c. conficit, idque veteri medicinæ aſſcribit. In lib. de victus ratione in morbis acutis, negat veteres quicquam memorabile de victus ratione conſcripſiſſe &c. Quid opus multis? Cum Paracelſus totam medicinam mutauerit, nec quicquam eius poſteriorum dogmatum (Nam aliter ſenſit cum adhuc Hippocraticus & Galenicus, & Auicenniſta eſſet) inueniatur in Hippocrate re vera, ſed potius Galenica ſint omnia: tu autem Hermeticam Paracelſiam profitearis qui potes dicere omnia dogmata Hipp. eſſe certa, & firma? Si hoc eſt, Paracelſica erunt incerta & infirma: Si illud, falſum eſt de Hipp. Quod autẽ attinet ad Paracelſicas interpretationes, quibus volunt ſuum facere Hippocratem Paracelſiſtæ, eas irrideret, ſi ab orco rediret vel Paracelſus ipſe, vtpote qui monarcha medicinæ eſſe non poſſet, nec eo nomine gloriari, ſi Hippocratica profiteretur. De Hipp Seuerinus in Idea cap. 14. Hippocrates paucas remediorum facultates expoſuit curandi rationes mirabiles, quibus hoc ſeculo vti non licet, multis in locis demonſtrauit. De remediorum præparationibus, iudicationum compoſitionibus, in quibus vniuerſa medicina fundatur, nihil ab illo proditum eſt &c. Item principia medicinæ naturæ legibus conſentanea nobis etiam communia monſtrauit. Vide Tom. 5 Parac. pag. 190. 207. Tom. 4. pag. 252. 294. & alibi. Lege Epiſt. Hippocratis ad Democritum. Verum hoc tranſeat.

Item lib. 1. de diæta ſtatim in initio.

II. Singula fere verba aliquod philoſophicum myſterium continere, velim demonſtres. Omnibus enim perſuaſum eſt qui Hippocratem legunt, verba nihil aliud velle quam quod ſua ſignificatione lectori offerunt. Myſteria tua philoſophica quæ Hermetica, Chymiatrica, Paracelſica &c. proculdubio intelligis, nullus non dementatus præconceptis opinionibus videre poteſt. Nulbi enim apparent Sal, Sulphur, & Mercurius, & reliqua veſtra.

III. A nemine erroris vel minima ex parte conuelli potuiſſe te ſcribere vehementer admiror. Quid ergo ſentiunt de qualitatibus, & humoribus illi qui Galenicos Hippocraticos vocant HVMORISTAS? Humores ab Hipp. aſſeruntur in lib. de nat. hominis: In lib. de genitura: In lib. de carnibus, vbi & de qualitatibus. Lib. de locis in homine, vbi morbi ex humoribus, vt & in lib. de internis affectionibus, de morbis muliebribus &c. In lib. de flatibus (qui longe alii ſunt à ſpiritibus chymicis & aliis Paracelſi) Impetum quidem morbificum tribuit halitibus, ſed non ſine ſanguine, pituita, aqua, qui humores ſimul ſunt morborum cauſæ, & exiſtunt ex nutrimento, quod potentia eſt ſimile nutriendis membris, ita vt iiſdem conſtent viuentia quibus etiã nutriuntur, nec refert etiamſi ſymbolici medici, ſeu chymiatri alia nomina rebus ex arte chymica tractis imponant. Non enim res mutatur ſiue in ſubſtantia viuentium, ſiue nutrimentis, ſiue medicamentis, ſed tantum modus & conſideratio rei. Cæterum humorum decretum eſt etiam in lib. de cathartícis. In lib. 1. de Diæta *hominẽ conſtituit ex igni, & aqua quæ ſint ſufficientia tum aliis omnibus, tum ſibi mutuis: Ignem ait mouere: aquam nutrire: Igni adeſſe caliditatem & ſiccitatem: aquæ frigiditatem, & humiditatem, quo mutuo participent in iſtis duobus corporibus, vnde putat exiſtere omnigenas ſpecies ſeminum, animaliumque inter ſe diſſimilimorum &c.* En tibi fundamenta Peripatetica, & Galenica, quæ repetita ſunt à tot philoſophis & medicis. Iſte eſt quinarius. Calor cœleſtis, & 4. materiæ partes à Deo in creatione commiſtæ: quæ Hip. Ariſt. Plato, Gal. Auicenna, chymici omnes Hermetici veteres humorum & Elem. nominibus explicarunt: Chymici ad tria redegerunt Baſilio monacho, & Iſaaco Hollando primis iisq; recentibus autorib. quos ſecutus eſt Paracelſus, Seuerinus, Quercetanus. &c. Lege totum illum contextum, & non deprava Paracelſicis ſputis. Videbis Galenica. (Quid ſentis de his: Anima hominis habens temperamentum ignis & aquæ, partes autem hominis, irrepit in omne animal quod ſpirat & omnem hominem &c.?) *Puer ex calidis & humidis temperatus eſt* (inquit) *quia ex his conſtitutus eſt, & in his augmentum accepit.* Vide & cæterorum temperamenta quæ vos Paracelſici irridetis. Lege lib. 2. de Diæta vbi hæc: De ciborum & potuum vi quicunque in ſumma dicere aggreſſi ſunt, de dulcium, pinguium, ſalſorum &c. facultate, non recte iudicant. Non enim eãdem vim habent &c. Lege de hordeo frigido ſicco, & ex paleis purgatiuo: Lege de reliquis cibis, quorum temperamenta videbis explicari qualitatibus. Acetum frigefacit Hippocrati. Num & Paracelſo? Vinum calidum eſt & ſiccum &c. omnino nihil Hipp. habet à Galenica alienum, à Paracelſica vero valde diſſonantia omnia: Vnde & repetitur axioma: Ex igni & aqua omnia conſtituuntur & animalia, & terra naſcentia, his augeſcunt: In hæc reſoluuntur, Tune hoc credis? Vbi ſal tuus? Conſidera & quæ tertio de Diæta conſcripta ſunt. Qualitates elementares, & humores Galenicos deprehendes. Ita in lib. de alimento, de vſu humidorum: De humoribus: De morbo ſacro: Libr. 1. de morbis, vbi *omnes morbi ex his quæ in corpore inſunt, bile, pituita &c.* Item à qualitatum primarum exceſſu, à laboribus &c. Et hæc principia per totos libros ſpectantur, & nominatim lib. 4. ita ait: *Cum ſint quatuor, Sanguis, Bilis, Pituita, Aqua, omnia hæc à me demonſtrata ſunt & cur, & quomodo copioſiora fiant à cibis, & potibus &c. Lege & reliqua* antecedentia & conſequentia. Volebam & cæteros libros excutere, ſed operam ſuperuacaneam me ſumere vidi, cum Hippocrates genuinus vbiuis ſibi conſtet. Dic iam per tuam conſcientiam, an nemo extitit qui potuerit Hipp. redarguere? Si affirmas, Paracelſiſtas omnes refutas, & Galeni artem confirmas. Si negas, vide quid ſcripſeris. Seuerinus Elementa Hipp. qualitates, & humores negare non poteſt. Vt autem Paracelſica fiant iſta, vult Hipp. humores intellexiſſe cum tincturis & principiis: qualitates tantum comites eſſentiarum eſſe voluiſſe, quod & Crollius accipit, Elementa

Hippocratica omnia eſſe & Galenica.

menta vero interiora ab eſſentiis inſeparabilia intellexiſſe. Finge hoc ita eſſe: cum Galenus fundet ſuam doctrinam in hippocratica cur non & Galenum ſic interpretatur? Fortaſſe negabis Paracelſum & Paracelſiſtas contradixiſſe Hippocratis dogmatibus.

Paracelſus contra Hippocratem.

Si facies, os impudens habebis, & leuiſſimus vitorum iudicaberis. Paracelſus tom. 3. libr. de Peſte in præfatione reprehendit medicos à 4000. annis, & eorum libros reiicit cum ſcriptis Rogerii, Bartobaliæ, Guidonis, Lanfranci, Theodorici, Auicennæ, Galeni, imo & Hippocratis, Apollinis, Machaonis. Lib. 1. de Tartaro tract. 1. Hippocratis doctrinam de calculo falſi accuſat. In lib. 2. Labyrinthi reiicit libros veterum tanquam inſufficientes, quanquam in Epilogo ſeptimæ defenſionis ridicule commendet Machaonem, Apollinem, Hippoc. qui curarint cum vero ſpiritu medicinæ, quaſi non conſtet qua arte ſanauerit Hippocrates. Vide mag. chirurg. partis primæ tract. 2. in prooemio: & 2. part. tract. 1. ad Lectorem, tum præfationem Chirurgiæ minoris. Vocat Carinthiam Aſylum Hippocraticorum: quaſi idem ſit Paracelſicus, & Hippocraticus. In paramiro de quinque Entibus morborum Hipp. facit magis ſpiritualem, quam naturalem medicum delire, Galenum, Auicennam, Rhaſin vocat Naturales, cur non & Hippocratem, niſi fanatico ſpiritu? Galenum tamē ſtatim magis vult fuiſſe medicum characteriſticum quam naturalem libro 2. prolog. num. 5. prol. 1. ſunt autem characteriſtici qui per characteres omnes ſanant. Vbi extat apud Hipp. quod potuerit ſpiritus herbarum, & radicum cogere, illisque mandare vt ægrotum ſanent? Ille vero Hipp. lib. 4. de morb. inuiſibilibus nihil poteſt ſine aſſumtis. Tomo 4. Valentii Antrapalli iudicio Hippocratis, & Galeni ſcriptis anteferuntur Paracelſica, negaturque cum veteribus congruere Paracelſi doctrina. Idem Paracelſus lib. 1. de Podagricis negat Auicennam, Hippocr. Galenum, quicquam effeciſſe, quos ſi ſequatur, nec ipſe ſit quicquam effecturus. Vnde negat ex illis diſcendum. Idem reperitur alio libro de Podagricis. Vide inſaniam eius in omnes veteres tomo quarto, pagina 367. 368. & ſeq. vbi de Caduco nugatur, & iras effundit in omnes facultates, quanquam libro ſecundo de Podagricis Apollinem, & Hippo. aliquantulum videtur commendare. Quam ſtulte deprauet Aphoriſmos Hippo. videre eſt in appendice Tomi quinti, vbi etiam perſuadere vult Teutonicos, & Italos medicos non intelligere Hippocratem, cuius humores quam rabide alibi perſequitur? Quam honorifice tractat Hipp. & alios priſcos Tom. 5. pag. 190? In lib. 2. cap. 4. de vita longa Tom. 6. negatur intellexiſſe ſatis Epilepſian pellendam. Lib. 1. cap. 2. de vita long. negatur Deus dediſſe Hippocrati quicquam, præter ea, quæ creaturæ ſunt, & nec hæc plene: licet capit. nono, de quodam Hipp. garriat qui filiam ſuam extra naturalem influentiam in corpus ab omni natura alienum transformarit Magia, quam fabulam & Scheunemannus reponit. Quid opus verbis in re manifeſta? Conferantur Paracelſica & Hippocratica. Apparebit Monarcham illum vanitatis omnia antiqua voluiſſe conculcare. Si iam non potuit conuinci erroris doctrina Hippocratica, quin deles omnia ea quæ ſecus in Paracelſo & tuis ſcriptis habes?

Scheuneman aut mentitur, aut Paracelſiam ſubruit.

IV. Dicis nullum medicum verius, breuius, grauius ſcripſiſſe. Iam autem Paracelſus & Paracelſiſtæ multa, ne dicam omnia hippocratica mutant. Num ergo mendaciter, prolixe, leuiter? Si enim veriſſima grauiſſima & breuiſſima ſunt Hippocratica, ea quibus mutantur, erunt contraria, & ſic Paracelſiſtæ vel non erunt medici, vel mendaces, leues, &c.

V. Doctrina Hipp. magis conuenit principiis chymicis, inquis. Nolo tecum diſputare de illis principiis. Si ita lubet, indulge tuis parabolis. At quo modo demonſtrabis magis tuis principiis conuenire, quā Elementis, Elementorum qualitatibus, humoribus, ſpiritibus, victui, & extrinſecus aduenientibus, quæ eadem habet Galenus, Auicenna & cæteri cum Platone, Ariſtotele, ſimilibusq; Phyſicis? Tune potes videre tria principia chymica in Hippocrate quæ nullus alius nec veterum, nec recentium? Neque enim Seuerini & ſequacium commenta recipimus.

VI. Vbi dicit Hippo. veros morbos omnes PROXIME à flatibus (vaporibus, halitibus, aere attracto &c.) proficiſci? In omnibus flatus monſtrat, ſed non proximas morborum cauſas facit.

VII. Vbi aſſeuerat quod qualitates primæ neque fundamentum, neque ſcopus ſint medicinæ? Notum eſt quod vitia ex Diæta, & externis magis conſideranda eſſe moneat, ſed interim qualitates non eradicauit ex medico campo. Et quis hoc faceret in æſtibus immodicis, in gangræna, ſphacelo, pernionibus ex frigore elementari, qui non ſunt leues morbi, vel etiam mortes? An Paracelſica non peccant exceſſu qualitatum primarum? Nemone Paracelſiſtarum calore immoderato inceditur, & frigore hyemali intenſo gelaſcit, vel aliter læditur?

VIII. Galenum in multis erraſſe nouimus. Num ideo etiam in principiis eſſentialibus medicinæ? Num ideo omnia eius explodenda? Tune es ἀναμάρτητος. Multa deſideramus in omnibus gentilibus.

At interim illorum libri ſcholas occupant. Quid tribuendum putas tuis dilectis Chymicis, ſi eorum regulas Ramus aliquis aut Galenus deberet ad ſcientifica principia, & methodum reuocare? Lege quæſo quæ de interitu Alchymiæ nuper publicauit Nicolaus Guipertus, & quæ Riolanus contra Alchymiæ, non Quercetani, cauſam. Cur mea ſtudia in hac palæſtra non adiuuas potius quam vellices? Hæc de hoc quoque.

Nota

Nota XIX.

Sitne Scheunemannus Paracelſiſta.

ITA interrogas: *Plurane iſtius farinæ recoxiſti placenta?* Num in tua officina Placenta coquantur ignoro: In mea culina fiunt placentæ. Sed quid rei eſt? Scripſi: *Dum præ te fers Paracelſicum, quid ex titulo tibi compendii?* Hoc tu tanquam plagiarium, & capitale, vel iniurium in bona & fortunas accipis. Ita enim refellis: *Quæſo docte Libaui, vbi ego me Paracelſicum iactaui? Quis me hoc nomine baptizauit? Nobilis Adrianus Romanus me Doctorem medicinæ proclamauit, creauit. Hactenus illo titulo degradatus ſum à nemine. Num tibi hæc poteſtas tradita ſit, multum ambigo. Doctrinam Theophraſti de peſte, & febribus à me collectam, & in methodum redactam, cur non Paracelſian dicerem? Nomen iſtud ignominioſum eſſe ais: Sed quibus? Tibi tuisq; linguarum cauponibus. An propterea etiam mundo, viris doctis, & veris medicis? Prorſus oblitus es eorum quæ probus ille Penotus ad te ſcripſit in Epiſtola Apologiæ ad Ioſephum Michelium annexa. At in te, inquit, multis doctis diſplicet, his præſertim, qui vtramque profitentur medicinam, quod ita Paracelſum mordicus dilaceras, deprimisque, ac ſi nulla homo laude dignus eſſet &c. lege & reliqua. Memoria tua te fallit. Recordare eorum quæ in præfatione ſyntagmatis refers. Adeo inuiſum ais, paſſim factum eſt nomen Alchymiæ, vt ſit in ore, & fabulis vulgi, idque etiam odio habent magnates, & qui alias ſtudio ſapientiæ ſunt dediti &c. Tu tamen Alchymiæ nomine voluiſti innoteſcere, vis ne feſtucam ex oculo meo eruere? Turpe eſt Doctori ſi culpa redarguit ipſum.* Hæc tu. Verboſus ſane & etiamſi non facundus.

Ad ferulam.

Paracelſi de grege porcus non vult audire Paracelſiſta.

I. Ita argumentor: Qui ſibi aſſcribit ſuis verbis Paracelſiam, eamque ita explicat vt omnem ſuccum Paracelſi ea in te de qua ſcribit videri velit imbibiſſe, imo & defendat, & cæteris præferat, Paracelſumque ipſum Monarcham medicorum vocet, is ſe Paracelſicum, ſeu Paracelſiſtam hoc ipſo ſuo ſtudio, re, & opera probat. Cuius quis dogmata amplectitur & publice docet propagatque, is ab eo trahit nomen. Sic dicimus Platonicos, Ariſtotelicos, Pontificios, Lutheranos, Caluiniſtas, Ramæos &c. Atqui Scheunemannus id fecit edita Paracelſia, non Paracelſi, aut alterius, ſed Scheunemanni, vt eſt in propatulo. Ergo. Quis iam eſt iſte Baptiſta, qui te Paracelſicum baptizauit? Tu ipſe: Henningus Scheunemannus olim Bambergæ, iam Aſcherslebii medicus.

II. Adrianus Romanus cum te proclamaret medicinæ Doctorem, num intelligebat etiam Paracelſiam, ita vt contra doctrinam Galeni ſaluo iuramento poſſes inſurgere? Non opinor. Pœnituit Penotum à gloria Galenicæ profeſſionis Baſileæ accepta ad Paracelſiam transfugiſſe. Debet & te pœnitere.

III. Quis te de gradu Galenico deiecerit rogas. Reſpondeo: Tu ipſe, id quod ad oculum tibi demonſtraui.

IV. Paracelſi doctrinam licuit tibi Paracelſiam dicere: Et ſane fere tota eſt transſcripta illa conſarcinatio. Sed cur contra tuum Doctoratum, & Galenicam publicaſti? poteras Paracelſo ſententias afferre, ſed ſalua veritate medicæ doctrinæ in omnibus Academiis receptæ. Ego quoque in mea Alchymia formulas Paracelſicas repono. Neque enim ſic hoſtis ſum Paracelſo vt in eius ſcriptis negem eſſe aliquid boni. At inde nolo audire Paracelſicus. Quæris cur? Quia hæc vox habitum ſignat, & factionis iſtius ſeu integram, ſeu non multum ab integra diſcedentem profeſſionem. Non es Paracelſicus ideo quia cum Paracelſo ſolem interdiu lucere affirmas. Hoc enim vel ſine Paracelſo verum eſt, ſicut verum eſt Chriſtum eſſe filium Dei, licet id & Diaboli ſciant, fateanturque, nec nos ideo ſimus Diabolici, quia idem confitemur. Paracelſus quæ vera habet, ideo amplectimur, quia per ſe ſunt, & fuerunt, eruntque vera ante & poſt Paracelſum. Quæ vero ipſe ex ſuo ingenio per ſe promiſit, aut ex magis, vetulis, carnificibus, fabulis &c. hauſit, & virulentiſſime magna copia expuit in omnem philoſophiam, medicinam, philoſophos, & medicos, quin & Theologos & alios, cum ſuo autore ad cynoſarges mittimus.

V. Quæris quibus id nomen ſit ignominioſum. Facilis eſt reſponſio: His qui Sathanæ Angelos perfecto odio oderunt iuxta Pſalmum 139. verſicul. 21. 22. Paracelſum fuiſſe magum infamem, & magiam impiam docuiſſe num te latet? Paracelſum nec pontificium, nec Lutheranum vtriſque minitatum fuiſſe neſcis? Paracelſo Ariſtotelem eſſe ſtultum, Galenum medicinæ expertem, & omnes veteres nouosque chymicos, non chymicos contemtui ſummo ignoras? Crollium noſti? Nemo Paracelſum maiori laude onerauit. At probare non potuit eius in Lullium inuectiuam. Non autores ſolum, ſed doctrinam conſceleraſſe ſolus non intelligis? An non legiſti iudicia de eo ſummorum virorum Cratonis, Eraſti, Geſneri & aliorum? An non ſcurrilia iſta quæ plurimis pagellis euomit? Ignoras hiſtoriam vitæ & mortis ipſius? Quod aliis promiſit magnificentiſſime non agnoſcis in ipſo defuiſſe? Vin, hominem impium, magum, alaſtorem, & quid non? Paracelſum pone cuius ſcanduloſam vitam ne Crollius quidem negare poteſt. Veruntamen non curarem Paracelſi iſtas amentias, niſi fiducia earum in Galenicos inueherentur Paracelſiſtæ longe rabioſius, quos & Crollius ex arte deſcribit in admonitoria & fraternitas de Roſea cruce damnat. Lege & Guibertum de interitu Alchymiæ. Vide teſtimonium Paracelſi de ſuis diſcipulis in Præfatione chirurgiæ minoris circa finem: & capit. 7. libro 1. de tumoribus Gallicis, vbi plagiarios & fures vocat, aitque ſe à pauciſſimis intellectum iri: & libro 10. de tumoribus, puſtulis & vlc. Gal. vbi de experimentis & tribus ſuis diſcipulis, aliisque ſimilibus.

De Paracelſi & Paracelſiſtarum exiſtimatione publica.

Ibidem nota negantem quod perfectio artis medicæ (quam tamen Hipp. ſibi tribuit) poſſit diſci ex libris Galeni, Hipp. Rhaſis, Sauanorolæ, Auicennæ, Azarauii &c. (Alſaharabii &c. (Vide & in 5. Tomo pag. 311. in fragmentis medicis. Si ea ſcripſit Paracelſus de Paracelſiſtis viuus viuis, quid nos par eſt facere poſt tantam experientiam, cum videamus ne vllum quidem eſſe qui poſſit præſtare ea quæ Paracelſo aſſcribuntur, imo cum pleroſque malos cognoſcamus? Qui ſe Hermeticos dogmaticos, & Hippocraticos hodie vocant, longe diſtant à Paracelſiſtis. Ex Paracelſo quidem reponunt:

I. Artificia Enchiretica. II. Magiſteria nonnulla, & eſſentias, quæ ad chymiam ſpectant. III. Nonnulla de arte ſignata. IV. De Principiis & Tartaro. V. De Chirurgicis. VI. De magno magiſterio, & nonnulla alia cum comparatione magni & parui mundi. Sed num iſta ſunt Paracelſi? Minime. Nam & propria confeſſio Paracelſi extat de chymicis, & aliorum demonſtratio. Chymiam enim tum aliam, tum perfecti magiſterii longe vetuſtiorem eſſe Paracelſo liquidiſſimum eſt. Quin & id quod ſibi de abbreuiatione artis tribuit per gluten Aquilæ albæ, & ſanguinem Leonis rubei non eſt ipſius. De Principiis tribus priores ſcripſerunt Iſaacus Hollandus & Valentinus monachus, cuius dictio, & chymia adeo eſt Paracelſica vt iures Paracelſum ſcripſiſſe, quanquam ille prior fuerit nempe quo tempore morbus venereus primum innoteſcebat, iam artis ſpagiricæ peritus. Quid dicendum de patre ſocietatis Roſeæ crucis, ſi vera ſunt quæ in fama proponuntur? Hic maioris & minoris mundi lux vel ſine Paracelſo fulſit. Crollius Paracelſi ſcripta vocat literam mortuam, & vult ſententiam aliunde hauriri. Ipſe Hermetem, Agrippam, Seuerinum & alios magis ſequitur quã Paracelſum: de cuius dogmatibus alibi. Sic Quercetanus, & cæteri, qui principia Chymica amplectuntur, potius ſunt Petri Seuerini Dani ſectatores quam Paracelſi. Chirurgos ante ſe omnes contemnit quidem Paracelſus: Sed id expreſſit ei morbus iactantiæ. Penotus oſtendit præcepta traducta eſſe ex Lanfranco. Ea illuſtrauit chymicis formulis ſuorum præceptorum, quanquam videri velit Antimonii tincturam primus feciſſe: Sed eam Baſilius Valentinus prior tradidit copioſe, eandem Rogerius, quem Paracelſus damnat, item deſcribit. Maior Berthonea nihil habet de neceſſariis quod non & minor. Augmenta quibus creuit pene omnia ſunt magica. Quæ de quinque Entibus morborum ſcribit, ea ſunt hauſta ex antiquis Theologis, & medicis. Ad Deum referri peſtilentiam in ſacris quid notius? Creditur idem & Hippocrates ſciuiſſe. Ineſt autem impietas & ſtultitia in nomine quod inde fanaticus ille extruxit. Num enim pie dici poteſt Deus Ens peſtilentiæ? Num aliorum morborum? Quid eſt Ens in Deo? Sed & cum dicitis Ens morborum Deale, ſtulte dicitis & ſanctiſſimum Dei nomen contra ſecundum præceptum profanatis. Crollius etiam peius inſanit. De Peſte ex aſtris quid notius apud Hipp. & Galenum? De alia ex Imaginatione tempore contagii ſcripſerunt obſeruationes Galenici. De alia ex inferiorum expirationibus, ſunt Hippocratis & Galeni diſſertationes vt & obſeruationes hiſtoricæ Thucydidis & aliorum. An autem peſtis ex magia, & intoxicatione exiſtere poſſit item à noſtris quæſitum eſt: Et quidem de contagio, & intoxicatione, res eſt manifeſta: De magia non item. Nam Sathanas hic ſolet ſibi arrogare quod aliunde prouenit. Iſta omnia ſunt origine & obſeruatione noſtra, & non Paracelſica. Paracelſus adiecit ſua deliramenta, & vanitates de Baſiliſco, de menſtruo muliebri, & aliis, quibus cœlum inquinauit, & elementa.

Quid ergo iam Paracelſo debemus niſi turbas, & varia, etiam pluſquam anilia περιτίσματα, nugas cabaliſticas, magicas, crimina, & vituperia omnium artium, & ſcientiarum cum eorum profeſſoribus priſcis, recentibus? Quis eſt qui ſic velit eſſe Paracelſicus? Cum aduerſus me ſcriberet Petrus Palmarius Pariſienſis, me vocabat Paracelſiſtam, quaſi hoc eſſet vltra omnia illa vituperia quæ cumulatim in me euomuit. Abi iam & delectare nomine Paracelſici. VI. Mentionem facis Epiſtolæ Penoti ad me Ioſepho Michelio annexa. Ego vero nullam vidi. Si Penotus in ea putauit indignum eſſe, Paracelſum ſua moneta abſolui, & ſuo pencillo pingi, lege aliam Epiſtolam dedicatoriam, qua mihi ſnum denarium commendat. In ea hæc ſunt verba: *Vale literarum decus, totiusque Germaniæ ornamentum. Tuum quoque Partum exhauſtum nominis tui & gloriæ propugnatorem acerrimum amando ama.* Hæc ille vir laudatiſſimus, veræ chymiæ aſſertor, & ampliator celeberrimus, cui omnes ſtudioſi medicinæ Iatrochymicæ nunquam poſſunt pro dignitate gratias agere. Non eſt contemtor veterum, & recentium vt Paracelſus: Sed vnumquemque in ſuo flore relinquit. Ille & contra Guiberti furorem ſcripſit, & Paracelſi furta manifeſtauit in calce Iohannis Iſaaci Hollandi, vbi Paracelſo nihil prorſus aſſcribit præter vitia, & maledicta. Iam videbis an me culpandum iudicauerit Penotus propter improbatas Paracelſi furias. Sunt autem δευτέραι φροντίδες σοφωτέραι.

Penoti iudicium de Libauio.

Qui hactenus à Paracelſo pependiſtis, dicite quæſo quid in medicina, & Alchymia habetis apud eum, quod poſſit præſtantius eſſe his quæ Seuerinus, Quercetanus, Penotus, Crollius, Rulandus, Beguinus, Euonymus Philippus Mullerus, Andernacus, Baſilius Valentinus, & ſeptem illi mei de magno magiſterio in Apocalypſi Hermetis: Item Vlſtadius, Lullius, Arnoldus, & innumerabiles pene medicorum chymiatrorum codices continent? Tanti ne ſunt apud vos deliramenta Paracelſi, quæ tamen ipſe negat à vobis intelligi poſſe, & de quorum ſenſu digladiantur Paracelſiſtæ ipſi.

Apoſtrophe ad eos, qui Paracelſi ſcripta putant magni æſtimanda.

Quorum literam mortuam vocat Crollius: quæ à pauciſſimis intelligi dicit: quorum nouum vocabularium habet fama fraternitatis de Roſea cruce? Ob vmbræ ſomnium, quod ſomniatis in Paracelſo, quem minime intelligitis, furitis.

Eſtisne ſani? Habeat ille aliquid boni: Sed quot, & quantis maleficiis, & perplexitatibus

errotibus, impietatibus, & tenebris contaminatum? Hoc videmini gaudere, quod alter alterum ſuggillet, quaſi alter altero magis Paracelſi arcana ſit aſſecutus. Ad quid quæſo? Num deſunt vobis optima vniuerſalia, particularia? Numerate quæſo formulas medicinarum ex Paracelſi ſcriptis, & videte quæ & quot ſint in vſu, & num etiam ſic parentur omnino vt ipſe deſcripſit; deinde cum illis comparate aliorum Chymica, & veſtra quoque inuenta. Quantum relinquetur Paracelſi ſcriptis magis, quam Paracelſo inuentori debitum? Aſſyluanus putabat Paracelſum, ſi viueret, ſe ſecuturum eſſe. Non ita dudum ego prælatus ſum omnibus. Tamne eſtis ſimplices, vt non cogitetis, quid faciatis, & dicatis? Tolle è medio omnes Paracelſi libros. Relinque nobis eos, quos dixi. Annon medicinam pro hoc ſeculo habebimus ſufficientem? Imo ſufficientem. Gratias agite Deo pro tanta luce, & nolite Dei inimicum Paracelſum omnibus anteponere.

VII. Non puto te adeo infantem eſſe quin intelligas, quid diſtent æra lupinis, vt Horatius loquitur. Sed malitia tua te coegit ſic argumentari; *Si Alchymia profeſſione, cuius nomen male audit apud pleroſque vulgo, Libauius innoteſcere voluit, nec turpe erit Paracelſi nomen vſurpare: Et ex conſequente Libauius feſtucam videt in oculo Scheunemanni, & turpitudinem propria culpa incurrit.* Malitiæ inquam hoc tuæ eſt. Probe enim noſti imparia eſſe, quæ pro paribus ſumis, & non maius, ſeu trabem eſſe, ex Alchymia legitima in lucem producta, & exornata nomen quærere, minus autem, ſeu feſtucam, Paracelſicum audire, vt inde ſequatur turpitudo culpæ propriæ. Alchymiæ vox inuiſa facta eſt ſceleribus Paracelſiſtarum, & aliorum impoſtorum, quos Guibertus in tres claſſes compegit, alias per ſe innocens, & optimæ artis titulus honeſtiſſimus. Omnium bonorum eſt à bona re pollutionem detergere, eamque à calumnia populari, quam alieno vitio incurrit, vindicare. Id dum ſtudioſe & ſyncere faciunt, ignorantes erudiunt, errantes in viam reducunt, & honorem ſcientiæ præſtantis illuſtrant, faciuntque perinde ac qui Dialecticam propter Sophiſticam, aut Philoſophiam propter abuſum male audientem infamia liberant. Interim ex Arii, Neſtorii, Epicuri, & ſimilium improborum nominibus famam captare nulli bono licuerit.

Vide Pantheum, Crollium, famã Roſeæ Crucis & omnino publica iudicia.

Paracelſus aut nomen familiæ eſt, quanquam inepte compoſitum, & ſic nulli probroſum: aut profeſſionis, ſeu factionis in vniuerſa Philoſophia, Medicina, Magia, Theologia, cæteriſque ſcientiis, quas contaminauit. Hic Paracelſicum eſſe velle, eſt velle eſſe in omnes ſcientias iniurium, omnes veteres, & recentes præ ſe contemnere, maximis cum ampullis promiſſiones ſanationum incurabilium morborum, & vitæ longæ inculcare, ſed nihil aut parum quidquod fortuna, vel naturalis fides, aut fiducia magis quam ars, aut ſi & ars, non alio re vera modo, quam Galenico, licet verbis & opinione alia procurauerit, præſtare: Magiam cum cabala & commendare, & exercere per varios modos ſignorum, verborum, characterum, homuncionum, &c. conuitiis inceſſere Galeni medicinam, & Galenicos; ſe monarcham arcanorum, & medicinæ profiteri, & omnino omnium flagitiorum Paracelſi & Paracelſiſtarum ſe participem reddere.

Paracelſus von Hohenheim: *ſi græca vox eſſet, ſonaret iuxta appellentem, currentem, vel appropinquantem*, neben Zelter/ꝛc. *Cur non de alta domo? Parhypſidomus.*

At vir honeſtus non debet iugum ducere cum talibus, nec communicare alienis peccatis. Itaque inuerto tuum argumentum: Non ſi Libauius honeſtam laudem ex Alchymia, ab infamia, & interitu ſuo ſtudio vindicata, quæſiuit, Scheunemanno Galenica lauro ornato fas eſt ſe Paracelſicum profiteri. Ratio eſt, quia illa ſcientia abſque ſui merito alieno flagitio in odium hominum deuenit: Paracelſus ſe & ſuum nomen propriis facinoribus infamem reddidit: Aliud eſt ex vera Alchymia laudem quærere, aliud Paracelſiſtam eſſe.

NOTA XX.

De ridiculo furore, & pluſquam anili loquacitate Scheunemanni in diluendo obiecto quodam.

EPISTOLÆ meæ verba ſunt: *Quanquam iſtud particulare etiam tuum eſſe dicas, quod momus incarnatus ſcilicet tuo iudicio diabolus velit ſibi manifeſtari, vt iudicari poßit, quod tu neutiquam facias, &c. Item negas te eſſe eum, qui tua medicamenta velis occultare, &c. At qui exigit à te rationem medicaminis, momus vocatur, & incarnatus diabolus.* Num hæc non ſunt tua? Sic intonas: Es wirdt ſich aber zweiffels ohne der momus, incarnatus diabolus allhie hören laſſen/vnd begehren/daß ich ſolch mein Particular Stück offentlich ſoll nennen/als dann könne er judiciren was es ſey. Weil ich ſolches nicht thue/iſt es zuvermuthen/es ſey nur ein lehr Geſchwetz/ꝛc. hoc eſt. Sine dubio momus, incarnatus diabolus, hic audietur poſtulans, vt hoc meum particulare medicamentum aperte nominem, tunc ſe poſſe iudicare quid ſit. Quia vero id non facio, ſuſpicio eſt, nugas eſſe inanes, &c. Ecce tibi. Num iniuſtum erat id ex te poſcere? At tu poſtulantem illum vocas momum, incarnatum diabolum. Deſcriptio arguit deſcriptum. Non aliis terminis momum deſcribis, quam poſtulantis nominari ſibi expreſſe tuum particulare, ad bene iudicandum. Si momum obtrectatorem aliquem ſpecialem, & inuidum tuum ſeu reprehenſorem, aut hoſtem vocaſſes, liquida fuiſſet dictio. Nunc in genere momum ponis, & ei adiungis poſtulationem medicinæ tuæ ad iudicandum, non ad vituperandum, aut traducendum, quomodo tu antidotos Galenicas ſatis calumnioſe tractaſti. Cur veniſti ad calamum, ſi non potes recte ſcribere? Ad vrinale tuum, aut ſtiuam, & relinque ſcriptionem

Mira furia Scheunemanni. *Quorſum hæc tam putida tendunt?* *Ad ferulam.* *Ad ferulam.*

peritis. Quo modo vero accuſationem iſtam ex tua obſcura & inepta ſcriptione natam depellis? Audite miras furias. Plenus felle amaritudinis & veneno ita fulminat. *Perge nigris tuis auibus, maiora cogita, dictioneque illa tua magnifica tona, & fulgura, ſimilisque niuibus hiſce hybernis largitate latiſſima camporum, montium prærupta contege, nec te moueat nuda veritas, inuerte verba, & ſenſus meorum verborum: Euge quantum potes, tantum aude. Quanquam particulare etiam tuum eſſe dicas, quod momus, incarnatus diabolus velit ſibi manifeſtari, vt iudicari poſſit, quod tu neutiquam facias, &c. Ego obiectionem formaueram, momumque loquentem introduxeram: quem tu ſermonem quaſi Odryſiæ Regis epulas harpyiæ inſtar rapis, clepis, cunctaq; fœda fæcum proluuie contaminas ſola ſolutione relicta:* Bin auch wie er jhm fälſchlich fürmahlet nicht ſo mißgünſtig/ daß ich ſolches den Kunſtliebenden ſolte verhalten/ ꝛc. *Momi garritum pro affirmatione mea vendis. O te magnum, Dum ludos canis arduumque voce Das ſolatia grandibus ſepulchris. Vere te magnum, qui candida vertis in nigrum teterrime carbo culinæ quid gliſcis? Nonne recte negaui me non eſſe talem, qui velit occultare ſua?* Bin nicht ſo mißgünſtig/ daß ich dem Kunſtliebenden/ ꝛc. *Hæc legiſti, & inepte iudicare non ceſſas? O male feriatum genium. O malam proluuiem. Scire cupis quid in præfatione egi? Odi Agyrtas, Seplaſiarios, dentifragos, & arteo, legiſti & nihil ſani inueniſti, legiſti ſed malo genio, quia lecta noluiſti intelligere. Qui non vult acceptare bona qui poſſit bona inuenire? Si occultare voluiſſem mea experimenta, non feciſſem publici iuris, veram methodum curandæ peſtis non iudicaſſem, non propriis nominibus materiam, ex qua medicamenta præparantur indigitaſſem. Conqueſtus es quod te in diuinatione tua reliquerim? Qui ego olfacere potui te Apocalypſin fabricaturum? Tu noluiſti hæc ſcire. Hac lege in publicum meum curandi modum dedi, vt qui velit eum reprehendere, corrigere, augere, vel emendare, plenam prius à me peteret aliquo ſcripto cognitionem, vt tandem iudicaret:* Bin nicht ſo mißgünſtig/ daß ich ſolches dem Kunſtliebenden ſolte verhalten/ auch dem *momo* ſelbſten worauß/ vnd wie es zugericht wirdt/ da er es begehrt/ offenbahren köndte vnd wolte/ ſo er es dann zu tadeln/ vnd ein beſſers an tag zu geben/ ſo thu ers/ deſſen ſolle er mich danckbar finden. *Tu hanc legem prætergreſſus maluiſti cornicari, quam erudiri, nec petulantia à modeſtia proculcata hic ſubſiſtit, erigit ſe in altum inaugeturque mentiendo: Qui exigit à te rationem medicaminis, momus vocatur, & incarnatus diabolus. Non eſt ita mi Libaui, &c. Momum voco, qui dicta mea non intellecta reprehendit, qui inſolenti auſu noua commenta in meam curationem ſeu methodum medendi comminiſcitur, qui ſe & alios ſuis temerariis & coruinis diuinationibus fallit, necdum deſcendo in pectus tuum, licet te diuinatorem iactites, nihil enim diuinaſti, corniculam audiui, augurium nullum habentem, &c.* Subſiſtendum eſt. Quis hæc legens non dicet te vltra omnem modum inſanire?

Nota. Bonus es propheta: κόλλ ὀχίς.

Momus belli huius nugatoris.

> *Hoc ſcio pro certo, quod ſi cum ſtercore certo,*
> *Vinco ſeu vincor, ſemper ego maculer.*

Habe tibi tua iuſcula ſtercoracea, eaque ſolus ſorbe. Putaſne medicinam interituram, ſi tua deliramenta ignoret? Bambergæ voluiſti innoteſcere hanc tuam in me inuectiuam. Si eam legerunt viri ſapientes, proculdubio conſpuerunt, & ad coruos ire iuſſerunt. Ego quidem non curo, quid tibi diabolus, à quo agitaris, contra me ſuggerat; veruntamen iudicanda ſunt, quæ ſcribis, vt veritas eluceſcat, & quæ beſtia ſis, omnes boni intelligant, & te vitare cum tuis pharmacis ex ſtultitiæ furnulis promtis diſcant.

Ridiculus nugator: obiicit, & neſcit formulã obiiciendi. Nota ſtultũ. Non vult ſua manifeſtari ad iudicandum.

I. Prima verba ſunt aniculæ præ temulentia inſanientis. Itaque indigna confutatu.

II. Dicis te obiectionem propoſuiſſe. At tu ignoras quid ſit obiicere: adeo rudis es. Si enim noſſes, formam eius ſeruaſſes. Occupationes ſeu prolepſes argumentum contra ſententiam dictam habent. Tu ex ſuſpicione ſeu coniectura tua quæſtionem moues, an non aperte dicendum, quodnam ſit iſtud tuum medicamentum, vt poſſit iudicari. Negas te id facere (Weil ich ſolches nicht thu) quanquam poſtea promittas reuelationem ei, qui à te petat; ſcilicet adorari volebas, &c. Hoc non eſt obiectionem facere. Ad ſcholaſticam ferulam, vt diſcas Prolepſeon formulas. Verum hæc non ſunt tanti, vt ideo tam acriter debaccheris: ſint non ſint obiectio.

III. Dicis te loquentem momum introduxiſſe. At tu ipſe loqueris, non momus: Ais enim momum poſtulaturum, vt manifeſtes, &c. Tune ergo es ille incarnatus diabolus, quem momum vocas? Sane qualis eſt ſermo tuus, talis eſt is, qui tibi eum ſuppeditauit. Ego te hominem puto, ſed qui virulentiam diabolicam ex impuro corde eructet. Si vis aliter intelligi, diſce intelligenda recte proponere.

Monſtroſa calumnia Scheunemanni.

IV. Cum me Harpyis Odryſiæ Regis comparas, quam fœda Harpyia ſis etiam in Grammatica indicas. Ego ex tuis verbis ſententiam ſumſi. Tuarum epularum iſte eſt ſuccus; iſte odor. Si fœtet, & ventris obſcœni fœdiſſima proluuies eſt, per me eſto. Quis autem etiam aliud iudicet legens incarnatum diabolum & momum vocari eum, qui non aliis verbis deſcribitur, quam poſtulatione manifeſtationis medicamenti ad iudicandum? Non eſt momi poſcere rem ad bene iudicandum. Sed tu lucem fugiebas. Ignauiſſime & ſtolidiſſime omnium: Cur non adiiciebas commentarium tuis iſtis fœdiſſimis Harpyis, vt potuiſſes intelligi?

V. Reliquiſſe me dicis ſolam ſolutionem. Quam? *Non ſum ita inuidus, vt ſibi falſo imaginatur, vt hoc talem amatorem artis.* Iſtane eſt ſolutio? Imo Harpyiæ Paracelſicæ eſt fœtor. Ita deſcribis momum: momus incarnatus diabolus hic audietur, & poſtulabit, vt meum particulare aperte nominem, & tunc ſe poſſe iudicare quid ſit. Hoc dum non facio, ſuſpicio eſt eſſe nugas ſeu fabulam inanem, & ipſe id iuxta ſuam lyram proclamabit pro venenato mercurio, antimonio, arſenico, tartaro tartareo, ſeu infernali, & cur non pro piſcibus putridis? Quis eſt momus Scheunemanni? Qui poſcit ſibi nominari particulare ad iudicandum. Reliqua verba non pertinent ad momi deſcriptionem, ſed ſunt tuæ ſuſpiciones ſeu coniecturæ. Male enim ſibi mens conſcia putat ſibi mala imputari. Tu ais: Es iſt zuvermuthen. O te ſuſpicacem hominem. Quid ſi is qui ſcire velit nomen rei, te diſſimulantem iubeat ad coruos ire cum tuo medicamento, ſiue ſit tartarus, ſiue

antimo-

antimonium, aut aliud quid? Et ego quidem te in malam rem cum tuo particulari ablego, cum ſcribo, *ſi vult ſua latere, lateant ſane:* (ſubintellige: Inter coruos in ſcalis Gemoniis: Zum Hencker mit deinen Suppen. Meinſtu Phantaſt man könne ohn dein Geſchmeiß keine Peſt curiren? Quod autem vis aperire à te petenti, declaras inſolentiam tuam. Ecce ille tenebrio in publicum mittit chartas, quibus vel emtores alliciat, vel picas quaſdam, à quibus oretur, vt ſua ſtercora, & quiſquilias, quas domi ipſe ſolus nullo teſte coxit, ipſis communicet. Si vis publico commodo inſeruire, non debes ad te tanquam nouum monopolam pro mercibus emendis allicere emtores, ſed candide omnibus communicare inuentum (furto ab aliis ablatum) bonum. Quo quid melius eſt, eo magis ſui eſt communicatiuum. Quid quæſo differs ab Agyrtis, qui in publico foro proclamant ſe ſingularia arcana ad morbos ſanandos habere? Illi vtuntur quidem voce; ſed pleriq; etiam ſchedulas impreſſas habent, quibus ſuam artem, & medicamen miris modis commendant, interim tacito nomine & confectione medicamenti, vel ſubſtitutis figmentis, qualibus tu es vſus ex ſtultitiæ tuæ ſcriniis producta fabula. Ita peregre miſiſti aliud medicamen nomine ARGENTI meri, cum eſſet ſublimatus dulcis immaturus adeo fugax vt ad candelæ ignem in fumum abiret, atque ita iactantiam de fixis tuis egregie refelleret. Vides iam quam mentitus ſis dum non erubeſcis ſcribere me tibi pro tua affirmatione tribuiſſe garritum momi. Tu nullum momum loquentem facis; ſed ex tui male ſibi conſcii ſuſpicione temeraria vomis verba. Quæ ad momum ſpectant, ea quid aliud ſunt quam tua affirmatio? Momus eſt incarnatus diabolus: Momus petet ſibi nominari particulare ad iudicandum. Hæc tua ſunt, homo mendaciſſime; non momi.

Scheuneman ab Agyrta nihil differt, quod ad rem & ſchedulā attinet.

VI. Recte dicis te *NEGASSE te non eſſe talem, qui velit occultare ſua.* Ecce tua te veſania excæcauit, vt tibi ipſi contradicas, non animaduertens quid loquaris. Si negas te non eſſe talem: Ais ergo te eſſe talem. Contrario vno ſublato ponitur alterum ſi alterutrum adeſt. Sed ſententiam ſpectemus. Vis à te remouere crimen inuidiæ quaſi paratus ſis libenter manifeſtare tua pharmaca petentibus. At quid opus erat vel petitione, vel proteſtatione? Factum eſt contrarium. Si tam liberalis eras, cur in tenebras ænigmaticas præcipitatus, vt Cacus quidam incendia vana contra momum euomebas? Recti conſcius nil curat momi morſus. Qui bonus eſt, Deo patri ſimilis eſſe ſtuder, qui ſuum Solem mittit probis & improbis. Fruſtra te purgas verbis vbi res tibi obloquitur, & te tenebrionem ſtolidum eſſe conuincit.

VII. Rideo tuas ineptias cum momi nomen explicas de Agyrtis, Seplaſiariis, &c. Scilicet tu es alter nominum conditor. Sub te magiſtro, qui nondum recte ſcribere potes, diſcendum eſt; quid ſit momus. Dic autem ô homo inanis, ſi momus eſt incarnatus diabolus, vt tu ſcribis, num Agyrtæ, Seplaſiarii, Dentifragi ſunt diaboli incarnati? Seplaſiarii, id eſt, Pharmacopolæ Scheunemanno ſunt incarnati diaboli. Nimirum auaritia hoc bellum excitauit. Scheuneman voluit malis artibus contra regulas Hipp. in lib. de decente ornatu vbi mercimonia aliena debent eſſe à medicis, & medicus DEI inſtar ſanare, &c. diteſcere, & pharmacopolis ſurripere ſuum commodum. Ideo inſanit. Idem inuidit dentifragis, &c. odonthulcis, den Zanbrechern / ſuum precium, atque ita & Zanbrecher / & Seplaſiarius eſt animo petendi, ſubuertendique eorum commoda.

VIII. *Si occultare voluiſſem, inquis, mea experimenta* (furta) *non feciſſem publici iuris.* Et tu feciſti publici iuris? Quo modo? Charta tenebricoſa vitioſiſſime impreſſa indicaſti te habere tres puluiſculos peſtis ſanatiuos. Num hoc eſt iuris publici facere? Præconem agere ſuæ mercis eſt, & ad emendum allectorem. Ita iuris publici feciſti, ſicut quidam ſuam panaceam, alius aquam antipodagricam, alius vomitiuam, & quomodo circumforanei ſua vnguenta oppodeltoch, & alia; Qui ius alicui confert in rem, is rem ſimul aliquo modo propriam facit. Quale hoc ius publicum eſt, ſi tu Dominus rei eiuſque non nominatæ expreſſe, ſed tenebris inuolutæ, manes, & tantum fructum vendis? Ænigma & fabulas communicaſti, quas poſtea pro tua verſutia varie poſſis interpretari, & atramento ſepiæ occultare, vti facis, cum vides à me deprehenſas eſſe materias tuas, quanquam ea cum verſutia, vt modo agnitas concedas, modo non. Sed iuſtiſſimas das pœnas doctis, qui & te & tuum medicamentum contemnunt, & ad Cynoſarges mittunt.

IX. Vocas experimenta. Mendacium dicis apertum. Neque enim experimentum id eſt, quod te nuper inueniſſe dicis. Experientia non vnius tenebrionis actione vna, atque altera, quæ & fortuita eſſe poteſt, conſtat, ſed tum ſemper aut plerumque reſpondente euentu, tum iudicio plurium artificum ſapientum. Cum Bambergæ duas chartas de peſte ederes, nondum erant in tuis furnulis conflati illi puluiſculi. Cur autem à tunc diuulgatis, & prolixe commendatis diſceſſiſti? Cur noua excogitaſti Aſcherslebii in peſte anni 1611. ante quam proculdubio non erat tibi curæ de ſingulari particulari contra peſtem? Anno 1608. ad Eſaiam Wulfium ſic ſcribis: *Nec inficias eo in Dei & naturæ arcanis ſingulare & ἐξαίρετον latere, vt recte opinaris: Ac vtinam poſſem tecum petente tale in antidotum & verum ἀλεξιφάρμακον peſtis communicare. Sed vt reor id ſolius Dei maieſtati & cognitum, reſeruatumque nobis incognitum. At ſi quis communibus his antidotis reſtituitur & ſanatur ſoli Deo acceptum referat, &c. Mox etiam aliquid Muſæ ſagaci & Alſtoo* (barbarus tenebrio barbaro gaudet ſermone) *tribuis, &c.* Tua muſa tunc nondum ſciebat pulueres. Nouis morbis noua remedia: Paracelſicum eſt acroama. At hoc quid aliud quam decipula, & impoſturarum prætextus?

Et quid quæſo tui pulueres ex furnulis tuis prompti effecerunt? Loquere tu ipſe: *Vidi plaroſque peſte correptos celeriter periiſſe.* At tu debebas eos tuis pulueribus ſanaſſe. Cur non feciſti, ô oſor ſalutis proximi? Scilicet nemo potuit tuos pulueres digno precio redimere: aut tua authoritas fuit Paracelſica, circumforanea, Ægyptiaca mendax. Si enim vidiſſent te tuis puluiſculis miracula feciſſe, cur non omnes fortunas in eos impendiſſent? Imo cur tu

Nota bene. Si iuuare potuiſti, & non iuuiſti, occidiſti.

manſiſti

manſiſti Aſchersłebii, & non vt Æſculapius, aut Hippocrates magno ære conductus, & vectus es in terras ſaltem conterminas? Vbi iam tua experientia? Ad ſummum vbi ventum eſt, Deus ſolus ſeruat eos, qui ſeruantur. Quid tu fuiſti? Inutile pondus terræ, & vas execrabile, in quo nulla virtus ad ſanandum. Hæc intellige, & reſipiſce. Tu pretium, non Dei gloriam, & proximi ſalutem, quæſiuiſti longe ſecus ac Hippocrates in peſte Attica, qui tamen non Chriſtianus, ſed idololatra fuit.

Methodus ſtultiſſima Scheunemanni.

X. De methodo Scheunemaniana. Gloriolam inanem affectas dum ſcribis: *Veram methodum peſtem curandi non indicaſſem.* Tune ergo puluereus agyrta veram methodum in tribus pulueribus ſitam exiſtimas? Vbi illam methodum didiciſti? Ante Aſcherslebienſem an. 1611. peſtem ignoraſti. Tu quod fingis, eſtne methodus? Ego miror quod ſcribere potueris METHODVM, & valde ſuſpicor aliquem ludimagiſtrum te docuiſſe orthographiam. Es enim purus putus in re literaria aſinus. Doce methodum.

I. Diuina gratia premittitur. Recte. In hac eſt totum quicquid eſt. Non autem tua cauſa; ſed patientum piorum.

II. Tres pulueres præſcribuntur ad curandum. Nihil eſt. Vbi præſeruatio? Quo quis ſanatur, eo & præſeruatur, quod tibi eſt Bohemicus pagus.

III. Puluiſculi. O hominem ineptum. Num in cineres & in pulueres redigis tuos ægrotos? Tuine pulueres poſſint violentiſſimo veneno velociſſimoque peſti ex æquo opponi?

IV. Quales pulueres? Chymice præparati. Imo ſtulte. Non eſt ſtatim Chymicus, qui cremat antimonium, & in puluerem redigit, aut res vſtas terit.

Aſtralitas Scheunemanni eſt cœli in terras infernales redactio.

V. Aſtraliter. Ridicule. Ille fatuus minerales res in puluerem ignibus redegit, & in calcem combuſſit terream, audetque gloriari ſe aſtraliter præparaſſe. Num aſtra ignibus puluerantur? Quid eſt aſtrum & aſtrale? Ego non credo te ſcire quid ſit ſeu naturaliter ſeu artificialiter. Rogo vos qui poteſtis iudicare: Eſtne aſtrale quando ſtibium in cinerem redigitur combuſtione? Eſtne aſtrale quando halinitrum adiecto ſulphure incenditur, vt nihil maneat niſi ſal terreus, ſpiritualibus partibus exhalantibus? Eſtne aſtrale cum argentum viuum cupri præcipitatur, & terræ affigitur aquis cauſticis? Eſtne aſtrale cum aurum verſum in argentum viuum, per argentum viuum, fit volatile, & mox in terram aquis regiis aut ſimilibus corrumpitur? Pergat tua methodus. Sint tres puluiſculi præparati. Qua arte iis vteris? Verum de hoc paulo infra. Reuocanda oratio eſt.

Aſtralia ſunt ſpiritualia.

Digreſſio.

Rem magni momenti pene oblitus eram. Scheunemanno momus & diabolus incarnatus, & Agyrta, & Seplaſiarius, & Dentifragus ſunt idem. Iam ita alloquitur momum: *Ne mireris mome, quod hanc meam medicinam cœleſtem, & aſtralem appello: quia tibi à me permiſſum eſt eam probare. Impone oculis perſpicilium: Vide, ſitne volatilis an fixa; in igni conſtans, an non. Equidem inuenies, quod ab omni corruptione ſit immunis, &c. Iubet conferre ſyrupos, electuaria, apozemata, pilulas, de quibus dicit, quod breui ſitum contrahant, & in igni nil relinquant quam STERCVS. Infert inde: Si cares aſtrali medicina, quo modo gloriari potes te poſſe curare aſtralem morbum? Si negas peſtem præſentem aſtralem eſſe, mendacij accuſas omnes tuos Deos ſeu idola* (Abgötter) *Galenum, Auicennam, Oribaſium, Rhaſin, aſtrologos, & crimen læſæ maieſtatis committis, &c.*

Scheuneman loquitur cũ diabolis incarnatis eiſque offert ſuos puluiſculos iudicandos: Et contra momos ſuos agens ipſe fit momus aliorum virulentiſſimus.

Hæc ſunt noſtri Aſtralis Scheunemanni oracula quaſi ex tripode Delphici dæmonis. Videamus quanti ſint.

I. Supra dixerat ſe momi voce intelligere Seplaſiarios, Agyrtas, Dentifragos. Iam eos nominat, qui curandis morbis ſunt præfecti, qui non alii eſſe poſſunt quam medici, iique Galenici, & Auicenniſtæ, Græcorum, Arabum, & Latinorum, quia eorum ſyrupos, & alia, item principes expreſſis verbis nominat. Vos ergo Galenicæ medicinæ profeſſores hoc iudice eſtis diaboli incarnati.

Diaboli incarnati qui ſint.

II. Diabolis incarnatis permittit probationem ſuorum puluerum. Quis vnquam medicorum, niſi Paracelſicus, diabolum iudicem admiſerit? Quis calumniatorem?

Nota de fixis medicinis.

III. Stultiſſime omnium exultat argumento volatilitatis, & fixitatis. Certum enim eſt omne medicamentum actiuum potentia, debere calori noſtro natiuo ſubiici, vt in actum euocetur, & quo pernicioſius eſt venenum, eo celeriorem debere eſſe medicinam, quæ non poteſt alia eſſe quam volatilis & ſpirituoſa, tota ſui natura ſpirituali veneno oppoſita. Iam ille amentiſſimus medicorum, imo ruſticorum, iis pulueribus, quos ignis flammeus non afficit, nec in ſpiritum vertit, curare vult ſpiritualem morbum, præſertim in tanta debilitate naturæ affectæ & inſtrumentorum eius. Idne docuit Paracelſus? Spiritualia ſpiritualibus medicinis ſunt curanda, & opera danda, vt cauſa morbifica non altius infigatur, ſed volatilis reddita abeat. Hoc eſt dogma commune Hermeticis & dogmaticis, & Crollio, Seuerino, Quercetano, &c. confeſſum. Si cauſa non poteſt per ſpiritualia in halitum verti vel abigi, tunc ſaltem ſic figitur, vt non amplius poſſit agere. Sed de his alibi. Admonendus autem mihi hic eſt quicunque ſit ille momus, quem alloquitur, vt ſtultam illam hominis exſultationem pari argumento frangat. Miſit iſte Bambergam, & ad alia loca puluerem quendam ex argento viuo ſublimato dulci, de quo non minora prædicauit, quam de peſtilentiæ puluiſculis. Ille vero erat adeo volaticus, vt parua flamma in fumum verteretur. Sic ergo argumentari licet: Quæ medicinæ ignem fugiunt, vel totæ, vel relinquentes poſt ſe aliquod corpus mortuum, non ſunt aſtrales, nec curandis morbis aſtralibus idoneæ. Argentum viuum, dulce Scheunemanni ignem fugit etiam totum. Ergo. Quin etiam illi ipſi pulueres peſtilentiales non ſunt ita fixi, quin in igni aliquid perdant, & poſtea nullam vim habeant curatiuam, niſi exiccantem. Sunt quidem ſtabiliores ſpiritualibus eſſentiis, & ſyrupis, pilulis, electuariis, &c. at nihilominus non extreme fixi. Vniuerſalis medicina ex auro, & quæcunque nobiles per artem plane

ſpiritu ale

ſpirituales debent reddi, ſi volumus aliquid ex eis emolumentum capere. Itaque aurum, argentum, & ſimilia, ſi fixa deglutiantur, parum vel nihil iuuant. Stolidus ille Paracelſiſta vidit Lullium facile putreſcentia repudiantem, eiſque opponentem eſſentias quintas. Inde putat Lullium de fixis loqui, quæ in igni non conſumuntur, quo modo Talcum, asbeſtus, & ſimilia eſſent etiam auro potabili, & tincturæ antimonii anteferenda. IV. Quæ in Hippocraticorum Pharmacopœis ſunt electuaria, ſyrupi, & alia, recte conuenit eſſe mobilia à calore natiuo. Alioquin tantum iuuabunt quantum puluis arenarii lapidis. V. Cum comburuntur, ille ſtultus putat ſtercus manere. Dignus eſſet cuius os probe prolueretur illis reliquiis. Combuſtio carbonem, vel cinerem, aut calcem pro genere materiæ relinquit, non ſtercus. VI. Aſtrali medicina aſtralis morbus curandus. Eſto. Infero: Tua medicina non eſt aſtralis, quia terrea, fixa, immobilis. Ergo tua medicina non curabit peſtem. VII. Cum autem ſint V. entia morbi huius Paracelſica, quo argumento demonſtras iſtam ex aſtris peſtem eſſe? Et ſi ſit aliqua ex aſtris, num mera aſtralia ei opponenda? VIII. Si quis neget aſtralem eſſe peſtem Aſſcherslebienſem, quam bellus ille propheta videri vult prædixiſſe, mendacii argui dicit Auicennam, Galenum, & alios medicorum ordinariorum Deos. Ridiculum caput. Quî illi iam pridem defuncti poſſunt iudicare de tua peſte, quam Aſcaniæ aſſcribis? Num illi omnem peſtem ex aſtris, nullam ex contagio, & aliis entibus, vt Paracelſiſtæ appellant, ducunt? Quid ſi nouum morbum alii impoſtores dixiſſent, vt ſuas medicinas veteribus ſurrogarent? Sed quæ tandem eſt methodus huius medicorum arroſoris, & inepti momi?

Continuatio iudicii de methodo Scheunemania.

IX. Ante nonnihil de præparatione dictum eſt, cui adiicienda ſunt ænigmatica tenebrionis ſpecialia, quibus ſibi tantopere placet, vt putet meum iudicium eſſe nullum, licet aliquando velit nulla diuinatione aut coniectura opus fuiſſe, quia expreſſerit materias; atque ita contra ſuas cum momo rixas mentiatur. Relinquantur ergo aſino iſti ſuæ lactucæ. Ad vtendi modum, quod attinet primum iubentur mercurialia & arſenicalia excrementa bene purgari. Quid autem ſi ille bonus medicus mendacium diceret, & nulla talia excrementa eſſent in patiente? Scilicet ſtultitiis Paracelſicis credendum eſt, quod in homine ſit ſpecies quædam ſulphuris venenati, quale eſt arſenicum; ſit & alia materia aquea reſpondens virulento mercurio: Et hos duos humores oporteat in præſeruatione purgari. Qui præſeruatur ab inuaſione is nondum eſt infectus. Vnde ergo ſunt in ipſo illa duo venena purgatione tollenda? Num omnes Aſcanienſes habent in ſe arſenicalia & mercurialia excrementa, hoc eſt, non mercurium, non arſenicum, ſed horum excrementa, quæ longe ſunt pernicioſiora arſenico & mercurio ipſo? Vnde dicuntur excremēta arſenicalia & mercurialia, niſi quod malitia ſua poſſint comparari (phantaſia Paracelſi: Quod cum externo aliquo ratione virium eſt comparabile, id eſt, ſpiritualiter illud ipſum eodemque nomine appellandum. Item: Quod curat aliquem morbum, id ei tribuit idem nomen. Vnde morbus alius prunella, perſicaria, cepa, &c. Quin tandem omnes morbi eſſent mercurius, antimonium, tinctura Philoſophorum, ſal & ſimilia, quæ catholica dicuntur) iſtis venenis, & eorum recrementis realgaricis, vti vocant? Hæc eſt prima pars ſapientiæ methodicæ Scheunemanni: Et eſt fortaſſe in purgatione legitima plus quam in omnibus tribus pulueribus. II. Quibus rebus expurgantur iſta mercurialia & arſenicalia? Non vegetabilibus, Senna, Rha, Turbit, Colocynthide, Scammonio: quanquam ſi his vſus eſſet medicus ipſe, totum ſuum de peſtilentia libellum omnino in cloacam effudiſſet, cum ſit ſatis arſenicalis, & poſſint iſtis catharticis vel totæ gentes expurgari abundanter. III. Cur autem vegetalia reiiciuntur? *Quia non habent* (inquit) *communionem* (Gemeinſchafft) *neque vim magneticam minerale illud excrementum attrahendi.* Ridiculum. An ergo Aſcanienſes viuunt minerali arſenico & mercurio? Excrementum analogia reſpondet ei cuius eſt excrementum. Si oleribus viuunt, oleracea erunt; ſi carnibus, carnea, ſi variis varia. Vix autem credo Aſcaniæ aliud ex mineralibus in cibum & potum aſſumi, quam aquam & ſalem: cætera credo eſſe ex plantis & animalibus. Hæc autem ſymbolum habent cum vegetabilibus catharticis. Cur ergo vegetalia non purgent præſertim hominem nondum infectum, qui nihil excrementorum aſtralium, ſed omnia ex conſuetis cibis habet? Sume perſpicilia, belle medice, & te in tua porcina methodo diligenter contemplare. IV. Si ad mineralia excrementa opus eſt cathartico minerali, ad plantalia requiretur plantale, ad animalia animale, ad arſenicalia arſenicale: ad mercurialia mercuriale nonne? Simile enim trahit ſimile. Iam præter ſalem vix aliquod minerale eſt in non infecto. Nam quod de tartaro dicunt, & lapidoſis, id non neceſſario eſt ex mineralibus. Animalia ergo, vel vegetalia purgantia ſunt danda admiſta portione ſalis. V. Sed cur nulla ſit communio vegetalibus purgantibus cum mercurio & ſulphure arſenicali? An non mercurius & ſulphur eſt in omnibus miſtis ſecundum analogiam? An non iſta vegetalia naſcuntur ex terra, ex aqua attrahunt ſuum mercurium & ſulphur? Ecce tu nec Paracelſica principia intelligis. VI. Quid de magnetica virtute? Nugæ. Num tu ergo putas magnetica virtute purgans attrahere purgandum? Quid ſi purgandum validius traheret? Nam debet reciprocatio virtutis eſſe inter ſimilia, ſi actiuitas eſt ex familiaritate, & nihil familiare dici poteſt, niſi relate ad alterum, cui hoc viciſſim familiare, quia in relatis eſt reciprocatio. Si ſic trahit purgans, non in ventriculum mittendum eſt, ſed in inteſtinum rectum, quomodo ſcribis de nodulo metallico. Noui Hippocraticam & Galenicam ſententiam. Sed quam tu rationem reddes illa conſtante cum argentum viuum, colocynthis, & ſimilia foris admota purgant? Quam affectes, cum non res ipſæ ingeruntur, ſed ſpiritualia infuſa etiam frequenter ex eodem repetita? Eſt & alia naturalis, alia violenta tractio: Illa amici, hæc etiam inimici. Magnetiſmo rem declarant. Sed ſi exactius iudices, inuenias purgationem non eſſe attractionem, verum offendentis abactionem, & expulſionem, vt purgatum à moleſtante relinquatur corpus. Verum de hoc alibi.

VII. Quid autem purgat Aſcanienſes præſeruandos? Opus eſt non ruſtico aliquo, aut ciue, nec miniſtro, ſed ſummo rege. Quo ſummo? Inter omnes planetas. Hic nihil Saturnus, nihil Iupiter, Mars, Venus, Mercurius, Luna; quanquam in Saturno Philoſophorum, & Mercurio magna ſit vis purgandi: ſed Sol, tametſi non ſummus ſit planetarum, ſed medius, ſæpeque parum poſſit præ viribus cæterorum. Verùm delirat medicus & aurea ſputa ſpuit, cum ſatis eſſe poſſet ad purgandum, vel parum croci metallorum, aut aliud minerale vilius, præſertim arſenicum, vel mercurius, quia Paracelſo iudice, tale purgat tale.

VIII. Num autem ille ſummus omnium planetarum iudex & rex eſt Sol ipſe per ſe? Non. Quid ergo? Mercurius Solis. Si hic eſt omnium planetarum ſummus, eſtne vnus ex planetis, an non? Videtur eſſe debere. Nam ſimile trahit ſimile. Si in homine eſſet mercurius excrementitius, debebat à mercurio trahi. Nota: Si auti argentum viuum purgat, id per ſe non facit, ſed vi mineralium adhærentium, aut admiſti mercurii ex ſublimato. Sol Paracelſo eſt quicquid confortat, & lætificat, vt Sol cœleſtis. Qualis Sol, talis eſſentia & principium ex Sole. Quis vero trahet arſenicum? Arſenicum non eſt inter planetas. Cur non requiris etiam ſulphur Solis?

IX. Eſtne autem verum, quod Solis mercurius ſit iudex, & rex omnium planetarum? Imo falſum. Penotus teſtatur cum Kelleius Pragæ feciſſet ex auro argentum viuum, quod id plane inutile fuerit ad artem, nec potuerit cum auro iungi. Adeo non fuit potens in planetas. Paſcit, & purgat medicus iſte ſuos Aſcanienſes fumo, & fabulum narrat de Tartarhan, de Kibur, de ferinis, & aliis deliramentis, atque ita putat ſe probe docuiſſe methodum præſeruandi.

X. Quanto vero conſtaret talis purgatio? Mihi perſuaſum eſt nullum Aſcanienſem tanto eſſe purgatum, & ſi quid datum eſt, id fuiſſe de antimonio. Hoc enim in Schedula Bambergica anno 1608. excuſa mercurio iſti ſubſtituitur. Si tantum poteſt calx ſtibii quantum Solis mercurius præcipitatus, cur præſcribis Solem, & aurum perdis, cum poſſis vili metallo purgare? An non ſuſpicio eſt nomine SOLIS impoſturam fieri Paracelſicam? Veri Solis eſt confortare naturam, vt vult & ipſe Paracelſus:

XI. Sed corrumpant Aſcanienſes aurum ſuum ventris exonerandi cauſa: Quid fit poſtea? *Cum arſenicale ſubiectum* (nam hoc oportet ſuſceptiuum peſtis eſſe, & *πρῶτον δεκτικὸν*, non cor, non epar, cerebrum, ſanguis, ſpiritus, tametſi noſter Scheunemannus alias ex libro Hipp. de flatibus omnes morbos attribuat ſpiritibus) *ſublatum eſt radius Saturni virulentus non facile poteſt humidum radicale, balſamum vitæ, inflammare, ſeu incendere.* O argutum & aſtronomum, & medicum. Saturnum frigidiſſimum omnium planetarum eſſe dicunt. At in Aſtrologia Scheunemaniana, vbi omnia dicta, vt in buccam veniunt ſunt mera oracula, habet radios tam igneos, vt inflammare poſſint. Vnde noſti Saturni id opus eſſe? Ex principii ſcilicet petitione Paracelſiſtis familiari. Galenici demonſtrationes ex immotis quærunt, non ducuntur vanis opinionibus & phantaſia.

XII. Eſt & Phyſicus acutus. Tolle ſubiectum ad patiendum diſpoſitum, aut medium tranſmiſſionis: nulla vis erit agentis. Arſenicum hominis aut per ſe primum ſuſceptiuum eſt veneni, aut medium. Bene ergo remouetur, ne quis peſtem patiatur. Ego credo arſenicum illud ex nullo Aſcanienſi potuiſſe eiici. Nam nullus fort[illegible] eſt auri mercurio: Et ideo quod ſcribit Scheunemanus multos eſſe ſubito mortuos vſu the[illegible] & mithridatii, id magnum eſt mendacium. Mortui enim ſunt propter retentum arſenicum.

XIII. Quid autem de mercurio? Bonus iſte dormit, eſtque admodum ſimplex, & mitis, vt non egeat purgatione. Quieſcat ergo in pace.

XIV. Perge methodice Doctor. Iam eſt purgatum. Num igitur tuti ſunt Aſcanienſes, cognito quare ſint purgandi, & quomodo purgans præparetur (quanquā non credam vllum eſſe Aſcherſlebii ciuem, qui ænigma fabuloſum de Solis mercurio intelligat) cumque iam ſunt vacuati? Explicanda etiam cauſa peſtis eſt. At, inquam, methodus recta hanc præmitti poſtulabat? Sed Paracelſica methodus eſt, non Ariſtotelica, aut Galenica. Deinde cauſa ita dicitur, vt dubites num eam ipſe medicus intelligat. Verba legimus quidem, ſed quis eſt ſenſus? Et ſi ſenſus patet, quis nos certos reddet de veritate? Scientifici præceptoris eſt effectum per cauſas immotas demonſtrare. At Scheunemannus nihil niſi nugas nugatur, quaſi tantæ ſit autoritatis, vt quiduis garrienti ſit credendum.

Nota prophylacticam methodicam Scheunemani, quæ ſola eſt in vacuatione ventris.

XV. Prophylacticum dogma ſcimus, & neſcimus: quodnam habes therapeuticum? In dedicatione, qua Senatum tuæ Reipublicæ alloqueris, optas *vt prolixi Canones Galenicorum ad orcum mittantur.* Iam apparet voti ratio. Satis enim tibi eſt præſeruare tuos ciues cacando dato mercurio Solis Paracelſici fabuloſi. (Nam in Vtopia inuenitur, vel Moronia, cumque in Germaniam trahitur tanquam alter Cerberus ex inferno, mutatur in argentum viuum præcipitatum, aurum vitæ ſine auro, aut turbith aliquod minerale. Tales enim vertumni ſunt Paracelſitæ, vt etiam ex ſtibio poſſint aurum ſeu Solem facere.) De cibo & potu, reliquiſque valetudinis conſeruandæ adminiculis, præſertim de aere & contagio: Item de antidotis & aliis cum Dei benedictione vtiliter adhibendis, tui Aſcanienſes non indigent præmonitione. Proculdubio enim ſunt ſuo medico podagrico ſapientiores; & valet in Scheunemanni officina illud vulgatum: *Sapienti ſat dictum.* Therapeutica methodus qualis?

Methodus Therapeutica Scheunemani.

I. Eſt vomendum. Quare? Num vomilio Paracelſi, aut aqua vomitiua Hartmanni, qui cum Scheunemano in Libauium conſpirauit? Non. Sed apud obſcurorum virorum concilium quærendum eſt de quadam Venere. Iures Aſcanienſem ciuem putare ſibi deſcendendum eſſe in montem Veneris cum Tanheuſero (Mit dem Danheuſer in den Venus Berg.) illa Venus habet ancillam Arthemiſiam, & aſtraliter ſic paratur, vt fiat puluis fixus, quem ne Vulcanus quidem poſſit aliis

ſit aliis

ſit alis donare. O Aſtrale medicamen. II. Minerale ſuppoſitorium in anum eſt intrudendum: Sic is, qui ex cœlo arſenicale venenum accepit, (Id enim neceſſe eſt. Quomodo enim ſit ex victu, cum prophylacticus Doctor id pridem expurgauerit per mercurium Solis, ſeu rubrum Heinricum, vt quidam vocant?) id cogitur reddere ſurſum deorſum: Quod tamen alii Paracelſiſtæ longe faciunt compendioſius dando quatuor, ſex, aut plura grana vitri antimonii pro Helleboro Hippocratis. Sic fiunt omnia tria. Nam patientes valde methodice inde cacant, ſudant, vomunt: modo vires ferant, ſine quibus ſæpe etiam animam vacuant, nec noſter methodicus in ea re ſatis eſt prudens, omneſque eadem fidelia tingit. Illi quidem audaces ſunt ſatis, & cum ad orcum miſerunt ægrotos cum ſuis canonibus dicunt in fatis fuiſſe mori, & ad hoc viam acceleraſſe medicamentum. Sed Scheunemanicus globulus incredibile quid facit. Nam tantam ad ſe vocat excrementorum copiam, vt ſuperet omnem fidem: Jn gröſſer menge als der vnerfahrne kaum glauben mag. Proh fidem Scheunemannicam. Tamne impuri ſunt Aſcanienſes, quos tamen argenti viui ruber puluis prius expurgauit? Sed Paracelſica fide iſta omnia ſunt ſcripta; quam putes Punicam eſſe, quia prima litera eſt eadem: (Ludendo dicendum eſt & iocando. Tales enim homines indigni ſunt ſeria reſponſione, & graui.)

III. Poſtquam ſurſum deorſum aſtra malefica arſenicalia eiecimus, vertere nos debemus ad tertiam dimenſionem, tanquam Geometricam exercentes. Iubemur enim iam ſudare, quod fit ſecundum latitudinem, quanquam non ſine longo & profundo. Qua re ſudandum? Nugis de Tarbaſone, Bunico Baurach, & aliis næniis. Scilicet patientis intererat iſta ſtulta ſcire. Mirum tamẽ eſt ſudorem imbri, ſeu nymbo comparari, cuius effuſione humidum radicale incenſum reſtinguatur. Credat Iudæus Apella, inquit Horatius: Non ego. Qui enim ſudant, non fiunt humidiores, niſi in cuticula. Intus areſcunt.

IV. Cacatum eſt, vomitum eſt, ſudatum eſt: Quid reſtat? Refectio ex culina Galenica, & officina Theriacali. O factum bene. Quid ſi illa aſtra malefica, tantum hoc therapeutico ſimul, & prophylactico arcerentur? Quid ſi purgatiuis iſtis contemtis eo magis furerent, quo magis vacuares? An non hic Galenicum conſilium optimum?

V. Vires ſunt refectæ bonis Galenicis externis, quæ Epithemata vocant, & internis iuſculis ex culina: Sequitur Diureticum, vt & vacuemur per vrinam. Scheunemanni enim aſtrales peſtes *Vacuatio per* omnia implent vacuandis humoribus, licet aſtra alias ſpiritualiter operentur, & ſæpe peſtes prius *Diuretica.* interimant correptos, & ex aere infectos, quam ſemel purgari poſſint, nedum quater. Quodnam eſt Diureticum? Verum, aſtrale, fixum, ſi credere fas eſt. Si fixum eſt, figet: Qui vrinam mouebit? Ex qua re? Ex flauo calone, & glaciali aue. O rem miram. Noſtri tonſores ſalem petræ igne circulati, ſi qui ſunt callidiores, liquant, iniiciunt ſulphur, incendunt, ſinunt deflagrare. Vocãt lapidem pruni, quem Paracelſiſtæ, prunellam mineralem. Sal petræ cum ſic paratur, fit valde terrenus, & ſalſus, quoque ſæpius deflagrare ſinitur, eo magis amittit ſpiritus, & partes ſubtiles aſtrales, ita vt pene caput mortuum remaneat. Si non penitus mortificare velis, ſed ceſſes cum videtur purus eſſe, non eſt fixus. Nam in igni adhuc ardet, & fumat, ſeu halat. Talem autem fixionem requirebat medicus, quæ in igni maneret. Nos alias probe ſcimus, quæ ſit relata halinitri fixio, quæque abſoluta, quæ conuenit ſali noſtro fuſili. De illo nos infra diſputabimus. Iam explodimus noſtrum peſtilentiæ methodicum medicum, qui nondum vllum alexipharmacum ſuum peſti oppoſuit, ſed tantum vacuauit quatuor modis. Refectio aliquid habet, ſed id Galenicum eſt, & externum. Morbus venenatus ægrotum pene ad necem adegit. Medicus quatuor purgationibus vires fregit: Et nullum adhuc dedit per os alexipharmacum, quo proprietas ſeu ſpecificum veneni iugularetur. Falſum & fictum eſt in mercurio Solis ſeu auri, præcipitato æris in argentum viuum reſoluti, globulo antimonii, & ſale petræ vſto eſſe vim alexipharmacam, quæ & venenum proprietate deleret, ſimulque naturæ robur conferret, quod eſt officium Bezoardicorum. Eſt autem ſal ille vſtus ad ſatietatem bibendus, vt bene mingant Aſcanienſes, & ſimul refrigeretur impreſſio calida. Macte virtute eſto methodice medice.

VI. Fecimus quod iuſſiſti, Deoque debemus, quod nos non ad tartarum miſeris. Hæret autem adhuc venenum. Neque enim dediſti alexipharmacum. Omnia enim tua ſunt fixa. At aſtrale venenum ſpirituale vult ſpiritualibus, *ἀντιπαθῶς ἔχουσι*, depelli. Quid amplius ſuades? Tunc poſ- *Vena ſectio* ſunt plethorici ſanguinem ex vena ſecta mittere. Quid? Ad mortem vacuati ſumus, & peſtilens *poſt omnes* venenum adhuc eſt in ægrotis, & tu ſuades phlebotomiam? Ad Cynoſarges cum tuo conſilio. *purgationes.* Admonitio. Iſta omnia poſſunt ſpacio quatuor horarum fieri. Nempe vt celeriter moriamur. Hoc enim eſt cito ſanare apud Paracelſiſtas.

VII. Miſimus iam & ſanguinem. Num quid aliud agendum? Galenica confortantia alexipharmaca iam ſumenda, eaque non ex mineralibus, quæ ſola putabantur peſtem tollere poſſe, ſed ex vegetalibus, & animalibus ſæpe, & bona quantitate (in ʒimlicher menge vnd offt) aſſumtis.

VIII. An etiam licet dormire? Licet ſi quis ſit Endymion, per bihorium: at non dum vtitur prioribus. Hoc optimum eſt. Quis enim dormiret per eas quatuor horas intra quas eſt cacandum, vomendum, ſudandum, vrina pellenda, ſanguis mittendus, niſi forte in æternam ſoluantur lumina noctem? IX. Horis XII. à primo ſudore elapſis denuo eſt ſudandum, & victus prior reponendus, idq; etiam quintum, vt ſatis ſudetur. Nota hic ſingulare vocabulum, quod eſt abſconditæ ſapientiæ ſicut Alſtoos, Archæus, Yliadus, & alia ex Caci officina prolata. Quodnam? Repetere ſudorem, & victum eſt COHOBARE. Hoc Galenus ne in inferno quidem intellexerit. Lon- *Cohobare.* ge ergo Galeno ſapientiores ſunt Paracelſiſtæ, ſi manibus placet. Quomodo intelliget Aſcanienſis populus? X. Cum peſtis Scheunemaniana ſit aſtralis, non ſpiritualiter agit, ſed corporaliter,

vt tot vacuationibus ſit opus: Et miramur quod nulla veſicatoria adhibeantur, nulla pentacula, & Zenechdon aſtrale cum ſimilibus, quæ maleficum aſtum poſſent elicere, ſicut magnes ferrum ex arena. Illa putrefactiuam, ſeu ſepticam vim habet. Sanguinem enim corrumpit, & apoſtemata facit. XI. Quæ horum eſt methodus? I. Bubones debent maturari. Ridiculum. Quid ſi non poſſent ob humoris feritatem? Paracelſus longe ſapientius præcipit primum venenum extrahere impoſitu rubetarum, vel ſimilium, & ſic ſimul alterare. Hoc vbi factum, curatio eſt expedita.

Methodus bubonum ſanandorum.

II. Quo celerior eſt maturatio, eo melius. Explodite hominem chirurgorum famuli. Neque enim accelerari poteſt maturatio veneno nondum deleto. Maturatio eſt concoctio quædam. Peſtilentes bubonum humores non poſſunt concoqui ante venenum mortificatum, vel euocatum. Videte Aſcanienſes quam malum habeatis chirurgum, quem vel balneatorum ambubaiæ riſerint. Intelligit hoc & methodicus ipſe. Ideo addit *Barbitonſores habere huius rei bonam inſtructionem*: Non opus eſt fide iurata. Credimus vel iniurato.

III. Melius tamen, & celerius eſt conſilium. Quodnam? Supra inter diabolos incarnatos recenſuerat dentifragos. Dentes educunt & chirurgi. Aſcanienſes cum ſuis bubonibus peſtilentibus, puſtulis & aliis ablegantur ad chirurgos, à quorum conſortio tamen ſe ſubtrahit Scheunemanus, ne & ipſe ſit diabolus incarnatus. Peculiare, idque velocius remedium confecit domi ſuæ, quod vocat cauſticum. Non ſtulte ſapit. Crediderim enim hoc ante maturationẽ fore ſalutare. Eſt attractiuum & alteratiuum ſimul, iuuatque propellentem naturam. Commendatur autem Paracelſice. Iucunde enim & cito volumus ſanari, vtrumque præſtat iſtud cauſticum, quia ſine omni dolore velociter operationem perficit. Quidni in ictu oculi & opinione citius? Hic autem methodico iterum negotium eſt cum diabolis ſuis incarnatis, qui id noluerunt credere. Ideo vehementer intonat. IV. Quomodo agit? In vna hora aperit cutem in circumferentia. Nondum hoc petebamus. Satis erat venenum extraxiſſe. Quid poſtea? Sit aperta cutis? V. Emplaſtrum maturatiuum & attractiuum imponendum. At inquam apertio ſequitur maturationem, non præcedit. Ita enim agendum: Primo venenum euocandum, aut iugulandum. Hîc attractiua & alexipharmaca mithridatica (non Theriacalia) valent. II. Maturandum. III. Aperiendum. IV. Mundandum. V. Conſolidandum additis incarnatiuis, & cæteris ſecundum artem. Sed fruſtra quærimus methodum Galeni, apud methodicæ ſectæ profeſſorem Paracelſiſtam.

Cauſticum ad bubones.

XII. Tandem fidelis Echardus caudam tenet. Epilogo enim addito repetit vomitiuum, ſuppoſitorium, ſudorificum, & diureticum intra 24. horas ſumenda repetito bis hydrotico. Habetis totam methodum, in qua mirum eſt, quod ſudorificum dicatur extinguere inflammationes, ſeu incenſiones humidi radicalis, & balſami vitæ, item diureticum alterare, &c. Sed Paracelſiſtis nihil eſt difficile, per ſe, per accidens, fortuito, artificioſe, ſcienter, neſcienter omnia ſanant, quantum ſcilicet ad ipſos attinet. Nam quantum ad medicinas, eæ iudice Seuerino ſcientiam habent, noueruntque ſuum hoſtem inuenire etiam in abditiſſimis ſecuro medico. Si non irritarem crabrones, quærerem vnde ſciret quod humidum radicale, & balſamus vitæ in iſta aſtrali peſte eſſet infectus, non autem ſpiritus, & calor inſitus, & quî iſta infectio poſſit tolli tot purgantibus? Sed fabulæ hic eſto finis. Iſta eſt methodus. Nunc perſequor inſtitutum.

Echardus fidelis.

Mira vis ſudorifici.

Cap. XI. Ais te materiam ex qua, propriis nominibus indigitaſſe. Nempe propria nomina ſunt mercurius ſolis (ex Vtopia) ferinæ baluneæ, kibur, purpura rubra mercurii, Tarterhan, albæ pennæ olorum, ſuprema cœli feneſtra, Venus mire pulchra ſub viridi tentorio, Arthemiſia Saturnus peſtis, & Mars, ictus reuerberationis, aſtraliter præparare, globuli rotundi, ſalubre minerale, Tarbaſon pater æris, fumus irati Martis, volatilis halcyon, citrinæ vaccæ, vel flauus calo, Cribrit, qui auem illam intus & foris bene aſſat. Ecce hæc ſunt tua propria nomina, quæ adeo non intelligunt tui Aſcanienſes, vt ne diaboli tui incarnati quidem. Halinitro noſtro imponis nomẽ Bunici Baurach. Eſtne hoc nomen proprium, aſine imperite & maligne? Sane negas fortiter licet non conſtanter, me quoque, qui diabolus incarnatus non ſum, ſed honoro Deum meum, & Chriſtum, diuinando tuos puluiſculos fuiſſe aſſecutum. Reſtat vt vel mentiaris, vel tibi propria more tenebrionum intellexeris. Propria ſunt primæ impoſitionis, & per eſſentiam ſignificant. Tua ſunt fabuloſa, conficta, diſtorta, & ne Chymicæ quidem arti familiaria, cum non deſignent voces id cui vel populariter, vel artificialiter ſunt deſtinatæ, ſed more Paracelſiſtarum modo hoc, modo aliud, ne deſit fuga deprehenſis.

Materia pulniſculorum.

XII. Scribis me conqueſtum eſſe, quod me reliqueris in mea diuinatione. Vbi? Apud quem? Ego te in tenebris, latibuliſque tuis relinquo, ſi omnino velis latere. Interrogatus ſententiam dixi de his, quæ videbam publicata eſſe, & omnium iudicio expoſita. Sed tibi mentiri ſine rubore ſolenne eſt. I ad coruos cum tuis puluiſculis, & æternum late. Annon potuimus eodem anno aliis in locis peſtem curare, quia ignorauimus tua deliramenta? Scilicet Libauius debuit ſtulti hominis oſtium pulſare, & vanitates rogare. Id fiet ad Calendas Græcas.

XIII. Addis te hac lege publicaſſe tua, vt is qui vellet reprehendere (vt diaboli tui incarnati) corrigere, augere, prius à te peteret ſcripto cognitionem, &c. Vbi hoc indicaſti? Nempe ibi, vbi tubor tuus. Ego nullam legem in tua charta video. Quid autem opus eſt ex te petere, quod omnium cenſuris expoſuiſti? Itane propriis nominibus materiam expreſſiſti, vt ſine te nequeat intelligi? Ridiculum eſt legem præſcribere iudicibus in eo, quod publice eſt propoſitum. Nihil à Paracelſiſtis alienum feciſſes, etiamſi quæſiuiſſem. Finxiſſes aliquid atramenti, & te penitius occultaſſes.

XIV. Legem dicis tuam his verbis contineri: *Non ſum adeo inuidus, vt artis amantem celem, & ne momum quidem ipſum* (incarnatũ tuum diabolum) *ex quibus, & quomodo præparetur, ſi petat. Si tunc poſſit reprehendere, aut melius in lucem dare, faciat hoc, & me gratum inueniet*: O legislatorem: Conditio eſſet: Ego publi-

Ego publico tibi hoc meum hac conditione, vt ſi velis reprehendere, à me prius petas expoſitionem. Scilicet. Tunc prius Galenum, & Galenicos compellaſti, quam reprehendiſti, & optaſti, vt eorum prolixi canones ad orcum mitterentur cum compoſitionibus? Si lex eſſet, te prius eam ſeruaſſe oportuiſſet. An ignoras quo iure publicentur ſcripta? Imo tu omnes iudices prouocaſti ipſa editione, eſtque tua ſeu lex, ſeu conditio ipſo iure nulla. Quid autem ſi ego nolui tua reprehendere? Nihil enim aliud feci, quam quod amicis ſim gratificatus tantum quantum potui in ea re, quæ non amplius erat tua. Sed vale cum tuis deliramentis, tuaſque ſordes ipſe vora. Eſt autem notandum, quod prius ſcripſerit ſe materiam propriis verbis nominaſſe. Si hoc verum eſſet, nihil occultaſſes, vt opus eſſet reuelatione, nec offerres momo detectionem. Non ſunt ignotæ vocum proprietates. Si proprie dixiſti, nihil occultaſti, ſi nihil occultaſti, nullam legem de reuelatione dediſti, ſed libere omnes iudices admiſiſti. Quod autem me tam ſæpe mendacii accuſas, non miror. Neque enim aliud potes, quam conuitiari bonis, & veritatem afflare calumniis diabolicis. Vir malus cum vituperat bonum, laudat.

XV. Deſcriptio momi in te incarnato momo eſt nata nuper. Si quis Paracelſiſtarum ſcelera, inſcitias, deliramentaque reprehendit, momus eſt; Scilicet: Nimirum hoc amuleto etiam ſtultiſſima, & mendaciſſima, ſceleratiſſimaque ſcripta poſſunt muniri. Momus eſt, qui præclare facta reprehendit, non qui crimina, vitia, ſcelera, impios, prohibitoſque libellos. Alias impune prouolarent quæque veſaniſſima, nemoque auderet iudicare; quia præfixus eſſet verſiculus in momum. Quis hanc licentiam dedit ſtultis ſcriptoribus? Neque tamen ego quicquam in tuis tunc temporis reprehendi; ſed tantum coniecturam propoſui. Quoniam autem tibi tua ſtercora tam bene olent, fruere iis ſolus ad ſatietatem.

XVI. Ais me iactitare me diuinatorem. Hoc verum non eſt. Tuum eſt impudens mendacium, Nullibi me iacto. Coniecturas & diuinationes in interpretandis magni operis ſapientum ſcriptis ſi pono, modeſte pono. Tu diabolico veneno delibutus nihil potes, quam modeſtiſſima quæque culpare. Legem tuam inſpice homo veſane, quam vocas. Si vis mea reprehendere, & diuinationes irridere, rationem prius pete, & tunc ſi potes, meliora monſtra. Muſcæ impuræ bona vnguenta perdere poſſunt, meliora exhibere non poſſunt. Hactenus nota XX.

Nota XXI.

An Libauius diuinauerit Scheunemaniana interpretando?

TRIBVIS mihi diuinatoriam in coniectura tuorum puluerum. Ad coruos eras cum illis mittendus. Quid enim viris doctis cum inſignibus tuorum deliriorum? Sed tamen vt penitius innoteſcas, verba tua ſunt promenda. Ita inquis: *Licet te diuinatorem iactites, nihil diuinaſti* (ſtulti hominis ſtultus ſermo) *Corniculam audiui, augurium nullum habentem. Primum puluerem ex Venere fieri diuinas? Hoc ego clariſſimis verbis profeſſus ſum, primum puluerem eſſe Veneris donum. Alterum cornicula augurium eſt ex ſtibio fieri oportere Diaphoreticum. Hoc ego Chymicis cognito nomine ex Tarbaſo, hoc eſt, antimonio præparari dixi. Denique nitrum per ſulphur debere figi nomine etiam Matthiolo vſitato Cribtit aperto ſermone explicui. O vanum diuinatorem. O miſerum figulum. Caue tibi arroſor omnis erudita manus, ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim Rex auium plumas, moueat cornicula riſum, furtiuis nudata coloribus. Si in quos ſæuis Rulandos, Tankios, Crollios, Penotos, Quercetanos, Seuerinos, Baſilios, Thurnheuſeros, alioſque centenarios atro loliginis ſucco à te notatos reſurgerent, in quem te angulum proriperes? Ringeris ſat ſcio, ringere, &c.* Hæc ſunt tuæ ſtultitiæ ſputa, quibus tuum ingenium longe melius depingis, quam vllus Apelles poſſet, nempe eſſe συκοφαντικὸν, calumnioſum, veteratorium, inſanum, Indignus es cum quo vel verbulum commutet vir honeſtus. Sed aliorum cauſa, vt Paracelſicum pecus innoteſcat plene omnibus, deuoranda & hæc moleſtia eſt.

Confeſſio de coniectura Libauiana.

Notate hominem prodigioſe inſanientem.

Nebulo Scheuneman indignus reſponſo aliorum cauſa reſponſum exprimit.

I. Negas me diuinaſſe, cum tamen diuinatorem iactitem: ſed corniculam ſine augurio egiſſe, quia induerim alienas plumas. Mendacium id tuum eſt toties repetitum quoties me de tuis diuinaſſe iactas. Tune omnium rudiſſime Aſine ſcias quid ſit diuinare, quidue augurium? peſtis es omnis literariæ ſcientiæ. Non ad te, ſed meliores verba ſunt facienda. Legite quæſo, viri boni, mea verba, quæ extant in parte priore apocalypſeos hermeticæ pag. 166. *Non ita pridem* (inquam) *peſte per Germaniæ vrbes varias vagante quæſtio nobis eſt propoſita de huiuſmodi medicatione: In prima inuaſione, &c.* Paucis connotaui verba chartæ & ex Germanico in latinum ſermonem, vtcunque traduxi cum nota marginali: *AEnigmatica peſtis cura cuiuſdam Paracelſiſtæ.* Verbis autoris hæc ſubieci: *Hæc eſt medicatio illa parabolica. Nos quidem Daui ſumus non Oedipi. Si autor quiſquis eſt, vult latere ſua, lateant ſane: Amico vero noſtro ſic reſpondimus. Vomitiuus puluis videtur eſſe ex Alexicaco Quercetani, & Elia Artiſta, &c. Secundus puluis hydroticus ex antimonio minerali eſt, Paracelſiſtæ Tarbaſonem ex deprauato Plinij Larbaſo vocat: Eſt & pater æris ſeu metallorum, &c. Tertius puluis videtur mercurius quidam vitæ eſſe ex glaciato liquore per ſpiritum ſulphuris præcipitato, &c.* Hæc ego.

Priora duo liquido expoſui, & monſtraui locum vnde tranſlatum ſit primum: Quia vero verſutia Paracelſica mihi nota eſt, & quam ſe deprehenſi in tenebras abdant, ideo vſus ſum verbo VIDETVR. In tertio medicamine deceperunt me citrinæ vaccæ, die gelben Kühe / der junge Cribtit, &c. Ita enim in expreſſo exemplari ſcriptum erat. Vbi iam diuinatio? Recito quid tunc

temporis inter me, & amicos ſit actum. Nolo Oedipi inſtar diuinare: Sententiam tamen & coniecturam aperui, longeque occultius & eruditius quiddam in tertio puluere tribui autori, quam ſalem illum crematum, quem nullus non balneator, barbitonſor, ſeplaſiarius, paulo petitiores, imo & quædam mulieres parare nouerunt. Nulla hic vox iniurioſa eſt, & debuit doctor iſte gaudere, quod ſua commenta meis coniecturis illuſtrare dignatus ſim, & ad poſteros tranſmittere: Quin & gratias agere multas par fuerat. At mendacio & ignominia grandi compenſat magnum beneficium, & pro gratiarum actione vomit turpiſſima conuitia. Idne eſt viri boni & honeſti?

II. Si non diuinaui (negas enim diuinaſſe licet velim videri diuinator) quorſum mihi ô vaniſſime omnium id tribuis? Si neque ego diuinare me dixi, neque tu id agnoſcis, quæ te agunt intemperiæ, vt id de me ſcribas? Annon autem Oedipo opus fuit in iſtis explicandis? Primum nota eſt Paracelſiſtarum nequitia. Licet panem dicant, & ſcribant, tamen panis nõ eſt panis. Ideo & Crollius Paracelſi literam mortuam vocat, ipſeque Paracelſus ſcripſit ſe à paucis intellectum iri, & vocabularia confinguntur. Deinde ipſe nebulo ſe occultaſſe ſua ſcripſit, & pollicetur reuelationem, ſi quis petat. Tertio quis eſt, qui legit ſordes iſtius ſchedæ, & non hæret in ſignificatione? Quarto ſi ſtylo Chymico locutus eſſet, potuiſſet intelligi à peritis: at iam culinario, ſordido, & impoſtorio.

III. Pungis me corniculæ conuitio, quaſi Horatiana illa cornix ſim, quam fingunt ſe ornaſſe alienis plumis. At tu cuculum agis, & garrulum, & gracculum. Dic homo inepte: Ex quo tranſſcripſiſti totam tuam Paracelſiam peſtilentem? Vnde furatus es tres tuos pulueres? Ego liberaliter indicaui eorum nomina, per quos profeci. Tu ne verbulo quidem ſignificas autores tuos? Imo prætertito Quercetano, & Heliophilo, aliiſque, tibi aſſcribis inuentum, cum ais: *Quomodo iam graſſans peſtis per particularem medicinam poſſit auerti, diligenter expiſcatus ſum ex macrocoſmo, & priſcorum Hermeticorum, Hypocraticorum ſcriptis, &c.* Dic quæſo, quæ ſunt illa Priſcorum ſcripta, ex quibus expiſcatus es iſtos pulueres? Et ſi potes aliqua producere, annon & tu es cornicula? Ex quo macrocoſmo peſtem futuram prædixiſti? Ex Calendariis vbi vidiſti conſtellationes quaſdam, & vaticinia Aſtrologorum, quorum tu fur peſſime ne nomen quidem ponis. Si corniculæ ſunt, qui ex variis autoribus exempla ſcientiarum, & artium colligunt, commentarioſque conficiunt, quid ſentiendum de Ariſtotele, Platone, Plinio, Galeno, Penoto, Crollio, Beguino, Müllero, Andernaco, Geſnero, Aldrouando, Matthiolo, Meſue, Bulcaſi, Auicenna, Quercetano, Paracelſo, & aliis infinitis? Qui Dialecticam, Rhetoricam, & alias artes informat, an is ſuo ſolius vtitur iudicio? An tu tam ſtultus es, vt non intelligas Alchymiam nec hominis vnius eſſe, nec ſeculi? Quoties dixi me non nouam Alchymiam, niſi ſecundum quid, fabricare, ſed diſperſam colligere, & iuſta artis forma publicare? Age vero tu, vir perite, ſi non vis eſſe peſtilentiſſimus momus, & virulentiſſima muſca, conde nobis Alchymiam tuam, vt videamus, num aliquid cantes prius non cantatum. Si meam operam reprehendis, affer meliora. Quid ringeris canis impure?

IV. Sed cur non diuinaui? Quanquam enim tibi hoc libenter concedam, & negem ipſe me diuinaſſe, vt tu ſis tanto turpior mendax, qua .to magis id mihi tribuis, tamen dic cauſam: Quia nimirum *clariſſimis verbis profeſſus ſis puluerum tuorum materiam.* Phy diabolicum mendacium. Quæ ſunt iſta verba? Venus, Taibaſon, Cribtit. Hem verba clariſſima. Cur autem in tua ſchedula aliquoties promittis reuelationem petenti, etiam momo? Non ſic inuidus es, vt velis cælare. Scribis legem poſuiſſe, vt ex te quis prius cognoſceret, quid eſſet, quam reprehenderet. Cur furis in momum incarnatum diabolum, quod eum putas velle ſibi manifeſtari particulare tuum? Cur negas te id facere? Nempe manifeſtaſti illis, qui tuam linguam intelligunt. At quis ignorat verſutiam Paracelſicam? An non in prioribus literis me irrides? Venus, Taibaſon, Cribtii; ſunt nota. At vbi reliqua: Halcyon, ſeu Eißvogel/vaccæ citrinæ, culinarius famulus, & totus proceſſus? Sed & ſi per Venerem intelligam aſtrum æris, qua quæſo forma, & apparatu? Idem dico de Tarbaſo & Cribtit. Sed contra deliria & mendacia aperta nõ opus eſt verbis multis. Scitote ergo Aſcanienſes veſtrum medicum vobis magno cum faſtu maximas nugas dixiſſe & pro precioſis arcanis coxiſſe argentum viuum præcipitatum, calcem ſtibii, globulum ex ſtibio, præcipitatum ex argento viuo cupri, & ſalem petræ per ſulphur crematum. Vos Semipolitani videte, quam egregiam fœturam edideritis, & receperitis. V. Iam ſequuntur exclamationes ſtolidiſſimæ, & flagitia grammaticalia. Volebam aliquid reſpondere, ſed Hippocrates aurem vellit & admonuit cum Donato & Priſciano: Quid facis Libaui? Craſſus iſte Beanus neſcit latine: Ecce: Citat verſum: *Rex auium plumas*: pro: Grex auium pennas: Et: Si in quos ſæuis, Rulandos, &c. reſurgerent, pro: Si Rulandi, &c. Ad ferulam homo rudiſſime.

Scheuneman in publicum cippum actus cum ſuis medicinis. Ecce tibi Paracelſiſta ſpecimen. Ad ferulas.

VI. Sed eſto Rex auium. Quis ille? Oportet verba intelligere ſecundum præſentem materiam. Agimus de Scheunemnani tribus puluiſculis. Hos ille vult repetere ex meis. Scheuneman ergo eſt Rex auium. Sed quarum? Veſpertilionis, Vpupæ, Garruli, Sturni, Gracculi, Bubonis, Coruorum, Crabronum, (nam & hi ſunt volucres) Harpyiarum (nam & fabuloſarum eſt) & ſimilium. Sit rex talium. Plumas apud me habet nullas. Nam illi pulueres non ſunt Scheunemanni niſi per furtum. Ego ſubtraxi ei iſtas pennas, & corui furaciſſimi furta manifeſtaui, ſuiſque autoribus reſtituere ſategi.

Scheuneman Rex auium, ſturnorum, vpuparum, muſcarũ, veſpertilionum, &c.

VII. Iam accuſor ſæuitiæ in Rulandos, Tankios, Crollios, Penotos, Quercetanos, Seuerinos, Baſilios, Thurnheuſeros, & centum (ipſe ſcribit centenarios) alios. Quid quæſo mendacius poteſt in mundo eſſe hoc homine, quem ſathan præcipitem in mendacia rapit? Vbi ego ſæuii in iſtos? Scilicet Paracelſo & ſceleratis diſcipulis, perfidiſq; (his enim titulis pleroſq; honorat) liberum ſit in Ariſt. Galen. Auicen. omneſq; veteres, & nouos furere, nulli noſtrũ, qui ius accepimus pro veritate reſpondẽdi, & falſitates refutãdi, integrũ ſit vel hiare? Scheunemanicæ rabiei ſit conceſſũ Galenũ,

The:i:cam,

Theriacam, Mithridatium, priſcos canones, quos vocat fabulas Galenicas, acerbiſſime lacerare, & horribiliter criminari, vti fecit in præfatione ad Aſcanienſem Senatum (qui pro honorario infamatorem illum debuit ad coruos relegare) nulli medico fas ſit vel mutire? Si quid dicas, id ſtatim eſt SÆVIRE. Quid autem ſi quod tu ſæuitiem vocas, ſit re vera mollis caſtigatio? Longe enim grauiora merentur Paracelſiſtæ, & interdum etiam accipiunt. Nam in cruce coruos paſcunt multi. Mendaciſſimo nugatori ſat dictum. In genere tam Crollio, quam Hartmanno, Seuerino, & aliis placet ingenua Philoſophia & medicina. Cur non & mihi? Diſputo de rebus, & dico quid videatur ſiue inimico, ſiue amico placeat, diſpliceatve. Hanc libertatem mihi nullius furor adimet. Qui boni ſunt, argumentis, non conuitiis, & calumniis ſe defendunt. Iam de nominatis aliquid.

VIII. Rulandos tres ego noui, inter eos pater amiciſſimus mihi, & medicamenta communicauit, & aliquid ſcripſit de præparatione, cuius literæ familiares adhuc ſunt apud me nonnullæ. Martinus filius Imperatorius medicus ſub me Ienæ profeſſore publico, & priuatim medicum collegium habente ſtrenue militauit, & ad mortem vſque conſtans permanſit filio meo viciſſim recepto, & literis multis ſcriptis. Sunt & ab altero fratre viro laudatiſſimo literæ apud me honorificentiſſimæ, egoque ſemper ſtudui illis amicitia reſpondere. Monſtra locum, ô mendax veſane, vbi in aliquem Rulandum ſæuierim. De Tankio non memini me vllibi ſæuiter agere. Sunt apud me literæ, quas ad Rulandum ſcripſit de arte pro ſuo iudicio, cui me aſſentiri nunquam poſtulauit. Quas vero ille bonus vir pennas à me repeteret, cum in publico nullum eius ſcriptum viderim, ex quo potuiſſem aliquid decerpere? Literas autem, quas ad Rulandum dedit, & ille viciſſim ad hunc, ideo quadamtenus recenſui, vt pateret quanto ſtudio viri iſti in arte Chymica exercitatiſſimi concertarint, poſſentque iuniores inde informari. Si non in omnibus conſenſi, id non eſt ſæuire. Tu calumniator peſſime ſic ſoles liberalem ingenuitatem in vitium & probrum transmutare? Exercuit Rulandus Tanckium, Tanckius Rulandum. Exercitationes cum ad me veniſſent, cum dignas luce vidiſſem, communi dedi vtilitati, nec volui mori cum mortuis. Idne gratiæ mihi refers, bipedum ingratiſſime? Crollium agnoſco in Chymia Pharmaceutica peritiſſimum artificem. Nolui itaque eius labores deeſſe communi operi. Ne fur tui ſimilis viderer, adieci autorem, & ſicubi neceſſe fuit meam ſententiam addidi, ne nudus transſcriptor forem. Vbi paracelſiſſat nimis, & à vero diſcedit, vt in vnguento ſympathetico, de quo ſcripſeram antequam vel Crollium, vel te eſſe ſcirem, liberaliter ſum philoſophatus more omnium, qui ſcriptis ſuis veritatem ſtuduerunt manifeſtare, falſitates autem redarguere, qui mos adeo laudabilis eſt, vt in publicum tranſierit, obſerueturque à ſacris & profanis, vt & ab Hippocrate, quem tuum facis, quanquam nomen ſcribere neſcias. In admonitoria quantam impietatem & falſitatem habeat Crollius, breui cognoſces, ſiue rumpantur omnes Paracelſiſtæ, ſiue marceſcant. Idem experietur tuus Hartmannus. Nam in lucem eſtis protrahendi. Quid autem tuus Paracelſus? Quos ille intactos relinquit? Quod ſi non licet ſententias ſententiis opponere, quæ furiæ te impegerunt in Galenum, Galenicos, momos, diabolos incarnatos, & alios? Si viueret Crollius, ſi quidem ingenuus ſit, neutiquam mihi propter ſententiæ diuerſitatem ſuccenſere putem, id quod & Quercetanus faciebat, qui cum noſſet me ſibi non per omnia conſentire, tamen non odit, ſed amiciſſimis literis aliquoties compellauit.

Quæ bono publico ſunt edita Paracelſiſta malicioſus rapit in conuitium.

Crollius.

Quercitanus.

De Penoto ſupra dixi. Qui tibi placent iſta ex impreſſo: *Mitto ad te Libaui doctiſſime ſcriptum, &c.* Et paulo poſt, *quaſi* prævidens fore tui ſimiles calumniatores ait: *Contra has omnes calumnias, vt tueret me, patrono mihi opus eſſe iudicaui, &c.* Item: *Circumſpicienti mihi vndiquaque tu vnus occurriſti, Libaui Germaniæ, & literarum decus, apud quem velut conſpiratione facta artes, diſciplinæ, virtutes denique omnes ſedem ſuam poſuerunt, &c.* Lege & reliquas laudes viri non calumnioſi, & tenebrionis, aut canis rabioſi, ſed laudatiſſimi, celeberrimique, qui cum videret ſua in meis opuſculis, non potuit ſe continere, quin in hæc verba erumperet: *Is ſum Bernardus à Portu S. Mariæ, cuius mentionem ſæpius honorificam in tuis diuinis ſcriptis dignatus es facere, &c.* Ecce nobiliſſimo huic viro, & clariſſimo adeo non diſplicuit meum factum, vt nequeat pene verba inuenire, quibus id commendet. Videbis iam quam plenus ſis inuidia, tabie & calumnia, qui id arrodis, quod viri clariſſimi non ſatis poſſunt prædicare. De Seuerino, iterumque Quercetano, qui in principiis Chymicis totus eſt Seuerinianus, quid garris homo vane? Non video cauſam cur Symboliſmis iſtorum Hermeticorum ab Hippocratica medicina depellar. Relinquo illis ſuas parabolas, & in Chymicis vtor ego quoque terminis, quos neque ipſi, neque Paracelſus inuenerunt, ſed Baſilius Valentinus, Iſaacus Hollandus, & alii ex magni magiſterii ſecretis promſerunt. Quanquam autem non probem, quod fiducia Chymica videantur veteris artis methodum velle abrogare, & recentia Chymica ſubſtituere, num ideo in eos ſæuio? Num tu illiberaliſſime omnium etiam intelligis, quid ſit ſæuire, & philoſophari? Noluit à ſe diſſentiri Seuerinus, cur ipſe ſeuere animaduertit in alios? Si quid durius dico vi argumentorum dico non in perſonas naturæ, ſed filios doctrinæ. Tu & tui ſimiles quibus agitis argumentis? Tibi conuenit illud Gnathonicum, inter tuos ſturnos: *Aiunt aio; negant nego, &c.* mihi cum amicis & inimicis conuerſatio placet aperta. Vera vbi inuenio, conſentio, laudo, explico: vbi non, ſententiam candide dico prolatis diſſentiendi argumentis. In te ego nihil deprehendere poſſum, quam nigram, eamque ſummæ virulentiæ, inſcitiæ turpiſſimæ, & inuidiæ veſanæ bilem. De Baſilio quid ais homo ſtulte? Ego eius Germanica latio donaui, & ſcholiis illuſtraui. Hocne eſt ſæuire in eum? Imo vbi ipſe ſæuire in tunc viuentes medicos, quod ſatis Paracelſice & Scheunemanice facit ſæpe, videtur, reprimo hominem, & innocentes defendo. In mea ad te epiſtola, cum me docere velles ſues ſtibio pingues reddere, credere factum poſſe negaui.

Penotus.

Seuerinus.

Baſilius monachus.

Neque enim videtur is monachus porcos ſaginaſſe, & cum per totam Saxoniam fiant pinguiſſimi, nunquam tamen audiui antimonio pingueſcere. Solet autem monaſticum genus, præſertim vetus, cum adhuc fabulæ eſſent in admiratione, ſibi nimium indulgere fingendo. Non eſt mirum ſi appellaui genus monachorum mendaciſſimum. De Thurnheiſero, illo ſcelerato mago, & apoſtata, quid vis me dicere, aut ſcribere honorificum, qui ipſe ſuo honori, & fidei tam peſſime conſuluit? Eſt inter exempla Paracelſiſtarum crucem meritorum. Veruntamen vbi quid boni habet, facio quod Virgilius in Ennio. Margaritas ex ſtercore colligo. Idne ringeris canis rabide? Ringere quidem, donec ad meliorem mentem, quam tibi opto, peruenias.

Thurneiſer.

NOTA XXII.

De Quercetano defenſo, & iterum offenſo.

NON opus eſt, vt refutationem, tuæque virulentiæ retuſionem hic inſtituam. Saltem recito tua verba, quæ te furioſum canem eſſe ſatis conteſtantur. Ita latras: *Quid? Vis vt legam Alchymiam triumphantem? Legi, vidi cauſam Quercetani aduerſus Riolanum defendentem, quem iam pie defunctum in Syntagmate tuo grauiter laceſsis, tam tetro ſulphuris ſuffumigio, tam vili ciceris dictione, tam rancido gurgulione, vt & vere & erudite quidam Poeta luſerit:*

Ecce canem rabioſam.

Impia Cecropias effundit pica querelas,
Iudice non opus eſt noſtris nec vindice libris
Stat contra dicitque tibi tua pagina FVRES.

Audes negare magne ventilator? Non credo. Sola methodo inſoleſcis. Quaſi vero omnes cæteri eſſent amethodi. I nunc & perpetuo pingui mendacio paginas imple, purpuratiſque tuis amicis propina illum tuum in me ſpurcum inuidentiæ afflatum. Ego illud minitabundum os alio nimbo defricabo, &c.

Ad ferulam.
Ad ferulam.

Hæc te anilis tua dementia rabioſe euomere coegit. Quis quæſo ſanus ex iſtis tuis verbis aliud colliget quam te maniaco & diabolico furore correptum ex aliquo tetro carcere iſta in prætereuntes eructare? Facio itaque quod illi ſolent, & negligo furentis inconditos ſonos.

Lector admonendus eſt de paucis. I. Alchymia triumphans à quo legitur, ſi quidem idem etiam Riolani ſcripta in me, & Quercetanum legerit, ab eo animaduertetur Henningum Scheunemannum eſſe vnum ex numero iſtorum Chymiſtarum, contra quos collegium Pariſienſe medicum cenſuit arma ſumenda eſſe: ſed cum cenſor male diſtingueret, euenit vt aliter caderet inſtitutum, quam fuerat decretum. Vere enim in Gramanum, Palmarium, Scheunemanum, alioſq; ex Paracelſia furciferos, qui Galenicorum canones ad orcum mittere ſtudent, ſtylus erat vertendus: at cenſor errabat, cumque putaret talem eſſe Quercetanum, ne hunc quidem voluit principaliter notare, ſed calamum, iramque omnem vertit in Alchymiam, inquiens: *Non Quercetani, ſed Alchymiæ cauſa agitur.* Nunc autem puto ſatis videre collegium illud, & omnes academias, rerumque publicarum Hippocraticos medicos, qui & quales ſint Alchymiſtæ illi contra quos ſit pugnandum, nempe, ſi non ſunt in triplici illa claſſe, quam Nicolaus Guibertus in interitu Alchymiæ deſcribit, ſaltem quartam conſtituunt, quorum mores ſi non ſatis prodidit Gramanus, Palmarius, & ſimiles, Scheunemanus ita deſcripſit ſuis libellis, & ad me epiſtolis vt lucidioribus coloribus non ſit opus. Aliquid ex Crollio: Ita ille pag. 7. Spurii & adulterini Theophraſtæi (ſceleratiſſimum hominum genus) rabidiſſime meam ſynceritatem accuſare non deſinent, &c. Lege & reliqua. Nam multis eos ornat verbis, quorum pleraque ſunt picturæ Scheunemani quoque. His diſplicuiſſe, inquit, vere laudari eſt. Vide & p. 58. & 78. vbi exacta deſcriptio Scheunemani, Gramani, & ſimilium. Ita pag. 79. ſub finem: p. 89. 90.

Admonitio de Alchymia triumphante, & diſſenſione Pariſienſi.

II. Quod ait me in Alchymia triumphante cauſam Quercetani defendiſſe, aliqua poteſt concedi. Implicata enim ea eſt cauſæ Alchymiæ. Ego vero vidi Quercetanum meo patrocinio non indigere. Itaque tantum attigi in ea controuerſia, quantum pro vera Alchymia, Pharmaceutica potiſſimum, dicendum erat, interim non negans Pariſianos medicos iuſte in eos poſſe vim intendere, qui Hippocraticam & Galenicam medicinam per pſeudochymiam, qualis eſt Scheunemani, Gramani, & ſimilium conantur peſſundare. Crollius hac in parte ingenuus eſt. Vult enim ex Paracelſo diſci medicinarum præparationem & remedia: curandi methodum indicationibus & inuentionibus ſuis conſtantem ab Hipp. & recentioribus. Sed ille etiam ſuos ſenſus & næuos habet, quanquam pro veteribus aliquando dicat, vt pag. 78. 79. Si Riolanus cenſor iſtam diſtinctionem obſeruaſſet, nullo opus fuiſſet triumpho, vti neque pugna & victoria.

III. Me Quercetanum defunctum grauiter laceſſere, falſum eſt. Liberaliter & ingenue ſententiam protuli: Et quis eſt quæſo quin intelligat Quercetanum ſtudio ſua defendendi aliquando hyperbolas vſurpaſſe? Adulari non eſt meum. Cum autem de vi medica chymice præparatorum diſſerendum eſt, non circumducendi ſunt lectores, ſed ingenue quod verum eſt dicendum. Si vires, hyperbolas Quercetani, quas humanitus incurrit, defendendas ſuſcipe. Interim malitioſe homo diſſimulas quid in explicandis Quercetaneis præſtiterim, pro qua opera non virulento tuo dente mordendus eram, ſed laude cumulandus.

IV. Sola methodo me inſoleſcere ſcribit. Amentis quidem & furentis hoc iudicium eſt: Qui mea legent, & iuſte cenſebunt, videbunt, fatebunturque longe plura à me eſſe præſtita: ſed tamen ſit mea methodus ſola. Hæc cum ſit forma ſcientiæ, totam ſcientiam trahit. Qui dat formam rei, dat ipſi ſuum eſſe. Forma enim eſt eſſe rei. Ante informationem Alchymia fuit quaſi corpus membris ſuis diſperſum, Sicut non eſt equus cum caput hic, pedes alibi, & cætera membra per alia loca diuiſa

Methodus Libauii in Alchymia.

diuiſa iacent; ita nec Alchymia eſt id, quod eſſe debet, cum particula vna eſt in Hermete, alia in Gebro, alia in Paracelſo, & ſic deinceps. Cur tu magnus tibi Polyphemus non aggrediebaris laborem? Quid autẽ quæſo tuum eſt in Alchymia? Palma adhuc eſt in medio, da operam vt ex meis manib. eam extorqueas prolata informatione tua. Ex Paracelſo, & aliis corraſiſti tacitis autorib. pleriſque medicinas quaſdam monſtroſas quarum plæraſque credo ne tu quidem intelligis: In Aſcanienſibus chartis furta ita obſcurare conatus es, vt viderentur tua inuenta eſſe. Præterea nihil habes niſi mendacia, calumnias, vituperia in Galenum, Galenicos Canones, compoſitiones &c. meum Syntagma, & alios labores qua arte alia tractas, quam calumniatoris? Profer argumentum aliquod ſolidum contra meas poſitiones. Cum diſperſa membra collegi & exornaui, fur ſum tuo iudicio. ô te hominem vocabulo hominis indignum.

Collectores & informatores artium Paracelſiſtis ſunt fures.

V. Cœteros viros eruditos amethodicos eſſe non dico. Quiſque ſuo iudicio vtitur in libellis ſuis. Aliud eſt recta integraque methodo artem totam informare: aliud particulam quandam declarare: aliud præcepta proponere nuda: aliud interpretem, & contra hoſtes ſcientiæ propugnatorem agere, ſed deliria tua ſatis patent.

Nota XXIII.

De minis Scheunemanni contra Alchymiam Libauii.

EX amicorum literis cognoueram eſſe quendam Paracelſiſtam, Scheunemanum nomine, qui ſtringere dentem in meam Alchymiam velit. Notabam hunc abſque nomine proprio, tantum peſtilentem quendam ſcriptorem Paracelſicum, qui neſcio quid ingens in me parturiat, vocando, quales etiam alibi eſſe ad me deferebatur: Imo & in literis Tanckii fit cuiuſdam mentio, & Scheunemanus neſcio quem ex Gallia & alium, vt opinor, ex Haſſia vomitiuæ aquæ inſtitorem producit. Iubebam inſurgere hoſtes, experturos nimirum mihi non deeſſe animum, & vires me defendendi. Quod ad me de Scheunemano ſcribebatur, non falſum fuiſſe rumorem, res ipſa iam loquitur, quanquam rabioſa illa beſtia non audeat in ſcripta & materiam inſilire, ſed tantum circumſiliendo vt rabidus catulus latret eminus. Conſere manum comminus homo ignaue, quid verbis procul inſanis? Diſce tamen prius grammaticam, & tunc ad certamen philoſophiæ abſtruſioris admitteris. Quantum hic ringeris? Aſino ſcilicet ſuæ lactucæ ſunt præbitæ, eæque aliquãto ſpinoſiores. Quid indignaris & clamitas efferatum monſtrum? An mentitus de te eſt rumor? An tu non es ſcriptor peſtilens, qui & de peſtilentia edidit chartas, & eas peſtilenter arroſo Galeno, canonibus priſcis, Theriaca & aliis compoſitionibus? Quid peſtilentius & venenoſius ſcribere potuiſſes quam in me, meaque epiſtolas iſtas? Male habet te quod donatus ſim poculo inaurato. Erras. Duo fuerunt, eaque valde capacia, vt plus doleas.

Cum Scheunemano deinceps non eſt agendum prius quam Grammaticam didicerit.

Libauius pro Alchymia duobus poculis honorificentiſſimue eſt donatus. plora Scheunemane.

Nota XXIV.

De ſententia Pæti apud Hippocratem ad Artaxerxem,

τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους.

SCheunemania hoc dictum ad Hippocratem retulerat ſine intellectu vero. Paracelſici quomodo id deprauent, & phyſica adiumenta illa corporea Galenica vocent, at peſti opponenda, aſtralia, cœleſtia, diuina, liquidum eſt, quanquam alias mirifice interpretentur τὴν φύσιν Hippocratis, vt ex Seuerino, & Crollio apparet. Sic Scheuneman in ſua dedicatione, vbi cum momo, incarnato Diabolo, colluctatur, poſtquam peſtem ſuam ex Saturni & Martis quadratura: Item alia Iouis & Martis produxit, negat incarnatum ſuum Diabolum poſſe talem peſtilentiam curare alexiteriis vegetabilibus, quia aſtralis ſeu cœleſtis morbus debeat pelli aſtralibus, hoc eſt mineralibus ex ſua chymia remediis. Id confirmat dicto ex ſuo Hypocrate (cur non Hypocrita?) quia Hypocrates (ita ſemper ſcribit) quem Momus incarnatus Diabolus, pro ſuo ludimagiſtro, ſeu præceptore, agnoſcat, ſcribat: *Naturalia remedia non tollunt luem peſtilentis morbi.* Sic allegauit Scheunemaniana acuties. Alias legitima interpretatio erat: *naturalia auxilia non ſoluunt Epidemiam,* (popularem graſſationem, quæ ex aere eſt) *peſtilentis morbi.* Additur aliud argumentum: Quia debilius non poteſt vincere id quod eſt fortius. Fortius autem eſt cœleſte vegetabili. Ergo vegetabile non poteſt ſuperare peſtem cœleſtem. Probatur & Galeno, qui cauſam peſtis vocet præpotentem, quaſi inde ſequatur eſſe aſtralem: Item Lullio dicente: *Inane inane velle præſeruari per rem putridam, & cito corruptibilem, & infirmum curare per rem infirmam.* Hem acumen. Admonebam hominem prauæ citationis. Illud enim dictum non eſt Hippocratis medici, atque ideo non habendum pro principio medico ad aliquid in medicina demonſtrandum: Sed eſt Pæti ad Artaxerxen. Deinde non habet eam ſententiam quam ei affingunt Paracelſiſtæ, quaſi non poſſint contra peſtem vſurpari vegetabilia, & Galenica remedia, ſed opus ſit mineralibus aſtraliter præparatis. Ratio eſt quia Pætus ipſe ſuam ſententiam ſatis declarat cum inquit: ἃ ἐκ φύσεως γίγνεται νοσήματα, αὕτη ἡ φύσις ἰᾶται κρίνουσα· ὅσα δὲ ἐξ ἐπιδημίας τέχνη τεχνικῶς κρίνουσα τὴν τροπὴν τῶν σωμάτων: hoc eſt: Qui morbi generantur ex natura, ea ipſa natura iudicans (per criſin) ſanat: quæ vero ex populari graſſatione deſuper ex aere naſcuntur, ea ſanat ars artificioſe iudicans corporum mutationem. Addit:

Nota quis ſit Momus incarnatus Diabolus Scheunemanni, nempe diſcipulus Hippocratis qui ex eo peſtem curare didicerit, & qui Hipp. merito magni facit.

Hippocrates medicus ſanat hunc affectum. Hic diuina natura (θεία φύσει) *vſus eſt, & ex paruis, & vulgaribus in magna & artificioſa medicinam prouexit, Artem didicit à patre Heraclide, & auo Hippocrate, quantum attinet ad primordia artis, ſeu initia: Ipſe vero artem totam ſeipſum docuit diuina natura vſus. Hic ſcit non vnum ſolùm modum ſanationis huius morbi: Hic pater eſt ſanitatis: Hic Saluator: Hic dolorum medicus, hic ſimpliciter princeps Deum decentis ſcientiæ.* Hæc nihil habent de aſtralibus Paracelſi, nihil de mineralibus contra peſtem, neque quicquam Paracelſicum inuenire eſt in omnibus libris Hippocratis. Itaque & rectè negat Crollius Hippocratem ſciuiſſe chymiam. pag. 56. qua negatione confunditur Seuerinus, & omnes alii qui ſuam chymiatriam ex Hipp. ſententiis elicere volunt. Is, cum ingrueret peſtis Æthiopica, ignes nemorum incenſorum obuertit. Nemora ſunt ex vegetabilib. Quid opus verbis? Libri Epidemialium ſunt ad manum, in quibus nihil Paracelſicum. Quid autem ſit quod Pætus dicit de duplici morborum genere, Naturali, & Epidemico, declaratur in libro Hipp. de flatibus, nempe febres duplices eſſe, vnas ex Diæta, alteras ex communi aeris cauſa, vt peſtem. Natura principium inſitum eſt: Epidemia conſtitutio foris inuadit. Illa læditur victus erroribus, ſoletque per ſe iudicare morbos, vt Pætus arbitratur. Epidemica infectio indicatur artis opera, prout deſcriptũ eſt ab Hippocrate in libris Epidemiorum, & cõmentariis Galeni in eoſdem. Artis autem num Paracelſicæ? Imo ex principiis medicinæ ratione & experientia conſtitutæ. Huiuſmodi ſolemus Paracelſiſtis opponere, & eorum ſtultas interpretationes explodere. Quid autem Scheunemanianus crabro? In toto cerebro furit. Dolet obiectã eſſe inſcitiam: Et ſane mihi valde perſuaſum eſt quod Hippocratem nunquam legerit: Argumento. I Quia nomen Hippocratis ſcribere orthographice neſcit. Si legiſſet, non ſcriberet & imprimi ſineret Hypocrates, ſed Hippocrates, vt putandũ ſit aliquem ſonum de Hypocrita præteruolaſſe aures eius, vnde concepta opinio eſt medicinæ illum principem vocari Hypocratem, pro Hypocrita. Hunc momi ſui incarnati Diaboli præceptorem facit: Huius nomen & doctrinam ipſe quoque profitetur cupiens audire Hypocraticus, non Galenicus, quia ille Hypocrates nihil falſi ſcripſerit. Per me ſane ſit Hypocrates iſte cõmunis præceptor Scheunemani, & Momi incarnati Diaboli. Bene certe compoſitus eſt cum Bitho Bacchius.

Item in lib. de nat. hom. Vide Gal. in 1. Epid. ſect. 1.

Scheuneman Hippocratem non legit.

Scheuneman eſt condiſcipulus Diaboli incarnati Momi, quia eundem agnoſcit præceptorem.

II. Si legiſſet Hippocratem, dictum illud non retuliſſet ad alium quã ad ſuum autorem Pætũ.

III. Primo intuitu vidiſſet ſuam explicationem minime eſſe Hippocraticam.

IV. Audite quæſo quid ſcribat etiam admonitus erroris. *Naturalia auxilia* (inquit) *peſtilentis morbi popularem graſſationem non ſoluunt.* (Hæc fors ipſi ſuppeditauit aliquis per ſomnum, melius nimirum translata quam in ſtulto libello de Peſtilentia contra Diabolum incarnatum, Hypocratis diſcipulum) *Dogma eſt æternæ veritatis, ſiue Peti* (ita ſcribit, pro Pæti) *Philopœminis* (pro Philopœmenis. Eſt enim φιλοποίμην, vnde obliqui Philopœmenis, Philopœmeni &c.) *Damageti, Crateua, Democriti, vel cuiuſuis excellentioris iudicii viri ſit Hypocrate* (fors Hypocrita) *non indigna ſententia, quæ miro flore in eius Epiſtolis enitet, quapropter & Hypocrati tribuitur. Neq; aliter ego hoc Paradoxum interpretor, quam quod per vulgaria medicamenta, vt ſi quis ex officina pro 10. nummis Theriacam, vel Mithridatium petat. peſtis abigi non vult, validiora, virtuoſiora, potentiora poſcit remedia, arte opus eſt qua qui inſtructus ſanitatis pater ſeruator dolorum curator & diuina ſcientia princeps eſt.* Hæc ille ſcabioſus interpres.

Nota ruditatem Scheunemani.

I. Si legiſſet Hippocratem, nõ autem Hypocratem, aut Hypocritam ſuum, an ignoraſſet cuius iſta dictio eſſet? Neque enim in epiſtola Hippocratis ad Philopœmenem Abderitanum hoſpitem Hippocratis, legitur, neque ad Damagetum, Crateuam, Democritum, ad quos nihil de Peſte ſcriptum eſt, ſed in longe alia cauſa Artaxerxis qui Pæto ſcripſerat de medico contra Peſtem, & Pætus Hippocratem Coum commendauerat.

Ad ferulas.

II. Si legiſſet, an toties Priſcianum grammaticum verberaſſet?

III. Dogma æternæ veritatis eſſe dicit, cum nullius ſit medici, ſed hominis politici. Et licet Peſtis à Deo immiſſa, ſeu ex Ente Reali vt Paracelſiſtæ loquuntur, non tollatur niſi placato Deo, tamen ſi iiſdem Paracelſiſtis aliqua fides eſt, in quatuor reliquis peſtibus locum non habet: Deinde non ſi in vera religione verum eſt axioma ad Deum reſpiciendo, etiam in Ethnica verum eſt, vbi non ad Deum reſpicitur, ſed ad Diabolum: Tertio Pætus phyſica auxilia opponit artificioſis. Indicat ergo ſe ſingulari quodam & ſuo modo accepiſſe τὸ φυσικόν. Nam alias ſiue Hippocratis artem conſideres, ſiue iudicium, & inſtrumenta artificis, Hippocrates fuit homo naturalis, naturali iudicio, & medicinis vſus, qualia ſunt Elleborus & alia de quibus ſcribit Crateuæ. Ita medici omnes ſimul ſunt Phyſici, & nihil per ſe agunt præter naturam.

IV. Hypocrate non eſt indigna ſententia, & Hypocrati tribuitur. Ergo eſt Hypocratis. Stulti hominis ſtulta concluſio. Quid Hippocrate ſit dignum non ex fatuo tuo iudicio petendum eſt, ſed ex principiis medicinæ Hippocraticæ. Quis autem id tribuit Hypocrati niſi vel imperiti, vel non attenti, aut præ cæteris arrogantes, & excæcati inſolentia Paracelſiſtæ, cum quibus Hippocratis ſectatoribus lis eſt perpetua? Liber Hippocratis Pæto aſcribit. Veritas non eſt in mendacium mutanda.

V. Sententiam iſtam dicit miro flore enitere in Epiſtolis Hypocratis. Mendacium eſt impurum. In nulla enim Epiſtola Hippocratis elucet, niſi Pætus eſt Hypocrates, qui tamen vnam tantum Epiſtolam ea de re habet.

VI. Quomodo vero interpretatus es dictum interpres ingenioſe? Qui quæſo? Vegetabilibus remediis oppoſuiſti. Nonne? Vegetabilia cœleſtia eſſe, & aſtralia non putaſti. Quomodo enim potuiſſes cœleſtia fortiora vegetabilibus ponere? Inde conſequens eſt tuo iudicio vegetabilia eſſe Phyſica auxilia, tua quæ ex mineralibus conflaſti (pulueres) non eſſe Phyſica, ſed artificialia cœleſtia, quaſi Chymicorum aſtralia non ſint in complexu naturalium. Non intelligis,

quod

quod, ſi non ſint phyſica, in peſtem aeream, materiam in corpore humano contentam, & corpus ipſum agere nequeant. Agentia enim oportet eſſe patientibus homogenea. Naturalia natura conſtant, & quæ natura conſtant ſunt naturalia, qualia omnia ab Hippocrate vſurpata. Quod ſi Chymicus, aut alius artifex ea elaborat, non ideo excidunt genere naturæ, licet ad artificialia tranſeant. Sunt enim tunc duo principia ſimul. Ita vegetabilia & naturalia ſunt, & cum eſſentialiter præparantur, fiunt artificialia, ſique præparatio eſt aſtralis, etiam aſtralibus accedunt. Neque enim verum eſt quod aſtralia tantum ſint mineralia, vt ſequitur ex tuis ſuppoſitionibus. Cum vides te in luto hærere captum, libenter velles protepere ſi poſſes. Vertis dentem in decem nummos Theriacæ vel Mithridatii, cum in tua ſtulta de peſte narratione totas compoſitiones exploſiſſes.

VII. *Peſtis*, inquis, *validiora remedia poſcit quam Theriacam, & Mithridatium*. At inquam quæ poteſt eſſe validior antidotos his duabus? An non tu ipſe dicebas tuos Aſcanienſes vſu iſtorum viam ad mortem aperuiſſe, & Galenum produxiſti volentem Alexiteria interficere ni dentur parua doſi? Ignis purgatorius quidam, ſeu expiatorius eſt Theriaca. Hoc quid validius? Quæ vero ſunt tua validiora? Purgantia, Sudatoria, Diuretia, Vomitoria. Si Theriacæ bonitatem explorare volumus purgans damus. Bona eſt, ſi impedit actionem. Vtrum iam validius? Sed cum malicia non eſt conſultum diu certare.

NOTA XXV.

De translatione textus Germanici Scheunemaniæ.

AGitur de his verbis: *Debet per Arthemiſiam* (ita pergit ſcribere ille rudiſſimus) *apud mire pulchrã Venerem ſub viridi ſuo tentorio totam niuea veſte indutam, quæ ſenem Saturnum, & ira percitum Martem bene ſciunt placare, auxilium & conſilium quæri, donum & munus Veneris, puluerem vomitiuum &c.* Stulti hominis ſtultus eſt ſermo: tenebrionis tenebricoſus. Quid faciendum peſtilentiæ medice? Quærendum auxilium, & conſilium. Vbi? Apud Venerem. Bene conueniunt Venus, & peſte infectus. Num abſque interprete, & miniſtro, ſeu interceſſore, an cum aliquo? Per ancillam quæ Scheunemanice vocatur Arthemiſia. Quid inde? Scient (loquitur enim tenebrio pluraliter) Saturnum, & Martem placare. Eas autem Peſtis cauſas poſuerat. Quid autem ad placandum offerent, ſeu exhibebunt? Puluerem vomitiuum, vt euomatur arſenicum cum Mercurio, (& ad tartara celeriter mittatur ægrotus) Quis eſt ille puluis? Nihil aliud niſi Venus ipſa in argentum viuum tranſmutata & aquis acutis vel alio modo præcipitata in formam pulueris. Hæc ſunt illa magnifica de quibus non intellectis & male redditis triumphat. Ego ſummam ita expoſueram: puluis vomitiuus eſt donum Veneris, & vocatur Artemiſia &c. Putabam enim eſſe rem vnam & eandem, quando vtrumque & Venus & Arthemiſia illa fatua ſcirent cauſam peſtilentiæ compeſcere, ſi verum ſcripſiſſet, quanquam Antimonii nitrum, aut vomitoria Hartmanni, aut vulgare præcipitatum idem potuiſſent. Quid multis? Indignum ſtolidi hominis ſermonem longa inueſtigatione putabam. Sed audite furias furentiſſimas Diaboli iſtius incarnati, vt eum bene noſcatis: Ita vomit à ſua Venere & Arthemiſia: *Tandem vos ego Germanicæ ac Latinæ linguæ peritos voco, adeſte veri Diribitores, ſententiam dicite, An fidus interpres Libauius an ineptus &c.* (Hic ponebantur verba Sathanica, quæ nolui à piis oculis legi.) *Textus hic eſt*, Man ſol alsbaldt/ &c. Repetit ſuum vomitum vt eſt in ſchedula impreſſa. Poſt tranſſcribit mea verba: *Interpretatio Bauiana vel Libauiana. In prima inuaſione detur puluis vomitiuus aſtraliter præparatus cum hauſtu aquæ oxalidis. Iſte vero eſt donum Veneris,* ET *VOCATVR ARTHEMISIA* (ita ſcribit ſtultus) &c. Iudicium de his Scheunemanianum: *Cadit* (inquit) *hæc pruina ſeu verſio lapſu adeo noxio vt iſta mea frugifera arbuſta carasque ſegetes decolorarit. Quid poterat aliud ſperari ab hac denſa nube? à tam vertiginoſo capite.* (Iam meum reſcriptum) *Non ſcripſi, ais, te vocaſſe primum puluerem Artemiſiam, ſed iſte eſt donum Veneris, & vocatur Artemiſia.* (Scheuneman reſpondet) *vidi hoc, Legi, Dixi malam eſſe verſionem, nec hic quæſtio erat quo inepto ratiocinationis figmento delirares, ſed vtrum eſſes fidus interpres, & Germanicum meum DOGMA recte latinis verbis in ſyntagma tuum tranſplantaſſes. Verum audiamus tonitru:* (Hic Libauius viciſſim.) *Quærimus auxilium morbis per medicamenta. Tu quæris per Artemiſiam. Ergo Artemiſia tua eſt medicamentum.* (Scheuneman) *ſimilem explodo Bombardam: Quærimus auxilium per ſana conſilia. Tu quæris auxilium per Sophiſmata. Ergo Sophiſmata ſunt ſana conſilia. Tua ratiocinatio in diuinationibus tuis locum inueniſſet, at in textu meo ei ſedes nulla eſt parata.* Hactenus hæc deliramenta.

Vide mirãm fatuitatem Beani furentis.

Hæ furioſæ debebant mihi timorem malam: Sed & conſtet publice à quo ſpiritu agitentur Paracelſiſtæ improbi publicantur. Vos Reſpub. notabitis ingenium taliũ hominum.

Reſpondeo: Si omnino volebas à Sathana obſideri Scheunemane cur tam aſininum, & rudem admiſiſti? Nihil hic eſt acuminis: Sed omnia inepte, aſinine, beanice & craſſe inſaniunt: Sed verba conuerto ad lectores.

I. Videtis adhuc hominem ſuis deliramentis luxuriantem, & exultantem inſtar aniculæ ſaltitãtis & puluerem excitantis.

II. Videtis adhuc tenebrionem. Non enim audet dicere quæ ſit illa Meretricula quam vocat Arthemiſiam.

III. Mendacium aliquoties repetit, me egiſſe textus interpretem, cum in propatulo ſit me plurium verborum ſententiam in pauca contraxiſſe, & minime voluiſſe verſionem ad pedem dare. Cur etiam nugis anilibus transferendis laborarem, aut viros doctos

onerarem

onerarem fabulamentis? Indignus eſt libellus atramento, & charta, nedum quis velit laborem ſumere in translatione, atque ita oleum & operam perdere.

IV. Quæ ex ſuo aſinino rictu rudit, conſueta ſunt ipſi, minus me mouent quam ſi verus aſinus ruderet. Non aliter poteſt miſer. Supra dicebat me nihil diuinaſſe, quia omnia apertis verbis dixiſſet. Vnde ergo hæ furiæ?

V. In ſolis his verbis hæret fatuus: *vocatur Artemiſia*, & putat ea eſſe interpretis, cum ſint ſummatim comprehendentis rem ipſam, & recitantis. Eſt certe aliquid illa Artemiſia, aut nihil. Si aliquid, vocatur Artemiſia. Quid hic aſinini? Quid vertiginis? Picem & ſtercus qui tangit, inquinatur ab eis. Ita mihi euenit à Scheunemanno. Verum non eſt ideo dimittendus. Nebulones Paracelſici notandi ſunt etiam ſi inſaniant.

Lucta cum ſtercore Paracelſico.

VI. Vidiſti meam reſponſionem certe tuo tam inſanabili & rabioſo capite indignam. Meæ humanitatis fuit quod te literis ſim dignatus.

VII. Mentiris me verſionem molitum eſſe. Apud latinos ſenſum latine exprimere tentaui. Si erraui meretriculam pro honeſta virgine aſpiciendo, humanum quid paſſus ſum. In opere magno fas eſt obrepere ſomnum. Quis in Lucifugarum & tenebrionum iſtorum, qui omnia ſua verba ſolent inuertere, ſcriptis non hallucinaretur?

VIII. Negas quæſtionem eſſe de mea ratiocinatione. Haud ſtulte ſapis. Mentire, finge, comminiſcere quod è re tua ſit. Bellus eris diſputator. Duo ſunt argumenta quæ me induxerunt vt putarem medicamentum vomitiuum eſſe. 1. Quia dicitur cum ſua domina (meretrice) ſcire Martem placare & Saturnum, quanquam Saturnus in meretricio actu ſit impotens, & meretriculas voret, non amet. Si ſcit cauſam peſtis mitigare, eſt medicamen aliquod. 2. Per Artemiſiam eſt auxilium quærendum. Non opus erat internuncium intelligere, aut librum, aut medicum. Iam enim habebamus tuum conſilium ſcriptum. Quid ergo ſignificat τὸ Per? Num vox inanis eſt? Medicus iubet per hoc auxilium morbo petere. An non per medicamentum, quod eſt medico analogum, & coniugatum? Sed tu ſepia es, & vt ſolent veſpertiliones, in noctem refugis.

Per Artemiſiam quærere per artem quærere ſignificat in huius Calmenſeri ſchola.

IX. Mea ratiocinatio adeo ſolida eſt, vt neque ad materiam, neque formam reſpondere poſſis. Vis eam ſubruere ſimili. Sed deliras. Quis enim tuum aſſumtum concedat? Vbi ego quæro auxilium per ſophiſmata? Si verba furioſa, temeraria que & mendacia amitteres, quid poſſes? ſic colligo: *Qui per Artemiſiam conſulit quæri morbo auxilium, idque facit vt medicus, is per medicamentum quæri conſulere videtur. Tu vero id facis. Ergo.* Quid tu contra? Ad formam: Qui per ſana conſilia morbis remedia quæri debere conſulit, per ſophiſmata quærendum conſulit. Num belle? Aliter: Sophiſmata ſunt ſana conſilia. Hæc eſt quæſtio. Argumentum: Quia per ea quæritur auxilium morbis. Propoſitio: Per quod quæritur auxilium morbis, id eſt Sophiſma. Aſſume, & videbis tuam turpitudinem.

X. Tandem meam ratiocinationem admittis, ſed verſionis titulum ei adimis. Bene facis. Neque enim ego ſtudio vertendi tuas inſanias laborabam. Quod diuinationem mihi tribuis, erras, vt ſupra dictum.

Nota XXVI.

Vtrum rectius latine dicatur ex Germanico Durch die *Artemiſiam, per Artemiſiam, an ab Arthemiſia.*

Scheuneman præ ruditate ſeipſum non poteſt explicare. Vox, Durch/eſt in eius latinitate AB

IN literis tuis ponebas tuum ſenſum: Ab Arthemiſia quærendum eſſe auxilium & conſilium. Penes te eſt, vt velis loqui. Sed qui me interpretem, non reſpondentem ſaliuæ tuæ explodis, ferendusne es tui ipſius interpres malus? *Aliud eſt per Artemiſiam quærere, aliud ab Artemiſia.* Nō poteram in mentem tuam irrepere: ex verbis ſenſum elicui. At iam à te ipſo diſſentis. Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? Sed audiam tuam excuſationem, licet tu meam non admittas. Ita ais: *Omnino in me, & caput meum hanc fœtentem nebulam ſpargis. Qui cum nuper ad te ſcriberem, ita me Sancta hygia noſtra amet, nullum habebam exemplar mei ſcripti ad manum, ideo ſcripſi ſenſum meorum verborum eſſe talem: à peſte infectus confeſtim AB ARTHEMISIA* coram *Venere ſub* viridi tentorio niuea tunica induta *latitante opem imploret: non autem verborum meorum interpretamentum. Agnoſco aliud eſſe* PER durch, *Ab* von, *apud* bey *&c. Sed vtrum malus* per Deum auxilium meum, à Deo auxilium meū, apud Deum auxiliū meū, coram Deo auxilium meum, per medicū ſanitas, à medico ſanitas. *Sed ego taceo.* (Si ſemper tacuiſſes, tibi fuiſſet bono. Qui nō niſi male loqui poteſt eum tacere ſemper fas eſt.) *Nam quicquid dixero, ſcripſero, videbo te Moloſſum, aut latrantē, aut hircientem, aut maledicendi neſcio qua vrtica defatigatum puerilium verborum ſpuma chartam conſpuentē glomerantem ſine ſenſu verba, ſub virili mento loquaciſſimæ anus. Eia aude, effunde quicquid domi habes cachinnorum. Nihil agis editrix decipula, fruſtra è calamo tuo fluunt tot mendaciorum agmina.* Hæc tu perquam belle. Nam quam anum me vocas, quem moloſſum latrantem, aut hircientem (quod mirabile: fors ex furnulis transmutatoriæ Paracelſicæ) quos cachinnos & alia mihi tribuis, in te quadrant optime. Talem enim te eſſe iſtæ tuæ aniles nugæ ridiculæque ineptiæ indicant. Ad rem quod attinet:

En ridiculam inſaniam.

Ad cathenas Furit: quanquam in ſeipſum.

Scheuneman implicatus ſuo reti ſe ipſum interpretari neſcit

I. Noli furere. In diſputatione exquiſita, & ſenſu ex litera eliciendo multum intereſt dicasne, auxilium, & conſilium quæri ab Artemiſia, an per Artemiſiam, à medico, an per medicum. Alia hic vis eſt particulæ Per, alia Ab. Si tu erras & te implicas tuis ipſius verbis, quid putas in aliena perplexitate aliis euenire poſſe?

II. Exem-

II. Exemplum de Deo longe eſt diſſimilimum. Deus omnia operatur in omnibus mediate, immediate pro ſuo beneplacito: At non tua meretricula Archemiſia. Si per hanc apud Venerem, vel coram Venere (vti vis) quærendum eſt conſilium: Ergo non ab ea. Illud mediatum eſt, hoc Principale intelligitur. Obiicerem tibi ruditatem, aut infantiam Dialecticam, iuberemque ad ſubſellia magiſtrorum, qui errata talia plagis corrigunt, diſcere, niſi me tuæ miſeriæ & paupertatis in artibus bonis mibereret.

III. Sanitas poteſt eſſe à medico, & per medicum: Sed non cum quis iubet apud hunc illum conſilium petere per famulam, famula etiam medetur. Miniſtrat enim tantum ſuo hero. Diſce diſcrimen inter principale agens, & miniſtrans.

IV. Iuras per tuam hygian te tunc non habuiſſe ad manum libellum tuum. Credo iniurato, etiam ſi diceres te tunc non fuiſſe ſanæ mentis, & ratione caruiſſe. Patet enim facile te iracundia commotum ad ſcribendum proſiluiſſe. Quod ſi tamen conferre velim Epiſtolam ſecundam cum prima, hic dixerim te ſanum, ibi inſanum prorſus. Eia vero vobis Paracelſiſtis, qui Galenum damnatis, fabulas ei aſſcribitis, antidotos veteres, licet nō Galenicæ inuentionis, explodiris, canones prolixos priſcorum ad orcum mitti optatis, Hippocratis diſcipulos non conſentientes vobis Momos, & Diabolos incarnatos vocatis, quæ omnia tuæ chartæ diabolice illeuiſti, palpo quodam iucundo, mollique eſt blandiendum? Non ita. Pro meritis eſtis tractandi. Audite maledicta vera, qui ſoletis in alios immerentes cumulatim ingerere falſa. Debetis nobis magnas gratias, quia longe modeſtius excipimini, quam vos alios tractatis. Lege Apocal. 18. verſ. 6. 7. Matth. 7. verſ. 2.

Nota XXVII.

De indignatione Scheunemani, qua non poteſt ferre ſe Paracelſiſtam, hoc eſt, id quod eſt, dici.

CVM in ſchedula Scheunemaniana occurreret *Pater aris Tarbaſon*, notabam in meo ſyntagmate, Paracelſicos Antimonium minerale vocare Tarbaſonem quæ vox deprauate ex Plinio (modo Paracelſici legerint Plinium) tranſſcripta ſit. *Larbaſon* enim legitur. Expoſtulabat de hoc iracundia Scheunemaniana. Abblandiebar homini, negans me erratum ipſi tribuiſſe, quia de Paracelſicis loquerer. Hoc non poteſt concoquere tener hominis ſtomachus. Ideo regerit, me curationem iſtam (peſtilentem) non erubuiſſe appellare *cuiuſdam Paracelſiſtæ*. Ridiculum. Dic te non eſſe fecis huius, & quia tuum nomen non eſt appoſitum, ad te non pertinere. Indefinite dictum non offendit perſonam. Eſt tamen Germanicum prouerbium: Wenn mann vnder ein hauffen Hunde wirfft/ welchen mann trifft/ der heult: hoc eſt, qui in canum gregem aliquid (lapidem, fuſtem &c.) proiicit, quicunque feritur, is vlulat. Non putabam tam delicatulam eſſe huius *Paracelſiſtæ maieſtatem*, vt nullo modo deberet tangi, cum ipſe Principem medicinæ, & autores, commendatoreſque Theriacæ, & Mithridatii tam abnormiter læſerit, & Hippocratis ſectatores improbantes Agyrticam Paracelſicam, Scheunemanianā Momos incarnatos Diabolos diabolice appellet. Vulgo in ore eſt meretriculas vſu, non poſſe ferre ſe eo nomine appellari. Si Paracelſiſta honeſtum nomen eſt, cur id fugis & abhorres neq; tamen à re ipſa es alienus: Si probroſum, cur ſcribis & exerces Paracelſiam? Qui Paracelſiam exercet, & non vult audire Paracelſiſta, impoſtor eſt. Cauete vobis Saxones, ſerpentem in ſinu fouetis.

Nota XXIIX.

De Larbaſo apud Plinium: hoc eſt, Num errarit Plinius ſcribendo Larbaſon.

ITA inquit iudex iſte antiquitatis: *Quod Baco* (Rogerius Baccho) *non legerit Plinium & Dioſcoridem, hinc conſtat: Quia apud vtrumque, Latine quidem apud illum* (Plinium) *Græce apud hunc* (Dioſcoridem) *extat* λάρβασον *Larbaſon. Ita vis argumentari: Extat apud Plinium Larbaſon. Ergo non eſt lapſus Plinii. Inepta illatio. Nam multa errata extant in Plinio, quæ ſi tu ignoras lege Matthiolum aduerſus Amathum. Hinc maior naſcitur coniectura in hoc eſſe erratum. Paracelſici variarum linguarum periti à Mauritanis & his viciniis Antimonium Tarbaſon appellare didicerunt.* Ego repoſueram: Nullus ante te erratum vocauit. Tu reſpondes: *Erras Libaui. Nam Baco MERDAM Plinii correxit, & quod legerit Plinium conſtat, quia citauit ipſum & Dioſcoridem, Tarbaſon pro Larbaſo reſtituit.* *Baco corrector merdæ.*

Hæc de hac Merda (liceat enim mihi vti magiſtrali voce Scheunemani.) Quæſtio eſt nū Paracelſici legerint Plinium. Ego dubitanter ſcripſi: *Modo legerint.* Argumentum præſto eſt, quia *cum is ex Dioſcoride ſcribat Larbaſon dictſtibium, Paracelſici* (quidam) *dicant Tarbaſon.* Si legiſſent, vocabulū correcte ſcripſiſſent, quod non eſt Plinii figmentū, ſed ex Dioſcoride peritū vocabulum. Hanc meā rationē vt euertat *merdaceus* Scheunemanus recitat fabulā de Rogerio Bachone. At iniquā neq; hic Paracelſiſta fuit, (quā Paracelſo poſteriore cōtēnitur ipſe prior chymic⁹) neq; ei⁹ eſt ſcriptio. Probo:

Anno

Anno 1604. Iohannes Tholdenius Haſſus edidit currum triumphalem fratris Baſilii Valentini de Antimonio. Ei adiecit Rogerii Bachonis (ita enim ſcribunt eruditiores) de oleo ſtibii Tractatum. In hoc primum docetur ſtibii compoſitio ex Sulphure minerali, putaturque eſſe plumbum nigrũ ſecretum Philoſophorum: Deinde ſynonyma quædam ſubiiciuntur, nempe ſtibium ab Arabibus dictum eſſe Aſinat vel Azinat, (Atmed Arabibus apud Auicennam. Schindlerus in lexico אתמד Avicen. lib. 2. tract. 2 c. 7. vbi translatio habet Antimonium, id eſt, ſtibium. Videtur pronunciatum Adsmed, & Sphalmate graphico mutatum in Aſinat pro Asmad. Sed & vulgus ita pronunciat.) ab Alchymiſtis Antimonium. Hæc tria nomina ſtibium, Azinat, Antimonium ſola vſurpat Rogerius. Tholdenius additionem appoſuit in qua præter alia nomina ſcribit vocari ab aliis Alabaſtrũ aut tarbaſon: quæ ſunt apud Dioſc. & Pliniũ. ſit ne ſphalma typographicũ quo facile l in t mutatur, an cõſulta ſcriptio Tholdenii, patet ex declaratione eiuſdem Tholdenii in primum tractatum Suchthenii pa. 233. vbi ex Dioſc. reponit nomina Antimonii, Stibi, Platyophthalmõ, & Larbaſon, additur inde fortaſſe à Plinio vocari Larbaſon. Innoteſcit ergo eſſe vitium librarii. Scheuneman, vt ſe ridendũ & cõcdendum, omnib. propinet, cõtendit *Tarbaſon* ab ipſo Rogerio vocatũ eſſe, idq; ſtudio corrigendi MERDAM Plinii, qui ſi viueret, facile credo alui purgamentũ Scheunemano corrigendum permitteret. Hoc eſt vnum in hac nota. Quis non putet Scheunemanum non inſpexiſſe Rogerii tractatum?

II. Meam dianœan vult ineptam eſſe. Apud priſcos autores duos Dioſcoridem, & Plinium legitur Larbaſon, & non Tarbaſon, neque quiſquam illam ſcripturam correxit, adeo vt ſic legerit etiam Calepinus, & Matthiolus cum aliis. Ergo Larbaſon eſt lectio genuina, Tarbaſon eſt adulterina. Hanc ratiocinationem in aliam transformat: *Extat Larbaſon apud Plinium. Ergo non eſt lapſus Plinii:* quam rationem irridet, licet ſuam. Verum hoc eſt laruati hominis figmentum. Cui quæſo plus eſt fidei, vetuſtis autoribus, an ſtulto, & temerario Paracelſiſtæ, qui ſe ſtudioſe ſolet priſcis opponere?

Paracelſiſtarum ſomnia vera ſunt, etiamſi vetuſtiſſimi diſſentiant, & veriſſimi.

III. Ita argumentatur: *Multa extant errata in Plinio teſte Matthiolo contra Amathum. Ergo & in Larbaſo erratum eſt.* Ridicule: Multa vera ſcripſit Plinius teſte Matthiolo aduerſus Amathum. Ergo & Larbaſon vere ſcripſit. Iucundi hi ſunt luſus. Perge ludere merdacee Paracelſiſta: *Paracelſici ſunt gnari variarum linguarum, & à Mauritanis didicerunt Antimonium vocari Tarbaſon. Ergo vocatur Tarbaſon.* Belle: Paracelſici in variis linguis ſunt aſini ad lyram: & cum ignorant propria rerum nomina, aut etiam inuoluere res caligine & obſcurare volunt, monſtroſa fingunt, vt eſt apud Paracelſum. Ergo & in Tarbaſo. Antecedens probo Scheunemani peritia, qui nec Latine ſcit, nec Græce, vix etiam teutonice. Scatet enim barbariſmis. Idem probo iudicio Comitis Teruiſani de Alchymiſtis erronibus: Probo tertio autoritate Tholdenii qui ſcribit à Mauritanis ſtibium dici Antimonium, à quibus acceperunt Hiſpani, & Galli. Probo quarto Antiquitate Dioſcoridis, cuius tempore proculdubio paucis Mauritanis erat notum ſtibium, eſtque veriſimilius arabica voce eos vſos eſſe. Saraceni enim chymici in Mauritania ex Arabibus deſcenderunt apud quos viguit Alchymia vt & apud Ægyptios, Chaldæos, Perſas &c. Iucunda eſt hæc diſceptatio, Appellemus fratres de Roſea cruce quorum Magiſter apud Arabes & Mauritanos didicit, vt dicant notumne ſit ipſis TARBASON. ô Scheunemane adi Anticyras. pridem eis opus habuiſti.

IV. Quid dicis quod nullus ante te erratum vocauerit? Errare me putas. Qui ſic? *Quia Baco & l[illegible] Plinium, & merdam eius correxerit: Citauerit etiam Dioſcoridem.* ô Correctorem lepidum. Ac c[illegible]o iſta Tholdenii eſt, non Rogerii. Si Rogerius viueret, an non tibi tuam *Merdam* impuram remitteret? En vobis egregium ſpecimen Paracelſiſtæ, qui apertum eructare mendacium impuriſſimo oris obſcœniſſimi fœtore audet, & Rogerio Plinianæ merdæ correctionem aſſcribere. Ne Paracelſiſtæ errare credantur, probatiſſimi veteres ſunt erroris inſimulandi: ſcilicet.

Nota XXIX.

De Porcis Baſilii ſaginandis Larbaſo.

STolidiſſimus Paracelſiſta vult me erudire ſua ſuilla coniectura, quaſi notationem Larbaſi Pliniani debuiſſem petere ex Baſilio monacho ſcribente ſues pingueſcere ſi quis eas purget Antimonio, vt dictum credatur Larbaſon quaſi *Lardi baſis.* Nihil abſurdius potuit vel à cacula Paracelſi proferri. At Scheunemanno ficus hæ porcinæ adeo placent vt prolixe ruminet. Scripſeram me Monacho iſta in re non credere; Neque enim Monachi, & quidem qui vitam in chymico laboratorio, & vt indicat, peregrinationibus ad loca ſancta conſumſit, eſt ſues curare, paſcere, pinguefacere, aut de illis ſolicitum eſſe. Solet autem id genus ſæpe fabulari, & mendacia, (vocant pias fraudes) comminiſci: Nauita de ventis &c. In ſua, non aliena arte cuique prudenter, perite, & ſobrie ſine dolo pronuncianti fides eſt. Hac reſponſione non contentus Paracelſiſta porcinus nihilominus *Lardi baſin* reponit, & *Larinas ſues, & Petalides;* Scribit me, qui omnia, quæcunque è chymicorum libris corradere potuerim, in vnum ſyntagma conieciſſe: vnde debuerim etiam de ſuibus per ſtibium pinguefaciendis ex monacho proponere. Reſpondeo: Eſt quidem mendacium impudens me omnia ex libris chymicorum in vnum ſyntagma conieciſſe, cuius rei iudices facile poſſum ferre peritos, & doctos medicos: Quod autem attinet ad ſues Monachi, & Scheunemanni, volui eas relinquere ſuis ſubulcis, vt ex eis Arcanum aliquod Paracelſicum, & Scheunemanianum procuderent: quod cum fecerint, videbo num meo Syntagmate dignũ quid conflauerint, præſertim

Larbaſon hòc eſt Lardi baſis.

ſi ad-

ſi adiecerit Scheunemanus *Merdam* quã ex Plinio ſuxit. Scribit me ſuam ſententiam transformaſſe in *Tarbaſi ſui ſtabilimentũ*, & poſtquã hoc mihi affinxit, in me inuehitur quaſi deprauatæ mentis malitia correptum. Noli inſanire inquam. Tu fingis ſtolide quod oppugnes. Ego *rideo Larbaſi nouam ex te Etymologiam*, & tuam ſubiectionem ſtultam eſſe dico. Neque enim *Larbaſum* ex *larido* Latino, & Græco *Baſis* factum eſt, nec veriſimile eſt antiquos & Dioſcoridem quicquam ſciuiſſe de ſuibus ſtibio impinguandis. Sed & monachus iſte recitat quidem modum purgandi ſues ſtibio, vt poſtea cibum eo melius coquant, vel potius auidius vorantes plus axungiæ reddant, verum inde non cõponit dictionem Larbaſon. Ex Paracelſica culina Scheunemani hæc ſapientia prodiit, quam putauit me inſtar oraculi ſuſcepturũ, & exoſculaturum. Ad Cynoſarges & coruos cum tua Lardi baſi. Notare autem conuenit verſutiam huius Protei. Cum videat ſe fœdum quid, & ſtultũ pro ſapiente commento attuliſſe, ſimulat *ſe iocatum eſſe, nempe iuxta* prouerbialem ſententiam: *Sicut inſanus conicit compedes, & tela, & occidit: Sic vir fraudulentus agit cum proximo ſuo, & dicit nonne iocatus ſum ego, & ludens feci*, prou. 26. 18. 19. Sapientior ſibi ſtultus videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. Poetis Comicis eſſet materia ex Scheunemani Lardi Baſi. Introduci poſſent ruſtici & ſubulci inter ſe diſputantes de ſaginandis porcis, auena, hordeo, glandibus, polenta, vini fece &c. id fieret melius, an qua re alia. Superueniret Scheunemanus cum monacho, & ſtibium proponeret, quod ideo Lardibaſon, hoc eſt, Larbaſon diceretur. Facto fruſtra periculo ruſticæ vtriusque caput ſandaliis demulcerent. *Materia Comœdia.*

Nota XXX.

An Antimonium dicatur Tarbaſon à τάρβος, quod eſt tremor, timor, ſtupor.

OMnino Scheunemanianæ ſtultitiæ placent ſuæ epulæ. Itaque adhuc contendit Antimonium dictum eſſe *Tarbaſon*, ſi non à ταρ & βάσανος, vel βάσις &c. ſaltem à τάρβος. Irriſi hominis vana commenta. Tantine ſunt, ſtolidiſſime omnium fictiones tuæ vt eas reſpicere, vel recipere debeamus? Quis te linguarum & originum magiſtrum conſtituit? Sed vt pateat hac quoque in parte Paracelſica nequitia, conſideremus tua dicta. Primum affingis mihi thema: *Tarbaſon à τάρβος dici nequit*, inquis, quaſi ego ſic fuiſſem locutus. Verum id tu fingis, & proinde tuum ſomnium oppugnas. Mea ſententia ſatis patet in Epiſtola. Deinde pone me ita locutum eſſe: Aſciſcamus grammaticos Græcos, & eius linguæ peritos, quæramusque num leges Grammaticæ ferant, vt ex τάρβος deſcendat τάρβασον, an non? Quem tu hic habebis patronum? *Non ſi aliquæ litera conueniũt, alterum ex altero natum eſt.* Deinde cum voces probandæ ſint vſu communis linguæ vel ſapientum, dic apud quem vſurpatum legiſti Tarbaſon ex τάρβος? Quis à timore & ſtupore appellauit ſtibium? *Perſuadebis* inquis, (nempe non poſſe à τάρβος eſſe) *quando probaueris è crudis & venenatis tam vegetabilibus quam mineralibus fieri non poſſe medicamenta ſalutaria, ſuauia, & iucunda.* Dixi te ſtultum eſſe & fatuum, idq; non tantum iſta verboſitate anili probas, verum etiam ratiocinatione ſtolida. *Tarbaſon, à τάρβος dici poteſt:* Quo argumento? *Quia ex vegetabilibus & mineralibus venenatis poſſunt fieri ſalutaria medicamenta.* At ſi à τάρβος timore & ſtupore eſt τάρβασον, ideo eſt, quia cauſa, vel effecto, vel adiuncto eſt tale, hoc eſt, cauſa timoris eſt & ſtuporis, vel à metu & ſtupore effectum, vel adiunctũ habet metum. Ita belle commendaueris antimonium, & hac in Etymologia habebis multos tibi vltro conſentientes: In tua vero nihil eſt niſi ſtultitia. Tarbaſon, ſeu correcte Larbaſon non eſt vox magiſterii, aut eſſentiæ chymicæ, ſed ſtibii de minera crudi. Simile naſcitur ex ſimili. Si τάρβος ſignat metum & ſtuporem, τάρβασον eandem vim retinebit. Si contrariam ex præparatione accipit, non amplius eſt τάρβασον, ſed Tarbaſi magiſterium, eſſentia, & ſimilia. *Ridiculum & plane lepidum, ſtibium à timore dici Tarbaſon, quia ex formidabili re fiat.*

Nota XXXI.

An Chymicus de antimonio crudo diſſerat.

SCripſeram Antimonium crudum per ſe nõ eſſe chymici, neque chymicum de eo diſſerere. Rationem addidi chymicus diſſerit de chymicis. De ſuis quisque verba facit. Ita enim lex homogeniæ requirit. Crudum ſtibium non eſt chymicum. Neque enim magiſterium eſt, neq; eſſentia: Et chymicus aſtralia faciens aſtrale nomen eis imponit, &c. videantur verba epiſtolæ. Apud Pliniũ & Dioſcoridem de ſtibio natiuo dictum eſt quod Larbaſon vocetur, non de chymico, neque enim id nomen ab aliquo Alchymiſta per omnes linguas vagante acceperunt. Quid tua ſapientia opponit? *Chymicus etiam de crudo diſſerit*, inquis. Proba: *Eſt ſubiectum eius circa quod tanquam particulare eius laboratio verſatur.* Ridiculum. Neſcis præ ſtultitia quid garrias. Chymicus materiam ex natura aſſumit, & iuxta præcepta artis ſuæ, ratione & experientia in ea elaborat ad faciendum magiſteriũ, vel eſſentiam. Quando vero naturam eius explicat, id non facit vt chymicus, ſed vt phyſicus. Hic nomen conſuetum metallicis rei metallicæ tribuit, & ſtibium vocat ſtibium, vel quodcunque aliud nomẽ inuenit, niſi tenebrio ſit, & rẽ naturæ adulterino vocabulo occultet, aut veniat ex diſciplina parabolica ſapientum magni magiſterii, qui ſuæ diſciplinæ & profeſſionis vocibus vtuntur, veluti, ſi antimonium vocari ab illis plumbum nigrum, Saturnum, aut Magneſiam philoſophorum pro- *Ecce anſerem inter olores, & ſtultum ſeptem ſapientibus obloqui audentem.*

bari poſſit, quod aliqui chymici volunt, qui ideo in antimonio lapidem, & tincturam quæſiuerunt, ſed fruſtra, vt & Baſilius lapidem ignis, tanquam tincturam particularem, cuius ſententiam tacite conuellit Rogerius, refutatque Suchthenius, nec vllus extitit hactenus qui per Antimonium ex albis metallis fecerit aurum: Sed plerique qui hoc attentarunt, aut promiſerunt in diſcrimen vitæ, & famæ incurrerunt. Audiui qui diceret ſe per Antimonium ex argento ſeparaſſe aurum. vocabat Emeinbringen (illationem) Rogerius reclamat volens ſi eo modo ex argento aurum extrahatur, non eſſe illationem, ſed ſeparationem. Verum illud aurum ſeparatum quidem aqua forti ex argento eſt, aſt quartationem, & alia acria examina non tulit. Sunt apud me aliquot formulæ: Sed quibus non poſſis fidere, cum etiam apud Suchthenium extet exemplum falſi. Diſce ſtolide Scheunemanne chymicum de ſtibio naturaliter differentem alieno officio fungi, & non proprio, nec ſolere vulgare nomen ſuo artificioſo operi imponere, ſed à forma vel fine, aut effectu proprium: Vti & videmus cum oleum ſtibii, Tincturam antimonii, vitrum, regulum, calcem, flores, ſpiritum, lapidem, ignem &c. apud Chymicos legimus, nullum autem Tarbaſon niſi ex Plinio praue tranſſcriptum, idque non chymice, inuenimus.

Nota XXXII.

De argumento alio ex Tarbaſo Scheunemaniano.

Scripſeram: Si Galenicorum aliquis audiuerit Etymologiam tuam (quod Tarbaſon Chymicorum ſcilicet ex τάρβ@ Græco dicendum ſit, quæ vox ſignificat tremorem, & ſtuporem, aut confuſionem, cum trepidatione) iuret ſic eſſe: hoc eſt, vere tremorem, ſtúporem, & metum inferre, aut ſaltem metuendum eſſe. In hoc eſt argumentum tale: *Si Tarbaſum Chymicum à tremore & ſtupore nomen habet, Galenicus quidam iurare poſſit timorem, & ſtuporem inferre, atque inde metuendum eſſe. Eſt autem antecedens. Ergo & conſequens.* Aſſumtio eſt Scheunemani. Connexio declaratur teſtimonio etiam ipſorum chymicorum, & experientia effectus vitri, florum, reguli & ſimilium ex antimonio Scheunemanice hoc eſt, imperite, & vt fors fert præparatorum, quæ etiam venenata eſſe dicuntur. Addo teſtimonium ipſius Scheunemanni, qui proculdubio eo effectu Tarbaſon in ſua Peſtilentia nolit adhibere &c. Hæc refutaturus iſte fatuus, fingit nouum thema, idque tanquam meum vellicat. Ita garrit: *Medicina tua eſt Tarbaſon. Ergo infert ſtuporem, inſenſibilitatem &c.* Ad hoc ſuum τερέτισμα reſpondet: *Negatur antecedens. Non eſt Tarbaſon medicina mea, ſed fit ex Tarbaſo. Venenum igne periit, ideo non infert tremorem, ſtuporem, inſenſibilitatem. Præterea ſequela eſt inepta. Non enim tuibor audito nomine Turbith quamuis à turbando nomen habet, non tamen ob id turbatum hominem reddit hoc eſt, inſanum, melancholicum, maniacum. Vides quantum roboris habent tua argumenta?* Hæc bellus Scheuneman ex tripode ſuæ aſininæ ruditatis, qui vult Dialecticum agere, cum nondum didicerit Grammaticam, & locutionem latinam correctam. Reſpondeo:

Nota ridiculam hominis fatuitatem. Ad ſtiuam homo ruſtice quid tibi cũ literis & medicina?

I. Facile patior eſſe ineptam ſequelam, & nullius roboris argumentum. Neque enim ex mea officina prodiit, ſed in Scheunemanianis furnulis eſt conflatum, vbi quicquid fit, ſtolide, & amenter fit. Fit enim ſine doctrinis ſapientum ratione, & experientia comprobatis.

II. Negat Tarbaſon eſſe medicinam ſuam, & tamen chymicis tribuit iſtud nomen. Non ego quidem id dixeram, ſed tamen ſi eſt ex ſtupore ſignificante, & ſimile naſcitur ex ſimili, quis non cadat in eam ſuſpicionem? An ignotæ nobis ſunt diſputationes de Antimonio, & Turpetho, & præcipitato aliiſque.

III. Fit ex Tarbaſo inquit. Belle. Hoc ipſum eſt, inquam, quod metum infert. In ſchedula Bambergica faciebas calcem catharticam ex Antimonio. Hæc quem habeat effectum non ex te eſt diſcendum. Satis eſt ſi ſcripſiſti debere purgare vomitum, vel ſeceſſum alui. Ibidem vt & in peſtilentia Aſcanienſi præcipitatum purgantem præſcribis ex mercurio ſolis. Indicas ex auro fieri, quod tibi credemus ad Calendas Græcas quibus Paracelſiſtæ definent fallere, & mentiri. Si purgat illud præcipitatum, Turbith à turbando, vt tu aſſeris (Ego tantum per coniecturam alienam locutus eram) vocari poſſit, & metum hunc incutere. Diaphoreticum ex ſtibio (non ex Tarbaſo quod tuæ ſtultitiæ oblectamentum eſt) quod attinet, vide vt per tuum morem, & halinitrum recte præpares. Ego quidem facile inducor, imo ſcio ex antimonio calcem Diaphoreticam fieri poſſe, ſed de me non debes eſſe ſolicitus, verum de tua præparatione, & tuorum Paracelſiſtarum, de quibus conſtat quod mortis pocula fabricent pro vitæ præſidiis. Si non credis, obtunderis exemplis maleficiorum tui gregis. Hoc quoque dicent Galenici, cum ad manum ſint animalia, & vegetabilia, hydrotica ſimul & alexipharmaca, male ſani hominis fore in tuos Caminos ſtibiales irrepere, & ex antimonio cum fœtoribus magnis coquere pulueres terreos, fixoſque quos tu aſtrales eſſe mentiris. Bambergæ feciſti medicinam. Ibi ad ſudandum in peſte vel venenis, non vtuntur tua calce Tarbaſonia, imo ſi venires, quærerent te foras, ſed ouo quodam alexipharmaco ex Bezoate optimo, Drakena, Contrayerua, Ebore foſſili, ſcorzonera Hiſpanica, & ſimilibus. Non ſapit qui tot diaphoreticis probatiſſimis reiectis velit in tuum fumarium ſe conferre, & Paracelſicas calces magno redimere, indeque nihil aliud reportare quam metum ex Tarbaſone.

Animalia & Vegetabilia diaphoretica probati vſus.

IV. *Fit ex Tarbaſo* inquis. Non ideo inquam extra metum eſt. Legantur pugnæ Quercetaneæ & aliæ. Seuerinus negat hanc eſſe prædeſtinationem Antimonii quam tu proponis. Verum non opus eſt verbis in re manifeſta. Satis notum eſt pleroſque fuiſſe deceptos qui ſe crediderunt fidei Paracelſiſtarum.

V. *Venenum*

An ignis ſtibium corrigat.

Populare crimen vitri & florum alborum ſtibii per totam Germaniam infinitis exemplis Agyrtarum.

V. *Venenum igne periit* inquis: Poſſit, inquam, id fieri præſertim halinitro, ferro aliisq; adiectis & ex arte elaboratis. Sed non raro accidit vt ignis in actum producat malitiam, præſertim ſi male coctum eſt medicamentum. Vagantur paſſim Paracelſici nebulones, qui flores ſtibii venenatiſſimos, & vitrum furioſiſſimum vulgo vendunt, multosq; in extremum vitæ periculum præcipitant, adeo non adiutis ægris, vt deinceps longe peius habeant. Horum quoque prætextus eſt ignem venenum ſuſtuliſſe: ſed mendax & falſum. Gramanus ſuo Vulcano adeo confidebat vt ſcriberet eũ ſolum eſſe opificem & correctorem quaſi prædeſtinata quadam ſcientia præditum. Sed vbi induſtrium regimen deeſt, ſcimus quid faciat. Coquebat Medea quoque pharmaca. Ignis ea non meliora, ſed peiora reddebat. Quid de ſublimato arſenico, argento viuo & talibus aliis dicendum? quid de Mercurio vitæ qui factus eſt multis Mercurius mortis? Vide ne erres in tuo argento viuo ſublimato. Tanta eſt tua ſtoliditas vt auſis mecum agere tanquam cum puero, cum quo caſas ædifices, & in arundine longa equites. Noſtrarum officinarum Calones ſufficienter tuis iſtis bellis argutiis reſiſtere poſſunt.

VI. Non turbaris audito nomine turbith. Credo cum id magno vendis ægrotis tuis. Si vero ipſe deberes vorare putauerim non ſine metu fore. Si enim non facit inſanos, at ita agitat & turbat vt ſatis ſit formidine plenum, præſertim à Paracelſiſtis coctum. An autem dictum à turbando ſit, quære ex ſocietate de Roſea cruce. Arabes aliud Terbedh ſeu Terbadh habent: aliud Turbith, vide Garziam, Auicennam &c.

NOTA XXXIII.

An ταϱ ſit vox quædam Græca.

STolidus homo relicto Tarbaſo ex τάρβος ad aliud monſtrum ſe vertit. Putat enim poſſe componi ex τὰρ & βάσις, de quibus videantur Epiſtolæ, vbi fatuus fatue interrogat τις ταρ ἐστι βάσις &c. Irridebam ſtolidum figmentũ, argumento quia ſtulte repeteretur ex quæſtione τις ταρ ἐστι &c. τὸ ταρ, ad faciendum τάρβασον: Et quis Græcus non rideret phantaſma iſtud anile? Debet reſponderi: *Baſis medicamenti eſt Tarbaſon,* ad interrogationem de Baſi, quæ ſit pars compoſitionis Tarbaſi. Quæ eſt τὰρ βάσις? eſt τάρβασις, pro quo dicatur Tarbaſon. Quod eſt medicinæ ſane fundamentum? Eſt ſane fundamentum. Quis vnquam per febrim ſomniauit futiliora? At ſtercora hæc ſunt in naribus Scheunemani Moſchus. Mittamus ineptum ad Ouidii fabulam de Echo lib. 3. Metam. fab. 7. vbi in lapidem corpus mutatur, vox in ſyluis manet. Et congruit fabula. Quæris τις ταϱ βασις Echo: ταρ βασις Mutatur in lapidem ſtibii. *Vox* manet in Sylua Scheunemani. *Negabam præterea τὸ ταρ apud Græcos vocem eſſe.* Nam praue citatur ex Homero vbi ſcriptum eſt τ' ἄρ duabus vocibus, ex quibus Græci non componunt vnam, niſi quod Typographi, & notarii in ſcribendo errent, ſicut imperiti legendo. Scheuneman putat ſe in muſtaceo laureolam inueniſſe. Videte quæſo ſtulti hominis motum ſtultum: *Nunc obtura, inquit, aures vera ne audias, vocem ταϱ mea lingua exprimit. ταϱ ſit ſonus. Ergo vox eſt. Libauius ad omne bonum ſurdus natus negat ταϱ eſſe vocem Græcam, neq; Latinam, neque barbaram.* Hæc ille inſulſus. Mea verba ſunt hæc: *ταρ nulla eſt vox neque Græca, neque Latina, licet in lexico extet. Falſa enim eſt ſcriptura &c.* Stolidus ille homo, & mendax nequam addit me negaſſe etiam eſſe Barbaram. Vbi hoc nequam mendax? Num ignoro Paracelſiſtis placere fictiones Barbaras? Sed non ideo, quia vos fingitis, ſunt voces Græcæ, vel Latinæ. Non quicquid tua cruda & aſinina lingua rudit, id vox humana ex compoſito ſignificans & apud eruditos vſitata eſt. Quid enim eſt vox humana? An tu etiam hoc vnquam didiciſti? Sed iniuriam facio bonis literis quod cum ſtulto hoc ab imperito Vulcani diſcipulo in cœlo Paracelſico fabrefacto, iuxta ſententiam Paracelſi, verba commutem. Vt ſcholaſtici videant quantæ beſtiæ ſint Paracelſici vbiq; regnare ſuis opinionibus conantes, ſaltem repetatur Ariſtotelica de voce humana doctrina. In 2 de anima tex. 87. hæc leguntur: *Vox eſt ſonus QVIDAM animati.* Scheunemaniana ſtoliditas in vitioſa ſcriptura lexici legit τάρ: Vocem ergo putauit Græcis hominibus vſitatam eſſe. Sed non omnis etiam animalis ſonus vox eſt, nedum rei brutæ. Vox eſt, inquit philoſophus tex. 90. libri citati, percuſſio reſpirati aeris ab anima quæ eſt ad arteriam. Eſt quidem & lingua ſonare, aut labiis vt faciunt poppiſſantes, tuſſientes & ſimiliter ſtrepentes: Sed oportet animatum eſſe verberans, & cum imaginatione aliqua. Num vox eſt ſonus quidam ſignificatiuus, & non reſpirati aeris, ſicut tuſſis &c. Si vox eſt ſonus ſignificatiuus, ταρ Scheunemaniæ non eſt vox. Ratio eſt, quia nihil ſignificat.

II. Neque in Latina nec Græca lingua ταϱ eſt vox aliqua ſimplex. Nulla ergo in compoſitione Græca. Ratio antecedentis: quia cum à Græcis & Latinis debeat proficiſci, neceſſe eſt in lingua alterutra eſſe. Iam nulla eſt pars orationis vſitatæ apud vtramque.

III. Quæramus etiã logice: Aut nomen, aut verbum, aut aſſignificans (συγκατηγόρημα) eſt vox τάρ. Nullum ex iſtis. Non ergo vox. Ratio diſiunctionis patet ex Ariſt. lib. 1. de interp. cap. 1. & ſeq. IV. Ea, quæ ſunt in voce, ſunt notæ paſſionum in anima. τὸ τὰρ non eſt nota paſſionis in anima, ſed Scheunemanianæ ſtoliditatis ſonus brutus. Non ergo vox.

V. Si id omne vox eſt apud Græcos quod formari ore poteſt quocunque modo, lexicum eſt in immenſum ampliandum. Aliud eſt ſonum, aliud vocem, aliud vocem Græcis conſuetam eſſe. Vides iam aſine, quantum valeant tua deliramenta ex Motonia? Audite & aliud argumentum μωρίας, ſeu μωρίτης Scheunemanianæ. Scripſerat Libauius τε ἄρ, & per apocopen τ' ἄρ pro

τὲ ἄῤῥ poſtponi. Inde fatuus ille colligit: *Tar poſtponitur, poſtponuntur autem voces. Ego ταρ eſt vox.* Imo **Nar:** eſt ſtultus vbicunque ponas, in cerebro, corde, vel ore. *Libauius ad omne bonum ſurdus natus negat ταρ eſſe vocẽ: Libauius τὲ ἄῤῥ & apocopate τ' ἀρ' poſtponi dicit: Ergo eſt dictio: Ex conſequente oportet mendacem eſſe memorem: alioquin cadit in Scillam cum velit vitare Charybdim.*

Ecce Vomitiones ſcurræ.

Reſponſio: Non ſuccenſeo homini. Non enim aliter poteſt. Miſeret me eius ſtoliditatis. Socrates nolebat aſinum à quo percuteretur repercutere. Neque ego volo Scheunemannum. Miſer ille ſi tacuiſſet, fortaſſe pro viro bono & qualitercunque ſapiente habitus fuiſſet. Nunc autem ex ſermone agnoſcitur ſicut corui, ſturni, gracculi, bubones, vpupæ, veſpertiliones, parræ, & huiuſmodi aues ex cantu. Sæpe admoneo me neglecturum fuiſſe iſtum nebulonem, niſi iudicaſſem publicæ rei intereſſe tales ſcurras & impoſtores innoteſcere. Qui in imis ludorum ſubſellus diſcunt grammaticã, nouerunt aliud eſſe de voce & ſono qualicunque & indefinito loqui, aliud de determinato & vſitato Græcis. An autem Libauius ſit ſurdus ad omne bonum natus, & ſtolidi garritus Scheunemani aliquid boni ad quod natus debeat eſſe aliquis, facile eſt iudicare. μωροὶ μωρὰ φάσκουσι.

Proteſtatio Libauii.

Nota XXXIV.

De myſteriis Cabalæ Paracelſicæ.

MIRA produntur à Paracelſiſtis, promittentibus Chriſtiano Kabaliſtica, diuinomagica, phyſicochymica, tertiuna, Catholica, Phy Diabolo. Cum tanti promiſſi euentus expectatur, atque etiam magno emitur, amphoram cepiſſe inſtitui, ſed voluente rota vrceum exire, & montes quidem parturiiſſe, verum ne murem quidem ridiculum prorepere, ſed ventum inanem experimur. Kabala perfugium eſt Paracelſiſtarum, iuxta quam omnia pro lubitu fingunt quorum rationem reddere nequeunt & tamen non ipſi principiis Kabalæ reguntur, ſed Kabala cogitur ſe accommodare, parereque ipſorum ingenio. Ideo & Henningus Scheunemannus omni argumento deſtitutus ad iſtam ſe recipit, eamque pro arbitratu fingit. Sic enim dictat: *Num quæ Cabala myſteria prodit, inepte prodet? An illa ſe patiatur Grammaticorum ſeptis circumſcribi, eorumque legibus conſtringi? Generoſior, nobilior hæc eſt quam vt Diis illis minorum gentium cultum exhibeat. Simile extat primo Geneſeos: In principio creauit Deus cœlum, & terram. Quæritur quis ille Deus? Particula CREAVIT ſi Hebraice pingatur, tibi ſibique reſpondet, hoc eſt, comprehendit in ſe reſponſionem: Pater: Filius: Spiritus Sanct. Eſaiæ cap: 65. legitur: Benedicetur in Deo: Ecquis eſt iſte Deus? Si litera pro dictione reponatur, Cabala reſpondet Dominus rex fidelis. Similia multa in variis linguis occurrunt, quæ communes Grammaticorum leges tranſcendunt.* Hactenus Scheunemanus. Thema eſt TARBASON deriuatur (pro: componitur) ex TAR & BASANOS eliſa Syllaba AN. ſignificat enim probatum experientia. Nego hoc, & deriuatorem irrideo; quia nulla talis deriuatio in tota lingua Græca eſt, nec vllo Grammatico, aut lexico. Scheunemaniana ſapientia reſiſtit, & argumento impingit ignorationem Elenchi. Licet enim lex Grammatica nulla id ferat, tamen Cabala ferat, quæ Grammaticis non ſit ſubiecta; Probat.

Kabbala Scheunemanica.

Deriuatio cabaliſtica in Scheunemani cerebro.

I. Cabala myſteria inepte non prodit. Scheunemaniana deriuatio, eſt cabaliſtica. Ergo myſteria prodit non inepte. Ex conſequente verum eſt quod Tarbaſon deriuetur à ταρ & βάσανος. Secundo: ſimilia exempla habentur in ſacris. Nam Ebraicum Bara ברא creauit, Cabaliſtice ſignificat Trinitatem: Aliud: Quia Eſa. 65. verſ. 16. ſcribitur: In quo qui bendictus eſt ſuper terram, benedicetur in Domino Amen, & qui iurat, iurabit in Deo Amen. Sicut ergo in his exemplis litera accipitur pro dictione, ita in Tarbaſon ταρ eſt vna pars compoſitionis, & βάσανος altera, ita vt interroganti reſpondeat dictio ipſa. Si enim quæras quis eſt iſte Tarbaſon: dictio ipſa loquatur, eſt probatum examine, & ex conſequente eſt ſtibium. Quis hic ſibi à riſu temperet? Sic oportet deſipere in Paracelſia. Kabbalah, ſeu, vt vulgo ſcribitur, Cabala eſt doctrina per traditionem ſine ſcriptura ex ore docentis, & pronunciantis accepta. Traditio Maſorah eſt: acceptio eſt Kabbalah, eaque triplex vt Schindlerus notat.

Adam creditur à Deo acceptã tradidiſſe filio Seth doctrinam, qui porro patribus per quos ordine peruenerit ad ſequentes, donec fere tota ſit extincta. Hæc prima eſt Cabala. Deinde Moſes legis acroamaticam explicationem putatur in monte in quo fuit 40. dies accepiſſe. Lex quidem ſcripta eſt, ſed explicatio apud Ioſuam & Sanhedrim relicta. Hanc Eſras dicitur collegiſſe, atque ita principia Thalmud poſuiſſe. Inde ad prophetas perueniſſe perhibetur. Hæc eſt Cabbala ſecunda, vel eius modus ſecundus. Tertiam excogitarunt interpretes rabini, qui literas & ſyllabas biblicas linguæ ſacræ colligunt, in numeros vertunt, mutant, tranſmutant, atque ita tacitos ſenſus eliciunt præſertim nomina DEI mirabiliter tractantes, vide in Schindleri lexico exempla. Aliter diſtincta eſt in Bereſchit, & Mercana. Illam partem Coſmologicam vocant: hanc Elementariam, quaſi circa Elementa literarum verſantem (Racun enim eſt Elementum: Arcan Elementa: Breſchit in principio ſignificat, quod alii de tempore accipiunt, alii de filio DEI) Ex his argumentum eſt contra Scheunemanni. & reliquorum Paracelſiſtarum ineptas impoſturas: Si Tarbaſon eſt cabaliſticum, debet per traditionem à primis patribus auſcultando accepta eſſe eius ſignificatio, aut per Elementarem expoſitionem (vt Schemhamphoraſch ex ſacris paginis traducta. At neutro modo eſt. Ergo non eſt cabaliſticum. Aſſumptum negatum tamdiu firmum manet quamdiu non oſtenditur Tarbaſon eſſe acceptum traditione aut ex ſacris literis Elementariter collectum. Quid hic vir horreorũ facies? Num tibi ipſi comminiſceris Cabalam aliquam? Sed tua autoritas

Contra ineptientem Cabaliſtam Scheunemannum.

culice

tulice leuior eſt. Quæ exempla citas ex Bibliis, diſparia ſunt proiſus. Verbum Bara Ebraicum tres habet literas radicales, vt cætera omnia, Myſterium Trinitatis Sacroſanctæ deſignari creditur, nec repugno. Radices trium literarum eſſe ſymbolum S. Trinitatis à poſteriore & ex aliis colligitur, non à priore innoteſcit, ſicut & vocem Iehouah Tetragrammaton exponunt per coniecturã, non principio aliquo ſolido, quæ tamen coniectura, cum pia ſit, non reiicitur. Interim nihil firmi ſubeſt. Nam & impietatis, & Sathanicæ voces tribus radicalibus conſtant. Sed tu dic qua demonſtratione conuinces Beth Ebraicum deſignare Deum patrem, Res filium, Aleph Sp. Sanctum? Quid ni Beth ſignet filium ex Barah, vnde Bar filius? Syriace Bera filia eſt iiſdem literis ברא Num & filia creauit mundum? Aut cur non tota dictione filius intelligitur qui peccata, mortem & infernum deſtruxit, hominumque genus ſuo ſanguine ſanauit, nec minus eſt mundi creator & hominis, quæ omnia iſto verbo indicantur non aliena à Grammatica? Hinc contra te argumentum: Cabala Elementaria pendet ex Grammatica dictionum, ſyllabarum & literarum expoſitione. Tua de Tarbaſo inde non pendet. Ergo non eſt Cabbala Elementaris. In loco ſecundo plane deliras. Ex Hebraico enim ita habet: verſ. 15. Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio: verſ. 16. ita vt qui benedicet ſe in terra, is benedicet ſe in Deo vero, & qui iurabit in terra, iurabit in Deo vero. Quæritur quis ſit ille Deus verus? Tu reſpondes: Dominus Rex fidelis, & hanc reſponſionem putas colligi ex litera cabaliſtice expoſita. Eſt quidem id per ſe verum, & ita manifeſtum per totam ſcripturam vt nulla indigeat cabala, ſeu myſtica collectione: Sed dic voces Ebraicas: Aſchei hammitbarech Baaretz ijtbarech beelohei Amen. Dominũ hic video, video & fidelẽ, verumq;. Ita enim appellatur Apoc. 3. verſ. 14. teſtis nimirum fidelis, & verus & principium creaturæ Dei. Item Iohan. 14. verſ. 6. Chriſtus eſt veritas, cap. 17. 17. Sermo Dei: 1. Ioh. 5. 6. Spiritus. Sed vbi Rex. Et vbi literalis cabala? Vbi ſimile eſt quid tui ſtultiſſimi Tarbaſi? Num ſi Spiritus S. myſteria per literas ſacras inſinuauit, & tu illam poteſtatem habes? Imo tu es ſpiritus ille impoſtor de quo Paulus 1. Tim. cap. 4. verſ. 1. & 2. Loqueris enim mendacia in hypocriſi. Ita argumentor: Si Tarbaſon eſt Cabaliſticum, ſingulæ literæ debent ſingularem ſignificationem habere, ſiue in numeris, ſiue ſenſu ex aliquo loco authentico ſcripturæ, ſicut vox Michael ex Pſ. 113. verſ. 6. Quis ſicut Dominus Deus noſter &c. Mi caiiouah Elohenu, vbi reſponſio eſt, ex initialibus, quod Michael Chriſtus, Leo de tribu Iuda, ſit ſicut Deus noſter. Ita Machabæi quoq; dicti. At Tarbaſon nihil tale habet: Neque ergo eſt Cabaliſticum, ſed ſtulti hominis friuolum figmentum. I nunc belle Cabaliſta, & nobis cude Tarbaſon pro ſtibio.

NOTA XXXVI.

Num Compoſitio iuxta figuram Grammaticam ſit an Deriuatio, cum Tarbaſon dicitur fieri ex Tar, & Baſanos eliſis duabus literis a & n.

REgnum, ſeu imperium ſibi in Grammaticam, & linguas vendicant Paracelſiſtæ, quod nondum vllus vnquã Tyrannus ſeu arrogauit ſibi, ſeu potuit arrogatum obtinere. Quicquid iſti carbonarii dicunt, id ſtatim credendum eſt. Si non credas, En tibi conuitia, & vituperia. Habemus exemplum bellum in noſtra Scheunemaniana. Ita enim argutatur.

Rides me non eſſe Grammatice locutum qui dixerim Tarbaſon deriuari à particula ταρ & βάσι (Ad ferulam) *an propterea non latine, non medice, non philoſophice, nonne prius tempore, & natura partes compoſitorum exiſtunt à quibus tanquam à fonte ſeu principio deriuatis compingitur compoſitum? Nonne ταρ & βάσις ſunt partes Tarbaſi? Quid ni deriuem in compoſitum partes? Cur potius per compoſitionem quam per ortum, deductionem, ſeu deriuationem nomenclaturam indicare teneor? Siccine oportet medicum Grammaticorum iura ſubire? An hoc pudendo ſanguine ſe tingit Aquila fulminum & cœli immemor, ponenda honeſtæ mortis hac ſpes eſt tibi Non muſcam in Elephantum, vel quod tibi magis arridet rorem vel ſalem in aſini crepitum transformare. Nonne quando nomen per ſyncopen immutatur & è medio dictionis ſyllaba euellitur aliquid eliditur? per reciſionem eruncationem, ſeu eliſionem vt fiat oportet. Pudeat te tuæ infantiæ, putabam me cum medico chymico ſtudia collaturum ſic ſentio mihi cum inepto Grammatico negotium eſſe.* Adhuc noſter Scheunemanus. Quid videtur vobis Grammatici Græci, & Latini? An Libauius, qui errantem in viam iucunda & familiari admonitione reducere voluit, & dictionem corrigere prius quam de rebus ageretur ſtuduit, eſt ineptus Grammaticus, & pudore carens: Contra vero Henningus Scheunemanus Grammaticus elegans philoſophus, medicus & quid non? Quam indigne fert aſinus ſuam ruditatem detracta leonina patefieri? Rem perpendamus. primum: non eſt quæſtio de ταρ & βάσις, ſed de ταὲ & βάσανος. Hic primus eſt error hominis eo tempore ebrii quo iſta vomebat.

Ferula

Bellum Cabaliſticum grammaticale.

Ecce ſpecimẽ Paracelſiſtæ qui vult præ cæteris ſapere.

II. Male ſcriptum eſt βάσι. III. Non agebas medicum, ſed Etymologicum & Notatorem cum de Tarbaſo nugateris: Imo volebas literalis Cabaliſta ex arte videri. Itaque non eſt vt te medici nomine excuſes. IV. Si philoſophum egiſti, non debuiſti peccare in Grammaticam quæ philoſophiæ complexu continetur. At peccaſti. Non ergo eras philoſophus.

V. Argumentaris ita: ſi partes compoſitionis ſunt prius tempore, & natura compoſito, quicquid componitur ex partibus id ex his deriuatur: Prius eſt: Et poſterius ergo: Ex conſequente: Eſt Deriuatio cum dico Tarbaſon deriuatur ex τὰρ & βάσανος.

Rudiſſimus Grammatica Grammaticatur.

Reſpondeo. Erras toto cœlo, & te nondum rudimenta Grammaticæ, & Philoſophiæ didiciſſe demonſtras hoc tuæ ruditatis pluſquam aſininæ argumento. Nam partes cõpoſitionis non ſunt ſemper priores compoſito tempore. Ratione poſſint eſſe priores tanquã cauſæ: at non tempore. Cum enim ex ſimilaribus & diſſimilaribus Deus crearet corpora animalium & plantarum, cúmq; etiã poſtea naſcerentur naturali ortu & adhuc generantur, non ſunt priora tempore ſimilària, ſed ſimul fiunt vtraq;. Cum in Babylonica linguarum origine Latinæ, Græcæ, Arabicæ, Sclauonicæ &c. dictiones fierent, num ita vt prius naſceretur a, b, c, vel con, di, dis &c. poſtea verbum condicere & alia? Non: Sed tempore erant ſimul, vt & Adam cum Eua ſuam linguam acceperant. Eſt & aliud eſſe quouis modo, aliud ſignificatiuum eſſe quod eſt dictionum. Hæc dicuntur ad aſſumtum. Sed finge id verum eſſe: at non eſt conſequens compoſitam vocem ex partibus componentibus deriuari. Et logicis, & Grammaticis aliud eſt deriuatio, vbi nullam neceſſe eſt compoſitionem fieri, quia tantum eſt ſequentis ex præcedente deductio riui inſtar, qui profluit ex ſuo fonte: aliud eſt cõpoſitio. Dicam phyſice: compoſitum phyſicum ex principiis, vel elementis, vel membris conſtituitur: Quod generatur, & deriuatur ex traduce quaſi, vel ſemine propagatur, nec componitur hac ratione.

VI. Partes compoſitionis pôſſunt eſſe deriuatæ, ſed quando totum conſtituunt, iam ſunt, nec deriuantur, totumque fit compoſitione, non deriuatione: Vt phyſiologia, compoſita vox eſt ratione partium φύσι☉ & λόγυ, quarum illa à φύομαι deriuatur, hæc à λέγω, compoſitum fit ex partibus non deriuatum, ſed deriuatis. Si vero à phyſiologia velis porro facere phyſiologon, aut phyſiologicum &c. iam erit deriuatio, & non compoſitio. Ecce principia iſta debuiſti diſcere in ſubſelliis puerorum, quæ cum nondum ſcias, ſed circa ea pertinaciter delires, puſiones iubẽt tibi detrahere caligas, & acri ferula tuam ruditatẽ redarguere. Tune ſis bonus Cabaliſta elementarius, phyſicus, Medicus, Logicus, Grammaticus, qui iſta ſcholaſticalia neſcis?

Magnus Cabaliſta docendus eſt Grammaticas voces vt puer alphabetarius.

VII. Nonne ταρ & βασις ſunt partes Tarbaſi quæris. Stulte quæris. Nam vel aſino rudior potuiſſet tibi dicere non eſſe. Etenim Tarbaſis, non Tarbaſon dici debuiſſet. Deinde nõ de baſi, ſed balano quæſtio eſt: Prætereaq; tuum figmentum eſt ταρ, non eſt probata apud Græcos dictio. Tu non habes poteſtatem linguam Græcam mutandi. Vſui id aſſcribit Horatius. Vnius hominis vſus nullus eſt in linguis.

Ein grober *Beanus.*

VIII. Quæris. Cur potius compoſitio dicenda ſit quam deriuatio, quando deriues in compoſitum partes? Reſp. poteſt fieri vt deriuatio antecedat compoſitionem; Sed non ideo vtraq; eſt confundenda cum propriis formis & præceptis differant. Tune in Grammatica tam es hoſpes vt ignores rationem? Principium id & lex Grammatica eſt, quam qui euertit, aut præterit, in principii Elenchum incurrit, & à ſcholaſticis Baculaureorum irridetur. Cur quæſo, iſtud tam manifeſtũ erratum defendere conaris? Quo magis id facis, hoc magis tuam autoritatem proſtituis. Teneris deriuatum per deriuationem, & compoſitum per compoſitionem explicare, quia ita eſt principiũ Grammaticum ratione & communi conſenſu conſtitutum. Ea eſt lex gentium. Contra hæc ſi facis, rationem, & communem conſenſum peruertis, teq; ſtultum eſſe euidenter probas. Quid dicent quæſo eruditi cum videbunt vos ingentium & profundiſſimorum myſteriorum iactatores, magos, Cabaliſtas, & omnia, in iſtis leuiculis tam turpiter deſipere? Ecce hi ſunt Cabaliſtæ, pudor omnis literatæ doctrinæ. Adrianus tuus ante medicum examen ignorauit tibi Grammaticum deferendum eſſe. IX. Mendacium ſcribis cum hæc ponis: *Siccine oportet &c.* Neque enim ego medicum Grammatico iugo ſubiicio. An vero tibi eſt res medica cum recenſes etymologiam vocis Tarbaſon? Quid medico cum Etymologia? Lege tamen præcepta Hipp. in libello de decẽte ornatu. Inuenies etiam in lingua componenda ſapientiam.

X. Eodem autem argumento fateris ſimul te in leges Grammaticas, à quibus tibi immunitatem poſcis, peccaſſe. Iam peccare humanum eſt, at peccatum pertinaciter defendere, Diabolicũ.

XI. Tuam Aquilam rideo. Neq; enim tu es Aquila, neq; ego me ei comparo. Tu vero ne eſto immemor fulminum, & cœli. Quia enim aduerſaris veritati, fieri poteſt vt ictu fulmineo ſiue externo, ſiue externo, quod tamen nolim, ante vitæ & ſententiæ emendationem, corripiaris.

XII. Muſcam in Elephantum, & rorem in *merdam Plinii* quis niſi tu mutat? Ego vno atque altero verbo te monueram. Tu reclamas per integram paginam, vt ſtolidæ aniculæ, quæ victoriam in verbis ponunt, ſolent.

Confuſio Syncopæ & Eliſionis. Hui Grammaticum Cabaliſtam. Ridiculum.

XIII. Syncopato nomine aliquid elidi, videbunt Grammatici an tibi velint concedere. Eliſio Grammaticorum longe eſt alia. *Syncopa de medio tollit quod Epentheſis infert*, eſtque orthographica aut Etymologica figura: Eliſiones, vt Synaloephe, & Eccliſis ad proſodiam pertinent. Sed liberum tibi eſto Eliſionem, an reciſionem velis dicere cum ex medio dictionis litera vel ſyllaba tollitur. XIV. Illud quæritur cum ex βάσανος, non tantum litera σ perit, & ſuccedit litera Græca, ν, ſeu n Latina, ſed & duæ literæ ex medio eximuntur, ſitne ſyllaba eiecta an non? Collige ſyllabas βα σα νος tunc iudicabis. Asinus: Asis. Baſanos Baſos Baſon. Cur non vt Aſin, ita Baſan, vt vltimæ literæ per apocopen reciderentur? ô fraterculum Midæ. XV. Meam infantiam agnoſco malo vero cum veri iudicio infans eſſe, quam cum ſtulta arrogantia, & illiterata infamia multiloquus. XVI. Sentis te cum Grammatico negotium habere. Bene. Ingenui, & liberalis eſt Grammaticam ſcire: Aut ſi eam neſcias nolle in certamen grãmmaticum deſcendere, cum tunc neceſſe ſit te ab alphabetariis rideri. Tu cum eam neſcias, neque ingenuus es, neq; literatus. Non ſunt contemnenda tanquam parua ſine quibus maiora conſtare nequeunt. Cur autem ſi noluiſti cum grammatico agere, grammaticam litem de Tarbaſo inceptaſti? Si infantia, pudor, & ſtultitia eſt, tu es infans, impudens & ſtultus. Qua me traxiſti diſputando, hac ire ſum coactus.

NOTA

Nota XXXVII.

Num ſi antimonium ſit res probata, inde dici poßit vel probatio, vel probandi inſtrumentum, Græcis βάσανος.

SCHEVNEMANVS βάσανον interpretabatur latino, experimentum, vel probatio, vel examen. Hæc interpretatio ſi vera eſt, τάρβασον (ſiquidem componatur ex τάρ & βάσανος) ſignificabit vtique probationem, experimentum, examen, vel etiam lapidem lydium. At non ſignificat. Nam ipſe Scheuneman dicebat ſignificare id, quod probatum eſt. Niſi conſulto deliramus, aliud eſt probatum, aliud probatio, aliud inſtrumentum, per quod fit examen ſeu probatio. Verum logico aceto homo eſt perfricandus. Ita ſcribit: *Quæris ſi per βάσανον capitur examen, num id, quod examinatum eſt, erit Antimonium? Reſpondeo quod Baſanon ſignificat examen* (ita eſt in literis, vt ſale grammatico quo que indigeat nugator) *ſeu probationem, & non eſt examen, ſic hedera ſignificat vinum vendibile, & non eſt hedera* (pro hedera) *vinum. Sed eſto. Subſumu lapis Lydius eſt βάσανος, aurum vel argentum eſt βασανιζόμενον, ſubſtitue Lydio ſtibium erit βάσανος. Non autem id, quod probatum eſt. Altera tuæ ſimilitudinis pars claudicat. Clariorem ſubſtituo. Ignis eſt examen ſeu βάσανος, ſtipula ſit βασανιζόμενον, nonne ignis combuſta ſtipula illibatus ſubſiſtit. Ergo ignis eſt id, quod probatum eſt aduerſus ſtipulam. Similiter Antimonium morbos extinguit, comburit, deuorat, & victoriam reportat. Ergo probatum eſt.* Hæc ille nugator. Sed ludendus & ridendus eſt cum ſua aſinina ſapientia: Si ſtibium dicitur Tarbaſon à τάρ & βάσανος, non eſt res probata in pellendis morbis. Ratio connexionis eſt, quia βάσανος non ſignificat rem probatam, ſed experimentum ipſum & probationem, vel etiam coticulam probatoriam. Prius eſt: Mida Scheunemaniano iudice. Ergo & poſterius. Falſum ideo eſt Antimonium nomen habere ab explorata in morbis virtute, quanquam hoc ipſum etiam per ſe paucis videatur credibile, nec verum poſſit eſſe omni modo præparationis. Imo vt magis ludatur homo vanus, ſic argumentatur: *Si Antimonium dicitur Tarbaſon à βάσανος, & nomen rei conuenit, potius eſt cruciatus & tormentum, iſque qui eo vtitur carnifex, aut tortor, qui ſontes quæſtionibus exercet, quem Græci vocant βασανιστὴν à βασανίζω, quod eſt torqueo, vnde & βασανιστήριον locus torturæ.* Hæc eſt propoſitio. Quid vis vt aſſumamus, ô belle diſputator? Aſſume antecedens affirmate iuxta tuam ſententiam: Et ſequetur tuum antimonium eſſe cruciatum, vel etiam inſtrumentum cruciatus, & tu qui id præbes ægrotis, eris tortor; cubiculum in quo præbes, carcer fiet. Non autem potes negare connexionem primo, quia certum eſt βάσανον, & eius coniugata iſtam ſignificationem habere. Secundo, qui flores ſtibii, medicinam detoro, vitrum & ſimilia propinant ægrotis, ſæpe eos vomitu, & ſeceſſu acrius torquent quam vllus poſſit carnifex. Aſſumtio tuo teſtimonio, voluntate & pertinace contentione firmatur. En tibi bonam concluſionem: Ergo antimonium eſt cruciatus, & qui id vſurpat, tortor. Quod ſi aſſumas partem conſequentem hoc modo: At ſtibium non eſt tormentum, neque etiam inſtrumentum torturæ: Concludetur contra te non dici Tarbaſon à βάσανος. Coniungo vtrumque Syllogiſmum:

Plures nugæ de ſomnio phantaſtico magni Cabaliſtæ, h. e. pugna grauis de NON ENTE, aſini umbra, aſini proſpectu, lana caprina, umbra ſomnio ex intima Cabala Paracelſiſtæ.

Nec ratiocinari logice, nec ſcribere & diſtinguere Grammatice ſcit Scheunemani Cabala.

Ad ſcuticã.

Lector putet ſe temporis fallendi cauſa aliquam lepidam fabellam audire.

Si ſtibium Tarbaſon dicitur à βάσανος aut probationem ſignificat, aut inſtrumentum probationis, aut quæſtionem ſeu tormentum, aut afflictionem aliam, aut exquiſitam explorationem, qualis fit in exactis diſputationibus & logiſmis. Atqui nihil iſtorum vnquam apud vllum probatum ſcriptorem, vel autorem ſignificauit. Putidum ergo mendacium eſt Scheunemani Tarbaſon dici à βάσανος. At ille nihilominus reclamat. Βάσανον, inquit, *ſignificat examen, & tamen non eſt examen.* Mirum vero. Si Græca vox apud Latinos ſignificat examen, cur non ſit idem, quod latinum examen? Λόγος ſignificat rationem, an non eſt idem quod ratio? Θεὸς Græcorum eſt Latinorum Deus. Dici de aliquo requirit ineſſe. En quæ ſunt in voce, ſunt notæ paſſionum in anima, & quæ ſcribuntur, eorum quæ ſunt in voce Ariſt. in 1. de Interpr. c. 1. Eſt autem ſubtilitas Scheunemaniana in hoc, quod definitionem nominis cum definitione rei confundat. Quid eſt apud Latinos βάσανος? Eſt idem quod examen, probatio, coticula, cruciatus, quæſtio, afflictio, inquiſitio exacta. At interim vox iſta non eſt res, quæ voce ſignificatur; ſicut λόγος ſignificat quidem rationem, & orationem, at interim non eſt res ipſa mentis & linguæ. Aliud enim eſt nota, aliud notatum: aliud ſignum, aliud ſignificatum. Aſtute. At Doctor Scheunemanus poſt & circa horreum ſuæ maniæ ex re ipſa fingebat nomen, & ex effectu probationis vocabulum imponebat rei probatæ: Ideo enim Tarbaſon à probatione, ſeu actu examinis, quia probando ſit cognitum & ſpectatum: ſicut rationem in mente & intellectu factam, etiam vocali ſigno enuncio, & rationem ſeu λόγον dico, vt vox rei ipſi reſpondeat. Sic ergo Tarbaſon vel antimonium nihilominus erit ipſa probatio, & examen, ſicut λόγος in mente eſt ipſe rationis actus. Sed proba quæſo, quod examen quidem ſignificet ſtibium, ob id Tarbaſon quaſi Tarbaſanos dictum, non autem ſit examen. *Hedera ſignificat vinum vendibile, inquis: At non eſt vinum vendibile. Ergo Tarbaſon, quod eſt ſtibium ſimiliter ſignificat examen, at non eſt examen.*

Ridiculæ amentiæ Scheunemanni.

Ridiculum. Num ergo vinum vendibile hederã dicemus, ſicut ſtibium Tarbaſon, quaſi Tarbaſanon ex Græco βάσανος? Diſce bœoticum caput eſſe diſſimilia, nec poſſe alterum ex altero concludi. Si ſtibium eſt Tarbaſon, id eſt, te interprete, probatio & examen, non eſt res examinata. Aliud eſt ſignificatio vocabuli, & relatio ad rem quam ſignificat: aliud ſignum reale alterius rei ſignificatiuum & aliud res ſignificata: vt: Cœlum mane rubens ſignũ eſt pluuiæ vel vẽtorum iſtius

 diei;

diei; at non eſt ipſe dies: At cum Græcam vocem per Latinam interpretor id, quod Græcis eſt, exempli gratia ἄνθρωπ☉, Latinis eſt homo. Ita vt Ariſtoteles ait: Ea quæ ſunt in voce ſunt notæ paſſionum in anima, & ea quæ ſcribuntur, eorum quæ in voce: Et quarum voces etiam linguarum diuerſarum primum notæ ſunt, eædem omnibus paſſiones animæ ſunt, & quarum hæ ſimilitudines, res etiam eædem. Siue itaque Græce dicas βάσαν☉, ſiue latine probatio, &c. vtrobique in animo res eſt eadem. Vnde & noua ſocietas linguarum omnium communionem in animo ſtatuit. Sed aliud acutiſſimum acumen auſcultate.

Stultus non deſinit eſſe ſtultus etiã in mortario contuſus. Exemplo eſt Scheuneman ex Paracelſiſtis ſapientiſſimus, vt ſibi videtur.

Vis mei argumenti hæc erat: *Si ſtibium pro lapide lydio, ſeu coticula poſitum, eſt βάσαν☉ auri probandi,* non erit ipſum, quod eſt *probatum, aut* probatur, neque etiam actus probandi. *Eſt autem prius.* Nam auri vltimum examen eſſe *ſtibium, notum* eſt. *Ergo & poſterius.* Quid tu ad hæc? Alteram partem meæ ſimilitudinis claudicare dicis. At ego nulla vſus ſum ſimilitudine. Quo modo poteſt claudicare ſeu tota, ſeu pars eius? Homo ἄλογε diſce prius argumenta agnoſcere, quam te diſputationibus immiſceas. Quid autem opponis rei ipſi? Deliramentum plus quam anile. Ad formam: *Si ignis eſt βάσαν☉, ſtipula βασανιζόμενον, conſumta ſtipula ignis eſt probatus, ſeu id quod eſt probatum. Illud eſt. Et hoc ergo.* Connexum probatur, quia *ignis illibatus ſubſtitit, ſtipula eſt combuſta, atque ita ille eſt probatus, ſeu id quod eſt probatum.* Reſpondeo: Connexio eſt ebriæ aniculæ, quæ præ temulentia non videt quid garriat. Si ignis eſt id, per quod probatur ſtipula, conſumaturne ab igni, an ei reſiſtat, certe non eſt ſtipula quæ probatur. Quanquam autem probans & probandum, ſeu id quod probatur, correlate ſe habeant, alterumque alterius vim declaret, vt ſicut ſtibio probatur aurum, ita viciſſim aurum permanens & purgatum arguat, ſeu probet vim ſtibii: nemo tamen ſanus ſeruato eodem reſpectus ordine dixerit cum aurum per ſtibium probatur, ſtibium eſſe id quod probatur. Nam finis eſt aurum probum eſſe, & non ſtibium, tametſi hoc vna accidat. Sed relegetur iſta dementia ad Anticyras. Permittite mihi vos Paracelſiſtæ, vt quid ſentiam de veſtra factione dicam: Scheunemanus, Gramanus, Hartmannus, & ſimiles efficient, vt Societas de Roſea Cruce omnes Paracelſiſtas tanquam alui purgamenta abiiciat, & ad coruos ire iubeat. Hermetici quoque dogmatici non ferent in ſuo ordine vllum Paracelſiſtam. Hoc quaſi ex tripode ſacro vobis dictum habete.

Fatum Paracelſiſtarum.

Nota XXXVIII.

De Tarbaſo monſtro Baconis.

SCRIPSERAS de tuo Tarbaſone ſtibiali: *Hoc eſt illud monſtrum Baconis, &c.* Ego tibi reſcripſeram ex Bacone (pro Bacchone) non apparere illud monſtrum. Falſum enim eſt, quod eo nomine vtatur Baccho. Eſt enim Tholdenii additio ad Bacchonis verba, nec inuenitur in litera Bacchonica Tarbaſon: Quin nec Tholdenii eſt, ſed Typographi errantis. Quid ad hoc tua Bœotica, & arcadica ſubtilitas? Mendacio primum polluis veritatem. Tu monſtrum Bachonis vocabas Tarbaſon ſtibium. Ego contra nego ex Bachone id conſtare, vt qui mentionem nec Tarbaſi, nec monſtri faciat. Tu rurſus putas me negare Tarbaſon monſtrum eſſe, quaſi tuum figmentum recepiſſem, & id quod tu monſtrum vocabas, non eſſe monſtrum, aſſeruiſſem, cum ego id ſaltem ex Bachone non diſci ſcripſiſſem. Eſt enim tui impuri cerebri figmentum. Sed ſequor tuum ſenſum, & ſic argumentor: *Quod plane non eſt, id nec monſtrum eſt, niſi monſtroſa fictione hominis monſtroſi. Tarbaſon ſtibium plane non eſt. Ergo nec monſtrum eſt, niſi monſtroſa fictione monſtroſi Scheunemani.* Rideo ergo tuam amentem ſcriptionem hanc: *Ago tibi gratias pro ingenua confeſſione, nonne ergo ſola inuidia in Paracelſicos compulſus auſus es dicere, iſti ſuis monſtris delectantur*; parte I. Apocal. fol. 276. &c. Quaſi ſic argumentaieris, Libauius negat ſtibium Tarbaſon eſſe monſtrum. Ergo Paracelſici non delectantur ſuis monſtris. Erras Bœotice argumentator. Libauius non negat tuum Tarbaſon eſſe monſtrum, quod tu ipſe appellaueras; ſed tantum negat ex Rogerio id patere. Inuerto ergo argumentum: Tarbaſon eſt monſtrum. Scheuneman delectatur Tarbaſo. Ergo monſtro, & ex conſequente cum Scheuneman ſit Paracelſiſta ſimilis cæteris, vt cæteri, ita & ipſe, & vt ipſe ita cæteri delectantur ſuis monſtris. Propoſitio probatur, quia Tarbaſon neque in natura rerum quid eſt, neque in lingua ſapientum, ſed monſtroſus partus Scheunemanni, quem modo in hanc, modo in aliam formam finxit. Aſſumtio iam probata eſt pertinace iſtius monſtri defenſione. Imo & monſtroſe mentitur tum alibi ſæpe tum hic; quia quod nuſpiam eſt in Rogerii libro, id ei aſſcribit pertinaciter. Ita enim habet Epiſtolæ litera: *Solus Baco Tarbaſon introduxit:* (quod tuum eſt mendacium) *Gaudeamus igitur cum ipſo noſtris monſtris:* (Belle: Aſinis enim tales conueniunt lactucæ) *Miræ virtutis in podagra, lepra, epilepſia, catalepſi, hectica, febribus, & vitæ prolongatione, &c.* Ridiculum. Scio iſta eſſe tui gregis encomia. Sed ſi poteſt id præſtare ſtibium, vel vos Paracelſiſtæ legitimam præparationem ignoratis, vel vſum. Ratio eſt: Quia tu ipſe infra *ſcribis te laborare podagra, & promittis mihi mille florenos, ſi te queam ab ea immunem reddere.* Vtere tuo monſtroſo Tarbaſo, ſi veram laudem ei tribuiſti. Deinde cur Paracelſus, Crollius, & alii tam breuis ſunt vitæ, ſi Tarbaſon vim prolongandæ habet? Cur Gramanus vixit diu contractus, cur alii Epilepſia correpti ſunt, & ſic de cæteris Paracelſiſtis, qui ſi non in crucem aguntur, breuis tamen ſunt æui, etiam illi, qui vniuerſale aurum potabile catholicum Saturni, & alia immenſæ gloriæ ſibi tribuerunt, quorum pauciſſimi quinquageſimum ætatis annum attigerunt, pauciores ſexageſimum ſuperarunt. Non ita pridem viuente Iacobo Zuingero Scotus quidam auri tinctura plurima transmutationum ſpe-

Notate aſinum Paracelſicum ad lyram.

num ſpecimina fecit. Debuit autem auri tinctura eſſe longe excellentior ad omnes morbos profligandos, & vitam prorogandam tinctura Antimonii. At is mortuus eſt ante ſenectutem. Num vos Paracelſiſtæ putatis mundum veſtris mendaciis duci? Tale eſt & hoc tuum. Scripſeram: *Nihil habes in Rogerio firmamenti*, nempe *quia falſum eſt, quod Antimonium vocauerit Tarbaſon*. Quid tu? Pro tua impudentiſſima impudentia pergis aſſeuerare *Rogerium Larbaſon Plinij mutaſſe in Tarbaſon*: quod omnino falſum & fictum. Alloquendi hic mihi ſunt fratres de Roſea Cruce, & admonendi mei Hermetici dogmatici. Si ſtibium poteſt podagram ſanare, & alios morbos tartareos, & aſtrales, cur Scheuneman ille tumidus iactator pro ſananda mille florenos offert SVA PODAGRA? Si ex ſtibio & auro eſt medicina illa renouatoria, & vitæ longæ ad inſtar ætatis patrum ante diluuium effectiua, quid eſt, quod Crollius ſcribit Paracelſum vix attigiſſe terminum prædeſtinatum, & dato veneno occubuiſſe? An illa medicina vniuerſalis non poteſt venenum debellare? Quo modo vitam conſeruabit, cum Paracelſiſtarum ſententia in omni nutrimento, & quouis alio quod aſſumitur integre naturam venenum miſcuiſſe bono, quod Spagiria ſit ſeparandum? Vide Crollii pag. 97. 102. 103. &c. Quæ iſta ratio eſt, quod cum omnes iſti vitæ longæ promiſſores de vita ſeculari loquantur, tamen Crollius videns falſiſſimam eſſe promiſſionem, eam interpretetur de ſpirituali cum Chriſto vita, quæ non per tincturam antimonii vel auri conciliatur, ſed ſpirituali per fidem cum Chriſto vnione in ſacris ſcripturis? Vide pag. 103. Crollii. Itane mundum decipitis? Iſtane eſt Paracelſica veritas? Quæ eſt illa mors ex Iliado, & Ente? pag. 105. Quæ illa mirabilia χρησσύγετα, quæ ſequentibus pagellis fundit idem Paracelſiſta? Fratres Roſeæ Crucis meliora dabunt, & vanis promiſſis homines non ludent. Dogmatici non verbis, ſed rebus paſcentur.

Impudens mendacium Scheunemanni.

NOTA XXXIX.

De oleo Bachonis ex Antimonio.

NEGABAM Scheunemanno eſſe aliquid in Rogerio præſidii; non tantum quia Tarbaſon ignoret Rogerius, verum etiam quia non puluerem, ſeu Catharticum, ſeu Diaphoreticum per calcinationem cum halinitro, & ferri ſquamis proponat; ſed oleum, quod ex minera Antimonii ſelecta facit per contritionem, ſolutionem in aqua regis cautam (nam improuida operatione, & ſtibium, & argentum deſtruit) ablutionem, ſeu edulcorationem, putrefactionem cum aceto deſtillato in fimo, vel balneo, donec tingatur acetum rubedine: (Extractio tincturæ eſt per infuſionem, ſeu macerationem, & digeſtionem) tincturæ ſeparationem, & rectificationem, qua & exaltetur, attenueturque & dulcedinem propriam recipiat. Ex hoc fit oleum irreductile in primam naturam ad medicinam efficax, quanquam illa tinctura etiam poſſit adhiberi ad Solis ex Luna ſeparationem. Vt autem fiat oleum, iubet tincturam ſiccam ſpiritu vini rectificato perfundere, & in balneo ſoluere, atque ita tincturam exaltando eſſentialiorem reddere: Deinde ſpiritum vini ſeparare, iterumque quod cohobare vocant, affundere, donec volatica facta cum ſpiritu ex alembico exeat, & tandem purum oleum rubrum deſtillet, quod poſſit plumbi calcem in aurum vertere, & in morbis mira præſtare, poſtquam ſpiritus vini totus ſit ſegregatus, & oleum purum inſtar prunæ noctu lucens, relictum. Sed & ſpiritui iſti præclara in morbis aſcribuntur, &c. Hæc eſt praxis Rogerii. Quo modo autem eadem tinctura præparetur ad ſeparandum aurum ex argento, vt Rogerius loquitur, vel vt alii ad aurum in argentum inferendum, aliquot ſunt apud me modi etiam arcani. Hos publicare religio eſt. Monachus aliquid ſcripſit vt & Paracelſus. Scheunemanni puluis qui fit? Eſt is niueus, hydroticus factus ex Turbaſo ope nitri Bunici (pro halinitro) fumo potente, & ardore Martis irati. Quid, quæſo, huic calci commune cum oleo ſeu tinctura ſtibii Rogeriana? Scheunemanni ſubtilitas nihilominus in eo præſidium & autoritatem quærit. Quo modo vero? *Bona verba quæſo, Libaui*, inquit: *Tune Hermeticæ diſciplinæ decus ignoras, olea mineralium in puluerem conuerti poſſe?* Vis argumenti ſic eſt: Scheunemanni puluis hydroticus ex Tarbaſo habet autoritatem ab oleo Rogerii: quia olea mineralia poſſunt in pulueres verti. Vah acumen. Num ergo tuus puluis ex oleo factus eſt, aut Rogerii quoque oleum mutari in puluerem poteſt? Diſce Elenchos.

Oleum tincturæ ſtibii ſecundum Rogerium.

Ol. Carbunculi ſimile ex ſtibio.

NOTA XL.

De Tarbaſone & Nomenclatione.

LVSERAM hominem ſalſe. *Dixeram rectius dici Turbaſon, quam Tarbaſon, quia ſtibium vulgariter paratum tantas turbas excitat, vt à Collegio Medico Pariſienſi ſit prohibitum, & Quercitanus, Seuerinus, & alij nolint id commendare.* Lepidus Scheunemannus putat me montes parturientes ridiculum murem introducere: neque ego aduerſor. Nam quo tumore, & quam tumultuoſe hactenus egit pro ſuo Tarbaſo Scheunemannus? Dicas Pelion, Oſſan, & Olympum Centaurorum, gigantumque manibus eſſe congeſtos. At quid factum eſt? Num cœlum expugnauit iſte Typhœus? Minime: Sed ridiculum murem excoxit. Hoc per me fruatur ſuauiter, vt Paracelſiſtæ eſcas ſuis labris conuenientes habeant. Admonueram hominem in voce,

Nomencla-

Nomenclatio, h.e. nominis latio. *Nomenclatio*, quam ſcripſerat perperam, *Nominis Latio.* Hoc ipſi intolerabile. Itaque hæc deſpumat: *Proh Deum neſcis nominis lationem: Quis te excepto hoc nomine gaudet? Noua ergo erat nominis latio, ſeu allatio, quam ego nouitatem nominis non ipſam* ὀνομασίαν *ſeu nuncupationem ſuſpiceo. Rogo te Docte Libaui,* *Ad ferulam.* *pueriles iſtas animaduerſiones domi tuæ reſerua, ſi vis pro viro docto* REVERERI. *Medici Chymici rebus ipſis, &* *Ad Virgam.* *grauioribus negotiis intenti Paronomaſiam & Syncopen tuam non magnifaciunt, quæ forſan tibi Syncopen pariunt, & omnem ſapientiam è cerebro tuo elidunt.* Hæc ille Philoſophiæ & vtriuſque medicinæ Doctor ampulloſus, cui non eſt curæ de verbis, quanquam de nulla re in ſuis ad me chartis magis agat, quam de verbis, velitque haberi acutus Cabaliſta elementarius. Ego reſpondeo: *Nominis lationem neſcio. Neque enim ego tuli nomen* cum ex alluſione Turbaſon pro Tarbaſon finxi. Latinum etiam ſit, an barbarum, ferre nomen, pro alludere ad nomen propter ſimilitudinem ſoni viderint latinitatis conſcii. Me dicit gaudere fictione illa Turbaſi. Errat. Luſi pro tempore, idque per Ironiam quandam ex contrario ſenſu. Sed nec attuli nouum nomen. Tuum monſtrum perinde ſonare oſtendi. Suſpice ergo (mira latinitas ſuſpiceo pro ſuſpicio, vel ſuſpicor) vel deſpice, te malum Grammati- *Par moneta.* cum videbis. Sed imitabor tuam ſapientiam: Rogo te, Docte Scheunemane, puerilia iſta errata, ne miſeris ad viros doctos, ſed domi tuæ in culinis, & furnis inter carbones ad tuos caculas vſurpa, ſi vis pro docto viro haberi. Neque enim literatus, nedum doctus eſt is, qui cum in Academia, omnium bonarum literarum quaſi Emporio, enutritus ſit, & eruditionis inſigne retulerit, poſtea puerilibus in Grammaticam erratis, & ſeipſum dedecorat, & literatorum de ſe exiſtimationem perdit, & Academiæ, à qua ornatus eſt maculam, quantum in ipſo eſt inurit. Medici Chymici quidem cum medentur, vel laboribus artis vacant, etiam tacentes poſſunt ſuo fungi munere: at cum loquendum eſt cum doctis, aut ſcribendum, correcta lingua ſenſa mentis fideliter debet interpretari. Multo magis emendate dicendum eſt, cum in certamen vocabularium deſcenderis, & tui Tarbaſi etymologiam reddere, & defendere tanto cum conatu, quanto mecum egiſti, ſtudes. Quid dicam de Cabala, in qua erratum paruum totum myſterium corrumpit? Si perrexeris Priſcianum verberare, Scholaſtici & te, & tuum ſermonem ne flocci quidem facient, tuque omnium ſcholarum fabula, & iocus fies, vnde tibi Syncope longe grauior erit, quam tuum Tarbaſon poſſit excitare fumo Martiali, atque adeo omnem ſapientiam & ſenſum ex cerebro, cordeque tuo exturbabit. Ego ſexcentas medicorum epiſtolas habeo, omnes erudite & grammatice ſcriptas, vides etiam medicorum eſſe bonas literas ſcire, & propagare poſſe. Si tibi proponerem Fernelii, Syluii, Camerarii, Fuchſii, & cæterorum diſertiſſima, correctiſſimaque monumenta innumera, quid tunc diceres? Vocas me ludimagiſtrum. Non pœnitet talem fuiſſe. Eſt enim magna apud Deum gloria, ſtellarum fulgore digna, multos erudiiſſe in ludo veritatis. Si me agnoſcis eum, quem vocas, cur furis, & ægre fers me opus ludimagiſtri facere?

NOTA XLI.

De errore in tertio puluiſculo de citrinis vaccis.

RES hæc eſt: Magdeburgi impreſſæ chartæ habebant verum, diureticum, aſtrale & fixum eſſe volaticam halcyonem à citrinis vaccis, iunior Cribrit, dictis, bene deplumatam, intus & foris bene aſſatam, &c. Conieceram id intelligi, quod ſcripſi in meo Syntagmate. Tu me reprehendis. Ego culpam in te reiicio. Tua enim obſcura dictio, & mala ſcriptura me decepit. Reſcribis hæc: *Denique te celare nolo, quamprimum curationem iſtam, de qua nobis hic ſermo, in chartam conieceram, ab amico quodam meo fuiſſe* SVBREPTAM, *& me inſcio typis promulgatam, prodiit ita abſque recognitione multis mendis, quæ cauſa fuit, vt adiectis pauculis ſecundo imprimi curarem, quamuis nec tunc abſque erratis typographicis lucem aſpexerit, tibi forſan exemplar plane incorrectum obtigit, quare alteram editionem tibi nunc mitto. Quod igitur aſtrales tuas cogitationes perdidiſti, mea culpa factum non eſt. Cur ergo pœnam ſuſtineam? &c.*

Quam tu pœnam ſuſtineas neſcio. Ego nullas tibi ob id inflixi, ſed culpam aberrationis meæ in obſcuritatem, & prauitatem tuæ ſcriptionis transtuli, quam tu iam in amicum ſurreptorem, & typographi incuriam coniicis. Verum ſit, necne quod de ſurreptione ſcribis, non curo. Dedicatio tua videtur aliud præ ſe ferre. Nam informationem conſulto dicis Germanicis verbis à te inſtitutam, &c. Idem arguit inſcriptio: Et quod datum vocant, exprimit tempus *16.* Septemb. an. *1611.* Suntque cætera quoq; argumentum non ſurreptionis furtiuæ, ſed deſtinationis voluntariæ. Conuictus autem hic es, tuas ſcriptiunculas non fuiſſe adeo dilucidas, vt non opus fuerit coniectura. Cribtit ſulphur eſſe noueram. Sed citrinas vaccas non intelligebam. Putabam inſuper te aliquid eximium, & myſticum proponere, & nō id quod barbitonſoribus & culinariis famulis eſt notum. Quoniam autem dicis te paucula adieciſſe, & menda quædam ſuſtuliſſe; videndum eſt num ſapientius quid edideris. Facta eſt collatio; non omnia ad viuum reſecantur: ſententiam in rebus eandem propoſuiſti exceptis paucis, quæ tamen parui ſunt momenti, vt: Cum pro errore turpi poſuiſti noxium; Vniuerſitatem Friburgicam Archiuniuerſitatem appellaſti: pro: Dum hæc non facio: poſuiſti, dum hoc intelligenter non facio: pro iam (allbereit) plane intelligenter (gantz verſtändlich) pro neidiſch / mißgünſtig / quod idem eſt: inuidus, maleuolus: pro berümtes particular, bewertes (pro celebri probatum) in probando particulari ignem proponis, tanquam veram fornaculam docimaſticam, vbi fixa examinentur, & addis facto, vere, oculariter, cui nullus intelligens poſſit contradicere: ſitum contrahent pilulæ; omiſiſti, fœtebunt & putreſcent: pro ſtercore poſuiſti cinerem inutilem. Viperas dicis te parare non poſſe defectu loci commodi. Mutaſti, de-

fectu ea-

fectu earum hoc in loco (viperas in tuo ſinu inueniſſes, vel te ipſum, qui es Aſcanienſibus vipera in ſinu, coxiſſes) In peſtis generatione dixeras de aſtralibus & mercurialibus radiis: pro mercurialibus poſuiſti venenatos; & mox adieciſti: Arſenicalis & mercurialis ſal in excrementis & nutrimentis iacens: In cura peſtis aſtralis cordi adiunxiſti arterias. Citrinas ſeu flauas vaccas mutaſti in calonem flauum, & ſic ſulphur, quo in culinis vtuntur, vocaſti. Somnum alias generaliter prohibes; in reformata charta, præſertim cum ſudat ægrotus. Hæc ſunt illa, quæ mutaſti. Inuectiua in Galenum, Galenicos canones, compoſitiones, momum, incarnatum diabolum, medicum ſcilicet Galenicum, & alia longe iuſtius mutanda reliquiſti. Nihil ergo factus es in re ſapientior, vt mirer qui perſuaſeris Andreæ Betzeln Magdeburgico typographo, vt eodem anno recuderet, quæ Joachim Boel menſibus vltimis (Data enim Epiſtola eſt in Septembri) in eadem vrbe excudit prior. Non ſolet Typographus Typographum in eadem vrbe ſic fallere. Sed tua ſine priuilegiis euolant. Si meum Syntagma me viuo recuſum fuerit, faxim vt intelligas vaccas citrinas eſſe correctas, & tu orneris ex virtutibus. Hactenus in Eriſticis ludauimus, & quiſquilias ſcholaſticas euerrimus. Nunc paulo χυμικώτερον videamus.

NOTA XLII.

De præparatione & fixione halinitri per ſulphur.

HALINITRVM, quia magnum vſum habet in Chymia, & præter cæteros etiam in medicina, natura monſtrante magnam vim medicam per aquas nitroſas, & veterum experientia de nitro nos multum adiuuante, (quanquam enim non plane idem ſint nitrum priſcorum, & halinitrum noſtrum, tamen nec toto genere diſcrepant, compertumque eſt non eſſe bono & perito vſu venenum, vti quibuſdam videbatur halinitrum) quæſitæ ſunt præparationes variæ, quibus præſertim rei medicæ poſſet commode inſeruire. Eſt Paracelſicum paradoxum in omni compoſito naturali malum bono coniunctum eſſe, atq; ideo ſeruato bono malum ſegregandum. Suſpectum fuit nimium frigus, & aliena humiditas in halinitro, ne quid dicam de aliis, quæ in apparatu officinarum nitrariarum ex variis, quæ aſſumuntur, accedere poſſunt, & de artificum negligentia in depurando, &c. Humidos ergo ſpiritus cum comite frigore Chymici nonnulli diuaporatione, deſtillatione, aut aſſatione ſuſtulerunt, & deinde fixam partem ſolutionibus, filtrationibus & coagulationibus, ad quæ etiam certa menſura accommodarunt, quam puriſſimam, ita vt ad aſtrales eſſentias accederet, reddiderunt. Alii veterum crematura in nitro per ſulphur conſpecta, hanc ſunt ſecuti, neque tamen omnes vno modo. Placuit artificium chirurgis & medicis cæteris, adeo vt etiam ad vulgi notitiam peruenerit, & vix ſit aliqua officina, balneator, barbitonſor, muliercula quoque ſapidior & agyrta quin iactet eius ſcientiam. Lapidem Bruni populares appellant: prunellam mineralem Paracelſiſtæ, quod anguinis in cauſo Vngarico, & ſimilibus febribus ardentibus magno ſit adiumento, neque paruum vſum habeat etiam in aliis ſeu morbis, ſeu affectionibus.

Certarunt inter ſe eruditi præparationum induſtria. Thomas Iordanus de peſtis phænomenis tract. 3. ita ſcribit: Cape nitri (halinitri) puri albiſſimi quantum voles: Pila munda in tenuem puluerem comminuito. Aſſit ſartago ænea fundi craſſiſſimi. Hanc prunis impone donec incanduerit tota. Iniice nitri triti manipulum. Illico liquatur aquæ limpidiſſimæ inſtar, & dum ita bullit, iniice ſulphuris puri, & triti quantum pollice, indiceque iunctis comprehendere poteris. Elicies flammam cærulei coloris, quæ vbi euanuerit, & iterum bullire nitrum videris, repete ſulphuris adiectionem, & hoc tertium reiterato. Demum pilæ mundæ, aut naſi figulino pedetentim infundito, exurgent albi trochiſci ceu rotulæ coagulati. Hos denuo terito in puluerem tenuiſſimum. Vſus: Conſeruæ roſ. cochleari pulueris addito triplum eius quantum ſalis ouo ſaliendo adhibetur. Præbetur ægro æſtu propemodum enecto quoties voluerit, aut occaſio etiam inuito offerendi ſe obtulerit. Hæc Iordanus. Sane in cauſis colliquantibus etiam imparatum ea arte halinitrum ex nitraria putum, & probatum modo Eikeriano datur ex aqua Aizoi maioris, aut etiam fontana, ſicut & in magna ſiti ſeu hydropicorum, ſeu febricitantium, modo ne quid nimis. Felix Wurtzen in ſua Chirurgia propoſuit eum modum, quem ego ante in meis Collectaneis habebam, nec eſt improbandæ ſolertiæ. Reddam latinis: Ita inquit in tract. de cura vulnerum, cap. 23. pag. 201. Præparatio ſalis petræ nihil aliud ſpectat, quam vt humiditate noxia priuetur, & alia meliore donetur, vt non modo ſine damno, ſed & multo cum fructu poſſit vſurpari. Habet enim ſuauem odorem, ſitim ſedat, extinguit ardorem & incendium, vrinam propellit, aliaſque plures vires non omnibus cognitas obtinet. Præpara ipſum ſequente modo: Optime purificati halinitri duas vncias in catinum mitte: pone in ignem circularem donec colliquerit. *Modus chirurgicus probatior.*

Tunc iniice parum purificati citrini ſulphuris: (de floribus accipe) quod cum deflagrauerit, immitte aliud donec duæ drachmæ ſulphuris ſint combuſtæ. Inde halinitrum adeo purum ſit, vt fundum catini per id videre poſſis.

Extractum ex igni effunde ſuper marmor læue, vel vitrum planum mundum (imo peluim orichalceam ſiccam) ſineque refrigeſcere. Contere in exactum læuorem, iniectumque in manicam laneam perfunde aqua roſacea, vt fiat lixiuium purum: (ſolue roſacea & filtra ad purum) Coque in vitro, vel olla vitrata ſuper prunis ad medias. Fiant Cryſtalli.

His collectis diluti reliquum denuo ad medias decoque. Conſiſtant & hic lapilli, quos

Secretum in hæmorrhagiis.

Beguini proceſſus.

quos prioribus adde, atque ita donec totum coagulauerit. Lapillos exiccatos contritosque ſerua in vitro in loco ſicco, ne aer intret humidus. Hæc Chirurgus, qui alio in loco ſecretum quoddam iſchæmum deſcribit. Vt enim compeſcatur hęmorrhagia feruentis ſanguinis, iubet drachmam vel circiter ſoluere aqua aliqua eiuſdem virtutis (vt Equiſeti, Cerefolii, Sanguiſorbæ, Plantaginis, Geraerii, Burſæp. Semperuiuii, &c.) & præbere potandam; fore vt miraculo ſiſtatur fluxus. Audiuimus medicum & chirurgum. Audiamus & Chymicum Beguinum. Calcinatio ſalis petræ, ſiue cryſtallum minerale, aut lapis prunellæ. Sal petræ venalitius ſoluitur aqua communi, & per chartam emporeticam traiicitur, quo à ſordibus omnibus expurgetur. Deinde vaſe vitreo decoquitur, & crebro deſpumatur, antequam coaguletur. Exiccatus teritur, & tigillo mundo imponitur, vt inter prunas accenſas liquefieri poſſit. Liquati libræ vni iniicitur florum ſulphuris vncia, non quidem ſimul vna vice, ſed pluribus, donec omnis pinguedo deflagrauerit. Hæc ſalis ſolutio, filtratio, decoctio, deſpumatio, coagulatio, liquatio, & deflagratio ſi ter continuentur (ſeu repetantur) ad medicinæ vſum ſufficienter præparatus eſt. Sal iſte drachmæ dimidiæ pondere in aqua Roſ. vel Endiu. reſolutus, ſummum eſt in prunella (ita Paracelſus Anginam vocat, & ariditatem linguæ ex ardore. Vult enim morbos remediorum propriorum vocabulis appellari debere) arcanum. Lege & reliqua. Problema ſtudioſis rerum naturalium hic proponendum eſt, nimirum quo argumento probabili quis perſuaderi poſſit præparationem per ſulphur eſſe rationalem. Contrarium enim eſt probabilius. Ratio eſt: Chymicus ſpectat eſſentiam ex halinitro eo vſque fixam, vt in igni fluat ſine fumo. Sulphur toties incenſum ſupra halinitrum diſſipat eſſentiam; non figit; relinquit autem corpus terreum, quod non ſapit halinitrum, ſed ſalem vulgarem. Quidam putant acidos ſpiritus ſulphutis combibi à nitro; ſed deſtituuntur argumento. Ii enim exhalant, & aſcendunt combuſtione aperta, non deſcendunt. Alii ſentiunt humiditatem noſtram tolli, & aliam vtilem inferri. Sed ſi hoc quærimus, non opus eſt ſulphuris remedio. Deſtilletur artificioſe per alembicum aqua; & remanebit in fundo halinitrum probum, quod tamen ante deſtillationem debet ſumme purgatum eſſe, iuxta modum vitrioli apud Crollium, vel Erkerum. Si id diſplicet, primum purga: Deinde ſolue aqua ſtillatitia Guaiaci, vel prunellæ, aut alia competente. Coagula per diuaporationem ad ſiccum. Solue iterum; filtra, coagula, idque donec ſubtiliſſimam eſſentiam habeas, quæ nullas feces reddat. Vltimo coagula de more per conglatiationem. Reficcatos cryſtallos ſerua. Dices ideo addi ſulphur, vt frigus dometur: Imo inquam vt altera pars eſſentiæ & virtus contra febres tollatur. Scheuneman omnium vult eſſe acutiſſimus. Opinatur humiditatem auferendam eſſe. Id vt commode fiat per ignem, ſulphur addi quo halinitrum, quod alias exiliret, in igni retineatur. Sed nemo ſtolidius quid dixit. De hoc autem infra. Alii pinguedinem ſic tolli cupiunt. Sed hæc poteſt auferri ſimplici aſſatione, & inflammatione per ſe. Ponam infra plures modos. Qui ingenioſus eſt, obſeruato ſcopo plures excogitare poteſt. Aliquando miſcetur ſulphur. Miſtura in ollam in latus ſtratam imponitur, & ferro candente accenditur ſæpius donec pure fluat. Nonnunquam catino ſeu ollæ lati fundi halinitrum iniicitur. Sulphur inſternitur more cementorum. Inceditur filo ferreo candente, vel pruna, vel charta ſulphurata, aut ſimilibus. Inde flagrante ſulphure remiſcetur totum, cumque deflagrauit, candefacta ferrea ſpatha aut ſimili inſtrumento denuo incenditur. Crollius vult inimicitiam ſeu antipathian eſſe inter halinitrum & ſulphur: nec latet ratio. Nam cal. ſicc. & frig. hum. aduerſantur ſibi. Ideo Quercetanus id compoſitum eſſe ſcripſit ex mercurio frigido hum. & ſulph. calido ſicco, vt ſit quædam concors diſcordia inter vtrumque. Cum ignis reſolutorius admouetur diſcordia in actum erumpit, & fulminationes, ſtrepituſq; excitat. Sed vt hæc ſpectatem præſens ſæpiſſime verſatus ſum in opere halinitri, non tantum cum antimonium funderem, calcinarem, vitrificarem, &c. Item metallicas venas, & metalla examinarem, verum etiam cum crocum illum Quercetani, & Rulandi cum ſale prunellæ facerem. Quod halinitrum adhibitum eſt ad ſtibium calcinandum, aut in vitrum epaticum mutandum, id mihi videtur catharticum euadere. Quanquam enim & per ſe purgat: tamen etiam aliquid trahit à ſtibio. Reſolui id & coagulaui denuo. Recipit humiditatem perditam, & valde purum, & eſſentiale euadit. Cum ſulphure vero aliquoties ſequentia experimenta ſpectaui, vt totam eius naturam, quantum fieri poſſet, exploratam haberem. Ad dimidium impletus halinitro ex nitrariis, & tabernis catinus impoſitus mediis prunis eſt. Concalefacto incepit à lateribus diffluere, ſtrepere, & aliquantulum gliſcere, flammamq; capere. Neque enim è vaſe exilit, eſtque res ſine omni periculo. Iniecto puluere ſulphuris citrini flamma ſulphurea ex citrino cærulea, & aliqua etiam punicea è veſtigio emicat. Surgunt fumi ſpiritusque mordaces, quales etiam cum ſpiritus ſulphuris fit ſub campana. Halinitrum inſinuante ſe, & penitus immergente ſulphure liquefacto totum in igneum liquorem abit, atque vna deflagrat. Conſumta pingudine ſal in fluxu conſiſtit, nec inflammatur amplius, ni nouum ſulphur immittas. Feci id modo ſemel tantum, modo bis, aut ter.

Id notatum eſt, quod etiam prima vice ſatis poſſit deputari, & corrigi, ſique repetas, interdum & impurius euadat, adeoque ſalſum, vt à populari ſale acri nihil diſtet. Quis enim non videat vſtionem crebriorem non attenuare, & eſſentialius reddi ſalem petræum, ſed potius arcanam ſui vim, & ſpiritualem, ſeu aſtralem magis, magiſque perdere? Officinales in parua mortaria orichalcea effundunt, & placentulas faciunt. Hæc quidem ita ſeruantur pro vſu, ſed conſultius eſt, vt puritas iudicari poſſit effundere in peluim orichalceam terſam, & ſiccam. Ita fiunt tabellæ tranſparentes. Opus eſt mulierum, & labor puerorum. Nos cum videmus in igni puro fluxu ſtare, ſatis eſſe iudicamus. Siue tabellæ factæ ſint, ſiue paſtilli, ſoluantur aqua prunellæ vegetabilis, aut Telephii, aut Semperuiuii, Roſacea, ſcabioſæ, vel ſimili non vulgari modo deſtillatis, ſed ſpirituali.

Filtratum

Filtratum coagulatur per congelationem, & modice aſſetur. Aliter: Catinum per ſe inter prunas candefeci. Iniectum halinitrum per cochleare liqueſcebat initio facto à lateribus. Immiſi ſtylum ferreum candefactum & remiſcui. Gliſcebat. Mox ſulphure impoſito deflagrabat. Dum hoc fieret crudum halinitrum ſubmiſi. Flamma extincta eſt. Experiundi cauſa prunam viuam paruam impoſui. Ecce tibi tonitrua, excuſſiones & fulmina, quæ non ceſſabant donec pruna retraheretur. Cauſam non aliam inueni, niſi quod ſpirituum in pruna exitus obſtruerentur occupante poros, & ſe ingerente liquore halinitri. Itaque etiam expuebantur micæ, & grana ſalis, ſicut ſolet riſus Vulcanius lignorum piceorum, pineorum, aut abiegnorũ ambuſtas partes excutere, & vt ſpiritus feruentium metallorum illapſa aqua ex fornacibus & catinis ipſa metalla & omnia obſtantia excutiunt. Sine pruna nullus fit ſtrepitus. Cum exemiſſem prunam, ſulphur nouum iniectum flammam præbuit vt prius. Aliter: Miſturam halinitri & ſulphuris ſimul impoſui in catinum. Statim (erat autem catinus feruefactus) detonuit. Aliter: Miſturam catino frigido iniectam admoui prunis. Non corripuit flammam; Sed ſufflandum fuit. Cum itaque tarde liqueſceret, ferrum ignitum inſerebam, & incendebatur modeſte. Ita poteſt fieri lapis prunellæ ſine prunis in menſa lapidea, vel regulis. Imo & in aqua frigida ſtante catino. Ferro enim candente incenſum ſulphur flagrat. Hoc modo Quercetanus crocum ſuum præparauit, vt infra dicetur. Modus alius. In fundo ſit ſtratum ſulphuris: In medio halinitrum; in ſummo iterum ſulphur. Hoc incende carbone viuo (modo nõ attingat halinitrum) vel candela cerea, vel facula alia ex tæda charta, &c. Poſtea immitte ferrum candens, & ſubige materiam, vt & ſulphur in fundo flagret. Neque hic opus eſt igne externo prunarum. Aliter: Fac ignem circularem eumque per gradus catino materiam continenti, ſiue miſtã, ſiue ſimplicem, admoue. Si tantum halinitrum habet, paulatim admotis prunis fluat, & tunc immitte ſulphur Si non ardet ex ſententia, ſtylum candentem impone, & moue. Si miſturam vtriuſque inieciſti pro libitu incẽde deſuper, aut expecta donec per ſe flagret. Ingenioſi excogitare poſſunt plura. Neque enim ars ſic eſt in anguſtum compulſa vt nequeat ſe explicare, & idem pluribus modis facere. Si quis velit, is poterit tincturas adiicere, vt ex auri calce ſolubili auream, ex corallis coralliuam, ex gemmis gemmeam, & ſic de cæteris. Calces quoque metallorum & aliorum ſolubiles, quos ſales ſolent appellare, apte miſcueris, ſi ratione & experientia fueris vſus. E vegetabilibus eſt tinctura roſæ rubræ, fl. Tunicis rubentium, ſantali rubei, croci, violarum, &c. quæ ſolutæ aquis certis committantur puriſſimo ſali prunellæ puluerato, ita vt vna coaleſcant inter conglaciandum plane eo modo quo ſachatum cryſtallinum ſolet tingi.

Nota XLIII.

Declaratio proceſſus cuiuſdam popularis in 2. Syntag. & reprehenſio Scheunemanni.

DE populari præparatione lapidis Bruni pag. 292. Syntag. 2. ſic ſcripſi: Capiunt ſalem Petræum in tabernis obuium. Mittunt in ollam, peluim, vel lebetem fictilem. Liquato ſuper prunis iniiciunt portiones ſulphuris citrini vſualis. Poſtea iniecta pruna, vel ferro ignito immiſſo, vel etiam charta flagrante incendunt ſulphur, vnde & ſal petræ efferueſcit, & deflagrat. Cum conſumta eſt flamma, & liquor videtur eſſe purus, effunditur in patinam, ibique concreſcere ſinitur. Hæc eſt popularis confectio, &c. Qui in arte chymica verſati ſunt, præparationem iſtam facile agnoſcunt adulterinam eſſe. Vt ergo à diſcipulis quoque (Scribo enim non magnis & exercitatis magiſtris, ſed Tyronibus) iudicetur, propono modos artificum veterum, & recentium, pag. 296. in notis addo alium modum vulgarem correctiorem. Quæris cur ergo illum non reieciſti aperte? Reſpondeo: Artis modi in hoc variant: Deinde cõſuetum eſt in talibus nonnihil difficultatis obiicere, ne quiuis temere irrumpat. Filiis doctrinæ declaro modum, & emendationem monſtro. Sunt liquationis gradus. Si feruet liquor halinitri, per ſe inceditur iniectum ſulphur. Sin minus, imo & cum incipit ſaltem liqueſcere, remouere ab igni catinum potes, & ferrum candens immittere in ſulphur inſperſum, aut alio modo flammam intendere. Ardet interdum hoc modo parum. Itaque adiuuatur ferramento, eſtque res facilis probatu. Non reieci hoc ideo, quia & ſine prunis poteſt fieri: Imo quo minor vis flammæ adhibetur, eo magis ſaluatur eſſentia halinitri. Si in feruefactum immittas ſulphur, & ter deflagrare ſinas, non laudo medicamentum, quia nimis diſſipatur halinitri aſtralis proprietas, & pene terrenus ſal relinquitur, hoc eſt, bono corrupto malum & damnatum manet, præſertim ſi impurum & terreſtre fuit halinitrum. At pruna quorſum? Notum eſt quam ſæuiat halinitrum iniecta pruna? Reſp. Nolui detrahere ſiue artis potentiæ, ſiue conſilio præcipientis. Si ſtratificaueris ſulphur & halinitrum, locus eſt & tædæ & prunæ quæ tamen tempeſtiue eſt retrahenda. Si non, non tantum inutilis eſt, ſed & niſi prouideas damnoſa. Neque enim ipſi & halinitro conuenit. Vnde & pyrius puluis adeo inſanit, ſi accendatur in loco concluſo. Quod ſi modum iſtum incenſionis comparaueris cum artificum præparationibus, aut compendioſiore officinarum, intelligas non opus eſſe inſtrumentis illis ſicubi ſal petræ prius efferbuerit, poſſe tamen aliis modis adhiberi. Hæc pro declaratione ſint paucis dicta. Videamꝰ quid MOMVS noſter Scheunemanus reprehendat. Verba epiſtolæ: *Non te pœnitebit huius ſpeculationis* (de vaccis citrinis, culinario Cribit, &c.) *Proderit hac olim. Non enim vulgari ratiocinatione de his myſteriis dicendum eſt, ſicut tu tecum*

Momi Scheunemani reprehenſio.

H *ratioci-*

ratiocinatus es. Si ſulphur flagrare debet, & Halonitri humiditatem abſumere, incenſione opus eſt. Ergo charta ardente, vel viua pruna, vel ferro ignito accendi debet. Mala hæc eſt illatio. Aſtrali diſcurſu hic eſt opus. Quæ te vetula, barbitonſor vel pharmacopœus hanc halnitri præparationem docuit, egregie te decepit. Et ſi tyro ad tuum præſcriptum præparare vellet Nitrum in magnum vitæ diſcrimen incurreret, oleum & operam perderet, non opus eſt pruna viua, vel candente ferro, vel charta flagrante, ſi talia ignita admouerentur halonitrum incenderetur, & in auram magno fragore auolaret. Eſt hoc è ſecretis chymicis, quod halonitrum liquefactum ſulphur accendat, idque à flamma præcuſtodit in medio flamma, tum alioquin ſubito flammam, ſi ignis ei vel res ignita ad tactum admoueatur concipiat. Quamobrem inique reprehendis Penotum, quaſi incertum ſit an voluerit vt maneret ſulphur an incenſum deflagraret. Natura hoc non permittit vt maneat, ſed dicto citius ſulphur ſupra liquefactum nitrum proiectum ſponte accenditur. Fruſtra mandaſſet Quercetanus incenſionem cum non opus erat, ideo eam non occultauit, citius enim accenditur quam tu chartam ardentem admouere poſſis. Pueri tuam deſcriptionem in officina rident, quem ego hic teneo cognoſcens neminem adhuc extitiſſe cuius eruditio nullo inſcitia confinio læderetur. Hactenus de hoc proceſſu Momus. Qui alterum reprehendere vult, cauere debet vt in eadem re ſit immunis à reprehenſione. Non ſumam operam longam in reſpondendo, ſed flagitia cenſoris paucis notabo.

1. Amica admonitio locum inueniſſet: rabioſa inuectio diabolica eſt. 2. Qui de rebus diſputare vult, ſi dictionis & diſtinctionum eſt imperitus & rudis, vt hoc in loco Scheunemanus, nõ eſt dignus vt audiatur, ſed ferulis eſt committendus ſi id facit eo animo & modo quo Momus meus. 3. Fingit refutationem proceſſus à me nomine populi propoſiti fiducia vnius tantum ſibi noti modi, quaſi chymia ſit palma, & nulla alia ratio quam ea quam ipſe præ ruditate fingit. 4. Nõ cogitat implicite an explicite formula ſit propoſita. 5. Perſuaſum falſo habet ſuas vaccas citrinas, & puerum Criptit mihi prodeſſe poſſe. At ego iſtas in malam rem mitto. 6. Affingit mihi ratiocinationem vulgarem, cum nihil ratiocinatus fuerim, quod & ipſe paulo poſt fatetur dum proceſſus formula dictata me egregie deceptum ſcribit. 7. De myſterio illo loquitur quod eſt lippis & tonſoribus notum. 8. Enthymema futile & ſtolidum cõminiſcitur, & mendacio impuro mihi attribuit. Si voluiſſem ratiocinari, neque connexione illa, neque conſequente vſus fuiſſem. Manifeſtum enim eſt non fieri ſufficientem enumerationem. Ad ſubſellia logica Momeades, & diſce ſic argumentari: Si ſulphur in confectione lapidis bruni flagrare debet, vt halinitri noxiã humiditatem conſumat, & frigus moderetur, opus eſt incenſione, ſiquidem aſſumitur puluis ſimplex. (Nam & includi chartæ poteſt, & antequam iniiciatur incendi.) Ergo aut intus in catino vi feruentis halinitri incendi debet, aut ſi halinitrum ſit extra ignem, vel non ferueat, alieno ſeu externo feruore. Hic multipliciter poteſt adhiberi vt tæda, pruna, ferro ignito, candela, vel aliis modis à latere extra ignem, vel in igni modico circulari deſuper, idque adhibitione cauta. Quid ſi prunam iniicias & cum fulminat operculo admoto ſuffoces? Nolo præſcribere ingeniorum fœcunditati. Puer in pædagogio ſimplicius ratiocinaretur: Si flagrare ſuper halinitro debet ſulphur, eſt incendendum. Illud eſt; Et hoc ergo. Si incendendum, vel ex vtriuſque commiſſi actione & paſſione, vt fit cum metalla aquis fortibus & regiis ſoluuntur; aut actuali feruore inflammatorio. Illud non: Hoc ergo. Si hoc, aut intus erit ignis, aut foris admouendus ſupra, infra, ad latus, &c.

9. Malam illationem recte pronũciat: Ea vero eſt Scheunemani, non mea. Itaque flagitioſe mihi aſſignat ſuam ſtultitiam & malitiam. 10. Aſtrali diſcurſu opus eſſe ad eam rem ridicule ait, cum in peſtilente libello ſuum proceſſum tribuerit Caculæ culinario per ſulphur culinarium deſignato. Is caminorum & carbonum diſcurſus ſciuerit, at non aſtrales. Eſt autem ſuperbiæ Paracelſicæ & inſolentiæ aſtrale vocare quicquid nebulo circumforaneus quoque ex ipſorum fece crepat. 11. Vetulas & barbitonſores me decepiſſe falſum eſt. Oppoſitis enim liquidioribus literam iſtius proceſſus redargui & correxi. Si etiam me deceperunt, cur mihi aſcribis ratiocinationem operis? Ea eſt inuenientis, non ex aliena fide pendentis. 12. Falſum eſt tyronem ſic operantem incurſurum diſcrimen vitæ Si prunam iniiceret, furorem operculo coerceret. Sin autem alia via procederet, adhuc minus periclitaretur. Quod ſi etiam aliqua læderetur, diſceret ſapere, nec oleum perderet. 13. Falſum item quod id præſcriptum ſit meum, aut velim quempiam in operando ſic procedere. Non ſcripſi ſyntagma per modum rhapſodiæ nudæ; ſed declarationes & interpretationes, vbi potui adieci. 14. Non opus eſſe pruna & cæteris, in vno modo verum eſt, at non in omni. Imperitus ille Momus vltra vnum catinum non ſapit, & putat ſuam imperitiam eſſe menſuram totius chymiæ. 15. Magnum eſt mendacium, & mira inſcitia quod ſcribit ſi halinitrum ignita re admota incenderetur, fore vt in auram magno cum fragore auolaret. De puluere pyrio cogitauit furcifer, aut ſi vere de nitro, apparet quam rarus hoſpes ſit in huius naturæ exploratione; Et tamen confidit ſe poſſe Doctores docere. Temeritatis, & inſcitiæ hoc magnum eſt argumentum. 16. Ridiculum ſecretum chymicum fingit, quaſi halinitrum ex igni fugeret, niſi retineretur per ſulphur. Quis eſt iſte Dictator qui hoc egregium myſterium protulit? Imo halinitrum per ſe gradatim toſtum ſpiritibus importunis dimiſſis tam placide in igni moratur quam ſal fuſilis. Itaque & ante ſulphur puro liquore fluens in catino conſiſtit. Cum ſulphur immittitur, inflammatur, & halat non parum, donec aliena flamma deſinat, vti fit etiam iniecta pruna.

17. Sulphur, inquis, præcuſtodit halinitrum à flamma, ô te impurum mendacem, & imperitiſſimum omnium, ſtolidiſſimumque iudicem. Halinitrum tunc totum igneſcit cum ſulphur non tantum ſuper ipſo ardet, ſed & omnia eius membra peruadit. Vtrumque ebullit ſimul, & flammam effundit, Si paulo plus ſulphuris iniicias, emicat flamma magna, eaque non cærulea vt prius,

Vt prius, ſed nitroſo purior cum aliqua rubedine ex ſulphurea tinctura, & fumo magno, ſpiritibusque ſulphureis, quos etiam campana, aut operculo, vel alembico excipere poſſis. Nō ergo à flamma cuſtoditur à ſulphure nitrum, ſed inflammatur tanto vehementius, quanto plus eſt ſulphuris. Si vis flammam extinguere, immitte halonitrum crudum. An vero ſal petræ ſulphur defendit? Minime. Totum enim comburitur, & ſi citius extinguitur, pingue, & impurum manet halinitrum. Cum crocus metallorum conficitur, ſtibii epar locum reguli occupat, ſal petræ innatat tanquam ſpuma, ſeu ſcoria, quam Plachmahl vocant artifices. Non autem tunc paruus ignis adhibetur. Si cuſtodiendum foret halinitrum per ſulphur, addi hoc deberet. Cum in opere iſto eſſem, quoties ſulphur immittebam, toties flamma exurgebat. Conſumto ſulphure peribat flamma. Quinquies idem repetebam. Ex nouem drachmis halinitri, referebam vix ſex. Ecce tibi cuſtodiam halinitri beneficio ſulphuris. Metallici conflatores, & ſapientes chymici vtuntur halinitro ad cuſtodienda à conſumtione metalla tenera.

Facilem enim eis conciliat fluxum, & frigore humiditateq; ſua temperat vim ignis in eis. Idem facit cum parte ſulphurea ad ſe à metallo auocat impetum flammæ. Sunt autem metalla in ſuis venis aliquando valde ſulphurea. Dicerem potius familiare & amicum ſociari amico, & interim locum dare metalli in regulum ſecedendi. Solet tunc ferrum adiici, vti & cum vena multum habet ſtibii, cadmiæ, arſenici. Nam in ferrum hæc impetum faciunt, & metallum vna liquatum dimittunt, quod ad lapidem & plumbum ſe recipit, ſicque impune ſeparatur, & excoquitur. Pro ferro eſt magnes, & ferroſus lapis & alii fluxus ſeu medicamina de quibus in Alchymia, & apud docimaſtas. Conſidera quæſo culinariam tuam præceptionem. Duc nos in culinam calo. Quid hic? Eſt nobis Halcyon volatilis, hoc eſt, ſal petræ ex mercatorum tabernis. Quid agendum? Corripe citrinas vaccas, quæ dicuntur puer Cribrit. Quid hoc monſtri? Sulphur eſt culinarium. Quid præterea? Ignis aſſit. Præſto eſt. Tu Cribrit, cape Halyconem, & bene aſſa intus, & foris. Depluma quoque. Quid inde? Maſſa ſalſa in puluerem diureticum redigenda ad potandum quantum quis velit. Ecce hic eſt tuus proceſſus culinarius, in quo ſulphur tuum adeo non defendit halcyonem, vt etiam plumis ſpoliet ne poſſit auolare: neque tamen paruam eius portionem conſtituunt plumæ. Deinde aſſatio interna & externa priuat halinitrum ſucco eſſentiali, ſique id fiat ſæpius, quid aliud efficietur quam aridus puluis humido radicali halinitri prorſus deſtitutus? Quo in magiſterio talem aſſationem didicerunt iſti calones? Quæritur hic, cum chirurgus dicat, loco humiditatis nitroſæ quam noxiam putat, inferendam eſſe innoxiam per ſolutionem in aqua roſacea, & congelationem, ſit ne hoc conſultum an non. Nouimus alium vſum eſſe halinitri metallicum, alium medicum, alium vtrique communem; alium in magno magiſterio ſapientum ad lapidem philoſophorum. Sed de medico eſt quæſtio. Si volumus ſalem roſatum, capiamus vulgarem, eumque iuſtis ignibus fundamus; deinde ſoluamus roſacea, & coagulemus. Sin autem halinitrum roſatum, id quoque obtinebimus, ſed non toto radicali humido tam violentis ignibus conſumto, verum tantum aſſatione prudente ſublato ſuperfluo. Nihil accipit à ſulphure halinitrum, præter detrimentum. Si item recte purgatum eſt per coctiones, deſpumationes, filtrationes, & coagulationes, vt totum factum ſit homogeneum, non eſt formidandum. Ego ſæpe crudum purum febricitantibus, calculoſis, aſthmaticis, hydropicis, ſitientibus dedi cum vtilitate. Sed reuertamur ad Momi accuſationem.

Num proprio humido ſublato alterum ſit in halinitrum inferendum.

Sal roſatus.

18. Inique à me reprehenſum PENOTUM (qui vir de chymica medicina præclare eſt promeritus) ſcribit. Mendacio me, & illum optimum virum iniuria afficit. Nulla eſt in mea declaratione reprehenſionis ſuſpicio, nedum nota. Eſt autem malignitatis inſignis peſſime interpretati optime, & in vſum ſtudioſorum Hermiatriæ prolata. Si diſſenſiſſem aliqua in re à Penoti ſententia, liberaliter & ingenue id potuiſſem facere, quod ſciebat Penotus ſemper in more fuiſſe apud candide philoſophantes, qui amicitiam non in ſententiarum verborumque nuda conſonantia ponunt, ſed in animorum iucunda, & ſecundum virtutem conſpiratione & concordi harmonia. Seruum eſſe alienæ dictionis, & opinionis adulatorum, & gnathorum eſt, non medicorum, quod etiam Crollius in præfatione Baſilicæ admonuit. Si Scheunemanus applaudit applauſoribus, & odit diſſentientes, videat ne cum ipſis in malam rem abeat.

De reprehenſo Penoto.

19. Qua in re reprehendi Penotum? Quaſi incertum ſit, inquit, an voluerit vt maneret ſulphur, an incenſum deflagraret. Vah hominem inopem ſcientiæ. Vnam fideliam circumgeſtat in anguſtia ſui capitis: inde dealbat omnia. Vnum habet calopodium: ad hoc omnium pedes menſurat.

Num Penoti modus eſt is quem tu tibi imaginaris inepte reprehenſor? Ita is loquitur: Liquefac paulatim nitrum in forti tigillo: Eo fuſo iniice ſenſim ſulphur commune fabarum magnitudine donec nolit amplius ebibere. Effunde in vas aqua plenum: filtra; coagula: rurſus liqua: Sulphur iniice. Hoc quinquies repete. Vltimo ſolue, filtra, coagula; tunc paratum eſt. De hoc ſcripſi ex dictione incertum eſſe voluerit ne vna manere ſulphur, an incenſum deflagrare. Ratio eſt: Si nitrum ſolutum debet ſulphur combibere, quod eſt in ſe recipere ſicut fieri ſolet tum in imbibitionibus chymicis, tum nutritionibus quales à Quercetano adhibentur cum Mercurialem partem ſalinæ iungit, & quomodo liquatis pinguedinibus immiſcemus res alias, non debet conſumi. Quod enim comburitur, non combibitur. Si item ad ſatietatem debet combibere, nitrum autem nunquam dicit ſatis eſt: quia ſi millies liquato iniiceres ſulphur, ſemper combureretur: Cogitandum ergo eſt an non voluerit liquefaciendum eſſe halinitrum, & remoto ab igni modiceque calenti ſulphur immiſcendum, quod melius fiet ſi ſulphur ſit fixum: aut

In libello de ſale nitro.

halonitrum fixum per limaturam ferri, & calcem viuam, vt pag. ſequente habet. Quicquid ſit; Si crudum nitrum accipiatur, & in catino, vel ſartagine, aut olla tundatur adeo vt efferueſcat, iniectum ſulphur ſtatim corripit flammam, & tum nitrum flagrantius reddit, & aliquam partem in fumum vertit, tum ipſum comburitur.

Ideo in hanc ſententiam inclinans, adieci: SED nos putamus voluiſſe INCENDI, quæ ſententia etiam eſt Plinianæ præparationis, &c. Siccine calumniari tibi libuit? Non reprehenſio eſt, ſed explicatio: Donec nolit amplius ebibere, hoc eſt, donec flamma ex ſulphure, & halinitro incenſis nihil amplius abſumat. Ita enim ignis lambit, & bibit, quando conſumit. Et ſic fixum euadit halinitrum.

Reprehenſio Quercetani. Declarari hic ſycophantæ eſt reprehendi.

20. Relicto Penoto vellicas etiam id quod de Quercetani proceſſu ſcripſeram. Tres adducuntur præparatione Quercetani. In nulla fecit mentionem deflagrationis, ſeu incenſionis externæ, internæ, ſpontaneæ, artificialis. Dico: *Omiſit, vel occultauit incenſionem.* Eſſe autem dubium quoddam in illis præparationibus ſubnotaui. Incendi debere materiam, ſi ſulphur pinguedinem halinitri ſublaturum ſit, ſcripſi. At ſi incendatur, non video *quomodo ſulphuris acido ſpiritu poſſit impregnari*, quod requirit Quercetanus. An tu ignoras ſulphureos ſpiritus, cum fit ſal prunellæ tanta copia exhalare, vt non vnum pene conclaue impleant, ſique quis velit admota campana excipere, poſſit coagulatos colligere? Deſcendunt, inquies, in halinitrum. Magno argumento inquam opus erit vt mihi perſuadeas. Vbi enim fuga in altum eſt, non deſcendunt; Deinde ſi deſcenderent, non euolarent, & ſecum ducerent reſolutionem halinitri, quin, & in ſale fixo deprehenderentur. Guſta halinitrum illud fixum per ſe, vel aqua ſolutum. Salſedinem, non aciditatem inuenies; Si vir es hoc age, & Quercetani dictionem explica.

21. Negas occultaſſe incenſionem. Vbi ergo expreſſit? In nulla præparationum poſitarum habetur. Per ſe fit, inquis, in opere. At tuam ſtultitiam rideo. Non eſt quæſtio quid in opere fiat, ſed quid reuelatum ſit in proceſſus propoſitione, & quid tacitum. Tacuit de conflagratione. Ergo eam omiſit, vel ſub aliqua alia dictione tacite comprehendit. Verba Quercetani ſunt: Sali petræ ad ignem in cruſibulo diſſoluto, & liquefacto flores ſulphuris paulatim adiiciantur donec ſpiritu ſulphuris acido imprægnetur. Vbi hic eſt incenſio? Ego dico occultatam eſſe vocabulo ſpiritu ſulphuris, aut omiſſam. Flores ſulphuris ipſi ſpiritus aliquando appellantur, vt alii ſpiritus ſicci per ſublimationem facti. Hi acidi ſunt potentia. Acor actuatur colliquatione, & vſtione. Si hic ſenſus eſt, immiſceri, & colliquefieri debet ſulphur. Alias imprægnatio non fit. Sequitur autem inde incenſio quæ relicta eſt lectori ſubintelligenda. Quod autem attinet ad receptionem acidorum ſpirituum, compendioſius longe ii miſcebuntur aquæ qua halinitrum fixum ſoluitur, & in qua denuo congelaſcit. An putes liquandum eſſe halinitrum, & ſpirituali oleo ſulphuris potandum per modum imbibitionis, quæ etiam vocatur imprægnatio à perfecti magiſterii ſapientibus? Hic nulla eſt incenſio. Tertio flores ſulphuris ita parari poſſunt, vt ſint fixi, nec amplius incendi queant. Quid ſi hos intellexiſſet? Vides quam temeritatem incurras nimis properanter paucis inſpectis iudicando.

22. In ſecundo proceſſu fuſo halinitro ſuperiniicit flores ſulphuris qui pinguedinem eius tollant, & purum lucidumque reddant inſtar vitri.

Hic quoque incenſio eſt occultata. Tu negas. Monſtra ergo diſertis verbis poſitam. Non ſi quid ſubintelligitur, id expreſſum eſt. Diſtant implicitum, & explicitum, ſcriptum & diancœa, ô te interpretem putidum qui clarum expreſſumque mutas in occultatum, & occultatum in clarum. Nempe ſic ſcribebas in tua peſtilente charta proceſſus tuos eſſe iam notos, & gnaris chymiæ dilucidos. Ego non video lucem illa in re quæ delphicis ænigmatibus eſt tenebroſior. In tertia præparatione tantum nominat halinitrum cum ſulphure, aut floribus eius purificatum, & vitrificatum. Pone purificationem nullo alio modo fieri poſſe quam per deflagrationem, at nihilominus ea eſt occultata & tacita.

23. Quod de ridentibus meam deſcriptionem pueris officinarum dicis, quorum loco te ſiſtis. Videbis iam te pœnam tui riſus dare debere. Non poſui meas deſcriptiones. Meas non irridebis. Te vero male iudicando, & calumniando meritum eſſe puerilem ferulam intelliges, ſi ſanus eris.

In aduerſariis meis de Angina hos inuenio modos: Salem petræ in lebete ferreo liquefacito, & cum ſpumat, inſperge puluerem ſulphuris, & purificatur ſal petræ, fitque ſubtus clarus: Vel pone in tigillum: adde parum ſulphuris. Incende (ferro candente.) Stet autem tigillum in aqua, cum deflagrauit, fit quaſi ſal ad anginam vtilis. Abi iam imperitiſſime omnium & tuas fatuitates ride, vel plora. Vſum pleniorem Nitri inueniet lector apud Penotum.

NOTA XLIV.

De magneſia Saturnina Opalina pellucida Quercetani in croco metallorum.

QVando tandem à me aliquam inibis correctionis chymiatricæ gratiam? Si vellem ex tuis principiis concludere, an non poſſem ſic argumentari: *Momus eſt incarnatus Diabolus. Scheunemanus eſt Momus.* Ergo? Propoſitio eſt Scheunemani. Aſſumtio ad viuum patet ex reprehenſione ſalis prunellæ mineralis, croci metallorum, & ſimilium magno numero.

De

De croco metallorum ſuo in pharmacopœa reſtituta ſic ſcribit Quercetanus: Rec. *Magneſiæ ſaturninæ opalinæ & pellucidæ, & lapidis, vel ſalis prunellæ* (mineralis) *ana. Miſceantur, igniantur, & calcinentur calcinatione philoſophica; Magneſiam inuenies calcinatam, & coloratam inſtar Hepatis, quam dulcorabis & vſibus reſeruabis. Puluis hic erit inſtar alicuius croci, eique nomen croci metallorum vere competit, ſi quidem magneſia à qua originem traxit, eſt metallorum radix, & ens primum.* Hęc ille. Mea ſententia eſt, cuius poſtea rationem percipies, materiam eſſe non crudum antimonium, & crudum halinitrum, ſed vtrumque coctum, vt & nomina ipſa inſinuant, & in Alexicaco pag. 473. Ego, vt verum fatear, inquit, hac in operatione (qua fit aquila alba cœleſtis ex ſuiſmet ipſius partibus eſſentialibus) aquis penitus crudis, vt antea proteſtatus ſum, abſtineo, &c. Idem eſt in Tetrade pag. 460. Non autem nego eundē etiam adhibere crudum, & ſpumam, & regulum. Quid quæſo tu hic habes? Repeto tua verba: *Similem errorem* (inquis) *committis c.* 34. (tractatus chymici de igne naturę, pag. 65.) *vbi metallorum crocum in Quercetaneum detenebrare conaris. Loco magneſiæ ſaturninæ opalinæ & pellucidæ, quæ Quercetano eſt fœmina Stibii à Plinio deſcripta, iubes recipere Stibii vitrum, quod opalum gemmam æmulatur. Chymici hactenus triplex ſtibii vitrum agnouerunt flauum, rubicundum, & album: nullum horum opalum colore refert, etſi vitrum ſtibiatum qualecunque illud ſit perpetuo Nitro, Tartaro, Borace, ſeu chryſocolla* (chriſocolla ſcribis) *torreas, vel philoſophice calcines, nunquam inuenies vitrum tuum calcinatum coloratum inſtar hepatis.* Hæc tu. Bene ſe res habet, quando de alienæ ſententiæ explicatione agitur, & non de propria præceptione. In illa obſcurius propoſita poteſt errare etiam doctior Scheunemano. Si tu aliquid ſolidius afferes, cedam tibi haud inuitus. Repeto in dicto loco ex pharmacopœa Quercetani deſcriptionem vt ante, explico: Rec. Saturninæ magneſiæ opalinæ, & pellucidæ, id eſt, vitri ex ſtibio quod opalum gemmam imitatur. Huius meæ explicationis rationes ſunt hæ. 1. Nullum eſt ſtibium minerale ex natura pellucidum ita vt opalum referat, ſed arte fieri debet. Opalus quæ res? Nobilis Anshelmus Boetius de Bood lib. 2. Gemm. c. 48. hæc habet. Omnium gemmarum vires habet, quod omnium colores exhibeat, cap. 50. adulteratur calce ſtanni, & vitro cryſtallino: apud Quercetanum à ſpiritu nitri ſicale nbicus tingitur (imo & ab aliis multis, vt vrina, hydrargyro, ſtibio, &c.) Cap. 49 primi generis opali rubro, cæruleo, flauo, viridi, purpureo pro vt ad ſolem vertuntur rutilant. Genus ſecundum habet lacteſcentes varios colores, vel proximum eſt primo. Cap. 46. naſcuntur opali in lapide molli venis nigris, flauis, vel fuſcis diſtincto, ita vt corpus lapidis albeſcat, flaueſcat, nigreſcat, &c. Cap. 47. Primum genus eſt Diaphanum; Secundum nigrum ex nigredine ignem & carbunculi fulgorem emittens, viuæ prunæ inſtar. Tertium eſt varicolor in flauo corpore quaſi quietum. Eſt & lacteo colore opacus, oculus catti dictus: Quartum, pſeudopalus, diaphanum ſimile oculis piſcium. Vidit Boetius quandam perſpicuam variis coloribus, & lacteſcentem. Colores inſunt varii non realiter, ſed ex emphaſi ad lucem incidentem. Iam requiritur magneſia ſaturnina, ſeu plumbum, quod philoſophorum aliqui dicunt, eſtque ſtibium. Ea magneſia debet eſſe perſpicua, ſeu pellucida, & transparens, & opali coloribus varia accommodatione ad lumen varia. Sunt in Antimonio (potentia plærique non actu) omnes colores, vt Baſilius ait pag. 51. Habet vires omnium gemmarum p. 111. vt rubedinem Carbunculi, albedinem Adamantis, cæruleum Sapphiri, virorem Smaragdi, flauedinem Hyacinthi, nigredinem Granatorum, tum miſtos colores Iouiales. Vitrum eius perſpicuum eſt rubrum, flauum, album, & aliorum colorum, vide Baſilium illum in curru triumph. pag. 113. 118. 119. 120. 121. 122. Nigrum refert lapidem obſidianum, aut ſanguinem concretum. Sed num crudum è minera eſt tale? Non. Hoc enim Rogerio eſt pulchrum, album, digeſtum, in medio venis flauis plenum, item plenum rubris & cœruleis coloribus, quæ ipſe de electo ſcribit. Baſilio ſtibii color niger eſt vt Vngaricum quo alias vſus eſt Quercetanus, & quod ego cum ſplendore maiore, minoreue vidi. Nam variat minerarum admiſtione, & excoctione. Antimonium externo intuitu, inquit Monachus, refert crudam nigredinem inſperſo, miſtoque colore albo. Idem eligit Vngaricum pag. 168. Conſului Plinium, Rentmannum, Agricolam, Dioſcoridem Matthiolum, Fabricium, Falloppium, Cæſalpinum & alios. Nullus prodit quicquam de perſpicuo natiuo opalino. Eſt ſimile lapidi plumbario, magis nitens, candidius (quod non de albo colore intelligendum) ſeu radiantius. Fœmina nitet, & magis minusque radiat. Sed legantur autores ipſi. Multa ſpecimina vidi, plura legi. Nullum inueni perſpicuum opalinum, quale Quercetanus vitrum depingit in quo halinitrum deſtillatum. Ipſe in Zoëphilo Tetradis Antimonium de minera ex Vngaria poſcit; Idemque in panareto. Alibi capit quod purum eſt in Antimonio, veluti Regulum, vitrum &c. vide cap. 10. de ſpagyricis: Item tractatum Tholdii quo declarat Antimonium Suchthenii pag. 233. & ſeq. citat autores plures, quorum nullus habet pellucidum ſtibium naturale. Henningus Scheunemanus in ſua Vtopia inuenit aliquod. Quale illud? *Fœmina ſtibii Plinii.* Eſt ne ea perſpicua & varicolor: Neutiquam. Ita enim ait Plinius: *In argenti metallis inuenitur ſpuma lapidis candidæ nitentisque non tamen translucentis; Stimmi appellant, alii ſtibium, Alabaſtrum, Larbaſon. Mas eſt & fœmina. Mas horridior, ſcabrior, minus ponderoſus, minus radians, arenoſior: Fœmina nitet, friabilis eſt, fiſſurisque non globis dehiſcens.* Vbi iam opalinum translucens? Nuſpiam niſi in Scheunemani Moronia. Hac tamen lege tecum contendo. Si mihi monſtraueris natiuum ſtimmi iuxta Quercetani deſcriptionem, herbam porrigam. Quod ſi naturale non eſt, ars autem poteſt id parare vt transpareat, & vel in diuerſis varios colores habeat, vel in vno, prout luminis radii incidunt; Conſequens eſt artificiale vitrum intelligi. Si nos decepit Quercetanus, deceperit ſane. Non ſunt opes Latii in eius ſententia. Vbi iam Error meus? In Scheunemanum migrauit.

2. Perite admodū diſſeris de vitris antimonii tribus, flauo (Hyacinthino) rubicundo, & albo. At ſi currum triumphalem Baſilii legiſſes, longe plura inueniſſes, atque etiam omnium colorum. Etas ergo de chymicis, & tuam ruditatem prodis. Ego ipſe paraui ſanguineum in concretione

Pag. 107.

Vide Scheunemani peritiam in metallicis.

Opalus.

Vitra Antim. Scheunemania.

nigrum adiaphanum: Item epaticum aloes ſimile & flauum, Hyacinthinum, rubrum, albicans vi- di; Imo varios colores elicui ex ſtibio.

3. Nullum ex albo, flauo, rubicundo, dicis referre Opalum colore. Rideo tuam ſimplicitatem. Fac ex illis Smaltum. Non neceſſe eſt reales eſſe colores, vti neque ſunt in alembico deſtillationis Nitri, vrinæ, &c. Sed cum varie ad Solem, aut lumen vertitur id quod recte eſt præparatum, variorum colorum phantaſias exhibet. Argumento res tota comprehendi poteſt: Aut naturale eſt ſtibium Quercetani opalinum, aut artificiale. Non naturale. Nam vel mas foret, vel fœmina, nigrum, vel album, quod alias plumbum cinereum dicitur. Nullum eſt. Nullum enim tranſlucidum eſt. Artificiale ergo. Hoc enim in vitro puriore perſpicuum eſt, & varios colores recipit, ſiue eos quæras in eodem pro diuerſa luminis receptione; Siue in diuerſis, quod non eſt curandum. Parabolici enim artifices liberius vtuntur terminis.

Nota XLV.

Num Crocus metallorum fiat ex ſtibio per halinitrum.

Scheunemani in croco metall. pudenda inſcitia.

PVerilem hic tuam ruditatem, an amentiam & ſtudium obtrectandi notem? Quercetanus loco citato (pag. 107. Pharm.) Crocum metallorum aliquem facit ex magneſia ſaturnina opalina, & lapide vel ſale prunellæ. Annoto, intelligi halonitrum per ſulphur purgatum, quæ calcinanda igne circulari (vt ſponte deflagrent, & detonent) aut incendenda pruna, vel ferro candente, ſi quidem pro lapide prunellæ ſumatur halinitrum inflammatile aut lapis ille nondum in totum fixus vt incendi poſſit. Duos modos noto in croco metallorum: vnus eſt quem quilibet Tyro, imo & mulier facile poteſt procurare in catino ſeu aperto, ſeu clauſo, relicto tamen ſpiraculo, vti Rulandus faciebat, poſito inter prunas circulo ambientes ſurſum patente libera vi: alter fit ſine igni circulari in olla ſtrata in latus, vbi requiritur tamen incenſio per ferrum candens, &c. Debere autem halinitrum inflammatile adhuc eſſe res ipſa loquitur. Hoc enim eſt cuius igneo fluxu, & calore ſtibium percoquitur & purgatur.

Contra hanc annotationem intonat, aut potius rudit Scheunemannus his verbis: *Si vitrum ſtibiatum, qualecunque illud ſit, perpetuo Nitro, Tartaro, Borace, ſeu chriſocolla torreas vel philoſophice*
„ *calcines, nunquam inuenies vitrum tuum calcinatum coloratum inſtar Hepatis. Loco lapidis, vel ſalis prunellæ*
„ *iubes recipere halonitrum inflammatile, vel lapidem prunellæ ſegniter præparatum vt incendi poſſet. Experto*
„ *crede Ruberto, ſi magneſia cum halonitro, vel lapide ſegniter præparato vt adhuc incendi poſſet commiſceatur,*
„ *quamprimum magneſia à calore liqueſcit, halonitrum ſponte inceditur, deflagrat, ac è tigillo in aerem magne-*
„ *ſiam proiicit, ac ſpargit. Citius id contingeret ſi prunam ardentem, vel ferrum ignitum admoueres, vaſculum tu-*
„ *um in mille partes diſſiliet, &c.*

Putabam te ad certamen chymicum acceſſiſſe inſtructiorem. At deceptum me multis modis video.

1. Vitrum ſtibiatum quid eſt? Si eſſes chymicus exercitatus, loqui poſſes artificioſe ſtibium ſeu antimonium vitrificatum, & non vitrum ſtibiatum. Metallicorum lingua argentum auratum æs argentatum, & ſimilia non ſunt ex auro, vel argento facta, ſed his miſta, vel affecta. Melius dixiſſes antimoniale.

2. An nequeat ex vitro Antimonii epatico colore medicamentum fieri inquirendum eſt. Primum ego Quercetanum autorem adduco, licet tu eum praua ſententia corrumpas. Deinde ita annotat Tholdenius in primum tractatum Alex. Suchthenii; *Cape Tartari crudi, vitri antimonii, vel crudi an. pares colliquefacta effunde in aquam calentem, & erubeſcet. Affunde parum aceti, rubrum epar ad fundum ſecedet, quod epar per manicam aqua feruente edulcora, & coagula in lapidem, &c.* Modus hic tranſcriptus eſt ex curru triumphali Baſilii pag. 161. 162. quanquam quibuſdam mutatis. Ex Hepate facile poteſt fieri vitrum. Imo vitream naturam habet, maxime id quod fit proceſſu Rulandi in quo nitor inſignis, cumque hoc minerale varias mutationes etiam reciprocas ſuſtineat, non eſt abſurdum quod dicitur, vt & cum vitrum rubrum epaticum calcinatur ſuo modo, iterumque in vitrum reducitur. Autores produxi. Penes iſtos ſit rei fides. Mihi graue eſt artificum experimenta carpere. Tuam Quercetani expoſitionem non reſpondere verbis proceſſus paulo ante demonſtraui. Illud tibi dico me rubrum vitrum adiaphanum ſæpius feciſſe, idque aliquoties nouo halinitro recoxiſſe. Rediit Epaticum vitrum vt prius erat. Tale fit etiam ex antimonio cremato, ſeu vſto quod ſane vitrum eſt quoddam. Sed procedant reliqua.

Ecce Rubertum expertum.

3. Rideo & explodo tuam imperitiam. Ego ipſe meis manibus tam Rulandi, quam Quercetani epar ſtibiale non particulatim, ſed ſemel vniuerſum feci; curaui idem fieri manibus filii, nec patitur aliud Rulandi proceſſus, qui fit ſub teſta, ſeu operculo. Res eſt omnino facilis. Tonat & furit halinitrum inflammatum, ſed poſtquam ſpiritus furibundi detonuerunt, in fundo Regulus eſt Epaticus, qui Epar eſt; Sal durus, concretusque per ſpuma, quam plachmalium, aut ſcoriam vocant, ſuperius eſt, ita tamen vt aliqua pars epatis ipſi inhæreat, iſque colore nonnihil in crocum tendat. Si totum, ſalem ſcilicet, & epar in puluerem redigas, & aqua decoquas, ſal aquam ingreditur, epar, quod erat vitri inſtar in puluerem croco vegetabili non abſimilem abit. Proh artificum fidem, quam ſæpe antimonium coxi miſto borace, vel halinitro, vel felle vitri.

tri. (Spuma eſt) vel Tartaro, vel ſale cryſtallino? Nihil vnquam tale mihi occurrit, quale tu tibi certe non experto, ſed inexperto Roberto contigiſſe ſcribis. Indicat Baſilius Valentinus antiquum opus eſſe ex ſtibio cum Tartaro epar facere, pag. *61.* & *62.* curtus, vbi modum vide non per particularem deflagrationem, ſed in ventoſa per reuerberationem olla firmiter clauſa. Falſum, fictum, inane, & mendax eſt quod ponis.

4. Æque falſum eſt, quod halinitrum in aerem euolare ſcribis. Nam ſpiritum tantum perdit. Salis corpus manet, & reſolutum aqua, inde denuo coagulari poteſt, fitque ſal catharticus admodum excellens.

5. Falſum eſt quod magneſia è Tigillo eiiciatur. Sidit enim vt Reguli ſolent. De ſale ammoniaco perſuaderes, ſicut & de aqua cauſtica in anguſto vaſe.

6. Falſum eſt, & fictum quod vas diſſiliat in mille partes. Nam catinus Quercetani apertus patente orificio frangi non poteſt: Rulandi tectus ex anguſto foramine ſaltem perſtrepit, adeoque non diſſilit, vt ne operculum quidem agglutinatum repellat. Itaque vno & eodem vaſe ſæpius epar confeci. Quid dices de olla Quercetani in qua pruna, aut candente ferro accenditur materia?

7. Halinitrum ſponte accendi ſcribis, & pruna, aut candente ferro ſi incendatur, vas citius rumpi, materiamque excuti. Sane cum catinus excandeſcit, mixtura incipit ſtrepere, diſſolui, & tandem inflammari: verum qui velocius id procuratum cupiunt, etiam deſuper accendunt. Ego tegebam catinum apertum carbone lato, qui inflammatus deſuper per modum reuerberationis halinitrum antimonio commiſtum incendebat, ita vt igni vndiquaque ambiente coqueretur ad perfectionem, cuius ſignum eſt tumultus, & inflammatio quieſcens, reguloque ad fundum cedente ſal emergens, vti fieri aſſolet in opere Reguli. Sed & candens ferrum immitti poteſt. Pruna imperite ne inniciatur, vti neque in ſale prunellæ mineralis faciendo. Satis enim eſt ſi ardens imponatur, aut admoueatur prouide. Quod autem tales incenſiones ſint apud artifices vſitatæ, turpe eſt te neſcire. Per ſe quidem verum eſt halinitrum etiam ad candelam ardentem admotum non efferri & excuti: ſed tamen & autores videantur. Ita Tholdenius in declaratione Suchthenii: *Halonitrum & Tartarum contrita in mortario per ferrum ignitum incende, &c.* Ecce hic non in auram euolat halinitrum, ſed materia fixa fit cuius vſus ad Antimonii Regulum. Cum etiam Baſilius oleum vulnerarium ex ſtibio ſub campana vel Alembico facit, miſcet tria iſta pari pondere, nempe ſtibium, halonitrum & ſulphur, poſteaque inflammat, nec metuit ne cum furore in aerem efferantur, & pereant. Sed & dic, quid ſibi vult Quercetanus pag. 407. Alexicaci cum ſcribit *ſe ad magneſiæ calcinationem nullo alio igne vti niſi ſalis ſulphurei*, quanquam prius voluiſſet philoſophice calcinari? Halonitri ignis potentialis eſt, vt calcinet Antimonium in actum euocandus eſt. Quo alio actu ſi externus circularis ignis non adhibeatur, vt fieri ſolet, quam deſuper inflammatione? Hunc puto deſignari etiam in pharmacopœa pag. 621. cum ait: *Crocus metallorum præparatur cum æquis partibus magneſiæ ſaturninæ & nitri inuicem mixtis & inflammatis in quodam cruſibulo, & remanebit materia quædam calcinata in forma Hepatis &c.* Quid autem opus eſt hac de re certamine? Senſerit Quercetanus, variaueritque pro libitu. In artibus ſemper id reſpicere ſolemus quod melius eſt. Si quis velit calcinationem peragere vel in vaſe candefacto (ſiue in prunis maneat, ſiue extra eas in focum collocetur) particulatim per primum modum detonationis: vel in catino cum materia ſtatim tota in ignem illato, ita vt ſurſum pateat: vel in catino clauſo relicto ſpiraculo: vel inter prunas quidem ſito, ſed deſuper etiam tecto pruna viua, vt inde quoque incendatur aut ferramento candente appoſito, aut ſequente Beguini modo, is ſi perite aget, Epar efficiet.

Ita Beguinus in Tyrocinio chymico pag. 122. *Rec. antimonii crudi lib. j. ſalis petræ vncias xij.* (Alias pares: ſed is videtur ciuile pondus in ſtibio intelligere) *Miſce, & impone mortario ferreo in latus ſtrato* (ad latus poſito inquit ille: Situs talis eſſe debet qualis cum Dornæus calcinat vitriolum) *vbi ea prius bene triueris* (oportet enim miſturam exactam eſſe ne craſſæ particulæ minutis immiſtæ ſint. Nota quod tritio illa furorem anteuertat. Nam fracta ſoliditate ſpiritus emittit, ſicut fit etiam in pyrio puluere. Hic enim in farinam comminutus non tonat ſed ſtridet tantum.) *Deinde* ADHIBITO *ſaltem* (non iniecto) *Carbone viuo* (idem peragi poteſt ferro, charta, vel tæda ardente) *accende, & ſubito fiet Hepar Antimonij. Sal petræ poſtea ſepara.* Hæc Beguinus, qui procul dubio hoc ipſum Enchirema à Quercetano accepit, atque ita lucem attulit his quæ in Alexicaco, & Pharmacopœa ſcripſit. In Lyſipono pag. 415. Tetradis hæc habes: Rec. Reguli lib. ſ. ſalis nitri cum ſulphure, aut floribus ſulphureis purificati, & vitrificati lib. j. Reducantur in puluerem, & optime miſceantur, & cruſibulo indita ponantur in igne circulari, ignem augendo per gradus, eumque cruſibulo ſenſim admouendo donec omnis materia fluxerit inſtar metalli fuſi. Tunc vel ferrum candens vel carbonem ardentem iniice vt ſal comburatur, &c. Hæc Quercetanus contra tuam phantaſian. Lege & alia eiuſdem de ſtibio calcinando, de regulo, ſimilibusque. Inuenies tua te opinione multum falli. Sed horum occaſio ſequetur.

Modus per ollam ſtratam & ferrum ignitum vel prunam.

Nota XLVI.

De artificio vetuſto detonationis, ſeu deflagrationis, quod Germani **verbuffen** *vocant, à ſono ſclopetorum pyrio puluere in eis incenſo.*

Aduerte imperitiam hominu.

REpeto tua verba: *Hoc vt vitarent periculum* (hoc eſt, ne halinitrum ſubito incenſum in auras euolaret, & vaſa rumperentur) *& incommodum, philoſophi magneſiam cum nitro crudo non commiſcuerunt, ſed inuenerunt calcinationem iſtam, quam Germani artifices vocant* verbuffen / *& fit quando fruſtrum nitri vnum poſt alterum in liquatam magneſiam proiicitur, & confeſtim ab ea accenditur, ita vt non opus ſit pruna viua, charta ardente, vel ferro ignito, quo incendatur. In ictu oculi quam primum nitrum liquatam magneſiam tangit, accenditur, & in eius ſuperficie deflagrat cum magno fumo & fœtore, quem Quercetanus vt fugeret, lapidē prunella ritè præparatum cum magneſia commiſcuit, & philoſophicè* (Nicht durch das verbuffen /) *hoc eſt, obſeruatis ignis gradibus commixtum calcinauit. Quapropter proceſſum non occultauit, ſed præ cæteris omnibus faciliorem, & lucidiorem tradidit. Lapis prunellæ ad ſe ſulphur Antimonii trahit, vnde poſt calcinationem maſſa refrigerata pulueriſari debet, & in aquā valde calidam proiici, quod craſſum eſt, confeſtim fundum petit, vtile ſulphur aquam aureo colore tingit. Hæc aqua tincta in aliud à fæcibus vaſculum effunditur, & ſinitur per horas duas reſidere, aqua lente effunditur. Habebis nobiliſſimum crocum, quem adhuc ſæpius aqua calida dulcorabis, exſiccabis, & vſibus reſeruabis.* Hæc tu. Nullum pene verbum ſine flagitio poſuiſti. Tune talis es expertus Rubertus: Imo ad ſues paſcendas te confer. Ad chymiam es totus tantusque quantus es ad Lyram Aſinus. Vt ſcabiem tuam, & flagitia videas, mentem aduerte.

O expertum Rubertum.

1. Vt vitarent periculum, &c. Nullum eſt periculum, neque incommodum tam in ſale prunellæ mineralis faciendo, quam Hepate ſtibii, niſi tibi ipſi aliquod inſcitia, & imprudentia creare velis. Vide vt oculis, naſo, barbæ, & manibus parcas, naresque in fumum æthnæum non immittas. Si paraueris omnia ex arte, periculi nihil ſenties. Miror autem quo halinitro ſis vſus, aut quid feceris, ſi verum eſt quod ſcribis, nitrum ſubito incendi, & in aerem ferri. De puluere pyrio cogitaſti. At halinitri alia eſt conditio. Num tu maſſas ſolitus es in ignem iniicere: Id videris infra confiteri, nominatis FRVSTIS. Mirum ſi non in faciem irruperunt.

Schouneman forte puluerē tormentariū pro halinitro ſumſit, aut in rei natura errauit.

Pag. 168. Epar ſtibii Baſilianum.

2. *Inuenerunt artificium calcinationis detonatoriæ* verbuffen.) Eſt equidem id vetus inuentum. Ita enim ſcribit Baſilius: *Cape antimonium bonum & purum ex Hungaria, natum in talibus mineris,* (quæ ſunt auriferæ) *Tere illud in minutum valde puluerem. Miſce tantundem halonitri exactè purificati, & tertium tartari ficati. Hanc compoſitionem vre in olla noua vitrata quam nulla pinguedo infecerit, in igne circulari, non ſemel & ſimul totam, ſed particulatim imponendo, id quod veteres ſpagirici diſcipuli vocant* verbuffen. *Hac detonatione ſeu calcinatione* (vſtione, crematione, deflagratione) *peracta materiam duram contere, &c. Eſt materia punicea, ſeu hepatica,* de qua & pag. 256. Hic modus calcinationis, ſeu vſtionis eſt primus, vſitatus in his quæ copiam deſiderant. Si enim multum materiæ velles vna vice calcinare (ita vocant quanquam calx non fiat) flammæ furor excederet modum, & perfectam coctionem impediret. Alter modus eſt in pauca quantitate quæ tota ſimul poteſt imponi, eſtque perinde ac ſi partem maioris operis in paruo vaſe tractares, vtrobique eſt vas apertum. Alius eſt vaſe tecto: alias extra ignem olla ſtrata: alius in calcinando ſtibio, &c. Sic fiunt reguli, ſtellæ, hepata, calces, ſales & ſimilia. Vetus itaque artificium eſſe non es mentitus, ſed ad fugiendum tuum periculum inuentum eſſe, niſi in copioſa materia, non agnoſco.

3. Sed quæ eſt ratio operis? Adeſte lixæ, & calones chymicorum & magiſtrum hunc chymicum corrigite.

Ad ferulas & ſcuticas.

1. *Magneſia primum eſt liquanda.*) Cape ferulam chymicam. Neque enim id eſt artis. Diſce ex monacho, ſi non vis per te ſapere. 2. *In liquatam eſt iniiciendum fruſtrum nitri vnum poſt alterum.*) Cape & flagellum chymicum. Non fruſtra (fruſta) ſed pulueres, iique ſubtiles & exactè requiruntur. Fors tu ſic tuam calcem ſtibiariam feciſti, putasque epar quoque eo modo conflari: Stulte putas. Neque vero etiam hic iniicitur halinitrum, ſed commiſcetur ſtibio extra ignem. Cogita vero quid ante ſcripſeris. Volebas ſubito incendi nitrum, & in auram euolare. Cur id hîc non fit? Si euolaret, nunquam epar conficeres, neque etiam calcem, vt dixi, ſpiritus ſaltem inflammati nitroſi cum reſolutis ex ſtibio erumpunt, idque cum ſtrepitu propter contrarietatem ſulph. Mer ſalis & ignis corpulenti. Quo craſſior eſt materia, hoc maior eſt tumultus, & tonitru vulcanium, quæ declarari poſſunt tonitruis, & riſu vulcanio. Spiritus enim per craſſa obſtantia prorumpens, vim maiorem habet, adeo vt aliquando etiam negata via alia ſolida latera effringat, & propellat, vt fit in tormentis diſſilientibus. Non credis mihi. Audi Quercetanum ex c. 4. med. priſcæ pag. 15. Quis non miretur, inquit, ſal petræ tanta promtitudine concipere flammam per quam in aerem & fumum exhalet: interim videat liquidum atque fuſum manere in cruſibulo igneo conſtituto in centro flagrantiſſimorum carbonum, in quo tamen licet ardentiſſimo nec flammam concipiat, niſi flammæ aut ignis admotio fiat ad tactum, cumque naturæ ſit adeo volatilis, fixatur tandem &c. Hæc tu non calumniare, ſed explica perite. 3. Iniicienda ſunt fruſtra. Quomodo ergo totum corpus magneſiæ reſoluent, penetrabuntque, & in vitream maſſam purificatam tranſmutabunt, præſertim ſi adeo eſt volaticum nitrum? Tuus Vulcanus præter calcem tuam albam nihil cogitauit, & oportet eum mirabiliter operatum eſſe ſi ſalem petræ fruſtillatim iniecit. Non fruſta halinitri, ſed totius miſturæ diuiſæ portiones per cochleare, ſeu trullam infunduntur particulatim, vt dixi, fruſta cum fragore diſſiliunt, dataq; via in auras feruntur, ni in latus ſtratum vas quaſi operculum obiiciat. Sed proceda-

procedamus. 4. *Ita vt non opus ſit pruna viua, &c.* Nempe in iſto modo. Si cogitaſſes alios eſſe plures, vel ſaltem Tyrocinium Beguini legiſſes, & Quercetani verba recte intellexiſſes, non ita in incenſiones meas inſanires. Cum tu calcinas tuum Stimmi, velim equidem videre quid agas. In feruens immiſſum halinitrum tritum liqueſcit, inflammatur, & non tantum ſpiritus ſurſum mittit, ſed & in ſtibium ſe immergit, idque penitus peruadit, reſoluit, & colliquat. Reſoluti halitus iterum concreſcere ſolent, ſi quis velit galea excipere, vt fit in floribus. Ego & alii ſolemus ferrea ſpatha, vel rudicula continue mouere materiam ad calcem albam deducendam. Ibi nihil prohibet eam ignitam eſſe. Imo inieci etiam prunæ viuæ portiones, vt & Quercetanus fecit, neq; quicquam adeo abſurdum, aut periculoſum vidi, niſi quod dum halinitrum nondum deflagrauit, expuantur ramenta & maior fiat exhalatio. Verum vt dixi non hic de calcinatione agitur, neque de eo modo in quo pruna admouetur, non autem iniicitur.

6. *In ictu oculi accenditur & in ſuperficie deflagrat, &c.* Ecce tu aſtitiſti calcinationi tuæ. Vnde enim de ea loqui poſſes? At imperite iudicas. Cur non exiluit & in auras volauit? Si in ſuperficie in ictu oculi accenſum halonitrum deflagrat, quorſum id inieciſti? Impone Vulcano tuo perſpicilia, & videbis non totum deflagrare, ſed liquatum per fuſum ſtibium penetrare, penitus liquare, attenuare, Mercuriale, arſenicale, & ſulphureum recrementum in fumum vertere, purgare, & figere, quæ ſunt iſtius ſalis purgatorii officia.

7. *Cum magno fumo & fœtore.*) Recte. Ergo non deflagrat in ſuperficie, nec ſolus ſpiritus ſulphureus, & mercurialis halonitri exhalat, ſed ſecum ducit ſtibii volatilitatem.

8. *Quercetanus vt fugeret fœtorem.*) Quercetanus ſi calcem tuo more voluit facere, nō potuit fœtorem fugere, niſi naribus auerſis, aut munitis. Solemus autem tunc opus aura à tergo aſpirante peragere, vt qui bismuthum, aut lapidem plumbarium excoquunt, vel lapidem fiſſilem cremant. Ille per miniſtros plæraq; elaborauit. Vide Lyſiponon eius pag. 415. Tetradis, vbi tibi plane aduerſatur. Ad Hepat ſtibii quod attinet, ſane & hoc non eſt ſine fœtore bituminoſo, ſiue in igni circulari, ſiue extra confletur. Itaq; ſi crudum aſſumſit, prudentia opus fuit. Si vero fœtorem ſic fugere voluit vt is plane nullus eſſet, & halitus non ſæui, quid aliud inde colligere potes, quam vitrum (rubrum, vel nigrum) aliqua pellucidum, vt lapis ſeu vitrum obſidianum aſſumſiſſe, & ſalem nonnihil fixū? Ita mea cōiectura fit vera, tua vero de neſcio quo ficto ſtibio putore, & fœtore nō caret.

9. *Quercetanus lapidem prunellæ rite præparatum cum magneſia miſcuit.*) Nempe non tua fictitia, ſed vera iam artem paſſa. Cum dicis, *Miſcuit*; intelligis ad epat faciendum requiri non iniectionem halinitri, ſed commiſtionem. Quod ſi non halonitrum fixum, ſed crudum crudæ magneſiæ iunxiſſet, quanto magis euolaſſet, & ſecum magneſiam auexiſſet, ſi tua phantaſia de halonitro eſſet vera?

10. *Philoſophice* Nicht durchs verbuffen.) Ecce tuam inſcitiam. An ergo detonatio illa non eſt philoſophica, ſed famuli tui culinarii coctio? Cum Quercetanus iubet calcinare philoſophice in hoc proceſſu plane id intelligit quod artifices dicunt verbuffen. Neque enim aliter fit in igni calcinatorio, vt ipſa docet experientia. Quia vero tu ſtulte explicas deflagrationem illam detonantem, putans ſine miſtione peragi, Quercetanus autem miſcere iubet, hinc in pudibundum errorem laberis, quod aliud ſit philoſophica calcinatio, aliud detonatio. Imo hæc ſi altera alteri comparanda eſt, magis eſt philoſophica. (Nam arcana magni operis hic ſilet) vt & Monachus indicat pagin. 168. currus, vbi peculiarem artificum iſtam locutionem eſſe docet, & magiſtrale artificium vocat pagin. 256. Cum dico verbuffen in Hepate faciendo, non loquor de primo modo materiæ copioſæ, ſed de ſecundo partiali. Singulæ etiam multæ materiæ deflagrationes idem habent nomen, ita vt vna ſit ſimplex, altera compoſita, ſeu multiplex. Si tuus culinarius puer adeſſet, pluſquam Vulcanio cachinno hanc infantiam, & ruditatem tuam exciperet.

Verbuffen.

Alia eſt calcinatio ſecreta philoſophica, alia magiſteriorum inferiorum.

11. Quid quæſo eſt philoſophica calcinatio, ſiue Verbuffen? Tu reſpondes: *Obſeruatis ignis gradibus commixtum calcinauit.*) Quorſum hæc tam fœtida tendunt? Subito fit epar, inquit Beguinus in ſuo proceſſu. Alias non ſane ſtatim omnia ſunt in ſummo gradu; Sed tamen deflagratio tota citius ſemi hora fieri poteſt, & ſi catinus prius fuerit candefactus, pene momento. Quando ex croco metallorum iam conflato vult facere calcem albam eamq; in calendulæ colorem perducere, vſurpat gradus; In ipſo croco non item.

Philoſophica calcinatio.

Lyſiponos p. 415. Tetr.

12. *Quapropter proceſſum non occultauit.*) Si non occultauit, aperte ſcripſit. At non ſcripſit aperte. Ergo. Nimirum tua ſtulta opinio tibi multa mendacia, & accuſationes friuolas, falſasque exprimit. Scripſeram de occultata incenſione. Tu de proceſſu nugaris. Deinde quod non aperte etiam proceſſum explicauerit, probo tua ſtolida coniectura. (Ecce diuinatorem.) Non enim verum eſt quod tu ei tribuis, vt non tantum ratione, ſed & experimentis, & teſtimonio demonſtraui. Vexas „ meas diuinationes, auſusque es ſcribere in fatua tua Epiſtola: *Veri philoſophi munus non eſt coniecturaliter diuinare, ſed abſtruſa, & incognita per cauſas inueſtigare. Huic gratia debetur inſulſo* DIVINATORI *ſcutica.* Hæc tu. Ego ſubſumo. Henning Scheuneman eſt inſulſus diuinator. Probo: quia inſulſe diuinat Quercetani proceſſum, eumque inſuper ſtulte, & imperite explicat. Debetur ergo Henningo Scheunemano ſcutica. Negas te inſulſe diuinaſſe? Omnibus iudicanda tua verba, & conferenda cum Quercetanæis, modo aliquid in chymicis profecerint, propoſui. Addidi Beguinum: Tranſcripſi ænigmatica Quercetani de quibus ipſe proteſtatur palam.

En diuinator egregie.

Ad ſcuticā.

Vide verba Quercetani pag. 407. Alexicaci, & pag. 107. pharmac. & 621.

13. *Sed præ cæteris omnibus faciliorem, & lucidiorem tradidit.*) Ita nimirum porci iudicant. Si lucidiorem tradidit, cur tu tam es fatuus vt non potueris videre? Cur nobis obtrudis Antimonium natiuum opalinum tranſlucidum, quod in rerum natura non eſt? Cur alium

proceſſum

proceſſum detonationis, & quidem ſtultum veteribus & Quercetano affingis? Ego ſcio eſſe in Quercetano lucem, nempe cum obſcurioribus conferendo. At illam neque tu vides, neque habes, ſed in plus quam Cimmeriis, Ægyptiisque tenebris in profundo ſpecus Platonicæ hærens, quicquid delirus ſomnias id pro luce habes. Eſt facilima methodus Quercetani in croco metallorum, ſiue in igni calcinatorio, ſiue extra. At tu tantam facilitatem nunquam es aſſecutus: Quin ergo agnoſcis tuam impotentiam, & cedis peritioribus?

En iterum diuinatorem Vlmeo præmio dignum.

14. *Lapis prunellæ ad ſe ſulphur Antimonii trahit.*) En fructum tuæ diuinationis. Tua ſententia ſal prunellæ mineralis ſulphur Antimonii aſſumit vt fiat maſſa vna. Hunc refrigeratum, pulueratumque ſoluis aqua calente, & ſulphur aureo colore ab aqua receptum poſtea ſubſidere ſinis, aquaque effuſa colligis, &c. Aliquis ſcilicet ſonus venit ad impuras tuas aures, ſed præ fatuitate eum diſcernere non potuiſti.

Primum tibi oppono verba Quercetani ex Tetradis cap. 25. pagina 319. *Cuiuſmodi medicamentum* (nimirum quod additum clyſteribus attrahente virtute eximie operatur) inquit, *eſt crocus metallicus, vel metallorum*, vt vocant, *quæ præparationis Antimonii quædam ſpecies eſt cum Nitro parati, à quo figitur, & arſenicali ſuo ſulphure ſpoliatur Antimonium, vt ſic excoctum etiam intrinſecus & ore citra vim vllam aut corporis perturbationem ſumi poſſit, &c.* Nitrum ſpoliat Antimonium ſulphure, idque priuatum eo ſolum relinquit. Non ergo ſulphur Antimonii eſt crocus metallorum.

2. Ex rei natura tibi occurro. Aut eſſentiale ſulphur eſt iſte crocus, aut arſenicale quod eſt accidentarium. Neutrum eſt. Sal ergo prunellæ non aſſumſit ex Antimonio ſulphur. Probo minorem. Nam ſulphur accidentale in fumo abiit: Eſſentiale adhuc eſt cum croco. Probo & hoc: quia ex eo poteſt tinctura fieri relicto corpore. Ea vero eſt, ſulphur eſſentiale, quod Quercetanus cap. 10. de ſpagiricis ex antimonio extrahit per tartarum & nitrum, aut lixiuium ex calce viua & cineribus, longe alio modo quam in croco metallorum. Porro ex ſtibio etiam ſulphur inflammabile paratur: funditur in vitrum, ex quo Monachus ſuum lapidem fabricat, cuius vitri extractum ſulphur vocat, ſicut & olea medica Antimonii, vide pagin. 256. currus triumph. &c. Idem in ſua principia poteſt reſolui.

3. Iubeo te proceſſum ipſum ſpectare, & finem eius, intentionemque magiſtri. Figere Antimonium cupit, & depurare per modum calcinationis. (Sic enim vocant) aut potius imperfectæ vitrificationis. Veteres vrere, & cremare appellabant. Viæ qua ſulphuris ſpecies ex Antimonio eliciuntur, longe ſunt aliæ.

4. Imperitiam tuam redarguit praxis. Non enim verum eſt quod ſal prunellæ, vel etiam crudum halonitrum ad ſe trahat ſulphur. Tincturam enim traheret, & non inſiſteret regulo croceo, ſed in imo eſſet recrementum, eſſentia lateret in ſale, quod falſum eſt. Hoc conſpicimus. Sal ille ſuper Epate concretus nonnihil flaueſcit, ſed eſt tantum ſpiritualis tinctura. Cum enim coquerem aqua, & ſalem reducerem nullibi comparebat. Phaſmate deceptus male iudicas, & colorem formalem pro ſulphure eſſentiali arripis.

5. Separari quoque à ſale ſola decuſſione Hepar croceum poteſt, & deteri in puluerem croci inſtar. Quando vero ſal ſimul cum Hepate tunditur, & aqua ſoluitur, tunc fit aliquomodo quod ſcribis, neque tamen iuxta tua verba. Non enim aliter aqua crocum aſſumit, quam quando terris immiſtis turbatur. Sal ſolutus ab ea recipitur, ſed non puluis croceus. Vides quanta ſis in chymicis ruditate, & audes te chymicum profiteri aſtralem & meum ſyntagma reformare: Si cæteri tui quos ſcribis mihi aduerſaturos, ſunt tales qualis tu, iube eos domi porcos paſcere, & non in lucem venire.

En chymicum aſtralē.

NOTA XLVII.

De pluribus aliis in Syntagmate Libauiano arroſis.

» SIc ſcribis: *Multo plura inſcitiarum inditia extant in tuo ſyntagmate, quæ ſingula ſi enarrarem Epiſtola in*
» *volumen excreſceret. Cum in vulgaribus tam* TVRPITER *erres, quid de abſtruſioribus ſperandum? conſul-*
» *tius ageres mi Libaui, ſi cum Paracelſicis & hermeticis placide conferres, quam quod tam pueriliter mecum lu-*
» *das.*

Hic ſtemus. Si amicus eſſes, & non potius acerbiſſimus hoſtis, cui non ſat probroſa in me verba ſuccurrunt, vſurparem de te illud ex ſacris; *Percutiat me iuſtus placide, & obiurget me: hoc erit oleum ad caput meum.* At iam quoties atrociſſimis calumniis me affeciſti, & vituperiis, maledictisque inceſſiſti? Obiicis inſcitias. Non ſuccenſeo. Iuſtus ambulans in ſimplicitate ſua prior eſt accuſator ſui ipſius. Satis intelligo meum in ſecretis naturæ, & artis defectum, ſumque paratus veritatis cauſa etiam mea ipſi' placita deſtruere, vt ingenue philoſophari, & nullum ex propoſito velle decipere, id quod ſemper ſtudui, à bonis iudicer. Tu vero nondum me conuiciſti erroris alicuius. Magnam à me & publicis literis inibis gratiam ſi mihi inſcitias meas in ſyntagmate monſtraueris. Aude ſi vires. Si non facies, nihili hominem, & Momum futilem, qualemq; tu definis, nos omnes te iudicabimus. Multos ego comperi eiuſmodi phantaſtas, qui contemnunt omnia quæ non ſunt ad ſaliuam. Inter illos ſi te tuo merito & ſpecimine habeo, noli ſuccenſere. Euenit tibi quod Horatiano melancholico Argis olim habitanti. Huic ſua deliria adeo placebant, vt cum ſanatus eſſet elleboro, iudicaret ſe occiſum, non ſeruatum. Fors tu ſi Anticyras mittereris ſimiliter

Pſ. 141. 5.

Prou. 18. verſ. 17.

clamares:

clamares. Præoccupati turpibus erroribus, & perperam videntes, cæteros recte ſapientes deliramentorum accuſant. Eius gregis ſi & te ſcripſero, cum tuis ſtultis Paracelſiſtis, non fecero tibi iniuriam. Ad oculum enim iam id eſt oſtenſum. Quare vt tu ad me ſcribis, ita ego ad te viciſſim: Multo plura inſcitiarum & veſaniarum, imperitiarumque indicia extant in tuis ſcriptis Paracelſicis, & epiſtolis, quæ ſingula ſi enatrare vellem, opus mea tota Alchymia, & Syntagmatibus grandius fieret. Cum in facilimis iſtis tam turpiter, inepte, inſcite, & imperite erres, vt ſus Mineruam docens, ſutor vltra crepidam, & aſinus ad lyram videri poſſis, quid ſapies in difficilioribus? Pudeat te iſtiusmodi conatuum, nec prius cum doctis pugnare præſume, quam ex culina exceſſeris, & chymica magiſteria intelligas.

Conſultius ageres, mi Scheunemane, ſi abiecta Paracelſia ad Hippocraticam, & Galenicam Hermeſiam redires, veteresque canones cum compoſitionibus Galenicorum non ad orcum mitteres, ſed exoſculareris, placideque cum Medicis academicis, & practicis conferres, vt ab eis ſubinde doctior diſcederes. Cur tam inepte & pueriliter ludis? Cur bonos perſequeris?

Si Paracelſici poſſent cedere veritati, & ſuum ſtolidum monarchatum ponere, conferri cum ipſis poſſet, & ingenue philoſophando certari. At dominari volunt, & videri nihil niſi oracula fundere, adeo vt etiam ſuas turpitudines pertinaciſſime defendere auſint, & aduerſantes extreme deſpicere, & vituperare. Vin' exempla? Aſſyluanum, Michelium, Gramanum ſeniorem, Gramanum iuniorem, Palmatium, & præter cæteros etiam teipſum intuere.

Domine Scheunemane DISCE Grammaticam, diſce Dialecticam, diſce Phyſicam, diſce Chymiam veram, diſce Medicinam antiquam dogmaticam, & alia quorum vmbram venatus es quidem ſed rem neutiquam conſecutus: pone aures aſininas: bene ſentire, & iudicare de literis & viris probatis aſſueſce, abiura Paracelſiam, vituperia in me & Galenicam recanta, noli incarnatos Diabolos vocare eos qui tua ſputa non lingunt: tunc videbimus quid de te ſit ſperandum. Si Paracelſiſta eſſe pergis, abi ad coruos.

NOTA XLVIII.

De colore eo quem Germani vocant Gelb, *an ſit Glaucus Latinorum.*

RECTE dixi cum ſtultitia Paracelſica conueniri non poſſe. Quicquid enim fingunt Paracelſiſtæ, quicquid opinantur, & dicunt, hoc credendum eſt eſſe. Si quis ciniflo ait: hoc eſt aurum potabile, hoc eſt ſpiritus antimonii, hoc eſſentia argenti, &c. ni credas, ſtatim habes hoſtem, ſicut ego cum non credo colorem quem Germani appellant Gelb / vel gehl / (qui eſt flauus, vel citrinus, vel aureus, vt in bile amara, ictero &c.) eſſe apud Latinos Glaucum, ſtatim inimicum experior, qui hanc ſuam glaucedinem audet etiam defendere.

Res ita ſe habet: In peſtilentiæ charta ſcriptum erat, *halyconem debere deplumari à citrinis, ſeu flauis vaccis* von den gelben Kühen / quæ poſtea tranſmutabantur *in famulum culinarium Glaucum, qui ſulphur eſſet. Siue* gelbe Kühe / *ſiue* gelber KüchenJung / ſuggerebam homini, non *Glaucum* eſſe interpretandum, ſed *flauum*, aut *citrinum*. Id enim eſt gelb Germanorum. Verba Scheunemanni: Halcyon volatilis à famulo culinario glauco nomine Cribtit deplumatus. Id notaui, vti dictum. Ecce tibi Crabrones ex tuo Paracelſico cerebro in me prouolant omnes. Ita reſcribis: *Nunquam ego flauum colorem glaucum dixi, non ad verbum reſpexi germanicum, ſed ad rem ipſam, quam tibi indigitare volui iſto nomine. Dum vero tam ſuauiter tibi ipſi abblandiris, ipſe erras. Nam Germani glaucum colorem non vocant* Graw / *vel* blaw / *ſed* grawblaw. *Fernelius glaucum per fuſcum explicat. Glaucoma eſt*, inquit, *Cryſtalloidis aut vitrei humoris in glaucum, aut fuſcum colorem mutatio. An* graw / blaw / Schwartzbraun *vnus erit color? verum faceſſant hæ nugæ.* Hactenus tuum in colorem glaucum iperium.

Von dem gelben *Glauco* vnd *Glaucomate.*

Paracelſiſta in media Germania natus neſcit quid ſit gehl *&* blaw: *Doctor Latinæ linguæ ignorat Glaucum.*

1. Quis te non rideat & explodat Doctorem Philoſophiæ, & medicinæ vtriuſque tam fœde, & errantem, & errorem fœdius defendere audentem?

2. Negas te vnquam flauum colorem dixiſſe glaucum. At tua tu ipſe verba; Gelben Küchen-Jungen / ſic latine reddidiſti: *Famulus culinarius glaucus.* Qui gelb transfert glaucum, ille gelb quod eſt flauum, citrinum, &c. (Sunt differentiæ plures) vocat glaucum: Cum item ſulphur commune, quale in culinis vſurpatur, intelligas, quod citrinum vel flauum eſt, quo modo potes id glaucum dicere niſi per errorem? Sic eſtis Paracelſiſtæ. Glaucum mutatis in fuſcum, flauum in glaucum. Parum abeſt quin & nigrum in album vertatis & contra, tantamque vobis autoritatem arrogetis, vt nulli liceat dicere, quare, aut quid facis?

Blawer Schweffel der Köchin. Der gelben Küchen-Junge.

3. Negas te ad Germanicum verbum reſpexiſſe.

Ad quid igitur? Ad REM. Res quæ? Sulphur commune coquorum. Dicite coqui omnes, niſi inquinaſtis ſulphur veſtrum, cuiuſmodi eſt? An non citrinum, aut flauum? Noui varii generis ſulphura, ſeu natura, ſeu arte facta, Glaucum non memini. Vidi flauum, citrinum, aureum, luteum, rubrum, nigrum, fuſcum, album ab arte ſubuiride, &c. Agricola habet luteum, cinereum, ruffum, Cęſalpinus vidit ęlectro ſimile, pallidius, & ad viride inclinans; Item natiuum cinereum, & nigricans.

In ci-

In ciſtulis Paludani eſt natiuum luteum, cinereum & nigrum; Caballinum pallidum & vireſcens; Caballinum citrinum: aliud candidum Neapolitanum, aliud rubrum. Nullum glaucum. Kentmanni ciſtulæ exhibent aluminoſum album liquidum, cinereum concretum, luteum purum, in albo cinereum, nigrum, album molle; cæruleum &c. Hoc autore poſſis dicere te ad rem reſpexiſſe, quia cæruleus color affinis eſt glauco, ſed tu loquebaris de culinario ſulphure quo ſal prunellæ mineralis figitur. Dices, ad opus vel ea quæ in opere eueniunt reſpexiſſe. Non equidem negauerim flammam ſulphuris ardentis cæruleam, flauam, citrinam, ruffam, ſubuiridem, &c. eſſe: Sed famulus tamen tuus non eſt glaucus. Frigida & futilis, planeque nugatoria excuſatio eſt, qua quo magis vteris, hoc magis ridendum te propinas.

Ciues cuſtodite res veſtras. Paracelſiſta mutat flauum in glaucum die blawen Dünſt. Graw/ blaw *quid ſit Germanis.*

4. Scripſeram Germanos glaucum, graw/ vel blaw appellare. Quid ſi addidiſſem Schimmel/ Grawſchimmel &c. Tu me reprehendis, quia errare putas. Diſcam ex te, & meum errorem liberaliter, ingenueque confitebor. Quid ſignificat *Glaucus*, apud Germanos: Grawblaw. Vah interpretem. In tua culina fortaſſe ſic loquuntur. Populus Germanorum noſtratium (non ſumus in Belgio, aut alibi vbi variæ dialecti; ſed tu in Franconia Orientali verſatus es, & ego diu in Saxonia & Franconia, ita vt vtrique conſtet lingua patria) Glaucos, vel cæſios oculos vocat blaw, & reſpondet fere etiam vox latina. Dicite vos Nomenclatores, quid ſignificat in germania Glaucus? Hadrianus: γλαῦκον cærulus, cæruleus Himmelblaw. Lexicon cæruleum, viridem, cæſium exponit: Et ſic exempla rerum glaucarum requirunt. Decimator: Blaw/ color Venetus Thalaſſicus, Cyanus, Glaucus, Cæruleus, Cæſius. Graw Farb cinerius, griſeus nonnunquam; Idem Schimmel/ Graw Haar cani &c. Scarmilionius de coloribus cap. 23. Glaucus eſt ſpecies cærulei (vt in vlua, & foliis Glaucii herbæ, & papaueris corniculati.) Dicitur à noctua. Scaliger Sect. 15. exerc. 325. coniungit plumbeum, cinereum, glaucum, cæſium, gluſtinum (Iſatidis foliorum) cæruleum, BLAVVM, quæ eſt vox teutonica cæruleum, & glaucum ſignificans. Cæſium & glaucum agnoſcit in oculis Mineruæ, & frondes ſalicis glaucas nominat. Decepit te, ô male Germane, lexicon Calepini, vbi Glaucus dicitur Grawblaw ſine diſtinctione, quaſi eſſet vox vna, cum debeat virgula interponi graw/blaw Belgice Hemelblaw. Tune malæ ſcriptioni magis fidis quam communi patriæ conſuetudini? Vide quam facile ſoleas viris literatis errores affricare. Scaliger loco citato Griſum vulgus vocare ait, quem Itali Beretinum, Germani Chraw (graw) Columella in Aſino murinum, Virgilius in equis glaucum (Grawſchimmel.) Quo modo tui barbitoſores, & officinæ vocant emplaſtrum griſeum? An non graw? In ſenum capillis canities eſt, in luporum griſities. Vtrumque graw dicitur. Grawblaw ſi coniunctis vocibus dicendum eſt, glaucocæruleum fiet, hoc eſt, cæruleum aucta latina voce per græcam; aut griſocæruleum, canouenetum &c. Vbi iam tuum ſulphur culinarium: In nigrum mutatum eſt, teque nigro animo eſſe arguit. Num mihi ſuauiter abblandiar ego, an tu tibi male lecto Calepino, iam glaucomate ab oculis deterſo videre poteris.

Scheuneman ex Calepino Glaucus, ſed male intellecto. Tam miſer & pauper eſt in bonis literis.

Notate: Glaucus blaw *iam eſt fuſcus* ſchwartzbraun.

5. Ne deſinas ineptire & peiore argumento peſſimam ignorantiam velare, Fernelium protrahis Quid ille quæſo? *Fernelius Glaucum explicat per fuſcum.* Quid inde? Ergo errat Libauius qui dicit eſſe cæruleum, blaw/graw/Himmelblaw/Grawſchimmel/2c.

Reſpondeo. Erras Henninge. Tu Fernelium cum inſpiceres glaucomate aut fuſcedine mentis laborabas. Quod per ſe glaucoma dicitur, id non poteſt eſſe niſi glauco colore. Hic color aliquando vitiatur, & tranſit in fuſcum. Inde aliud nomen debebat poni; Sed ne quid fieret ſuperflui, retentum eſt prius, imo proprium ſub priore occultatum. Nam Fernelius proponit περὶ γλαυκώματος, καὶ ἀμαυρώσεως. Duos affectus diuerſorum nominum vno comprehendit. Fuſcum eſt ἀμαυρὸν obſcurum, nigrum, fuliginoſum; vnde ἀμαύρωσις oculorum obſcuritas, hebetatio, caligo, &c. Glaucum nemo dixit fuſcum, nec expoſuit per fuſcum, ne Fernelius quidem. Non ſequitur: Fernelius glaucoma dixit eſſe Cryſtalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuſcum colorem mutatio, qua per fumum, aut nebulam ſe videre arbitrantur. Ergo glaucum expoſuit per fuſcum. Duos potius colores incidere in eodem affectu, quem ab euidentiore glaucoma appellat, poſſe indicat, non alterum expoſuit per alterum, nec vllus qui de coloribus ſcripſit tam temerarius fuit. Loquatur Capiuaccius. *Sciant iuniores,* inquit, *per oculum Glaucum intelligi oculum dum euadit particeps coloris miſti è viridi & albo: Veluti eſt color maris & cœli, vnde Cæſius dicitur: Et eſt quandoque color ille expers, quandoque particeps ſplendoris: particeps vt in oculis felium, & noctuæ. Vnde hoc vitium aliquando vocatur Glaucopis.* Lege & ſequentia. Nihil de fuſco inuenies, atque ita quo plus te excuſare anniteris, hoc profundius in errores laberis, ſicut & alii tui ſocii ex grege Paracelſiſtarum.

Nugæ Scheunemanni quomodo vtiles.

6. Nugas vocas. At hæ nugæ in ſeria mala te ducent irriſum ſemel exceptumque ſiniſtre. Vtiles ſunt iſtæ nugæ. Nam optime depingunt ingenium ſuperbiſſimorum Paracelſiſtarum, qui ſibi tantum tribuunt vt putent ſe Galenum, Auicennam, Ariſtotelem & cæteros priſcæ ſapientiæ antiſtites poſſe contemnere, cumque pene nihil de ſuo niſi deliramenta proferãt, volunt tamen ea cum autoritate accipi, quaſi errare nequirent. Sin autem nugæ ſunt inutiles & temerariæ, quis alius earum autor primus eſt quam tu ipſe? Cur nugaris temere?

NOTA XLIX.

De vocabulo Cribtit.

RIdeo fatuum tuum Calonem, ſeu culinarium famulum Cribtit. In culinis vſitatum ſulphur quo autore vocaſti Cribtit? *Matthiolo* inquis. At inquam is de ſulphure minerali ſcripſit, non de cu-

de culinario. Tu te defendis: *Nomen Cribtit* (inquis) *cum tota Arabum ſchola Matthiolo approbante cur* "
non vſurparem, cum nec medicina Galenica mirifici ſoni ſemper eloquentiam Ciceronianam ſapiant. Quid Zurum- "
bet, Tabarſet, Tereniabin, Malicorium? abuſu vocabulorum non neceſſe eſt res ipſas confundi cum ὀνόματα νομο- "
θετήματα ſint dictante Hipp. de arte. Hactenus tu. Satis diſerte & ex origine Hebræa explicaueram vo- "
cabulum in tui gratiam, vt videres, quid primum ſignificaret. & quam artificioſe tu id ad famulum *Scheune-*
culinæ transtuliſſes. Non potes acquieſcere vt vetulæ concitatæ, quæ victoriam in vltimis verbis *man non*
ponunt. Ego non prohibeo vſum vocis Cribtit prudentem. Abuſum noto. Matthiolum quod *poteſt er-*
attinet, is ſimpliciter vocabulum ponit; probet an improbet, corruptum ſit, an integrum non *rare.*
ſcribit, nec tu habes idoneam rationem cur iſta ſcabioſa figmenta tuis Aſcanienſibus vernacula *Matthioli Cribtit.*
lingua peregrinis terminis vitiata proponeres. Quid enim ad ipſos quo famulo, Arabico, Latino, Græco, &c. in tua culina vtaris? Num vero tota Arabum ſchola ſulphur vocat Cribtit? Auicenna *Rabric* habet. Ridendus potius es, qui cum Germania longe habeat euidentiora, & puriora vocabula, ex Arabia ſordes linguæ Germanorum miſceas. Præclaro vero veteris argumento, vt etiam amplius delirare, & ſordeſcere iudiceris. *Mirifici ſoni Galenicæ medicinæ non ſemper ſapiunt Ciceronianam eloquentiam. Ergo Scheunemanno licet ad ſuos Teutonas, qui Saxonica vtuntur lingua ſcribere de quodam famulo culinario, cui nomen Cribtit, cum velit intelligi ſulphur in culinis vſitatum.* Primum ego in Galenica medicina plane ignotum eſſe, tum Cribtit dico, tum cæteras tuas voces. Malicorium quidem in officinis, vt & Tabarzet aliquando inuenitur, ſed neque Dioſcorides, neque Galenus iis vtuntur. Ex Plinio Malicorium à medicis dictum intelligimus, quia vulgus coria eo perficere nouit. Gale- *Malico-*
nica medicina barbaris non delectatur. Arabum interpretes difficultate translationis propriæ vi *rium.*
cti quoſdam terminos retinuerunt, qui cum formulis medicinarum in officinas irrepſerunt. Ita medicina vocibus eſt aucta. Diſtingue Galenicam, quæ Græce eſt conſcripta, ab Arabica, & Latina, & non tribue Galenicæ, quod eſt linguæ barbaræ. Deinde illatio tua friuola eſt. Non enim ſi defectu propriorum Arabicis nominibus vtimur tibi integrum eſt inter Saxones ſulphur culinarium (Küchen Schweffel) Arabica, eaque corrupta voce proferre. Tam futili argumento cur non digitum ori apprimebas? Tertio negas neceſſe eſſe abuſu vocabulorum res confundi, & tamen *1. Cor. 14. v.*
audes Hippocratem citare, quod nomina ſint νομοθετήματα ſeu leges quædam, & decreta. An tu *8. Si incertã*
ignoras quod voces ſint ſigna conceptuum mentis, quæ in pronunciatione & ſcriptura ſuſtinent *vocem det*
locum affectionum in animo? Si confundis voces abuſu quodam, neceſſe eſt mentis conceptus, *tuba, quis*
vocibus concreditos, confundi. Si etiam nomina ſunt edicta quædam & ſtatuta, an non debent *parabit ſe*
eſſe certæ, & non fallentis ſignificationis? Edicta naturæ ſunt immobilia. Quarto quam ſcite *ad bellum?*
Hippocratem alleges vide. ἄλογον (inquit) καὶ ἀδύνατον ἀπὸ τῶν ὀνομάτων τὰ εἴδεα ἡγεῖσθαι βλαστάνειν. τὰ *Hippocrates*
μὲν γὰρ ὀνόματα φύσιος νομοθετήματά ἐστι· τὰ δὲ εἴδεα οὐ νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα. Nomina ar- *ab Hypocra-*
tium poſteriora ſunt artibus iam exiſtentibus. Neque enim fieri poteſt, vt artes ex nominibus *tico male al-*
prodierint, cum nomina ſint naturæ rebus certa quadam lege impoſita: Res autem ipſæ ex natura *legatus.*
germinauerint. Si ſunt ſtatuta quædam & decreta communia naturæ, non eſt tibi permiſſum, vt pro libitu eis vtaris, ni velis decretorum naturæ violator audire. Tu Paracelſiam profiteris. Num tuus monarcha decretum fecit, vt ſulphur culinarium vocetur Cribtit? Hipp. in lib. de natura hominis: Quæcunque ego hominem eſſe dixero, ego demonſtrare conabor ſemper eiuſmodi eſſe καὶ κατὰ νόμον (ex ſententia hominum recte ſentientium, & maiorum iudicio, qui ſua autoritate impoſitis nominibus legem fecerunt) καὶ κατὰ φύσιν. Agit ibi de 4. humoribus, quos in homine eſſe leges medicinæ docent, & natura ipſa monſtrat. Iſta νομοθετήματα φύσιος quare Paracelſiſtæ damnant? Qui leges & principia veteris medicinæ violant, & quæ natura ipſa palam oſtendit, negant, reiiciuntque, quales & qui ſunt iudicandi? An non deliri?

Nota L.

De globulo ſtibiali pro ſuppoſitorio.

QVERCETANVS & alii quidam Hermetici non tantum per vegetabilia ſuppoſitoria & enemata ventrem ſolicitant, verum etiam per mineralia, vt cum infuſum vel decoctum croci metallorum, Reguli, florum, calcis & ſimilium ex Antimonio pro clyſtere, vel glandem, aut globulum ex illis pro vulgari ſuppoſitorio ſubdunt. Idem Paracelſiſta Scheunemannus fieri volebat, ſed cum hyperbolico mendacio, *excrementa putria tanta copia eductum iri quantam imperitus vix credere poſſit.* Adiiciebam narrationi in meo Syntagmate rideri poſſe ſuppoſitos iſtiuſmodi globulos. Ratio eſt: quia ſi Cathartica ad ſe trahunt purgamenta corporum familiaritate naturæ, recte mittantur in locum collectionis fecum naturalis, in quem deponuntur etiam à natura, & per quem vacuare plærumque eſt conſilium. Si ſimile ad ſimile iuxta magnetiſmos Paracelſicos fertur, & ſic fit purgatio, quorſum fatigatur ventriculus, per quem tamen non eſt conſilium purgare? Aſt quædam vmbilico admota vacuant, quædam manibus iactata, aut præcordiis impoſita. Argentum viuum quam mirabile eſt effectu? Hîc nullus eſt magnetiſmus, vnde diſcrimen inuentum eſt quædam proprie purgare, quædam potius turbare, quædam abluere; quædam abigere per Theamediſmum. Sed magnetica purgatio ex Hippocrate placuit & Paracelſiſtis. Quo in loco magnes eſt, ad eum fit motus ferri. Qui ergo dicit purgationem eſſe ſimilis excrementi ad ſimile Catharticum tractionem, cæteris partibus omiſſis, rationabilius ei membro purgans admouet, in quod & per quod trahere decretum eſt. Scheunemannus putabat ſuum globulum irriſum eſſe. Nega-

 bam il-

bam illam meam fuiſſe mentem. Occaſione enim accepta à ſuppoſitorio videri poſſe eam opinionem innui, quæ tractoriam catharticam à ſimilitudine petit, & nihilominus medicinas non in aluum, ſed in ventriculum infundit. Rationem ſecus ſuadere quis non videt? Vſus ſuppoſitoriorum eam maxime confirmat, monſtratque ſi vera tractoria ſit, in omnibus purgationibus per inferiora ſequendam eſſe, quod tamen vſus medicandi diuerſus redarguit. Non eſt contentus Schennemanus hac mea declaratione, omninoque putat ſuum globulum à me irriſum eſſe. Quid tum poſtea inquam? Irriſerim ſane & globulum, & globuli ſtultum commendatorem, qui vt magis ſit ridiculus, & à famulis culinariis etiam explodatur, & conſpuatur, magnam mihi mouet ea de re litem his verbis: *Negas globulum meum loco ſuppoſitorij irriſiſſe, quamuis tua verba nihil aliud ſonant,* (Hic rident te Grammatici) *quæ impudenter blaterauiſti.* (at tu impudenter mentiris) *Globulum metallicum loco ſuppoſitorij* (poteſt ex regulo fieri, aut ſtibii vitro, aut calce plumbi vitrificata, &c.) *ridere poſſis. Si enim vera eſt illa attractrix Hypocratica* (hîc te bis rideo: Primum quia non potes correcte ſcribere Hippocratica: deinde quia nec deſcribere emendate: imo adduco Democritum, qui & tertium rideat, quia diſtinctionem omiſiſti) *recte in anum intruduntur medicamina, vt ad locum ſecretionis per familiaritatem naturæ alliciantur: Quibus hiſce poſtremis verbis* (Hæc eſt tua explicatio) *facta hypotheſi comprobas applicationem globuli, iſtu primus irrides. Iam te alio traducis dicens: Non globulos rideo, ſed attractricem ex ſympathica proprietate rideri* POSSE. (Cauſam addis) *quia puto alia de cauſa purgationem exiſtere. Inepta profecto ridendi cauſa, qua ſcilicet ſtulti ſolent omnia irridere, &c.* Adhuc tua verba. Contemplare te quæſo in hoc dementiæ, & inſcitiæ tuæ ſpeculo? Quis te adeo ineptum aſinum non rideat? Male habet tuam *maieſtatem*, & excellentem *Paracelſiam* ſcilicet, quod rideamus ineptias tuas, inſcitiam, & alia ſtulta, quæ tamen nihil eſſe niſi ſapientiam putas. Vlcera tua poteras quieſcendo, & tacendo ſanare.

Ne non ſit ridiculus Scheunemanus ſe totum ridendum & explodendum exponit.

Cum autem non quieſcas, ſed ea ſubinde ſcabas, & refrices, fiunt ſemper peiora. Sanusne es cum omnino vis te irrideri cum tuo globulo? Si ſcripſi: *Ridere queas globulum*, num riſi? Poſſe aliquem ridere, num apud te eſt actu ridere? Cum id de aliis ſcribam in perſona ſecunda, mihine id tribuo? Non ego rideo, ſed alios poſſe ridere indico, quia rationale eſt, vt iuxta magnetiſmos Paracelſicos in eo loco ſit trahens, ad quem trahere eſt conſilium. An non intelligis ſaltem Phyſicam trahentium? Qui per os medicamentum præbet, vt prima & ſecunda regio expurgetur, ille depellit, propulſatque potius, & ſtimulat naturam ad expulſionem, quam trahit. An vero deſunt, qui iſtam familiaritatem explodant? Sed de hac poſtea.

Mendacium impudens eſt, & aſinini iudicii nota euidens, cum ſcribis mea verba nihil aliud ſonare, quam quod irriſerim tuum globulum. Manifeſtum enim eſt me ſic non eſſe locutum. Deinde addita ratio oſtendit non globulum, ſed globuli vſum notari, & ex eo induci, poſſe aliquem ridere opinionem Hippocratis eo argumento. Neque enim ego ſeu globulum tuum rideo; ſeu Hippocratis opinionem, quum purgantium vim aliter explicandam putem, vti eſt etiam diuerſimode à diuerſis tradita. Si comprobo vſum globuli, tam cœcus es, vt nequeas videre me eum non irriſiſſe? Nimirum calumnioſus tuus affectus non ſinit te verum videre, aut ſcribere. Adeo fatuus es vt formam ſermonis non aſſequaris, aut ſi aſſequeris tam maledicus, vt calumniando deprabes? Niſi ſtultus eſſes, diceresne ſtultos omnia ridere ob eam cauſam quam protuli? Quis omnia ridet, quia videtur alia cauſa eſſe? An non hoc iuſtius de Paracelſiſtis dicas? Quid enim non rident illi in Ariſtotele, Galeno, & ſimilibus? Suppeditas mihi bonum argumentum. Ita enim habet: *Qui omnia aliorum dicta ideo irridet, quia putat cauſam propoſiti aliam eſſe, eſt ſtultus.* Sic enim iudicat Dictator in Paracelſia, & ſecundus Monarcha Scheunemannus. Aſſumo: *Paracelſus & Paracelſiſtæ omnia Galeni, Auicennæ, Hippocratis, & omnino omnium Galeniſtarum dicta de fundamentis medicinæ ideo irrident, quia putant alias cauſas eſſe.* Probo: Quia cum illi dicunt contraria contrariorum eſſe remedia, Paracelſiſtæ volunt ideo ſanari morbos, quia ſimilia ſimilibus curentur: Item cum illi de elementis, temperamentis, & humoribus diſſerunt, Paracelſiſtæ ſua principia Chymica producunt, & falſiſſime humores irrident, &c. Morbi fundamentalius noſcuntur ſecundum planetas, quam ſecundum humores. Parac. Tom. 7. p. 100. de magnete. Alibi tria principia producuntur: alibi comparationes cum variis mineralibus, vt Realgare, vitriolo, arſenico, ſale, &c. alibi de quinque Entibus opinio, &c. Concludo: *Paracelſus ergo & Paracelſiſta ſunt ſtulti, & ex conſequente Scheunemannus non eſt ſanæ mentis.* Quod mihi impudentiam tribuis propter nominatam A N V M, ſcito me medicum anatomicum eſſe, & ſcapham appellandam eſſe ſcapham: Deinde & te A N V M eſſe ne ignores. Prodit enim te tua virulenta & maledica Loquentia ἄνυς græce, & latine. Tune adeo pudicus eras cum os tuum pollueres M E R D A Plinii? Eraſne modeſtus cum à te diſſentientes medicos vocares momos, diabolos incarnatos? Qualis eras cum Galenicam medicinam vocares F A B V L A M Galenicam? Nempe cum Paracelſiſtæ omnia argumenta turpitudinis euomuerunt in Galenicos, Galenicus nominata ſaltem A N O, quæ eſt pars corporis humani ad anatomiam medicam pertinens, fit impudens, illi abſque culpa manent viri pudentiſſimi. NB.

Nota argumentum Paracelſicum.

Scheunemanni Encomium.

N O T A L I.

De motu purgantis medicinæ, & ſympathia cum purgandis.

OCCASIONE ſuppoſitorii mineralis incredibilem vim ſecum ad aluum trahentis oritur quæſtio de affectione purgantis, & eorum, quæ purgantur, deque modo.

Scheune-

Scheunemannus fingit quendam motum SYMPATHICVM, quem omnes Philoſophi agnouerint ſolo Libauio excepto, qui non tantum attractoriam illam ſympatheticam neget, verum etiam irrideat. Verba hominis hæc ſunt: *Nullus vnquam Philoſophorum, te ſolo excepto, motum ſympathicum negauit, multo minus irriſit, licet alij aliter eum explicent. Galenus eum à certo qualitatum primarum temperamento prouenire docet, Auicenna qualitati à cœlo & Deo inſtillatæ tribuit, quem Meſues ſecutus, quod magis explicare videtur Fernelius, qui motum ſympathicum formæ rei cœlitus infuſæ aſſcribit. Hunc redarguit Fallopius corporum temperamentum fingens. Cardanus aliter hæc explicat, vt apud ipſum videre eſt. Hermetici omnem actionem à ſpiritibus proxime proficiſci docent, quorum alii mercuriales, alii ſulphurei, alii ſalini, vnde & triplex motus harmoniacus, ſympathicus, & antipathicus. Hunc triplicem motum, qui non intelligit, nec morborum, nec ſanitatis germina nouit. Sic ſympathice ſpiritus ſalinus ſalem mouet, vel trahit mercurialis mercurium, &c. Igitur, vt cum Philoſopho dicam, vnumquodque ſibi ſimile ſympathice ad ſe trahit, mouet, amat, retinet, vt valde imprudentem eum eſſe oporteat, qui hunc motum ſympathicum neget. Purgationem vero non tam à motu ſympathico, quam antipathico fieri arbitramur, quæ alibi declarauimus. Aliud enim eſt purgare, aliud eſt per ſuppoſitoria naturam ad expulſionem irritare, aliud eſt motu ſympathico excrementis dumtaxat immixtum venenum attractiue protrahere. Nam quod aliis contentis vel etiam membris ſolidis adhæret alia via aliis medicinis extirpari oportet. Ideo non vno gladio peſtem debellandam aggredior, vt patet ex præſcripta methodo, vbi quicquid in ventriculo per vomitum, quicquid in inteſtinorum excrementis, per ſeceſſum, ſi quid in aliis viis per vrinam, & ſi quid in ſanguine, vel ſolidis membris, per ſudorem euacuare ſoleo. Quæ ſingula tu ſimulas me non tetigiſſe, ſed ſaltem omne venenum velle per globulum expurgare, qua hæc malitia velle dicta aliorum ad ſuum libitum tornare? Qui fiat purgatio motu antipathico poteris legere in tractatu meo de morbo ſalino, quem breui typis excudendum tradam.* Hactenus iſta.

Mira vis globuli. Totam ſapientiam ex capite, cerebro, pectore, corde, ventriculo, inteſtinis, aliiſque membris, potiſſimum autẽ ſpiritibus Scheunemanni ſic attraxit, vt non tantum quid ipſe ſciret admirabili copia excerneret, verum etiam quid alii. Conſideremus ea paucis. *Admirabilis vis attractiua.*

I. Nullus Philoſophorum te ſolo excepto negauit motum ſympathicum, inquis. Non totum, video, abiecisti Libauium. Debeo tibi ſuauium & palpum. Nam in numero Philoſophorum habes eum, quem prius arcadico pecori & aliis aſſcripſeras.

II. Quis autem quæſo motum ſympathicum, &, vt infra, antipathicum negaret cum exempla impuriſſimorum nebulonum apud Senecam, Martialem, & alios legamus? Habes egregiam hiſtoriam de libidinoſo Hoſtio apud Senecam lib. 1. quæſt. nat. cap. 16. De Pathico Othone iuuenis alibi. Non nego iſtos motus, ſed abominor, & execror cum omnibus bonis.

III. At tu non ſympathicum, & antipathicum volebas dicere, ſed ſympatheticum, & antipatheticum. Memor debuiſti eſſe ſcholaſticæ ferulæ, & prius tuam linguam corrigere, quam ad res iudicandas proſilires.

IV. Iſtud ad Grammaticam pertinet; ſed hoc ad Ethicam & Theologiam, quod me negare motum ſympatheticum inter omnes Philoſophos SOLVM fingis. Quæ te neceſſitas coegit mentiri? Ita inquam: Si cathartica trahunt ſuperfluitates ſimilitudine ſubſtantiæ, quia attractio fit ad locum trahentis, eſtque conſilium per aluum purgare, rectius & rationabilius procurarentur euacuationes per ſuppoſitoria, & enemata. Tua ſublimis induſtria hinc colligit me negare ſympatheticam attractionem. Quid eſt purgare? An non euacuare id, quod eſt in corpore ſuperfluum, & præter naturam in aliqua cauitate, ſtabulatur, vnde euacuatur, ſeu expellitur, vt locus fiat ab illa materia vacuus, & purgatus? Purgatur, inquit Argenterius lib. 1. aph. 2. quod manet, euacuatur, quod ſubtrahitur & eiicitur. Si hoc fit per magnetiſmum, in quo id, quod trahitur, fertur ad trahens propter familiaritatem naturæ operantibus ſpiritibus, non nego ſympatheticum motum, ſed ſi is in purgationibus fit, recte procurandum inſinuo. Si autem non ita fit purgatio, ſed etiam per os, nares, aures, oculos, vterum, poros, veſicam, inteſtina, &c. etiamſi medicamentum in ventriculum ſit immiſſum, aut foris ſaltem admotum, an non recte concluſi dubium, vel nullum eſſe illum modum, quo dicitur purgatio fieri per attractionem ſimilis ſecundum ſubſtantiam, aut totam naturam? Dii te donent aliquo Mercurio, qui Midæ & cumani pecoris inſignia tibi detrahat.

V. Si ego culpandus ſum quod euacuationem non per attractionem ſimilis ad ſimile, vt in magnetiſmo, fieri ſtatuam, ſed alio modo, qua ſcutica tu & tui gregales eſtis digni, de quibus ſcribis, quod arbitremini purgationem non tam à motu ſympathico, quam antipathico fieri? Imo & tractatum de re illa promittis, quaſi tuæ ſapientiæ relicta.

VI. An autem omnes Philoſophi (de medicis Phyſicis dicere debueras) in catharticis, ſeu purgantibus proprie ſic dictis ſympatheticum motum agnouerint, & profeſſi fuerint, admonebunt te diſputationes veterum & recentium, quarum aliquas videre potes apud Galenum in libello περὶ τῆς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων δυνάμεως. Plures collegit Franciſcus Valleſius lib. 9. controuerſ. cap. 1. Paracelſus tuus in lib. de tribus primis cap 2. purgandi vim aſſcribit ſali, qui vt ex certis membris euacuet, ab Archæo cuiuſque accipere dicitur. Similitudinem cum partibus hic video, non autem cum rebus, quæ vacuantur. Num Philoſophum eum aut medicum Phyſicum eſſe velis diſpicies. Ita in lib. de modo pharmacandi tract. 2. & 3. humores plane reiicit, & ſtercora eſſe id, quod expurgatur, tradit. Conſidera & hic ſympathicum tuum motum, num ſtercoribus ſit ſimile id quod vacuat, & non potius membris; Item cur quod familiaritatem cum membris habet, non potius cum eis maneat, aut ſi ſtercora ideo trahit, quia cum membris habent cognationem, cur non colliquet membra ipſa, & ad ſe colliquamenta alliciat, quæque ratio ſit ἀλαγώγων, quæ omnia ſtercora debent ſimilitudine allicere, & magnetice trahere, cumque in ipſis ſint elementa & prin-

cipia, ſpagiritiaque naturali ſeparetur purum ab impuro, & aſtra retineant aſtralia, excrementa vero abiiciant, & egerant, naturaque malum & corruptum à bono & integro ſeparet, poſſitne ſtare euacuatio per catharticum cum illo ſimilium magnetiſmo. Sed de hoc poſterius.

V I I. Omnes Philoſophos motum ſympatheticum dicis agnouiſſe, alios tamen aliter eum explicaſſe. Verum tu cogita non ſermonem eſſe an inter ſe aliqua amice afficiantur, & congregentur, ſed de his, quæ euacuantur medicina Cathartica, quæ quia naturæ aduerſa eſt, pharmacum dicitur, habens commune cum venenis nomen. Quale nutrimentum, tale excrementum naturale. Alterum alteri eſt analogon. Quod trahit nutrimentum ſympathia membrum eſt, licet Hipp. in 1. de diæta tractionem ignoret. Quod trahit excrementum eſt pharmacum. Neceſſe eſt, vt hoc etiam nutrimento & membro ſit familiare. Atqui relictis duobus tantum vnum auffert, quod & natura per ſe abigit, ſi eſt fortis. Explicent ergo ſe Philoſophi.

V I I I. Procedit Galenus, quem ais docere, quod motus ſympatheticus proueniat à certo qualitatum primarum temperamento. Ita loquitur in V. Simpl. cap. X V I. ὅτι καὶ ἕτερόν τι γένος ἑλκτικῶν φαρμάκων οἰκειότητι ποιότητος ἀποσωζόμενον, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὁμοιότητι τῆς ὅλης οὐσίας. θερμὰ δ' εἶναι χρὴ πάντα τὰ τοιαῦτα. Τῶν γὰρ ὁμοίων ταῖς οὐσίαις τὸ θερμότερον ἑλκτικώτερον ὑπάρχει. Δυσὶ γὰρ αἰτίαις ἕλκει, &c. vult calorem & ſimilitudinem totius ſubſtantiæ in idem opus incumbere, quo fiat tractio ſimilis, ſeu cognati, vt & in nutritione, quæ ex Hipp. ſunt traducta, qui in lib. de natura hominis eadem ſcripſit.

Valleſius tractionem aſſcribit calori; ſimilitudinem vero ſubſtantiis. Calor autem ille non ſimplex eſt, ſed temperamento exiſtit. Si itaque aliud eſt ſubſtantiæ ſimilitudo, aliud temperamentum calidum, vide num verum ſcripſeris. Si qualitatum temperamento putauit tribuendam eſſe τὴν ἑλκτικὴν τῶν καθαιρόντων, quid opus erat ea in ſingulare genus, quod non calore, ſiue connato, ſiue per putredinem acquiſito trahit, ſed calore & familiaritate ſubſtantiæ ſimul conijcere? Tuus amicus Hartmannus totam Galeni ſubſtantiam ſcribit eſſe calidum innatum cum humido primogenio, & ſpiritu, vitale illud ſulphur, &c. Sed ego hanc litem litigare in præſens nolo.

I X. Prodit Auicenna. Hic te iudice motum ſympatheticum tribuit qualitati à Deo & cœlo inſtillatæ. De ſolutiuis ait libro 1. Fen. 3. capite quarto: Scito quod medicina ventris ſolut ita expellit illud, quod euacuat cum virtute attractiua, quæ attrahit hunc eundem humorem. Videtur Galenus ſentire quod inter attrahentem medicinam, & humorem attractum ſit conuenientia in ſubſtantia, & propter hanc attrahat ipſum, ſed hoc non eſt verum, quia ſic ferrum præualens attraheret aliud ferrum, &c. Ipſe vult attractionem humorum fieri vſque in ventris inteſtina, vnde poſtea natura moueatur ad expellendum: quia medicina velociter petat inteſtina & ad ea trahat: ſed & natura ipſa accedat, quæ conſueuerit ex meſaraicis ſuperfluitates ad inferiora expellere.

Sic & Fallopius capite quinto de purgat. medicina euacuat per accidens, quia attrahit humorem ad locum, in quo ipſa eſt. Pars ſtimulata ab humore & pharmaco expellit vtrumque. Debebat dici attrahens, ſed ab vltimo actu vocatur purgans, &c. Verum hæc explicanda ſunt exactius. Vix inuenias per omnia conſentientes. Neque vero culpandus eſt ſi Deo tribuit illam trahendi proprietatem, & mauult ad talem naturæ ſingulorum creationem confugere quam opinionibus in incerto fluctuare. Interim libro primo Fen. 2. doctr. 2. capite decimoquinto diſtinguit operationum modos, quod alius ſit à qualitate, alius à materia, alius à tota ſubſtantia, de qua notanda ſunt hæc verba: Operans ſua ſubſtantia eſt, quod operatur ſua forma ſpecifica, quam acquiſiuit poſt complexionem, &c. Hæc forma non eſt qualitatis primæ, quas habet materia, neque eſt complexio, quæ generatur ex eis; ſed eſt perfectio quam acquiſiuit materia ſecundum aptitudinem, quæ fuit ei acquiſita ex complexione, ſicut in magnete virtus attractiua: Eſt ſicut color, odor, anima, aut alia forma de non perceptis ſenſu; vnde paſſiones & actiones producit. Vocamus hanc operationem à tota ſubſtantia, ſcilicet forma ſpecifica, & non qualitate, &c. Hæc Auicenna, quem ſi interroges, vnde ſit illa ſpecifica forma, reſpondebit ab aptitudine, quam temperamentum in miſtione produxit. Qualis enim præparatio fuit, talis ſuccedit forma Deo donante vnicuique ſuum modum.

X. Meſuen & Fernelium Auicennæ iungis. Verba Meſuæ ſunt: Medicina laxatiua non eſt à temperamento, ſed quia talis: neque vt contrarium in contrarium, quia contrarium, ſed quia talis: Et neque quia ſimile eradicatiuum huius vel attractiuum, aut contrarium, ſed quia tale: Et neque quia graue, aut leue agitatiuum ſuperius, vel inferius, ſed quia tale, ſeu vt Syluius exponit, qui talem facultatem cœlitus eſt ſortitum. Dotatur enim omne duplici virtute, vt aiunt Philoſophi (Chymici) Elementari, ſcilicet communi, & cœleſti propria. Solutiuum non eſt, quia calidum aut frigidum, ſed quia cœleſti virtute dotatum ſicipſius miſtionem regulante. Natura dotauit res proprietatibus. Omnis enim res ſecundum quod meretur à ſpecie ſua agit, quod proprium eſt. Abſurdum igitur fuerit exiſtimare à ſimili trahi ſimile: Contraria autem non ſe attrahunt, ſed ſe mutuo fugant: quæ contra Galenum dicta eſſe nemo non intelligit, quanquam cum alii explicent, quod non intellexerit qualitatum ſimilitudinem, ſeu craſees, ſed ſpecificæ formæ & occultæ qualitatis. Porro Meſue dicit vacuationem eſſe opus naturæ; medicinam laxatiuam eius inſtrumentum, &c. Omnino Auicenna & Meſues Chymicis aſtipulantur, qui attractiuam iſtam aſſcribunt ſpiritualibus eſſentiis. Nam Meſues extracta appellat formas ſpecificas. De cæteris non opus eſt, vt multa verba fiant. Fallopius miratus eſt purgantium naturam, vt & argenti viui & magnetis. Fernelii definitionem carpit, quod purgatio non tantum ſit qualitate, ſed & quantitate noxiorum vacuatio.

Fallopius in tract. de medic. purgant. ſimpl.

Eſt enim

Eſt enim eductio alicuius noxii & determinati in corpore per medicamentum purgans, quod fieri duabus de cauſis ſtatuit: I. Facultate medicamenti attrahentis humores peccantes. II. Expulſione partium ſtimulatarum ab humore ſtimulante tunc cum eſt ſeparatus, quo ſeparatio incipit aduentante Pharmaco. Huius enim partes tenues diffunduntur per corpus & humores attrahunt, craſſioribus interim manentibus in ventriculo. Id, quod trahitur, mouetur à ſeipſo ad id, quod trahit, vel vt acquirat perfectiorem naturam, vel propriam conſeruet. Carpit Fernelium etiam cap. 4. de ſimilitudine ſubſtantiæ, quam voluerit eſſe formam ſpecificam, cum intelligenda ſit natura corporea habens tale temperamentum ex 4. qual. conflatum. Hæc & alia Falloppius, qui multus eſt in aliorum ſententiis refutandis, vt & Eraſtus, qui tandem ſtatuit virtutem purgatricem in elementaribus qualitatibus materiæ inhærere tantum. Lege quæ ſcripſit de natura purgantium ad Grynæum, & lib. de occultis proprietat. medicinarum. Iam opinor patebit quam recte ſcripſeris de Sympathetico motu, quem omnes complectantur, & quam bene Fallopio tribueris, quod finxerit corporum temperamentum, cum expreſſe ſcribat iuxta Hipp. pharmaca trahere humores determinatos, ad quos potentiam habeant, ſeu vapores egreſſos à pharmaco incitare ſimilem humorem, qui poſtea ſua ſponte ad pharmacum moueatur. Itaque ſimilitudinem item profitetur, & ſimul calorem pharmaco iungit, vt trahat, non autem trahatur. Itaque defendit Galenum contra Auicennam, Meſuen, Cardanum, &c. negans ſimilitudinem eſſe temperaturæ, aut manifeſtæ qualitatis, quia ſit ſolum ſubſtantiæ, &c. negat item Cardano * attractionem fieri à partibus viuentibus imbutis vi medicamentorum: de quibus omnibus opus foret ſingulari tractatu.

Cardani ſententia, quod partes à medicina trahente affectæ ſimul trahãt ratione corpulentæ partis purgantium in ventriculo, & inteſtinis, nõ eſt vſq; adeo mala: ſed nõ ratione ſpiritualium. p. 122. baſil.

XI. Hermeticis aſſcribis quod omnem actionem proximè à ſpiritibus fieri doceant, qui ſint mercuriales, ſalini, ſulphurei. Hartmannus principia hypoſtatica dicit eſſe cauſas propinquans actionum, & explicare occultas proprietates: Materiam primam vult eſſe originem actionum omnium: formam ait continere omnes cauſas propriæ ſpeciei, conſenſus & alia adiungere; ignem omnia in vniuerſum mouere, qui ſit naturæ: calido innato omnia viuere, eademque morborum curationes abſolui. Crollius Cathartica negat operari qualitatum primarum ratione, ſed occulta proprietate, & forma ſpecifica, ſeu totius ſubſtantiæ proprietate, quæ caloris impulſu, & cœleſti vi incitante humorem ſibi familiarem ad excretionem expellit. Hic valde galeniſſat, & humoriſſat. Quercetan. in defenſ. cap. 7. ait ſali amariſſimo vim purgatricem ſemper fuiſſe tributam, cuius amaritudo ſtipetur irritante quodam ſpiritu, cuius vi eiuſmodi functiones obeantur. Cum enim ſpiritus ſpiritibus facile connectantur: vitales expultricis noſtræ facultatis ſpiritus facile à ſpiritibus ſalinis prouocari ad eorum excretionem, à quibus irritantur, quia benigni noſtri ſpiritus nequeant ferre ſalinos mordaces, quin eos tota vi commoti & irritati excludant. Cap. VIII. Illos ſpiritus diſtribuit in mercuriales, qui cœleſtes ſpiritus mutuentur à ſole, luna, mercurio: Arſenicales ex ſulphure, qui excipiant ſpiritus Martis & Veneris: Antimoniales ex ſale ortos, qui Iouis & Saturni proprietates concipiant. Hæc & alia Quercetanus. Seuerinus in Idea ſic explicat purgandi rationem. Spiritus remediorum, inquit, in ventriculo reſoluti, in vapores conuerſi potentius *Cap. XV.* penetrant, & non ſolum vegetabiles, ſed & minerales impuritates conſumunt, in vapores vertunt, & efferueſcentias ægro moleſtas excitant. Impuritates reſolutæ vel ad aluum, vel ad gulam, vel cor, vel cerebrum vertuntur, vnde grauiſſima ſymptomata. Tandem ablatis impuritatibus ſanitas reſtituitur, &c. Aliter: Pilulæ attrahunt excrementa inteſtinorum, vel aliarum partium, & deii- *Cap. XIV.* ciunt. Item purgatio eſt reſolutio, ablutio, vel mundificatio, &c. Hæc ille: Vult ſcilicet impuritates *Cap. XV.* reſolui per ſpiritus medicaminũ habentium proprietatem ad id faciendum. Non male dicis Hermeticos ſpiritibus aſſcribere purgandi virtutem, neque id puto aduerſari Galeno, Hippocrati, & qui eorum ſententiam ſequuntur, vti neque Auicennæ & Meſuæ. Sed in hac tamen diſſenſus eſt etiam inter tuos Hermeticos, quod alii velint antipathia, alii ſympathia operationem fieri, item alii attractione, alii reſoluti excuſſione per naturam irritatam. Videbis ergo quo modo concilies omnes Philoſophos in vno tuo motu ſympathetico.

XII. Tu ais ſpiritum ſalinum ſalem mouere, vel trahere mercurialem mercurium, &c. At hoc neque Quercetanus conceſſerit, neque Seuerinus: Et tu tecum rixaris. Si enim in purgatione fit attractio ſimilis per ſympathian, non per antipathian: Et ſi vnumquodque ſiue purgando, ſiue alio modo operando iuxta Philoſophos ſimile ad ſe ſympathetice trahit, fitque attractio etiam in purgatione, antipathia inter purgans & purgandum non erit. Natura quidem à medicamento vim patitur, & ſic ſe ἀντιπαθῶς habet, at non id quod purgatur, ſi vera eſt actio ſympathetica in purgantibus. Quod autem dicis attrahens attractum mouere, amare, retinere, mirabile eſt in purgantibus. Paracelſus tuus dicet pharmacum ſic amare debere ſtercora: Et quid fiet in panchymagogis & compoſitis? XIII. Aliud eſt purgare, aliud globulo ſeu ſuppoſitorio naturam ad expulſionem irritare, facile tibi concedo: at tu non irritationem tantum, ſed & purgationem moliebaris, ſicut & fateris loco citato. Verba tua ſunt: Zugleich auch die runden globulos, ſo von einem geſunden Mineral/ welches durch ſeine Sympathiſche Eigenſchafft das Mercurialiſche vnd Arſenicaliſche Gifft an ſich zeucht/ wie es die Erfahrung in macrocoſmo gibt/ in den Afterdarm ſtoſſet/ thut ſolches außtreiben/ ꝛc. Ecce: Non irritationem ſed expulſionem tribuis tuis globulis, & vim non antipatheticam, ſed ſympatheticam attractiuam. Adeo certus es de tua ſententia. Quod ſi ſimul irritationem & attractionem ſtatuere voluiſti, de antipathia naturæ, ſympathia vero medicinæ & ſtercoris dixiſſes, quanquam irritationem non ſoleamus antipathiæ voce deſignare. Verum vobis ſolenne eſt variare. Vnde & mirabilius philoſopharis, dum aliud quoque eſſe purgare ſcribis, quaſi id neque per irritationem fieret, neq; per ſympatheticam proprietatem, quam tamen in peſte tua ponis. Num ergo iam tuus globulus non amplius attrahit venenum ſympathice, ſed à ſe abigit an-

 tipa-

tipathice, vt loqueris? Si hoc verum eſt, tui patientes retinuerunt feces, & non copia incredibili egeſſerunt. Mirum vero globulum ſi ſympathice traxit, & veneno gauiſus ita eſt, vt amauerit, & retinuerit. An non ipſe quoque venenum aſtrale fuit? XIV. Te non vno modo & via vacuare patet ex peſte tua. Sanuſne ergo & ſobrius eras cum ſcriberes me ſimulare, quod iſtos modos non tetigeris? An tu etiam ſtudioſe, & ex proæreſi mentiri ſoles, & calumniari? XV. Vtrum autem velis omne venenum per globulum expurgare an non, penes te eſto. Libellus tuus vomitu ſuperiora vacuat, & ſimul inferiora globulis: inde præbet ſudorificum, tandemque diureticum. Globulis incredibilem quantitatem excrementorum putrium extrahi docet. Sequitur hinc, quicquid in aluo eſt corruptum, id omne expurgari catharticis globulis, & quia reliquæ vacuationes fiunt per Emetica, diaphoretica, & diuretica perficiuntur, non immerito quis tibi aſſcriberet catharticis globulis omnem purgandorum copiam reuelli. Nam in curatione non aliud habes catharticum. Quæ ergo hæc malitia tua velle dicta aliorum pro ſuo libitu corrumpere, & calumniari? XVI. Tandem ablegas me ad libellum tuum ſalini morbi, ex quo diſcam quî fiat purgatio antipathico motu. Ridiculum. Ego tibi ſuadeo, vt eum ſupprimas. Nam perdes nomen Philoſophi, qui ſympathicum motum aſtruit. Si non meliora hactenus editis dabis, rectius ſilebis.

NOTA LII.

Num oleum magnetis tam fortiter trahat ferrum, vt ex pariete clauum euellat.

» VERBA tua hæc ſunt: *Falſum dogma Theophraſti Aſtro magnetis ferrum fortiſſime trahi, fuiſſe compertum ais, ſed quo authore? Veritas comprobata eſt PRAGAE in eo, qui cultellum deglutiuerat, quem chirurgus quidam Paracelſicus emplaſtro ex aſtro magnetis, oleo ſuccini, & aliis attrahentibus facto per tunicam ventriculi, & cutim extraxit & ſanauit.* Et hæc ſunt tuæ inſcitiæ inſignia. Paucis te refuto. Ioh. Baptiſta Porta in ſuis magicis I. hæc habet: *Magnes inter prunas cæruleam edit flammam ſulphuream & ferream, qua diſſipata ſimul amittit attractiuam abeunte anima qualitate.* II. Cap. 50. ita ſcribit: *Nec nutritio, nec Paracelſi in oleo ferri extinctio auget vim lapidis. Ignitus magnes vim amittit, & Paracelſus ſcripſit rem falſam, & deteſtandam. Ignitum quoque ferrum affrictum magnete vim amittit, & acus prius ignita, poſtea affricta, vim non recipit.* III. Ad te ſpectant quæ cap. 53. ſcribit: *Multi ſunt literatores apud me ignari, ineptique ſemper habiti, ſemper antiquos ſcriptores conciliare nitentes & mendacia excuſare, &c.* lege & ſequentia. IV. Audi Anshelmum Boetium à Bood lib. 2. Gemmarii cap. 252. *Magnetis vires* (inquit) *in immenſum augeri poſſe tradit Theophraſtus Paracelſus* (lib. 7. de tranſmutationibus: Tom. 6. pag. 311.) *ita vt etiam ex pariete clauum extrahere poſſit, ſi ignitur. Deinde in oleo Martis* (croci Martis, vel ferri Carinthii, quod deſcribit Anshelmus cap. 253. in Opodeltoch) *multoties extinguatur. Sed diſcipulos ſuos decipit, cum magnes igne vires omnes amittat, ac ſpiritus ille vitrioſus tanquam anima magnetis, & cui vires omnes inhærent, ignis iniurias non ferat, & à corpore ſuo colore ſubcæruleo expellatur, ac tantum cadauer, quod nunquam ad vitam redigi poteſt, poſt ſe relinquat.* Hæc Anshelmus alter teſtis, ne deinceps quæras ſtulte quo autore, quaſi Libauius ſit tui ſimilis vetula, quæ temere effutit, quæ in buccam veniunt. V. Experire vero & tu ipſe, ſicut ego. Rem inuenies, vt dictum eſt, quanquam verba Paracelſi videantur moderatiora eſſe. Inquit: *Magnes in igne carbonum debet calefieri, & tamen non candefieri, deinde extingui oleo croci Martis, ſeu ferri carinthij optimi, vt patet quantum poteſt, &c.* Spiritus ſulphureus magnetis ignem carbonum non tolerat. Neque enim eſt fixus vnde & mirum quod de *Oppodeltoch* narrat in lib. de præparationibus: Magnes præparatus per reuerberationem, ſeu cæmentationem cum calce ouorum (quæ poſt cæmentationem gradus quarti eſt tollenda) contuſus & miſtus *Oppodeltoch* egregie operatur in vulneribus & vlceribus. Si præpares, tundas & miſceas emplaſtro Apoſtolico, egregie trahit. Mirum etiam quod lib. 6. Archid. tom. 6. p. 61. magiſterium magnetis vitra intrare ſcribit, & facere attractiua ad formam magnetis materialis, quia hæreat in vitro, idque tingat ita vt vitrum attrahat acus, & paleas, &c. quæ fortaſſe ſunt intelligenda de magnete per vitream tabulam operante, vt & per ligneas & alias. Si vitri conflaturam intelligit, credat Iudæus Apella, non ego, qui didici magnetis vim igne perire. VI. Quod attinet ad emplaſtrum eius, qui dicitur deglutitum cultellum ex ventriculo per tunicas eius, & peritonæum, cæteraque connata vi magnetis emplaſtro adiecti traxiſſe, id nō eſt ad Rhombum. Quo autore tu probas illum vſum fuiſſe aſtro magnetis, & non magnete ipſo in emplaſtro? Deinde quo conuinces illum magnetem fuiſſe oleo Martis aliquoties extinctum, & ſic exaltatum vt potuerit ex pariete clauum trahere? Anshelmus Boethus lib. 2. de Gemmis cap. 253. & Felix Wurcenius parte 4. ſuæ chirurgiæ, & alii quorum deſcriptio eſt in meis aduerſariis magnetem extinguunt quidem in oleo Martis, vt ad vulnera & tumores œdematoſos acquirat vires maiores: At iſtæ non ſunt tam mirabiliter attractiuæ, & Crollius ſuo emplaſtro ſtictico, quod vltra omnia euehit, magnetem ſaltem puluerатum addit. Nullus vtitur aſtro Martis in Emplaſtro. Non eſt idē infixum parieti clauum, aut paxillum ferreum trahere, & ex corpore carneo ferramentum. Narro tibi veram hiſtoriam. Quidam exploſurus bombardam trochleam maſculam caudatam intorſerat in radices narium, vbi eſt meſophryum adeo vt totum ferrum intus eſſet. Imponebatur Empl. de magnete fruſtra. Nam ampliato loco vix forcipe extrahebatur. Eius trochleæ ſpecimen apud me habeo. Quod ergo dicis Paracelſici commenti veritatem comprobatam eſſe Pragæ, veritate tua dicis, hoc eſt, Paracelſica fabuloſa, & mendace. Ex Crollii pag. 64. id hauſiſti: Sed cum tuo mendaciſſimo additamento.

Lib. VII.

In tom. 6. pag. 311. lib. 7. de tranſm. rerum naturalium.

Notet hoc Crollius.

Stultitia Scheunemani, qui autoritates quærit, vbi res poteſt in manu eſſe.

NOTA

Nota LIII.

An globulus ex Antimonio poſſit dici metallicus.

OBlitus ſum pulchellam quæſtionem de tui globuli viribus. *Aliud eſt purgare*, inquiebas, *aliud eſt per ſuppoſitoria naturam ad expulſionem irritare, aliud motu ſympathico excrementis duntaxat immiſtum venenum attractiue protrahere.* Hoc tertium tu proculdubio tuo globulo aſſcribis, vt qui ſympathia quadam, & vi magnetica ad ſe trahat martiale venenum, quanquam ex magnete non ſit conflatus, Et tamen ſimilitudo inter martiale trahendum, & magneticum trahens requiratur iuxta Paracelſum in Tractatu de magnete, vbi inquit: *In magnete eſt virtus attractrix omnium morborum martialium in toto corpore:* Item: *Magnes trahit omnes martiales morbos ex vno loco in alium, vt fluores mulierum, alui fluxus &c. Debet autem poni ſuper centrum morbi vnde primus eſt exitus, vbi materia ad centrum reuocata eſt, expurganda eſt per emunctorium naturale.* Vide & reliqua. Tu non recte obſeruaſti hoc præceptũ. Debuiſti enim peſtem tuam ad inteſtinum rectum trahere, & poſtea ſubdito globulo expurgare. Sed fortaſſe tibi aliud eſt morbus, aliud excrementum alui. Dic autem ſi quis globulum metallicum ex Antimonio deglutiat, & ſic purgetur, collectumq́; ex fecibus, & ablutum ſæpius in eundem vſum reuocet, vt eſt apud Quercetanum, num ille tuus itidem non purgat, ſed motu ſympathico attractiue protrahit? Quæ vero etiam eſt ſimilitudo tractiua inter globulum tuum aſtralem (Tua enim medicamina te iudice ſunt aſtralia & fixa) & feces alui? Inter magnetem martialem, quem oportet eſſe globulum iſtum ſi martialia trahit, & mercuriale venenum, quod item trahit? Num ſemper ſunt in aluo martialia, & mercurialia, quia vitrum ſtibii & Regulus idem eodem vſu operatur ſemper? Expectabimus quid ſis reſponſurus. Iam ad propoſitum.

Qua vi ſuppoſitorium ex ſtibio aluum moueat.
Nota de attractrice Paracelſi.

Verba tua ſunt: *Globulos ſphæricos tuos ex* (vel de: vtrum placuerit) *ſalubri minerali. quod proprietate ſympathica*) ſtulti tui commenti, & fœdiſſimæ turpitudinis) *Mercuriale & Arſenicale venenum attrahat &c.* Ego in meo ſyntagmate appellaueram globulum Metallicvm. Hac vnica voce tota Caci ſpelunca, cum camarino, & omnibus crabronibus eſt commota. Scheunemani ſtomachus verbum iſtud concoquere non poteſt, ſed iterum, iterumque ebulliendo inſtar Æthnæ aut Veſunii ardentis eructat, vt Vulcanus crepidas Empedoclis qui cum Deus immortalis haberi vellet ardentem frigidus Æthnam inſiluit. Ecquid autem rei eſt? Probaueram diuerſis autoribus terminum Metallicvs capi generaliter, & ſpecialiter, & erat ratio non tantum ex Generalitate, verum etiam ex ſpeciali vſu. Plætique enim ſtibium & Bismuthum metallis, atque adeo plumbi generibus accenſent, ſicut Paracelſici ſuum mercurium: aliqui etiam ſulphur, & arſenicum. Quercetanus matricem metallorum, Henningus noſter patrem æris appellat. Sed Libauium nihil iuuat. Scheunemani Lemures ſunt implacabiles. Itaque in hæc verba eruperunt.

Malus Scheunemani ſtomachus
Crabronum nidus eſt.
Vox metalli & metallicus.

Deniq́; laboras in eo, vt demonſtres MINERALE & METALLICVM vnam eandemque rem ſignificare. Summa totius diſcurſus hæc eſt: Dioſcorides in genere proponebat περὶ παντὸς μεταλλικοῦ: Item Cæſalpinus tres libros de metallicis edidit, in quibus variæ terræ, ſales, & omne pene foſſilium genus. Ergo ſunt idem. Inepta illatio. Ratio eſt: quia inſcriptio libri fit à potiori, & nobiliori. Simili res fiet manifeſtior. Aſtrologi in libris de motu orbium cœleſtium, in quibus accurate motum orbium cœleſtium indagant, multa explicant de natura terræ quod non ſit Tympanoides, ſcaphoides, ſilindroides, pyramoides, vel cuboides (ad ſcuticam) *ſed rotunda: Non tamen propterea orbes cœleſtes ſunt idem quod terra, nec vnum pro altero ſumi aut intelligi poteſt. Quod dicis metalla alia vera, alia media &c. lapſum tuum non emendat. Authores à te citati biſmuthum, ſtibium, arſenicum* (*archenicum fuit error typographicus, ſed quid ad Fernelium qui arrhenicum ſcribit*) *Cadmiam vitriolum vera eſſe metalla nequaquam aſſerunt. Ergo nec ſimpliciter dici poſſunt metalla, ſed METALLA media, vel infima, & conſequenter quod ex iis confectum, ſimpliciter abſque additione metallicum dici nequit, alioquin non tam accurate in claſſes ſuas foſſilia diſtribuiſſent. Nullus foſſilium penitus negabit metalla eſſe foſſilia. Recte vero negabit omne foſſile eſſe metallum.* Es iſt nicht alles Goldt was glänʒet (*non omne nitens eſt aurum*) *quia ſtibium, lapides, ſulphur, cadmia, &c. non ſunt metalla, quibus metallorum definitio non competit. Tu ex propria confeſſione ad ſuperſtitionem in comparandis foſſilium generibus curioſior, quæſo da mihi particulam ſulphuris, vel ſalis malleabilis, ſi metalla ſunt erunt malleabilia, ductilia &c. Ego viciſſim hoc munus glauco ſulphure ſi tibi hoc rarum remunerabo.*

An minerale dictum poſſit eſſe metallicum.
Ad virgam Ad ſcuticam

Hæc tu verboſiſſime. Horatius meminit quorundam poetarum ineptorum, quod quem arripuerint, teneant occidantque legendo. Tu nugis tuis & garrulitate odioſiſſima videris mihi eodem animo fuiſſe. Sed per Dei gratiam viuo, & tibi examen tuæ loquacitatis ſtultiſſimæ remitto.

I. Mendacium tuum eſt, quod minerale & metallicum pro eodem à me habeatur. Cum quo ergo luctaris? cum Lemuribus, & laruis cerebri tui fatui. Nego eſſe idem minerale, & metallicum, licet aliquando alterum alteri ſubſtituatur, & ſignificatio nominis metallum dilatetur. Interim vero globulum tuum metallicum abſque errore vocaui, tum quod tales ex metallis fieri poſſint, tum quod, ſi ex ſtibio eſt, ſtibium inter metalla recenſeatur, maximeque Regulus eius, qui in vſus iſtos ſolet conuerti, vnde & plumbum appellatur à Dioſcoride, & aliis. Sed & philoſophorum plumbum Antimonium à quibuſdam vocatur: Philoſophi vero in ſuo magiſterio magno de principiis metallorum, & metallis per ſe tantum ſcribunt. Reliqua mineralia adminicula eſſe poſſunt, ſed materiam non ingrediuntur. Quod ſi & alia non mercurialia metalla appellentur, cur non ſtibium? Sed ad ſtultum hominem temere verba fiunt.

Mendacia Scheunemani. II. Dicis me laborare vt demonſtrem minerale & metallicum vnam, eandemque rem ſignificare. Vt mentiris in Theſi, ita & in Theſeos explicatione. Egone laborem vt contra tuã ſtultitiã aliquid demonſtrem? Docilem te eſſe putaui. Ex cognitis & in Muſæo meo obuiis documenta contra tuam opinionem protuli. Nullo labore aduerſum te eſt opus, niſi quod ſcriptio, ſeu exaratio literalis, & lectio tot fœdiſſimarum nugarum, & ſtoliditatum non vacent tædio. Niſi ſtudioſis verarum rerum conſulendum putaſſem, ad cloacinam tuas chartas miſiſſem, quæ ſolo ſui intuitu ſe ipſas confutant.

Inepti Scheunemani inepta illatio. III. Fingis ex Theſi & mutilato argumento enthymema, deq; hoc pronuncias, quod ſit inepta illatio. Non opus eſt vt perſuadeas. Credo tibi haud inuitus. Quia enim tu eam parturiiſti, ex quo ineptiſſimo non poteſt naſci aliquid aptum, recte iudicas ineptam eſſe: Iudicas aut non quod iudicio aliquo induſtrio polleas, *cum totus ſis fatuus,* ſed forte fortuna incidiſti in hoc, ſicut & procul dubio in ſanationes iuxta pronunciatum *Hippocratis.* *In lib. de arte*

IV, Obiicis *Dioſcoridem*, & *Cæſalpinum*. Vbi *Galenus, Agricola, Mattheſius, Plinius?* Cur non Lexicon ſaltem, & *Calepinum* inſpiciebas, ſi nolles damnari ad metalla argenti viui, ſulphuris, & aliorum quæ veteres communi nomine metalla appellabant? Autores mei metalli nomine generaliter vtuntur. An mihi non liceat ipſos imitari?

V. *Inſcriptio* inquis, *fit à potiore.* Tametſi mentiaris: Nam autores ipſi vocem hanc ſic explicant, & in ſpecie quoque definiunt quædam mineralia non malleabilia, metalla (ſic Plinius miniarium metallum & metallum minii? Apud Ariſtot. in mirabilibus de Demoneſo ἔχει ὁ τόπος κυανοῦν τὸ μέταλλον, καὶ χρυσοκόλλης. Hoc ſal. 56.. Sectione 50. Lydiæ metalla pro loco ex quo effodiuntur. Ita ſect. 40. Macedoniæ metalla:) tamen pone ſic eſſe. Transfertur ergo nomen ſpeciale ad foſſilia in genere, & non ad illa tantũ, ſed & ad artificialia quæ fiunt inter conflandum. Deinde qui autores metalli vocem generaliter explicarunt, & commentarios de metallis conſcripſerunt, apud eos non ſunt potiora illa ſex ductilia & malleabilia, ſed cætera tam naturalia, quam factitia, quorum hiſtoria maior pars commentariorum conſumitur. Si à potiore factæ ſunt inſcriptiones, à cæteris mineralibus ſunt ſumtæ. An tu vero vnquam didiciſti aut cogitaſti aliud eſſe metallum, aliud rem metallicam? Qui inſcribit libros de rebus metallicis, is non accipit titulum ex ſynecdoche, ſed vniuoce vſurpat, & de omnibus agere poteſt, quæ ex principiis metallorum, & metallis naſcuntur, & arte fiunt. Quid ſi etiam de fumis & foſſoribus metallicis, & ſpecubus, & aquis? Sed tu ſtultus es. Itaque & ſtulte argumentaris, & iudicas.

Aſtrologi. VI. Qui vero ſunt iſti Aſtrologi qui de orbibus cœleſtibus, eorumque motu proponentes, tractant ſub eodem titulo de terræ figura quæſtiones? Si ſunt quidam, violant methodicam ſcientiarum informationem, tuque vitio eorum tuam ſtultitiam non potes excuſare. Arguit autem praua tua ſcriptio te ex tua phantaſia ſomnia promſiſſe, non ex inſpectis tractatibus ſententiam protuliſſe. Alias quia Paracelſicus es, non debes Aſtrologiam in cœlo tantum quærere, verum etiam in globo medico iuxta Seuetinum. Dic Cæſalpine cum de metallicis ſcripſiſti, num Scheunemani Synecdoche es vſus? Ita loqueris: *Multa conſurgunt metallicorum ſpecies. Differunt enim aurum, æs, lapides & reliqua metallica, quia liquabilia, illiquabilia, vſtibilia, inuſtibilia, ductilia, fragilia &c. Metalla ſunt vapores cum quadam exhalatione à frigore congelati. Medici nomine, metallum, medicamenta omnia accipiunt quorũ generatio vel ſpontina eſt in metallis, id eſt, fodinis: vel in fornacibus, aliisque præparandi modis, vt teſtatur Galenus 9. ſimpl. 7. Dioſcorides omnia ſubterranea metallica vocat.* Vide & reliqua lib. 1. de metallicis cap. 3. & ſcabioſum Paracelſiſtæ iſtius iudicium deride.

VII. Qui præoccupatus eſt ſtultitia, aliorũ ſapienter cogitata, & prolata meros errores, & deliramenta putat eſſe. Globulos, ſeu balanos ex ſtibio voco metallicos, quia ſunt metallici, & ex metallo ſtibio, quod graues autores inter metalla referunt (aliqui inter ſemimetalla, & marcaſithas) conflati. Lapſum vocat demens Paracelſiſta. Citaueram autores à quibus ſtibium, & aliæ marcaſithæ cum multis aliis foſſilibus metalla vocantur. Reſpondet Paracelſiſta fatuus meum lapſum non iuuari autoritate eorum, qui metalla ſubdiſtinguunt in perfecta, & imperfecta, aut mineralia in maiora, minora, media &c. *Si veteres nomine* metalli plura *mineralia ſunt complexi, eoſq; ſecuti multi recentiores ſtibium, biſmuthum, & congenea non tantum metallica dixerunt, verum etiã metalla, ego iure optimo Regulum ſtibii potui non tantum metallicum vocare, ſed & metallum. Eſt autem prius. Ergo & poſterius.* Aſſumtionem probaui autoribus grauiſſimis. Adde illis & *Baccium* lib. 5. de Thermis, vbi hæc: *Metalli nomine apud veteres tam Græcos quam latinos duo terreſtrium corporum genera veniunt intelligenda tam liquabilia ſcilicet quædam foſſilia, quæ à iunioribus media mineralia (noua voce) ſunt appellata, quam quæ fuſilia, vel ductilia vt aurum, & ferrum. Æque vero vtruq; metalli nomen ac ratio conuenit. Dicitur enim à μεταλλᾶν quod eſt effodio vel quaſi μετὰ τὰ ἄλλα εὑρίσκεσθαι &c.* Ita & Paracelſus quanquam ſeptem metalla agnoſcat, ſex veris adiecto argento viuo, tamen multa præterea habet metallica, vt ſulphur, & alia principia metallica, quæque ex metallis fiunt. Quod ſi autoribus deſtituerer, illum Paracelſiſtam tamen contemnerem, quia vel mihi ſoli liceret ſtibii plumbum metallum vocare argumentis ex re ipſa ductis. Quaſi vero Scheunemanus ille temerarius, fatuus Paracelſiſta ſit tanti vt eius iudicium ſit alicuius æſtimandum, cum ſi omnes Paracelſiſtæ in vnum conflentur ne vitioſa quidem & rancida nuce ſint meliores.

Scalig. exerc. 86. Vbi metallica, ſemimetalla, metallina.

Archenicum VIII. *Archenicum* eſſe typographicum vitium in peſtilente tuo libello crederem niſi viderem te in ſcriptura longe vitioſiorem eſſe quam typographus fuit in impreſſione. Toties ſcriptum eſt Arſenicale, quoties Archenicale. Tune ſapientior ſcriba, an Grammaticæ peritior collector literarum? Mirum cur non ad Cabalam tuam confugeris. Stulte interrogas quid de Fernelii *Arrhenico*, ſi tuũ *Archenicum* eſt vitioſum, quaſi ſi liceat *Fernelio Arrhenicum* ſcribere, & tibi fas ſit Archenicũ Ferne-

Fernelius autorem Galenum habet περὶ ἀῤῥενικȣ̃ quod & ἀῤῥενικὸν & ἀρσενικὸν, vt Dioſcorides enunciat, dicitur, idque etiam Matthiolus repoſuit, apud quem nota Arſenicum vocari metallicum, & ei metallicam naturam etiam à *Baccio*, lib. 6. cap. 11. attribui, ſicut & cadmiæ, vt te naſo circumducam, & Græco ſale perfricem, noto ex Baccio lib. 6. de Ther. cap. 13. Græcis ἀῤῥενικὸν *id magis vocari quod latinis eſt auripigmentum: Arſenici vero vocem artificiali arſenico albo magis deberi.* Ita enim ait Baccius, Album ars facit admiſtum cum ſale, & combuſtum, atque hoc PROPRIE Arſenici retinet nomen, ac matrix ipſa, ad diſtinctionem, dicitur auripigmentum (Galeno ἀῤῥενικὸν) Hæc *Baccius. Fernelius* quoque interdum diſtinguit Auripigmentum & Arrhenicum, interdum pro codē habet, ſed hæc faceſſant. *Geber* tibi monſtraſſet pulchram Cabalam. Cur enim Arrhenicum pronunciandum? Quia natiuum Arſenicum, quod eſt auripigmentum, & ſulphur ſunt metallorum mas, Mercurius fœmina ἀῤῥὴν, vel ἄῤῥεν eſt maſculus, quanquam & ἄρσην dicatur. Audi aliam Cabalam. Arſenicum dicitur ab ἄρσις, καὶ ἑνικός. Illa vox ſignificat ſublimationem, & euectionem, ſeu eleuationem: hæc vnionem. Quando ergo Arrhenicum & ſal per ſublimationem vniuntur Arſenicum recte dicitur quod vtriſque conflatur: Atque ita Baccii ratio obtinet. An non pulchri ſumus Cabaliſtæ? Tuum quoque Archenicum rationem habet. Sicut enim ἀρχέγονος, καὶ ἀρχέδημος dicuntur παρὰ τῆς ἀρχῆς: Ita & tuum Archenicum, quaſi principium vnionis veræ dicas. Ecquid placeo? Sed tuus calamus etiam Archemicale ſcripſit. Salua res eſt. Tua enim Cabala ſtatim ab *Archimia*, (quæ & *Archemia*: Inter i & e non multum intereſt) Panthei deduxerit: Ea vero, vt ipſe explicat, eſt *princeps vnitatis, & vnius veri conſilii*, quæ eſt metallica profeſſio, qua Elixir perfectum ſi proiiciatur ſuper quoduis metallum imperfectum id tranſmutet in aurum vel argentum: Vt non multum erraueiit Cardani ille interpres, qui Sibyllæ quoddam vaticinium mutauit in *Arſenicum*, modo ſcripſiſſet *Archemicum*. Sed non eſt fidendum his Cabalis, ſimpliciter enim aliquis componeret ex ἀρχὴ, & ἐμέω quaſi ſit princeps, aut principium vomitionum. Remitto ergo tibi tuum ſeu Arrhenicum, ſeu Arnicum (Nam & hac voce vtuntur,) ſeu arſenicum, Archenicum, Archemicum, vt tuis ſiliquis & lactucis probe farciaris. Pergamus.

Arſenicum album.

Cabala arſenici & Archenici.

Archemia.

Lib. 10 Variet. de Emaro Ranconeto.

IX. Autores mei, inquis, Biſmuthum, ſtibium, Arſenicum, Cadmiam, vitriolum nequaquā aſſerunt eſſe vera metalla. 1. Reſpondeo hoc non offendere meam ſententiam qua ſtibialem globulum ex plumbo ſtibii factum metallicū eſſe iudico. Si non eſt metallum, ſit metallicus. 2. Mendacium tuum eſt quod mei autores iſta non aſſerant vera eſſe metalla. Paulo ante ex Baccio dixi: *Cui ratio & nomen metalli conuenit, id vniuoce & vere proprieque eſt metallum. Cadmiæ, ſtibio in ſtellam, vel regulum conflato, Chalcantho, Arſenico, conuenit ratio & nomen metalli. Ergo.* Deinde ex Dioſcoride & aliis probo ſtimmeos regulum plumbum dici, vt & bismuthum. Adduxi & Agricolam, & Matthefium, qui iſta expreſſe metallis accenſent, à quibus non multum differunt, qui metallinas, & ſemimetalla nuncupant. Si tu vel legiſſes, vel intellexiſſes meos autores, aut contra veritatem noluiſſes impudenter inſanire, num tam fœdum de iis mendacium adeo illiberaliter ſcriberes? Phy hominem calumnioſum, & ſimul rerum mineralium rudiſſimum.

X. Verum audiamus Paracelſiſta naſutulo dignam ratiocinationem: *Autores à me citati biſmuthum, ſtibiū, Arſenicum, Cadmiā, vitriolum.* (adde & argentū viuum, & ſulphur &c.) NEQVAQVAM *aſſerunt eſſe vera metalla. Ergo nec ſimpliciter dici poſſunt metalla, ſed METALLA MEDIA, vel INFIMA.* Hæc eſt ars Paracelſiſtica in caminis, & furnis ſtibiariis nata. Dic tu Georgi Agricola: *Metallum vnum verbum Græce & Latine ſignificat res plures, Genus ſcilicet foſſilium quod aurum, argentum, & cætera complectitur: Ita fodinam, & venam &c. Etiam aliarum rerum fodinæ ſunt metalla*, vt rubricæ, ſalis, lapidis Tiburtini &c. Lib. 2. cap. 9. Argenti viui, & minii metalla recenſet: cap. 13. plumbi cinerei, ſeu Biſemuthi-metalla Lib. 1. de natura foſſil. cap. 21. metallum eſt corpus foſſile, natura vel liquidum, vel durum ignis calore liquabile. Metalla ſpecie diſtincta ſex numero eſſe traduntur: *RE autem VERA ſunt plura.* Nam etiam argentum viuum eſt metallum, & plumbum cinereum, quod Biſemuthū vocant noſtri: Quin ſtibi in catinis excoctum, & putum magis proprii generis metallum fieri videtur, quam quod ſcriptores ſentiunt, plumbum. Lege & reliqua, in quibus citat Ammonium dicentem multas eſſe ſpecies metallorum ignotas &c. De his licet tibi interrogare fraternitatem de Roſea cruce. Hæc tuam imperitiam, & maliciam ad carceres damnabit. Non opus eſt vt ſtulti hominis cauſſa afferam plures autores. Sic argumentor: *Cui conuenit definitio metalli propria, quam non ſtolidus Paracelſiſta tradidit, ſed peritiſsimi mineralium philoſophi, id proprie metallum eſt.* Definitio enim dicit quid res ſit. *Stibio, Biſmutho, cadmiæ argentariæ, Zinko, & ſimilibus conuenit definitio metalli propria.* Probo autoritate Georgii Agricolæ, Andreæ Baccii, Iohannis Matthefii &c. *Stibium ergo Biſemathum &c. ſunt metalla.* Item: Agricola Re vera metalla eſſe dicit. Aſſeuerat ergo eſſe metalla.

Nota Paracelſicam ſtultitiam, & ex vno diſce omnes.

De veteribus & nouis metallis lib. 1. cap. 2.

Quid iam de putido Paracelſiſta dicendum? Ad metalla damnandus, vt prius diſcat quid ſit metallum quam viris doctis obſtrepat. Si ſunt metalla vere, & vniuoce vi definitionis, etiam ſimpliciter ſunt metalla. At ille aſinus iudex etiam abundare ſibi videtur ſapientia. *Non poſſunt dici metalla ſimpliciter, inquit:* Quo modo ergo? Metalla media, vel infima. ô factum bene. Quod metallum medium vel infimum eſt, & dicitur, id eſſentia metallum eſt, & ab ordine ſaltem adiuncto diſtinctionem accipit, Aſſumo: Stibium, Biſmuthum, Arſenicum, Cadmia vitriolum, ſunt media, vel infima metalla, & ſic iudice Scheunemano (putido Paracelſiſta) dicuntur. Sunt ergo eſſentia metalla &c.

Mus Scheuneman in ſua pice.

XI. Sed qs eſt ille dictator q metalla diſcreuit in media & infima? Albert⁹ magn⁹ cōſcripſit libros quinq; de reb. metallicis, ſeu mineralib; quas diſtinxit in lapides, metallica & media inter vtraque.

Diſtributiones mineralium.

Lapides

Lapides in ignobiles, ſeu lapides ſimpliciter, & gemmas diuiſit: Metallorum fecit ſpecies ſeptem: media mineralia, quæ ſecundum aliquid ſunt terræ ſecundum aliquid aquæ: vel quæ in aliquo participant paſſionem lapidum, in aliquo metallorum, quorum proprietas ex materia eſt liquefieri calido & ſicco (quod tamen de ferro Ariſtot. non pronunciabat, vt nec *Scaliger* de ferro fixo, & auro quodam Mexicano &c.

Exempla medicorum ſunt: Scoriæ, Marchaſithæ, alumen, atramentum, ſales &c. Ita *Baccius* lib. 5. de Thermis cap 1. mineralia alia ſunt perfecta vt metalla, alia imperfecta, alia media. Imperfecta ſunt ſal, alumen, ſulphur, minium &c. Media, ſal alumen, atramentum &c. ita vt eadem mineralia ſint & imperfecta, & media inter metallum, & lapidem. Ita & *Enzelius.* Autores, qui de magno magiſterio, ſeu Elixyre ſcripſerunt, diuidunt ſua metallica ſeu mineralia in 7. ſpiritus, ex quibus tria ſunt metallorum principia, vt ſulphur, arſenicum, & mercurius: Et corpora ex quibus quæ mercurio conſtant metalla dicuntur, vel ſemimetalla: Metalla ſunt perfecta, vel imperfecta, & Richardus dicit mineralia eſſe vel ſimpliciter mineralia vel metallica, quæ & metalla, & mineralia maiora, quæ ex mercurio naſcuntur. Cætera vocantur mineralia minora, vt ſales, arſenicum &c. Quilibet autor ſequitur ſuum inſtitutum *Ariſtoteles* ſubterranea in duas claſſes diuiſit iuxta ſpirituum duas ſpecies, foſſilium, & metallicorum: *Agricola* plures habet differentias, *Seidelius* phyſicus *Agricolam* ſequitur & foſſilia diuidit in metalla, lapides, Gemmas, Terras. In diſtributione metallorum accedit ad Scheunemanum, & dicit chymiſtas vocare media, & imperfecta metalla Hydrargyrum, Arſenicum, Alumen, Sulphur, cadmiam, pompholygem, ſalem indum, Gemmæ, Ammoniacum, Nitrum &c. Metalla recenſet quinque, Aurum, Argentum, plumbum, æs, ferrum. Sed is metallica quoque appellat illa imperfecta metalla, & mineralia media, quibus accenſet & ſulphur, & argentum viuum, quæ à chymicis inter primordia metallorum habentur cum ſale & ſpeciebus eius, vt chalcantho, halinitro, nitro &c. Igitur quia minerale eſt vox minus vſitata eruditis latinis, ſubſtituit, Metallicum, & metallum, non diſcernens inter vtrumque exacte, atque ideo non idoneus autor habetur. *Cardanus* metallica, putat eſſe innumera, metalla vero ſeptem qui metallica item pro mineralibus ponit. *Scaliger* metalla, & ſemimetalla à chymicis petit, & hæc diuidit in lapidi ſimiliora, vt cæruleũ: in liquabilia, vt ſtibium: in aqua ſolubilia vt ſales &c. præter iſta duo, habet & metallinas, ſeu Regulos, & ſcorias ſeu ſpumas, quæ duo ab arte fiunt. Non eſt ſpernenda diſtributio. Metallica enim ſeu mineralia ſunt aut naturæ, aut artis: Naturæ vt metalla & ſemimetalla: Artis, vt metallinæ, & ſpumæ. Verum accuratus chymicus defectum agnoſcit. Phyſici vulgares corpora inanima miſta perfecte diuidunt in metalla, lapides, & terras precioſas: Metalla vocant perfecte miſta ex ſulphure & argento viuo metallaribus in terræ venis nata. Omnino alii aliter diſcernunt. Qui metalla diuideret in metalla ſimpliciter, & metalla media, vel infima, præter Scheunemanum nondum quiſquam occurrit, Et ſi admittenda eſt ea diſtributio, pro globulo metallico eſt, non contra. Conſiderandum eſt chymico & phyſico circumſpecto id quod Galenus obſeruauit, metallica alia à natura, alia ab arte &c. Vide Cæſalpinum lib. 1. de metallicis cap. 3. Perge Paracelſiſta.

XII. *Conſequenter quod ex iis* (metallis ſimpliciter, metallis mediis, metallis infimis) *confectum ſimpliciter abſq; additione metallicum dici nequit. &c.* Ridiculum. Quod ergo nomen dandum eſt orichalco, albo, & aureo? Quod cineri, vitro, lapidi, ſulphuri, argento viuo, ceruſſæ, cadmiæ, molybdenæ, Lithargyro, æri ex ferro, ſtanno ex plumbo & ſimilibus? Quid dicendum de ære Corinthio, ſtanno campanario, bombardario, ſpeculis ex metallis, nummis Conſtellatis Paracelſi, & infinitis miſturis? Quid de omni ſpecie metallorum Suchthenii ex ſtibio: & Paracelſi ex cinabari & Ioue, ex tinctura rubea vel alba, quibus fiunt aurum & argentum ex imperfectis, & mercurio? Quid de ſalibus, & cæteris principiis & principiatis? De ære ex chalcantho & omnino his qui putant plæraque metalla in lapidibus, & aliis venis potentia magis ineſſe, quam actu? *Non poſſunt*, inquit Scheunemani ſapientia ex camino ſtibiario, *ſimpliciter dici metallica.* At inquam genus de ſuis ſpeciebus ſimpliciter dicitur. Si iſta ſunt ex metallis, & metallicum eſt tale, qui nequeant metallica dici, vt: Sulphur auri eſt metallicũ, argentum viuũ eſt metallicum? num addendũ eſt metallicũ mediũ, vel infimũ? Hẽ ſapientiã ex Paracelſia admirabilẽ. Ille fatuus nõ vidit quid ex conſequente debuerit ponere. Hoc ſequitur: Si iſta (cadmia, arſenicũ, Regulus ſtibii &c.) ſunt metalla media vel infima, nõ poſſunt metalla dici ſimpliciter &c. Atqui & in hoc delirat. Item aer diſtinguitur ſummo, medio, infimo. Dic quid eſt infimus? Eſt aer &c, Quid medius? Eſt aer. Quid ſummus? Eſt aer. Adde differentias, & habebis definitiones integras. Verum hoc ſatis ad ſtulta.

XIII. *Alioquin non tam accurate in ſuas claſſes foſſilia diſtribuiſſent.*) Si illi diſtribuerunt accurate foſſilia, tua diſtributio metallorum in metalla ſimpliciter, & metalla media, & infima non eſt ipſorum: neque tu eam concedere potes, licet ego agnoſcam varietatem vſurpati vocabuli. Argumentum ergo tuum fatuum eſt quod ſic concludit: *Si autores mei accurate diſtinxerunt foſſilia, quod fit ex metallis, non poteſt dici metallicum.* Falſum hoc inquam tam in Phyſica noſtra, quam tua Paracelſica. Ratio eſt, quia tuum cerebrum conſentanea diſpoſuit & enunciauit diſſentanee, & ſic flagitium logicum commiſit.

XIV. *Nullus foſſilium peritus negabit metalla eſſe foſſilia.*) Aſcende in caminum tuum, & latius circumſpice. Inuenies quædam metalla non eſſe foſſilia, ſed artificialia, vt orichalcum noſtras, & Indicum, quæque multa facit ars artificum, quæ item metalla quidem dicuntur, vt minium factitium, plumbago, molybdena, Ceruſſa, Lithargyros &c. Sed non ſunt ex fodinis naturæ quæ tantum materiam præbent Formam ars affert, vnde & artificialia appellantur. Sic aurum quod chymici faciunt non eſt foſſile, ſiue verum ſit, ſiue ſophiſticum: Et tamen eſt metallum. Sumitur

autem

autem tunc vox metallum vel potentialiter, quomodo & argentum viuum eſt metallum, vel generaliter pro metallico. Noli generaliter negare, quod de ſpeciali ſaltem eſt negandum. Voces ſunt varii vſus.

XV. *Recte negabit omne foßile eſſe metallum.*) Niſi metalli voce exæquata foſſili. Quid enim eſt μεταλλᾶν? Dixi ex Baccio. Inſpice Lexicon. Inuenies eſſe ſcrutari, & μεταλλεύειν effodere, inquirere fodiendo: vnde μεταλλεία fodina metallica, & metallum pro fodina, μεταλλεὺς foſſor, quem Germani häwer/vnd berghawer vocant. Quid autem ſit apud illos Berg/ diſce ex diſciplina eorum. In Lexico eſt μέταλλον ἁλὸς, metallum, ſeu fodina aut effoſſio ſalis. Poteſt dicere metallurgus omne quod fodiendo in terra inquiritur, & eruitur effoditurque arte metallurgica eſt metallum.

XVI. *Stibium, lapides, ſulphur, cadmia &c. non ſunt metalla: quibus metallorum definitio non competit.*) Primum ſit vt dicis: At meum metallicum ſtibium non tangit. Si n. non ſit metallũ, at metallicum eſſe nihil prohibet. Secundo ex te ſic argumentor: *Si ſtibium, Arſenicũ, biſemuthũ cadmia, ſulphur, argentum viuum & ſimilia, præſertim Marcaſithæ ſunt metalla media, vel infima, ſunt metalla. Genus prædicatur de ſpecie vniuoce. At illud eſt*, iudice Scheunemano: *Ergo & hoc.* Tertio: Potentia metalla, etiam ſunt metalla. Quarto ſi metallum idem eſt quod foſſile, vt in præcedentibus dictum, idque origine vocabuli & definitione ex Notatione & coniugatione, vnde & pro minerali, & metallico ponitur ſæpe: Metallum eſt ſtibium, lapis continens metallum & cætera. Verum quia vis argumenti pendet à definitione, cum non poſſis contentus eſſe Agricolæ, Baccii & ſimilium, da tu ipſe definitionem.

XVII. *Quæſo* (inquis) *da mihi particulam ſulphuris, vel ſalis malleabilis, ſi metalla ſunt, erunt malleabilia, ductilia &c.* Ex his colligitur tibi metallum eſſe foſſile quod eſt malleabile, & ductile. Ego quidem in commentationibus chymicis de metallis ex chymicorum inſtituto ſcripſi. Reſpexi enim finem chymicum, & metalla ea eſſe dixi quæ ex argento viuo ſic conſtarent vt eſſent concreta, fuſilia, & malleo extenſilia, niſi aliqua affectione accidentaria malleum & fuſionem reſpuerent, vt orichalcum Mexicanum, & ferrum Scaligeri, prout & Ariſtoteles alia metalla fuſilia ſcripſit, ſed ferrum ductile tantum. Geber lib. 1. ſum: perf. metallum eſt corpus minerale fuſile ſub malleo omni dimenſione extenſile. Vel eſt corpus minerale ex ſpiritu fœtente (ſulphure aut arſenico) & aqua viua ſicca, ſeu argento viuo condenſatum firmiterque commixtum. Verum cum non ſequimur chymicorum placita, ſed de metallis ex antiquis phyſicis, medicis & hiſtoricis naturalibus diſſerimus, liberior eſt contemplatio, quam aliquando & chymici aliqua obſeruant, vt illi qui Argentum viuum Mercurium eſſe dicunt, ſeptimum ſcilicet metallorum. Deinde cum per artem tranſmutatoriam metalla artificialia fiunt, aut per compoſitionem conflantur, hæc quoque à chymicis non excluduntur. Si ſequeris chymicum modum ſtrictum, ſecundum examina apud Gebrum: Stibium, & cætera huius naturæ & generis, non ſunt metalla actu, ſed tantum potentia. Interim metallica, & ſemimetalla vocantur principia metallorum ſal, ſulphur, argentum viuum, cumque his arſenicum, chalcanthum, nitrum: Stibium biſmuthum cum cæteris marcaſithis: venæ & lapides metallici, quæque ex metallis, & ſemimetallis fiunt, vt cadmia fornacum, ceruſſa, ærugo, Lithargyros, orichalcum vitra metallica, calces &c. Si audiendi ſunt Metallici ipſi, & cum his etiam chymici aliqui: Quicquid conſtat ex argento viuo, & ſulphure, ſaleque metallicis, id metallum omnino eſt, ſiue perfectum, ſiue imperfectum. Ita ſtibium & plumbum cineteum, & cadmia argentaria, ſtannum indicum, lapides potentia metallum, omneque genus marcaſitharũ, ſunt metalla vniuoce. Ideo & in argentum viuum reduci poſſunt, & fieri malleabilia medicaminibus, hem ingrediuntur metalla, ab aqua forti aſſumuntur &c. Hic oportet definitionem vel dilatare, vel explicare. Tertio ſi recipimus definitionem Baccii ex vocis origine, & ratione, iam longe maiore iure erunt metalla. Vide ergo iam quam ſcabioſe diſputes.

XVIII. *Petis tibi dari ſulphur malleabile & ſalem talem.* Inepte imperiteque petis Sulphur ductile eſſe tuus culinarius miniſter te docebit. Idem eſt fuſile. Sal halinitri fixus item eſt fuſilis. Malleabilia non ſunt ſine mercurio. Cape regulum antimonii in quo habes vtrumque. Cœmenta eum cum ſalibus, ſeu calcibus metallicis, Habebis votum. Ita tibi dabo quoſuis ſales metallicos, quin & aquas ex illis, & atramentum, & lithargyrum ductilia, & malleabilia, nempe per reductionem. Vitrum ex plumbo, ſtanno argento &c. Cyanus ex ære, & argento: plumbago, ceruſſa, flos æris, cinabaris Ioue ſaturata &c. omnia ſi elaborentur, fiunt fuſilia, ductilia, extenſilia malleo. Vide quam ſim liberalis. Iam ſta promiſſis, & mitte mihi famulum tuum culinarium glaucum ſine fuco. Experiar qui vir ſies. Admonebo autem tuum famulum culinarium vt te rude pecus fugiat, & diſcat agnoſcere ſophiſticam tuam in vocabulo metallum. Non ſi vno modo iſta non ſunt metalla, nempe eo, quem chymiſtæ tranſmutatores obſeruant, nullo modo ſunt metalla, nempe ne eo quidam, quem hiſtorici naturales & metallici tradunt. Abi itaque ad coruos cum tuis ineptiis. Agnoſces iam quantum flagitiorum tibi expreſſerit vna circa metallicum globulum rabies. Spero te didiciſſe iam non omne metallicum debere ex metallo ſpecialiſſime, ſeu ſtrictiſſime accepto factum eſſe, neque neceſſe eſſe vt quicquid eſt metallicum id ſit extenſile, ductile, fuſileque, metallum, cum & principia habeas metallica, & multa ex metallis, ſeu compoſitis cum aliis mineralibus, ſiue excoctis, ſolutis, tranſmutatis facta, quæ metallica quidem ſunt, ſed non metalla, eaq; tam natura quam arte exiſtentia. Quod ſi etiam amplitudinem ſignificationis τȣ̃ μετάλλȣ velis conſiderare apud autores veteres, & nouos, adhuc magis intelliges, & te errare, & Libauium recte ex ſtibio factum globulum vocaſſe metallicum.

NOTA

Nota LIV.

De morbo ex infectione Phlebotomica.

VIdebaris mihi tuas ſanationes Bambergicas paulo ambitioſius prædicare, idque cum aliqua macula tuorum collegarum, quos tamen tibi neq; ſcientia artis, neq; medendi peritia cedere arbitror. Vt alter altero felicius ſanet, ſæpe ex accidente eſt, habetq; cauſas externas, de quibus iam non eſt diſputandi locus. Ego volebam te ad modeſtiam reuocare his verbis: *Quod tua ſanationes felices, quas iactas non ſine nota aliorum medicorum, cum iudicio de morbis non conueniant, diſce ex te ipſo, qui Gallicum* (veneream luem) *ſtulte iudicas ex alia cauſſa, eſſentiaq; morbum &c.* Hæc tu animo exulceratiſſimo, & calumniis deditiſſimo ſic accipis, ac ſcripſiſſem te *Gallica ſcabie*, ſeu morbo infectum eſſe. Itaque in hæc verba erumpis: Vltimo inepte & hoc effutis: *Quod ſanationes tua &c.* vt habent verba præmiſſa. Quid? (inquis) *Diſcam ex me ipſo curationem morbi gallici? Nunquam eo laboraui.* Ecce vero: Bile totus tumeſcebas, & non tam morbo corporis quam mentis cæcitate & delirio laborabas cum mea legeres, & reſcriberes. Ego nego gloriam, ſeu iactantiam felicium ſanationum cum iudicio de morbis conuenire, id quod debebat fieri. Nam qui artem ſanandi ſibi arrogat, eum oportet ex principiis artis iudicia ſumere, & inſtrumenta perite, prudenterque adhibere. Medicus ſufficiens ad cognoſcendum, etiam ſufficit ad ſanandum. *τῆς γὰρ αὐτῆς ξυνέσιός ἐστιν ἥπερ τὸ οἰδέναι τῶν νούσων τὰ αἴτια, καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς ἐπίστασθαι πάσῃσι τῇσι θεραπείῃσιν αἳ κωλύουσι τὰ νουσήματα μεγαλύνεσθαι:* Inquit Hipp. de arte. Aſſumo: Schennemanus hoc non fecit. Probo: quia morbum venereum iudicauit ex infecto beſtiarum virulentia phlebotomo exiſtere. Idem patet ex duplici de peſte ſcripto latino vno Bambergico, Germanico altero Aſcanienſi, in quibus male de peſte ſtatuit, idque non ex principiis artis conſtantis Hippocraticæ, ſed ſua phantaſia Paracelſica, vt patet. Concludo: non ergo poteſt ſibi artem ſanandi arrogare: & ex conſequente felices iactationes illæ non conueniunt cum arte. Vin ſuccinctius? *Qui male iudicat de morbis, & felices ſanationes iactitat eius ſanationes non conueniunt cum iudicio de morbis.* Illud enim malum: hæc pro bonis venduntur. Qualis cauſa tale effectum. Ex mala de morbo ſententia per ſe non poteſt ſalutaris ſanatio exiſtere. Si qua exiſtit, ea per accidens & fortuito exiſtit. *Scheunemanus male &c. Ergo.* Quæ ſiniſtra ſuſpicio te inceſſit, & coegit ſcribere me tibi morbum gallicum imputaſſe? Non candidius agis in reliquis de quibus mecum litigas. Ad morbum autem illum, quem balneatores per phlebotoma venenata inducunt, quod attinet, ſi venenum non hauſtum eſt ex ſcarificatione eius, qui lue Hiſpanica fuit contaminatus, nō eſt iudicandus venereus, qui ex coitu pollutorum, aut contagio aliquo ex venereis infectis oritur. Si alias cauſſas habet, ſimilis poteſt eſſe aliquibus ſymptomatibus, verum non eſſentia. Talis eſt qui infligitur contagio phlebotomi ichore rubetarum, gryllorum, & ſimilium, vel ſudore equino delibuti: Vix eſt pernicioſius venenum quam quod ſanguini, & ſpiritib. miſcetur. Multa eduntur & bibuntur impune, quorum crudos ichores, ſi hominis viuentis ſanguini, & ſpiritibus eos miſceas, exitialem inferunt morbum. Multis de talibus infectionibus egi cum viro clariſſimo *D. Leonhardo Doldio* medico peritiſſimo Norimbergæ felicis memoriæ, vti aliquando in Epiſtolis familiaribus apparebit. Eſt apud *Thomam Iordanum* integer tractatus de Bruno Gallico vt & Epiſtolæ inter Cratonianas. De eodem habes & apud Foreſtum de febribus peſtilentibus obſeru. 1. & 2. Annis 1598. & ſequente in aliquibus locis Franconiæ erat periodynia vaga ex victu, & locis certi generis putredine infectis. Eam Gallicæ ſimilem dicebant, & plerique ſcarificationibus virulentis tribuebant. Sed prehendebantur etiam alii qui balnea non erant ingreſſi, nec admiſerant ſcalpellum ſcarificatorem. Apud Wierum pene conueniunt Vatenæ dictæ. Ligni decocto, & Mercurio non curatur eſſentialiter, ſed potius antidotis, hydroticis, modice purgantibus &c. Nimis calida & impetuoſa non conducunt. Poteſt tamen palus ſanctus addi ſudorificis. Nam leuiuſculum malum aliquando & Guaiaco ſanatum eſt: Grauius licet initio leuatum fuerat ob vim ſudorum, tamen quia alexiteria non erant ſimul data recurrit. Natura in aliquibus criſin fecit per ſtranguriam moleſtiſſimam, in aliquibus per exulcerationes pedum, aut loca ſcarificationum, ſed niſi diligens ſis in opprimendo, & euocando venena, ſolet vires ſumere occaſione ipſorum vlcerum. Quæ luis venereæ ſit eſſentia, origo, progreſſus, accidentia, effecta, modus ſanandi &c. ex aliis notum eſt. Indis occidentalibus, & Mauritanis aiunt ſimile malum eſſe Endemium, curariq; ſimiliter lui Neapolitanæ. Sed quod ſimile eſt, non ſtatim eſt idem, & eſt lignum Guaiacum polychreſtum.

Nota LV.

De Podagra mille thalerorum.

ERror tuus circa luem veneream iucundam Galeniſtis hiſtoriam peperit. Ita ſcribis: *Podagra*
„ *affligor, quam penitus eradicare leges naturæ non admittunt. Vſus ſum tua aqua antipodagrica: Sed nihil*
„ *profuit: Magna perſeuerantia iuxta Galeni methodum medicinis Galenicis vſus ſum, quibus magis dolores exa-*
„ *cerbati ſunt, à quibus niſi demum abſtinuiſſem, dudum ſepultus eſſem. Tu ſi hoc malum penitus eradicare noueris,*
„ *ſuccurre rogo: non pœnitebit te laboris, quem MILLE THALERIS redimam &c.* Nimium ſimplex es, mi Scheunemane. Tam imbecillo iudicio te auſum ad diſputationem cum homine exercitatiſſimo (abſit dicto inuidia) venire? Infamia afficis tuam Paracelſiam. Hæc enim *Tollere nodoſam didicit*

ſine

ſine fraude Podagram. Si Nodoſam: an non etiam tuam quæ forte nondum eſt Nodoſa? Non enim potuiſſes tā verboſe reſcribere ſi articulos occupaſſent nodi: Verum hic me reuoco. Nā Podagra, non chiragrā laboras. Vt petitioni tuæ ſatisfaciam, mitto tibi ſyluulam quandam cōmendatiſſimarum medicinarū quam in fine reperies. Interim ſi Paracelſica illa grandia quæ noſti tibi diſplicent, conſule Crollium in Baſilica vbi à Podagra præſeruat Elyxire proprietatis Paracelſi: pagina 243. habes integram curam Paracelſicam per purgans, balſama Podagrica duo, vnguentum anodynum. pag. 111. & 112. commendat vniuerſalem medicinam, cuius rationem tibi ſedulo explicaui in meo Syntagmate, ſed tu à Deo gratiam hanc nondum accepiſti vt vel poſſis intelligere, vel recipere. Non enim credis mihi, & putas me fabulam narrare, quia non loquor ad tuum captum. Haberes in eodem Syntagmate plura alia præclara vniuerſalia, & particularia. Verum Deus tibi mentem vel abſtulit, vel peruertit vt ea contemnas. Non ita pridem mercurium dulcem Bambergam & alio miſiſti. Hic ſi recte præparatus ſit, & ex arte adhibitus totam corporis camarinam partim in ſpiritum reſoluit, partim deiicit. Cur hac Panacæa non vteris? Tartaro liberaberis. Oleum ſalis (præſertim auro imprægnatum) vt commendet Crollius, videbis pag. 152. De vniuerſali digeſtiuo ad mentem Hipp. Galeni, & Paracelſi vide pagin. 115. quanquam Paracelſus tibi autor ſit vt prius materiam per magnetem appropriatum ad centrum reuoces, poſteaque expurges. Mumia viuentis eſt magnes magicus ad Podagram. Corpus viuum eſt magnes, inquit ille tomo 9. pag. 403. tract. 3. Philoſophiæ. (Inde quidam ſanabat articularem morbum catellis, vel felibus viuis, alius mulo, alius tendinibus, & ligamentis ex hinnulo viuo, ita vt analoga analogis applicaret &c. Rogerius ſuadet vt olei ſui ex ſtibio tres guttas ex vino ſumas tempore paroxyſmi inuadentis. Ait primo die dolorem tollere (Idem faciet ſulphur anodynum vitrioli Querceranī à me deſcriptum) ſecundo ſudorem mouere (quod præſtabunt tibi multa) tertio vacuare. Iures eandem vim eſſe quæ aquilæ cœleſtis, ſeu mercurii dulcis panaceæ, quam in meo Syntagmate ex Quercet. & Beguino habes. Vide & Paracel. in parua Berthonica pag. 257.

Pag. 163. de ſale perlarū & 170. de Elixyre. Podagrica Crollii.

Querceranus quot medicamenta tibi ſuppeditat? vide pag. 107. de ſignaturis, item 109. 116. item conſilium de Arthritide pag. 295. 309. 430. 312. 315. Vbi de laudanis & antipodagricis liquoribus. De ſulphure vitrioli pag. 149. defenſionis. & pag. 157. habes vniuerſale, vt & pag. 286. & 290. Adi & Seuerinum. Philippus Müllerus in myſteriis chymicis lib. 4. pag. 176. Elect. Turqueti proponit, & aquam antipod. Taurini: Item Balſamum, & pinguedinem cati in anſere aſſati. Si his medicinis non proficies, fatere Paracelſiam nondū didiciſſe omnes Podagras ſanare, & Paracelſiſtas neſcire curare omnes morbos quos Galenici inſanabiles pronunciant, vti nec Gramanus potuit ſuam (vt aiunt) contracturam, & alius Paracelſiſta Epilepſiam. Sed de incurabilibus Crollium conſule.

Nota LVI.

Iterum de Gallico ſanato.

Scribis me inepte effutire ea quæ de iactatione felicium tuarum Curarum propoſueram. Te vero ineptire patuit dum de allio loquereris vbi ego de cæpis: Deinde pro vno argumento mihi præbes geminum. Neque enim male collegiſſem hoc modo: *Scheunemanus ſeipſum, neq; feliciter neque infeliciter, nec arte ſcientiaque, nec fortuito curare poteſt*, quod tamen Hipp. & Galenus requirebant, & Monarcha Paracelſus cum tota ſua factione aliis etiam incurabilibus promittebat: quin & ſocietas de Roſea cruce mirifice profitetur nullum ſuæ fraternitatis ob victum temperantem, & vſum arboris cuiuſdā vitæ, ſeu medicinæ vniuerſalis ægrotare poſſe: quod debebat ſcire & Scheuneman. *Ergo iactantia felicium ſanationum eſt inanis.* Antecedens verum eſt te ipſo teſte. Si enim non laboras lue venerea, nec ea vnquam pollutus fuiſti, podagra tamen, quæ abſtinentiæ obſequitur, & in multis ſanata eſt inopia victus ſola aqua & pane modico, non vacas. Quod ſi tua culpa facta eſt inſanabilis quod medici etiam optimi de patientibus conqueruntur, merito pateris, & experiris quale ſit quod dicunt pleno ventre curare. Conſequentia eſt probabilis. Quiſque enim in cura corporis ſibi ipſi eſt proximus. Qui ſe ipſum à malo ſanabili vindicare non poteſt, cum ſit profeſſione medicus, velitque videri feliciter in praxi verſatus eſſe, quid is præſtet aliis? Tu dicis *LEGES naturæ non admittere eradicationem Podagræ qua laboras.* Quæ ſunt illæ naturæ leges? An tua ſcientia & ars non poteſt ſeu adiuuare vim naturæ, & eius peruerſitatem corrigere? In morbis plæriſque ars etiam naturam ſuperat quod euidens facit chirurgia, & Pætus Artaxerxis artem Hippocratis vltra naturam euehebat. Si lex naturæ tibi obſtat, & ars miniſtra naturæ tantum eſt, cur à me petis remedium? Ignoſcerem tibi ſi Hippocraticus Galenicus eſſes. Nam Lex artis eſt (non naturæ) *Medicina eſt morbos ab ægris tollere in totum, morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit, quod medicina tales ſanare non poſſit.* Item: *Quorum inſtrumentorum ſiue naturæ ſiue artium facultatem obtinemus per ea opifices eſſe poſſumus, per alia vero minime licet. Cum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior eſt, quam medicinæ inſtrumenta, ne ſperare quidem oportet vt à medicina ſuperetur.* Hæc Hipp. in libello de arte. At vos Paracelſici ea inſtrumenta oſtentatis quibus nullus morbus non poſſit ſuperari, eaque mineralia, aſtralia, fixa, magnetica, catholica, particularia, quibus promittitis citam, iucundam, & tutam ſanationem, ne quid dicam de præſeruatione. Vbi iam tua felicitas quæ in te ipſo eſt infelix? Naturæ legem accuſas. Tune ergo ad Podagram es natus? Hoc ne decretum naturæ erat te debere eſſe Podagricum? At natura tendit

K ad opti-

ad optimum ſuæ ſpeciei, & gaudet ſui ſalute & conſeruatione. Morbi ſunt contra leges naturæ. Vos Galenici notate hoc κρηστφύγετον Paracelſicum. Vbi iactantia ſanationum deficit in Paracelſicis, accuſant naturæ legem, ſicut & homicidia ſua excuſant, quando temeritate medicinarum patientes cito ſuſtulerunt. Sed ad morbum Gallicum, quem negas à te ſtulte iudicari. Ita enim ſcribis: *Quam ſtulte iudico morbum Gallicum poteris edoceri à conſule Bambergenſi, & aliis ciuibus, qui phlebotomo venenato per ſolam ſcarificationem infecti grauiter decubuere. qui nec cura ligni, nec inunctione nec ſuffumigio reſtitui potuerunt. Chirurgus Cunrad Hamel hæc non poterit negare &c.*

Paracelſici defectus excuſatio.

Ecce vero. Negas ſtulte iudicare, & ipſo facto iudicas ſtulte. Morbus gallicus, ſeu venerea lues methodice ſanatur præter cætera auxilia proprietate pali Sancti, ſeu ligni Indici, cui additur aliquando hydrargyri vſus, quod manifeſtum reddunt non tantum tot ſcriptores, Matthiolus, Hercules Saxonia, Capiuaccius & alii, verum etiam vulgus tum chirurgorum, & balneatorum, tum plebeiorum, cum & mulierculæ, & fullones & Agyrtæ veneream luem feliciſſime ſanent, ſi nondum ad eum gradum aſcendit in quo Palmarius Elephantiam iudicauit, quanquam & tunc glorietur à ſe ſanatam Suchtheniiantimonio. Si Bambergenſe illud malum reſpuit ſanationem lui Gallicæ propriam, non fuit morbus Gallicus. Tu ergo cum Gallicum iudicas, ſtulte iudicas. Error in cognitione morbi à medico commiſſus deliramentum eſt. Si erraſti in cognitione, & nihilominus ſanaſti, fortuito incidiſti in ſanationem. Tua felicitas fortuna fuit.

Nota LVII.

De Epilogo Epiſtolæ.

FAtigaſti & tuas, & meas vires verboſitate anili, & ſtulta. Lætor me terram videre. Sed hanc antequam tangam, oportet adhuc vnam procellam ſuſtinere. Ita garris: *His ita cognitis, tibi ferulam reſeruabis. Viuo adhuc, nec minor mihi animus in VERO quam tibi in ramoſis mendaciorum ambagibus. Quicquid in his durum, Echo eſt, & coactus ludus. Nec alio animo hæc ad te ſcripſi quam vt te à conſueta* (conſeuta ſcripſiſti) *conuitiandi libidine ad veram chymiæ praxin, pertraherem, quam ſi aggrederis prouinciam breui futurum ſpero vt immaturum, & temerarium de aliorum laboribus experimentisque tibi incognitis iudicium ſuſpendas, ſatyrisque tuis in viros Hermeticos, ſeu Paracelſicos debacchari ceſſes. Vale ex animo quo me valere optas. Aſcaniæ 14. Decembr. an. 1613.*

Ecce quam ſibi placeat aſinus Cumanus ex Paracelſia proſpiciens.

Hactenus Epiſtola. Euenit tibi quod vitio naturæ, vel morbo delirantibus, aut ex conſueto perperam iudicantibus. Sanct. Paulus ſcribebat Gentes veritatem Dei in iniuſtitia detinere (Rom. primo, verſ. decimo octauo) & ſtultas factas eſſe in cogitationibus ſuis: Item verbum crucis pereuntibus ſtultitiam eſſe 1. Corinth. 1. 18. vt & Chriſtum ipſum, verſ. vigeſimo tertio. Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. Sapientia vero huius mundi ſtultitia eſt. 1. Corinth. 2. verſic. decimoquarto, & capite tertio, verſ. decimo nono. Hæc ad tuam factionem accommodata pulchre depingunt mores Paracelſicorum, vt & aliorum hæreticorum ſiue in Theologia, ſiue Philoſophia. Medicinæ Galenicæ principia Paracelſiſtis ſunt ſtultitia, quanquam per ſe ſapientiæ naturalis, & experientiæ artificioſæ decreta. Meæ ſententiæ, & demonſtrationes, tibi ſunt deliria. Si me ad Paracelſiam conferrem, & tuo more in Galenica inueherer quam acerbiſſime, quod non tantum à te factum eſt, ſed & à Monarcha tuo, & ſequacibus, maxime ab vtroque Gramano, Aſſyluano, & aliis noſtro ſeculo, iam tibi egregie ſaperem, nec ſcriberem ſatyras, ſed mera oracula & iuſtitiæ diuinæ, humanæque dictata. Verum auffer ſtultitiam à corde tuo, & mente, qua totus es delibutus, & Sapientum placitis, relicto tuo Monarcha falſo, intellectus aures accommoda. Longe aliter iudicabis. Vt ad tua reſpondeam diſtinctionibus opus eſt.

I. *His cognitis ferulam tibi reſeruabis.*) Non recte diuinas. Cognoui, & examinaui quæ ſcripſiſti. Sed deprehendi iuſtum eſſe vt non tantum Donatus, & Priſcianus tibi ferulas acres deſtinent, verum etiam Scaliger ſcuticas, & Hippocrates flagella. De ſchola Peripatetica quid dicam? Quid de medicis Galenicis? Te miſerum hominem. Etiam chymici Hermetici in te ius increpandi acceperunt. Si Quercetanus Rulandus, & alii quorum formulas chymicas tuis deliramentis corrumpis, reuiuiſcerent, indignum, ſeruo culinario Cribrii iudicarent, teque ad deplumandos paſſeres, & aſſandos perpetuo, niſi forte ad metalla damnarent. Domi mane Henninge, & noli aduerſus ſolem meiere. Non es à Deo his præſidiis inſtructus quæ ad certamen ſapientiæ in publico requiruntur. Videris tibi σοφὸς εἶναι, ſed tua te opinio turpiter decipit. Diſce prius quam iudices, & ſcripta mea reprehendas. Scito vero me ferulam proiecturum fuiſſe, niſi tu nouis criminibus etiam ſcuticas in te prouocaſſes.

II. Te viuere, aut ſaltem iam vixiſſe cum iſta ſcriberes nemo negauerit. Satius fuiſſet ſi te Germanus ſeu conſanguineus (vt Virg. vocat) Lethi ſopor occupaſſet, ne malæ mentis opinio te diuerſum à vero rapuiſſet. Si deinceps viues in tua Paracelſia, ſcito vitam tuam mortem eſſe. Vitiis enim eſt immerſa.

III. Tribuis mihi animum in ambagibus ramoſis mendaciorum, tibi in vero. Erras. Inuertenda locutio eſt. Res enim ipſa teſtatur collatione argumentorum te excæcatum errore Monarchiæ

Paracelſicæ

Paracelſicæ à vero longe abeſſe. Si ad veritatem tibi eſt animus, aude, & ad eam etiam facto ipſo accede. Non te pœnitebit. Si demonſtrare poteris me in ambagibus mendaciorum, quæ vere ſunt non ita à te malitioſe appellantur (quia alias Peripatetica, & Galenica ſic vocare ſoletis belli Paracelſiſtæ) verſari, vir eris.

IV. *Quicquid in his durum* (Eſt) *Echo eſt*: Reſp. Benc. Eſt autem Echo reſonantia ex repercuſſione multiplici eius ſoni ad eundem à quo eſt emiſſus, quem obiter audiunt etiam alii præſentes. Tua ergo dura hoc eſt conuitia, calumniæ, accuſationes ſtultæ ineptiæ & deliramenta recte ad te à me retorta redeunt. Scilicet nos pati debemus, cum Galenica doctrina, canones, veteres compoſitiones &c. ad orcum à vobis mittuntur: cum calumniis, conuitiis, iniuriis denſiſſimis afficimur; adeo vt etiam in nomina noſtra effundantur ignominiæ: vobis abblandiri par eſt, & grata ſuauiaque omnia dicenda? Non eſt durum ſcapham dicere ſcapham, & matulam quæ matula eſt. Si vobis libet maledictis nos inceſſere, iuſtum eſt vt eadem ſuſtineatis. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quicquid vultis vt faciant vobis homines, hoc facite & vos ipſis. Qua menſura menſi fueritis, remetientur alii vobis idque menſura conferta. Apoc. 18. 4. Exite ab illa &c. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia. Nos in carne viuentes aliquid humanitus patimur. Si diſciplinam placide ſuſtinuiſſes, & bilem compreſſiſſes, ego ne literam quidem reſcripſiſſem. Quia vero noluiſti quieſcere, & tuam veſaniam cum aliis quæ triumphando communicaſti, ſtulto reſpondendum ſecundum ſtultitiam fuit, ne ſibi ſapere videretur. Virga in tergum ſtultorum danda. Ego veritatis partes egi. Ab hac te caſtigari fer patienter.

V. *Eſt coactus ludus*) Nempe id erat inter prouerbia ſapientis, cum omnia dita in aliquem cogitaueris & ingeſſeris, dicere: *ſum iocatus*. De me ne eſto ſolicitus. Nihil enim metuo ab homine improbo, & illaudato, nec me tangit tuus ludus, quem te ludere coegit mala mens tua, malusque animus. Tua maieſtas delicatula non potuit ferre epiſtolium, quod te ad γνῶθι σεαυτὸν ſatis ingenue, & liberaliter adduceret. Ad inſaniam adactus es.

VI. *Vt te à conſueta conuitiandi libidine protraherem*) Non mihi libet ex conſueto conuitiari. Tuum hoc eſt mendacium. Cum rationes ſtultas voco deliramenta, num hoc eſt conuitium? Cum dico te inſanire, quod re vera ſanæ mentis officio non fungaris, non facio tibi iniuriam. Tolle quod tuum eſt, & abi. Ira, importunitas, & furiæ Paracelſicæ ſæpe exprimunt nobis indignationem, coguntque retorquere emiſſum telum Sed & alacriora paulo verba exulceratis infeſtisque, & ſuſpicacibus animis videntur conuitia eſſe. Tui vel tuæ ſectæ cauſæ non mutabo ſtylum. Qui metu conuitiorum fugit & deſerit veri defenſionem in viris magnis non eſt habendus. Meæ caſtigationes non tendunt in perſonas, ſed argumenta, quibus cum vos deſtituamini, perſonam aggredimini, quod ego ne flocci quidem facio. Quæſo te lege Michelii, Amwaldi, Palmarii, Gramani, Gretſeri, Guiberti, & ſimilium in me furores, eosque confer cum meis reſponſionibus. Si vel pilum viri boni habebis, dices mea omnia eſſe ſerica & byſſina præ ipſorum ſpinis, & horridis aculeis. Idem videbis ſi mea cum tuis comparaueris.

VII. *Ad veram chymiæ praxin protraherem*) Ridiculum. Tu totus errore mentis, & inſcitia tam artis chymicæ, quam praxeos perfuſus, vis me ad tua deliramenta pertrahere? An me putas ignorare Paracelſica tua? Nimirum ſcabie Neapolitana, aut lepra infectus vellet omnes homines eſſe tales, vt purus mundusque cenſeretur. Aliis præſidiis tibi opus erit. Tua nihil proficient. Id hactenus comperi. Quo quis magis eſt Paracelſiſta, hoc eſt ſtolidior, & fatuus magis. Cum talibus mihi commercium nec eſt, nec erit vnquam. Perſuadeo noſtris ne veram Alchymiam damnent. Vt autem ſciant quæ ſit vera, nullo non ſtudio elaboro. Vellem & Paracelſicis conſtare non adhærendum eſſe ita Paracelſi placitis, vt Hippocratica, Galenica, Peripatetica principia (principia dico quæ ſunt, non quæ apparent, cum ſint & in illis autoribus errores) explodantur. Sed video me vtrinque impingere & mala gratia à pleriſque excipi, quod non eſt curandum: vincet tandem & triumphabit veritas, nec omnes adeo ſunt efferati. Non ſi Guibertus ille Lotharingus in me inuectus eſt rabidiſſime contra Alchymiam inſaniendo, & Palmarius cum Riolano inſectatus, etiam hi quorum amiciſſima ad me ſcripta magno numero reſeruo. Chymici boni Libauii ſunt amici. Qui vero hodie titulo Paracelſiæ reſpublicas inuadunt, in illis nihil boni apparet, ſed id quod Paracelſus de ſuis diſcipulis ſcripſit, & Crollius cum fraternitate à Roſea cruce &c. Norant Quercetanus, Rulandus & nonnulli alii non in omnibus me cum ipſis ſentire: at ideo non me infeſtabant.

VIII. *Immaturum & temerarium de aliorum laboribus & experimentis tibi incognitis iudicium ſuſpendas.*) Hoc ſcilicet vis dicere: Cum Paracelſici libros ſpargunt de ſuis hermeticis experimentis artificiis, ſanationibus mirificis: Cum de morbis & medicinis contra Hippocratem, Galenum, Auicennam, medicosque omnes Academicos, & alios declamant, cum Scheunemanus peſtilentibus libellis veritatem contagio vult afficere, & ad ſuas merces emptores allicere, conniuendum & non iudicandum eſſe, nec iuuentutem præmonendam de impoſturis, non tangenda veſtra deliramenta, tacendum donec Reſpublicas, & ſcholas omnes veſtras feceritis, & radicitus Philoſophiam veterem cum medicina extirpaueritis, ſicque monarchiam obtinueritis. Si aliter facimus, iam immaturum eſt iudicium, eſt temerarium, eſt conuitium, inuectiua, ſatyra &c. Eia vero Wir wollen euch geſellen eine Wurſt braten. Si vos poteſtis in veritatem inſanire, nos per Dei gratiam poſſumus inſaniam veſtram detegere, & redarguere, veritatemque defendere, quod nobis eo facilius eſt, quia iam impoſturæ veſtræ & ſtultiſſimæ iactationes paſſim innotuerunt & veſtrum propriis exemplis ſunt confutatæ. Quod ad nos pulueres attinet, ſi noluiſti eos iudicari cur non

ſuppreſſiſti? Si iudicium meum eſt temerarium, cur ſcripſiſti iam notos eſſe ſpagiris, & me non opus habuiſſe diuinatione, quia apertis & propriis verbis appellauerim medicinas? Scito vero me propter tuam, tuique ſimilium indignationem non deſiturum recenſere, & iudicare ſi quid in publicum emiſeritis, idque nec cæteri recte ſentientes intermittent pro poteſtate quam publica autoritate acceperunt ad vera docenda, propaganda, defendenda, falſa vero detegenda, & redarguenda, quia Reip. intereſt vt ea innoteſcant.

IX. *Satyris tuis in viros Hermeticos ſeu Paracelſicos debacchari ceſſes.*) Rideo tuam amentiam. Nulla mea extat in vllos ſatyra. Sperabam te mentiri, & inſanire ceſſaturum mea correptione, ſed euenit mihi quod Bacchas ferientibus. Magis enim furiunt quo magis eis obſiſtas. Ergone vos Paracelſici eſtis Hermetici? Num igitur patrem, & monarcham Paracelſum abieciſtis? Ille omnes veteres, & recentes ſe ſequi iubebat: Omnes pariter condemnabat. Non poteſtis eſſe Hermetici, ſi eſtis Paracelſici. Monſtrate vero apud Hermetem veſtra dogmata, & nomen ab ipſo vos iure trahere fatebimur. Pari opinionis falſitate, & inſolente iactantia Hippocratici audire vultis: ſcilicet vt pelle ouina induti inter veras oues lateatis poſſitisque, hac nominum aſtutia emergere. Sed detrahenda vobis larua, & pellis eſt, ſicut aſino cumano leonina. Tunc agnoſcemini. Mirabor cur, cum legeris Hippocratem, ſcribas tamen *Hypocratem* & *Hypocraticum*. Iam intelligo cauſam, ni fallor. Nempe Hippocratem ſubiicis potentiæ (τῷ κράτει) Paracelſi, quaſi is ſit ab hoc victus, & ſubactus, nec amplius Hippocrates, Equorum domitor, ſed Hypocrates Paracelſi monarchiæ ſubiectus, & coactus ex Paracelſi decretis pendere. Vnde & plæraque Hippocratica ſtudetis in Paracelſica transmutare. Id notare debent Academiæ, & collegia medica, cauereq; ne ſub nomine Hippocraticæ, Hermeticæque medicinæ impoſtores Paracelſici ſubrepant, & fuco facto ſcholis illudant, Hypocraticos ſeſe, & non Hippocraticos fuiſſe dicentes. Credo hac aſtutia nonnullos Paracelſicos ſeſe inſinuare apud collegia, & cum iurarint in Hippocratis medicinam, poſtea defectionem ſeu apoſtaſian excuſare nomine Hypocratis ficti, qui ſit ſub Paracelſi monarchia, & in poteſtatem eius redactus. Inde ab Academiis illis bonis fiunt Doctores Hypocratici, non Hippocratici, qui vtriuſque medicinæ facultatem, & Doctrinam profitentur, & ſic exercent vt vnam, nempe Galenicam deſtruant, Paracelſicam Hypocraticam exerceant, interimq; nō inueniantur, niſi ego cum pauculis aliis in Gymnaſiis, vel alibi viuentes, qui ſe iſtis nebulonibus opponant: adhortor Academicos, quos Paracelſiſtæ vocant ſcholaſticos, Athenienſes &c. vt veritati vna mecum ſuccurrant. Ita in Sacris Apoſtolus monet: βλέπετε τοὺς κύνας (mordaces Paracelſiſtas Hypocraticos) βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας (impoſtores Paracelſicos qui male ſanando cæmeteria implent) βλέπετε τὴν κατατομήν: (Hypocraticos pro Hippocraticis) verum ſapientibus ſat dictum.

Vide tom. 2. Præfationē Paragrani pag. 10. 11.

Scheunemman non Hippocraticus ſed Hypocraticus.

FINIS Examinis Scheunemaniani.
Deo Gloria.

De Podagra Scheunemanni.

Rogabat me in Epiſtola Scheunemanus, quia Podagra laboraret afflictim, vt ſe iuuarem, & remedio leuarem. Huius gratia excuſſeram iam non tantum impreſſos & in publico extantes autores Græcos, Latinos, verum etiam mea collectanea, & quicquid vſu quadraginta annorum, rationeque didiceram, non tantum in dogmaticis Hippocratis & Galeni (Galenicū neceſſe eſt eſſe qui velit Hippocraticus dici & eſſe) verum etiam in Paracelſicis, & Hermeticis Chymiatris, adeo vt etiā adirem fraternitatē de cruce Roſea. Comportaueram molem conſiliorū, iamq; volebam hominem ablegare ad meum Syntagma in quo optima remedia, eaque aſtralia & omnibus morbis opportuna continentur: Sed cum viderē Hygeiam, cui Corui & Picæ Poetricæ, ſcelerati calūniatores & diabolici criminatores, ſunt præmiſſi qui me vt ipſe Scheunemanus accuſant furti (Furtum enim vocant ſi quis quicquid vbique ad rē faciens colligit, iudicat, explicat & ad vſum cōmunem meo exemplo transfert) ne hac quoq; in parte fur dicerer, coactus fui conſilium melius impendere, quanquam non vſque adeo conuicium mihi illud ſit timendum, quia ego nomino meos autores cum honore, & nihil occulto. Scheunemanus fur eſt, à furuo & nocte dictus, quia aliorum labores clam ſurreptos ſibi tacitis autoribus tribuit, & præterea etiam in noctem & ſepiæ atramentum fugit, nec poteſt ferre lumen iudicii, quod ego nunquam detrectaui. Scribit ipſe nihil poſſe dici quod non ſit prius dictum, & in hoc conſentit cum Eccleſiaſte, qui nihil ſub ſole nouum eſſe confitetur, ex quo contra Guibertum ſequitur artem chryſopœan etiam non eſſe nouam, & Scheunemanum ea quæ ſibi aſſcribit ab aliis accepiſſe. Si hoc eſt furtum, furti alligat ſeipſum. Alia cauſa eſt quod iam in meo Syntagmate tincturam philoſophorum ſatis ſuperque declarauerim, vbi licet DIVINATIONES vocem mea annotata, ſciant tamen iuniores, & periti vident non eſſe diuinationes, ſed philoſophemata ex fundamentis ipſis, & Diabolicam calumniam eſſe quicquid Scheunemanus contra eas deblaterauit cum ſuis coruis. Quod autem tinctura illa faciat contra Podagram, teſtes mihi erunt etiam fratres de Roſea cruce. Tertio videbam Scheunemanum ex meo Syntagmate iam didiciſſe facere Aquilam cœleſtem, ſeu dulcē ſublimatum, eumq; contra Podagram cōmendare. Quid ergo opus erat nouo conſilio? Vt tamen videat me non perſonæ ſuccenſere, ſed impoſturis, mendaciis, maliſque moribus eius, ſuadeo vt ſe ad Clariſſ. virum D. I. Panſam medicinæ Doctorem excellentem, chymicumque peritum Annæbergam conferat & ab eo redimat aquam Antipodagricam ſingularem, quæ facile poſſit inſultum Podagræ compeſcere. Debes mihi pro hoc conſilio. Henninge, mille Thaleros, quos cum prima occaſione te miſſurum confido. Interim vale, & rectius ſapere diſce.

D. O. M. A.

IVDICIVM DE HYGEIA, SEV SANITATE ARGENTEA HENNINGI SCHEVNEMANI AN. 1614. 4. CAL. MAII, Gregor. prodita.

DIV dubitabam, Lector, intra ne parietes priuatos detinerem ea quæ ab Henningo Scheunemano pontificio Paracelſiſta contra Syntagma meum eſſent ad me miſſa, an publicis iudiciis ſubiicerem, vt non nos inter nos de noſtris iudicaremus ex affectu potius, quam rectæ rationis præſcripto, ſed ſapientum potius auſcultaremus ſententias. Ego quidem me ipſum intuens, facile videbam contemnendum hominem adeo rudem eſſe, vt adhuc in ſubſelliis ſcholarum triuialium deberet ſub ferulis grammaticam diſcere, nedum ad ſacraria Alchymiæ, & diſſertationes rerum admitti. Verum ad vſum ſtudioſorum in publico, & cõmunitatem etiam erat reſpiciendum. Quid enim ad nos vtilitatis poſſit ex mutuis certaminibus redire? Patriæ nati ſumus. Huius intereſt noſſe vitia & virtutes poſſeque inter genuinum, & adulterinum diſcernere. Neque vero de tricis & apinis vel lana caprina agebatur. Quæ publici iuris, ob publica commoda feceram, ea arrodit Henningus Scheunemanus. Vin' ſcire qui vir ſiet? Paracelſiſta eſt. Si hæc profeſſio eſt virtutis? fruatur ea. Sin proclamatæ impoſturæ, arrogantiæ, fatuitatis, & aliorum criminum, ipſe ſibi imputet. Cur non manſit Galeniſta, cuius profeſſionis titulum adeptus eſt Herbipoli, & quo in publico gloriatur. Mihi defendenda eſt veritas, quicunque is ſit qui eam oppugnare tentat. Hæc vna cauſa eſt rupti ſilentii. Alteram tibi ſuggeret Hygea Argentea quam in meam perſonam tam ab ipſo quam à Corniculis poetaſtris, qui iſtam ſtolidam chartam ſua male conciliata latinitate ornarunt, directam facile vides. Quid de hoc auſu dices? Aſinorum bombos, & ruditus eſſe negligendos. Si enim verſifices aliquid poſſunt contra viros bonos, nos mille pro vno dabimus. Doleo illos, qui poetarum dignitatem ſibi arrogant, tam male collocare latinitatem, & verſus ſuos, Paracelſiſtamque iſtum pluſquam aſininæ ruditatis homuncionem cum mendaciis ipſius commendare, idque non ſine aliorum, quos ignorant, læſione. Miſelli. Nec rem, nec perſonas, nec facta perpendunt, multo minus iudicia honeſtorum conſiderant. Et videntur tamen aliquo adhuc rubore eſſe. Duo cũ ſint, neuter ſuum nomen prodidit: conſcientiæ hic ſtimulus eſt. Intellexerunt rem peſſimam ſe moliri, & quæ nec Deo, nec hominibus poſſit placere. Tenebris ſe immerſerunt. Sed apud Deum, iuſtum iudicem, tenebræ non ſunt tenebræ. Vos poetæ in exitu dolebitis, ſicut & hi qui Panaceam Ambaldi verſibus commendabant, quorum primus, & præ cœteris in me ferox tandem huc deueniebat, vt Hydrope correptus, non Ambaldum, ſed Libauium cogeretur accerſere, qui tamen cum inimico ſtudioſiſſime conaretur ſuccurrere, & omnia faceret, quæ poſſet, tamen nihil proficiebat. Moriebatur homo Tympanite in honorum ſuorum ſplendidiore aditu. Ante mortem tamen ſe deceptum à Panaceario fuiſſe non negabat. Ne vobis ſimile quid eueniat, videte. Cœterum de vobis deinceps ſilebo, ſiue Bauium vocetis, ſiue Mæuium, quanquam putem me veſtrorum verſuum iudicem eſſe poſſe, & Correctorem. Henningum quod attinet, libenter fateor, ipſum mihi rem gratiſſimam feciſſe. Quam enim medicinam ex meo didicit Syntagmate, in quo ex Quercetano, quem ille ſine mea vitula nunquam intellexiſſet, repetita eſt cum dilucida explicatione additis notis, & experimentis &c. quamque & Daniel Sennertus, & Sileſius quidam in Epiſtola ad Fabricium, Item Beguinus in Tyrocinio capit. 18. & Philippus Mullerus libro tertio, de myſteriis chymicis capit. primo pag. 52. deſcripſerunt, eam proponit publice ſpectandam & iudicandam, ne videri poſſim aliquid inutile congeſſiſſe. Vnum eſt quod vereor. Quodnam illud? Vt vti poſſit bene, vtique retineat nomen panaceæ, quod in aula Imperatoria, Francica, & Haſſica meruit. Quam optem ipſi genium Rulandi, Quercetani, Crollii! Miſit ſpecimina Bambergam, vnde & ad me peruenerunt. Aiunt & in aulam Haſſicam, quod non affirmo, illatam fuiſſe. Breui videbimus effecta, ſi Deo placuerit. Per ſe non malum eſt medicamentum. Crollius ſcribit Ambaldinam panaceam initio miraculoſam quaſi fuiſſe propter fidem naturalem, & imaginationem ignari populi: Poſtea

viluiſſe, cum fiducia extincta eſſet. Comperimus idem eueniſſe multis præclaris medicinis. Argenteam hygeam dies probabit. Quoniam autem iudicium meum expetitur, placide id & ſine cuiuſquam iniuria, aut recriminatione exponam, inque capita quædam diſtribuam, vt facilius intelligi res poſſit.

I. Vnde ſcis eſſe mercurium dulcem, vel Aquilam &c. apud chymicos dictam? Reſpondeo: inde quia argenti viui ſublimati ſpecies quædam eſt, eaque non ita mordax, & corroſiua vt ſublimatum vulgare, ſed ſapore miti, & reſpectu corroſiui dulci. Idem teſtatur ſpecies quam domi habeo iuxta Quercetani proceſſum facta, in qua color, pondus, figura, odor, ſapor, & omnino omnia eadem. Idem & effectus catharticus, eadem doſis. Si aquæ infundas pulueratum & digitis frices, ſoluitur, & quod eſt ſalinum, & vitriolatum id ſapore coaguli ſe prodit, miſceturque aquæ, quod mercuriale id innatat partim forma alluuieculæ, ſeu tenuiſſimæ pelliculæ, partim ſidit, & ſi digitis frices, ſentis quaſi pinguedinem mercurialem, quæ & cum cuticula innatante, ſi maior ſit copia, in argentum viuum reducitur. Fac periculum per reductiones argenti viui ex ſublimato, cinabari & ſimilibus vt eſt in meo Syntagmate. Videbis rem ipſam. Si laminæ imponas, aut ſaltem cultello, & candelæ ardenti ad moueas, vt primum lamina incaluit, in fumum album ſoluitur, quem potes excipere cochleari ferreo. Huic enim adhæret vndiquaque ſi terſum ſit, & recens. Flores dicas antimonii eſſe. Sed ſi infundas aquam, paruo tempore propter ſalem cochlear ferruginem contrahit, & aqua croceſcit. Non opus eſt pluribus. Nulla enim plane dubitandi anſa eſt, adeo omnia reſpondent, & ſi non vis credere, accede, monſtrabo tibi rem ipſam.

II. At ille argenteam vocat, die Silbergewechs Eſt ergo ex Argento. R. Eſt ex argento, ſed non metallo perfecto, verum viuo ſublimato. Quanquam autem ſic de eo ſcribat, quaſi argenti ſoboles eſſet, tamen id facit ſtudio occultandi more Paracelſiſtarum. Ad populum Phaleras: Ego te intus, & in cute noui. Suadeo vero Aſcanienſibus, & Halberſtadienſibus, vt vtantur medicina, ſi eam præbuerit ſapienter & perite, cumque ab autoribus contra PODAGRAM commendetur, iubeant medicum ſeipſum curare. Ita retinebit mille Taleros quos Libauio promiſit, ſi eum ab iſto malo liberaret, quod quidem ego facere ſum paratus, ſed metuo vt ſuadenti pareat. Cæterum ſi difficilis fuerit in vendendo Henningus, poterit medicamen redimi à pharmacopolis nonnullis, vt Siluſiano &c. Incipit enim iam vſu fieri familiare.

Taxa Siluſiaca in ſimplicibus exoluentibus: Mercurii dulcis gra. I. 4. num.

III. Quæ virtus medicamenti eſt? R. Henningus in fronte chartæ ſuæ ſcribit per id curari omnes morbos mercuriales cito, tuto, iucunde. Si ſcribit ex ſua experientia, longo tempore opus habuit ad id cognoſcendum. Vita enim breuis eſt, ars longa, experimentum difficile, multaque requiruntur ad vires medicinarum ſpectandas, probandasque. In peſte mercuriali contagioſa non legimus quicquam de hygea illa argentea. Eſt autem illa edita Anno 1608. Veriſimile eſt iudicium fieri vel ex mercurio, quo conſtat, vt ſimilia ſint ſimilibus remedio, quanquam ſalis non parum habeat, notumque ſit ex quibus conflctur argentum viuum ſublimatum, vt ſic etiam ſalinis morbis, & vitriolatis debeat conuenire, quo nomine ab aliquibus etiam panacea appellatur: vel aliorum, qui vim experti ſunt, ſententia. Beguinus ad luem veneream commendat. Philippus Müllerus ſcribit vſum inſignem eſſe in variis morbis vt lepra incipiente, lue venerea, vermibus infantium, hydrope, podagra &c. doſi à granis 12. ad 20. cum pilulis cochiis minoribus, aggregatiuis vel aliis. Vocat arcanum quod ob inſignem vſum reticere noluerit. Quercetano eſt Aquila alba, aliis ſublimatum dulce. In Syntagmatis mei volumine ſecundo, parte priore apocalyp. hermeticæ capit. ſexto, ex Crollio ſcripſi eſſe vnum ex præſtantiſſimis catharticis in vſu medico omnia noxia radicaliter è corpore humano pellens. additurque ratio ex natura mercurii qui ſit balſamus naturæ incarnans, regenerans, reuocans, & clarificans ab omnibus impuritatibus. Hæc ſi vera ſunt, Henningus minus ſcripſit quam par erat. Nam & ſalinas, & ſulphureas impuritates debet euacuare. Hydropicis conuenire oſtendit effectus. Aquas enim & phlegma detrahit.

Legantur quæ plura in loco citato connotaui. Illud non eſt prætereundum quod virtus quidem æſtimari ſoleat ex ingredientibus, ſi eſt compoſitum, aut materia, ſi præparatio eſt ſimplex, cui accedit experientia: Sed cum Aquilam illam non omnes vno modo conficiant, nec pari diligentia, fieri poſſe vt ex mercurio vitæ fiat medicamen mortis: Beguinus primo vult ſublimatum fieri ex argento viuo purgato, vitriolo rubificato, ſale præparato, & halinitro, ita vt fiant tres ſublimationes, vt eſt in formula capite decimo octauo Tyrocinii. Ex hoc poſtea, & argento viuo purgato facit ſublimatum dulcem adiecto Colcotare bene rubificato, vel ſale præparato bis ſublimando cum iſtis, & tertio per ſe, cuius aqua Roſacea abluti dari poſſint grana 20. vſque ad 30.

Modi plures mercurii dulcis.

Alium modum proponit, quo fit ſublimatio argenti viui ſublimati cum tertia parte foliorum lunæ ſeu argenti, ita vt abiecta volatica portione fixa cryſtallina cum reſtantibus in fundo remiſceatur, & ſecundo, tertioque ſublimetur, cuius abluti itidem doſis ſit à ſex granis vſque ad decem ad purgandum ſuauiter.

Tertius modus ab eo vocatur Manna mercurii, & Aquila cœleſtis niue candidior, quæ fit ex argento viuo aqua forti ſoluto, & aqua marina præcipitato, deinde per deſtillationem abſtracto liquore ſublimato. Fecibus abiectis ſublimatum eadem aqua denuo ſoluitur, deſtillatur, ſublimatur, cuius doſis in morbo venerio à granis decem ad quindecim. Vis ei per inferiora purgandi. Hæc itaque & ſimilia alia in præparatione & vſu ſunt notanda. Si conſideres materias, apparatum, & vſum cum experientia, maximum quod præſtat adiumentum eſt per purgationis actum. Cætera hunc conſequuntur. Itaque congruet cacochymicis per ſe,

& ſic

& ſic in peſte quoque adhiberi poteſt, de qua commentatus eſt Scheunemannus, quod tribus puluiſculis fixis debeat curari. Si ſciuiſſet tunc hoc medicamentum, non opus habuiſſet Solem in Mercurium ſoluere, & præcipitare, neque etiam per Arthemiſiam ſuam conſulere Venerem ſub viridi tentorio, neque citrinas vaccas mulgere, aut Tartariæ Regem exornare cum Marte ad patrem æris Tarbalon calcinandum. Imo pepercíſſet Galenicorum volaticis fiducia ſuorum fixorum. Quid enim volatilius eſt hygeia argentea, quæ ne candelæ quidem ignem ſuſtinet, ſed vt primum incaluit, fugit.

I V. Sed quid intus eſt in libello? R. Paucis videamus. Primum Pyladi ſcribitur de Hygeia argentea. Sed ſtylus non eſt Scheunemanni. Vſus eſt opera cuiuſdam magiſtri, cui muſæ latinæ magis fauerunt quam mille Scheunemannis. Neque enim in toto tantum inuenias latinitatis, & diſſentit illa Epiſtola valde à cæteris libelli. Diſcat ergo ſcholas, & docentes in eis adhuc venerari, & non vituperare. Admodum enim eis opus habet cum vult latine loqui. Teſtantur hoc ad me datæ epiſtolæ, ſcriptæ manu & genio ipſius.

V. Quæ res eſt iſtius ad Pyladen Epiſtolæ? Reſpond. Argenteam hygeian non aliter prædicat, quam Ambaldus panaceam ſuam. Vocat Deam Hippocratis, qui nunquam quicquam de ea ſciuit; Et mirum eſt hîc ſcribi Hippocratem, cum in Epiſtola ad me ſemper Hypocratem. Deinde hyperbolica quædam ei tribuit, quæ probabit euentus.

Tertio pſeudomedicos allatrat, qui aliquos morbos mercuriales iudicent incurabiles, contra quorum opinionem Hygeia iſta OMNES virtuoſe propellat. Hoc iam obſoletum eſt, & vnum ex Agyrtarum Paracelſicorum ſignis. Ne Crollius quidem iſtud crediderit, vt de Paracelſo taceam. Hi enim incurabiles quoſdam eſſe non negant, & rem comprobat experientia quotidiana. Non eſt itaque vt glorioſo huic militi ſuccenſeamus. Probet quod dicit, & admittat iudices peritos.

Quarto: Autor Epiſtolæ nimis eſt iactabundus, & verbis ipſis prodit ſe medicinæ eſſe imperitum. Scribit enim hygeian illam purgare omnem cacoethiam ſine nauſea, vomitu, turbamente. At non cacoethia purganda eſt, ſed cacochymia. Illa alteratione in contrarium indiget. Gaudeat Scheunemannus, ſi Oreſtes verum ſcribit. Nam mille Thaleros ſanata ſua podagra lucrabitur.

Quinto: Ridiculum eſt Oreſtem, fors à furore ſuo liberatum, velle labra proluere fonte Caballino, & dormire in Parnaſſo, quod eſt ſuæ poeſi ſtudere. Cur te tam inepte prodis Henninge? Medicum non oportet verſus facere, & dormire, ſed in medendo ſtrenuum & vigilantem eſſe.

Sexto: Iam inuehitur in Phormiones, Peripateticos, Plinianos, & diuinatores, mirisque verborum monſtris ſibi voluptatem creat. Appendit & amuletum, ſeu hederam contra momum: omnia ſuaui riſu plena. Si ita defendimus noſtra, & iudices arcemus, etiam nos operibus noſtris præmittamus talia. Eſt autem αὐτοκατακεισία. In momum dicit ipſe momus re ipſa & actu. Quid enim Ariſtotelici, Pliniani, & quos pſeudomedicos vocas de tua Hygeia argentea ſciuerunt, antequam ederetur? Quam ob cauſam in eos debaccharis? An non tu metuis Ariſtotelicorum, Plinianorum; & Medicorum iudicium? Itane tuæ argenteæ hygeiæ fidis? Cur ante tubam tremor occupat artus? Facis vt canis ignaua & meticuloſa, quæ etiam falſas vmbras allatrat, & mox fugit. Putasne nos tuis dicteriis ceſſuros eſſe?

Circa annum CHRISTI 949. Hugo Magnus Rex Gallorum cum audiuiſſet Othonem Regem contra ſe exercitum conſcribere, miſſo legato iurauit per animam patris ſui ſibi tantam eſſe copiam armorum, quantam Rex nunquam vidiſſet, & magno faſtu Saxones contemnens ſe vna potione poſſe ſeptem eorum tela abſorbere dixit, volens perterrefacere Othonem verbis. Sed hic facete reſpondit, ſe cum tanta multitudine ſtramineorum pileorum venturum, quantum nec ipſe, nec pater eius vidiſſet. Venit Otho ad vrbem Pariſiorum, & Hugonem ad petendam pacem compulit. Idem eueniet Oreſti illi glorioſo. Non verborum fumi Caci in morem ſunt ſpargendi, ſed demonſtratione eſt opus & actione forti. Hercules te incendia vana vomentem occupabit, & ingens monſtrum in lucem apertis latebris protrahet.

V I. Quid in deſcriptione eſt boni: nam poetas illos maledicos iubemus ad coruos ire? R. Negat inueniri antimonium venenatum apud ſe, arſenicum, mercurium, Tartarum, nitrum, boracem, &c. Eia vero ne nega ſimpliciter de mercurio. Eſt enim ſublimatus dulcis. Aut ſi non vis mercurium, quod eſt nomen aſtri, vocare, appella argentum viuum ſublimatum. Et ſi omnes morbos mercuriales curat, cur mercurium eſſe negas? In diuinatores inſanis. Parce tibi. Non eſt opus. Nam vbi res ipſa oculis ſubiicitur, non neceſſe eſt diuinare. Ecce hic eſt mercurius dulcis; hæc hygeia tua argentea.

Ab his autoribus eam petiuiſti, & quia nomina taces, furtum committis, cuius per tuas picas poetricas alios, qui honorifice ſuos autores nominant, inſimulas. Deſcriptio, quam ponis, eſt fumoſa tota: Es ſoll ſeyn ein ſchön / pur / klar / helles / ſilbers Sträußlein / lieblich anzuſchawen / am Geſchmack nicht ſcharpff / nicht ſawer / nicht ſaltzig / nicht hitzig / oder brennendt / noch mit anderen böſen ſchädtlichen Eigenſchafften beflecket / ſondern lieblich vnd ſüß / das kein nauſeam, oder Widerwillen erwecket: hoc eſt, frons, germen, vel cirrhus argenteus, pulcher, purus, clarus, nitidus, aſpectu iucundus, guſtu non acris, non acidus, non ſalſus, non vrens, neque aliis malis proprietatibus pollutus, (qualitatibus infectus) ſed ſuauis, dulcis, non mouens vllam nauſeam, aut faſtidium.

Luculente ſane deſcripſiſti. Iſta omnia, atque etiam plura ſigna ſunt in mercurio noſtro dulci. Nam & volaticus eſt; vnde Aquila alba, cœleſtisque dicitur, & ponderoſus; & vbi vitro adhæſit læuis; è regione aſper & grumoſus. Inter ſublimandum accreſcit lateribus ſublimatorii, refertque formam frondium, vt & alia ſalina, &c. Ecce quid opus eſt diuinare? Illud ipſum medicamentum iam vulgo notum eſt, & proſtat in officina Siluſiaca inter alia purgantia. Eſt tamen opus aliqua declaratione ne fucum facias, & imperitorum oculos, mentesque, vt tuarum poetaſtricarum picarum, glaucomate inducto decipias. Germen eſt argenteum homonymice, non vniuoce. Nihil enim habet argenti. Beguinus quidem deſcribit modum vnum cum foliis argenti; ſed eum non puto tuum eſſe, quanquam nihil admodum referat. Deinde quæ de acredine, ſalſedine, & acore ſcribis, ab initio quidem ſic inueniuntur; ſed poſtea acredo & ſalſedo, acorq; vitriolatus in actum prodeunt, & hoc modo etiam operatio perficitur. Ita ſal deprehenditur ſolutione in aqua & ferrugine, quam aqua illa ſtatim in ferro excitat.

VII. Quod ad ſanationes Paracelſicas & Heluonem Paracelſum attinet, præter rem inſanis. Nôn adeo imperiti rerum ſumus, vti neſciamus modum curationum veſtrarum. De aſtralibus medicamentis dictum eſt, ea præbita eſſe, & præberi citra reſpectum Diæteticarum præceptionum, aut Catharticarum. Nouimus quod & Paracelſus vſus ſit purgantibus, & aliquando in Hippocraticam irrepſerit, ſatisque Galenice & Arabice ſe geſſerit. Sed inconſtantiam eius ſimul nouimus. Minimum tribuit regimini Galenico, imo Ambaldus, & ſimiles Paracelſici Diætam & purgationem vix habent in parte ſanationis eſſentialis, quam volunt ex proprietate naturæ aſtralis; & ſpiritualis proficiſci, vt fiat morbi conſumptio per operationem occultam, quomodo ignes cœleſtes agere par eſſe dicunt. Si legiſti Paracelſum in aliis locis, cur non in lib. 3. tract. 2. de morbis Tartareis, Tom. 1. & Tom. 2. de iiſdem cap. 10. vbi ait: Nicht purgiren / criſtiren / deren Künſt im Criſtir Sack Augſpurg die gelehrteſten Doctores hat: hoc eſt, Tartarici morbi non tolluntur purgationibus & clyſteribus. Itaque nihil horum vſurpandum. Iam tu, vaniſſime impoſtor, conſidera tuos morbos, quos numero magno conſignaſti, & qui fere omnes ſunt Tartarei; Tua vero hygea aliter iuuare non poteſt quam purgando. Vide & Paragrani tract. 2. Tom. 2. p. 55. vbi de arcanis & pharmacis: Et tract. 1. vbi medicandi rationem eſſentialem arcanis aſſcribit. Arcana autem ſpiritualiter agere in tota Paracelſia eſt proclamatum. Alibi ſcribit purgationem tantum ſtercora tollere. Si ergo in morbis eſſentialibus non purgandum cenſet, an non relinquitur in corpore materia, & ſic pleno ventre fit curatio? Tua hygea purgans nullum ſanabit morbum, quia Paracelſo iudice tantum ſtercora expellet. Tom. 5. in Appendice pag. 90. quo modo debachetur in eos, qui venæ ſectioni præmittunt purgationem, inuenies. Verum non eſt vt tempus hominis ſibi non conſtantis ſcriptionibus teramus. Quem Bauium tibi hoſtem facias, tu videris. Nebulo tui & tuarum picarum ſimilis eſſem, & ſcurra leuiſſimus, ſi in tuum nomen vellem ſimili arte graſſari, & fortaſſe iſte Bauius tibi tuisque ideo eſt inuiſus, quia & poeſi & rerum ſcientia te tuosque ſuperat. Summa petit Liuor. Si ſummus non eſſet, non à vobis peteretur.

VIII. Quæ de Apocalypſi mea narras, in qua tua fixa medicamenta peſti mercuriali oppoſita cenſentur, tuam ſtultitiam produnt. Diuinationes meæ ſunt de aliorum ſcriptis, & nō de opere medendi. Interim autem an tu tam omniſcius es, vt coniecturis, & diuinationibus in morbis non opus habeas? Deus tuus Hypocrates ad Philopœmenem ſcribit medicinam & vaticinationem valde eſſe cognatas. Si vates ſum & diuinator, non omnino abſum à medicina. Quod autem hic ſcribis te tua experimenta medicis practicis obſcure inſinuaſſe, hoc ipſo iudicas ad tua intelligenda opus eſſe diuinatore; quanquam qua es leuitate in Epiſtola ad me neges me diuinaſſe, quia omnia aperte & ſuis nominibus appellaueris. Sed quid ego tecum homine vaniſſimo verba commuto? Meminiſtin' quam inſultares Galenicorum medicinis volaticis, & ab igni facile diſſipabilibus? Num tam fixa eſt & hygea tua? Hanc modo ſcribis placide purgare, modo, vt in peſte, potenter: Es iſt gewiß daß dieſe vnſere Hygea, Hippocratis Dea, ſolche Mercurialiſche gifftige Dämpffe mächtig expurgire / diſſipire / vnd verzehre / ꝛc. Sed iſta committo experientiæ. Saltem tuos venenatos halitus nondum expurgauit: quanquam non magni precii res apud te ſit, quia æquo cum vulgaribus purgantibus potionibus officinarum precio apud te poſſit redimi. Verum ſatis es notus. Vide vt te ipſum ſanes tua hygea prius quam alios.

FINIS.

COROL-

COROLLARIVM.

I.

QVÆRITVR ſitne morbus aſtralis, qui dicitur curari purgantibus ſiue mercurialibus, ſiue ſalinis, & ſic num peſtis ſit quæ purgantibus tollitur? Reſp. Si verum eſt, quod purgantia tantum ſtercora euacuent, aſtrales autem morbi non ſunt ſtercora, neque à ſtercoribus; Et peſtis eſt venenum eſſentia tota: fieri non poteſt, vt, qui morbus purgando eſt ſublatus, ſiue aſtralis fuerit, ſiue peſtis. Scheunemannus ergo decepit ſuos Aſcanienſes dicendo peſtem, quæ non fuit peſtis, & medicinas aſtrales, quæ ſtercoraceæ.

II.

QVÆRITVR num mercurius ſublimatus, hygæa illa Scheunemanni, poſſit tartareos morbos, vt arthritides, &c. curare. Negatur ex fundamento Paracelſico. Nam purgatio non tollit morbos tartareos ex fundamentis Paracelſi. Ergo neque calculum poteſt. Hygæa autem illa eſt catharticum ex ſale, argento viuo, vitriolo.

III.

QVÆRITVR tollendine ſint morbi fixis, an volaticis? Nos reſpondemus: Vtriſque conuenientibus, & recte adhibitis. Scheunemannus in tractatulo, quo ſuos Aſcanienſes tractat, tanquam mulos, repudiat volatica, fixa magno cum fumo confidentiæ commendat. In hygæa argentifera volaticum eſt medicamentum ad omnes pene morbos. Nam iſta hygæa vt primum ſenſit ignem candelæ, auolat, quod eſt malum omen Aſcanienſibus & Halberſtadienſibus. Si tam facile auolat hygæa, hoc eſt, ſanitas, quam facile ille mercurius, non poſſunt ſibi policeri ſtabilem ſanitatem.

IV.

QVÆRITVR ſitne legitimus medicus, qui ſua medicamenta venum exponit, & commendat quam magnificentiſſime? R. Non. Qui agyrtæ opera facit, aut propolæ ſeu pharmacopolæ: Eſt agyrta aut pharmacopola.

V.

CVR Scheunemannus coruos poetas, & poetricas picas præmiſit ſuo tractatulo? Reſp. Spes doloſi refulſit nummi; & qui neſcit ſcribere & loqui latine, alienam linguam & calamum emit. Argumento eſt Ambaldus cum ſuis.

VI.

SVNTNE hi veri & ingenui poetæ, qui propolarum merces laudant, & alios in gratiam ſui Thraſonis vituperant? R. Non. Sunt Gnathones, & Paraſiti. Aiunt aio: Negant nego, &c. Quippe cocus domini debet habere gulam. Mirabimur ſi Scheuneman ſine auxilio alterius poterit Germanicè reddere & interpretari Epiſtolam ſuam ad Pyladen. Ratio eſt: Quia in Epiſtolis, quas ſua manu ſine adiutore ſcripſit, eſt magnus, malus, piſcis, fungus, ſtipes, plumbum, ad ſtatuas verbereas ducendus, quo pertinet & ſcurra ille, qui calamum ſuum ei accommodauit.

VII.

CVR Paracelſiſtæ dicteria, vituperia, mendacia, calumnias, iniurias, & alia maledicta idiomate populari in ſibi aduerſantes ſcribunt? R. Quia non ſapientibus, ſed ſtultæ multitudini placere volunt, quæ tamen ignorat, vel Virgilium, vel Bauium, vel alios. Si ſapientibus vellent aut poſſent probare ſuas ſcriptiones, argumentis veris, minimeque fucatis agerent. Nos iam eorum moribus ita aſſueuimus, vt non moueamur. Sicut enim Apuleius in Aſinum conuerſus, cum putaret ſe loqui velle, rudebat more aſini: ita faciunt & hi homines. Non poſſunt aliter: Miſeri. Sed qui dicteriis à recto mouetur, in viris magnis non eſt habendus, inquiebat Q. Fabius Maximus.

DELINEATIO CONSTITVTIONIS ARTIS MEDICÆ, QVALEM HIS TEMPORIBVS DESIDERANT HIPpocratici, Hermetici, ſeruatis veterum inuentis.

NON iudices tantum alienarum opinionum, & operum eſſe debemus, ſed & verorum confeſſores, aſſertoreſque, vt ex recto appareat, quantum ab eo declinauerit obliquum. Proponimus ergo rudimentum conſtitutionis artis medicæ, qualem eam videmus deſiderari à plæriſq; qui malunt cognoſcere conſtructionem medicinæ genuinæ, quam altercantium, deſtruentiumque certamina, & rixas faſtidioſas audire. Duæ noſtris temporibus factiones inter ſe contendunt, vna eſt Galenica, altera Paracelſica, (ita enim vocanda eſt à Paracelſo, quem nouerunt noſtra ſecula, & cuius nomine gaudent, qui Galenicos perſequuntur,) quarum quælibet ſua mordicus placita tenet, alterius euertere & explodere conatur. Viderunt eruditi nonnihil deſiderari in vtriuſque aſſertionibus, & quod Paracelſica arripuit, ſiquidem ſolidum eſt, & conſtantis veritatis, id defluere ex Hermetica diſciplina nec noua, nec abſurda, inutilive. Aliquâ etiam ſacrarum literarum de natura hiſtoriæ Phyſicorum gentilium decreta conuellunt. Eſt etiam in Arabum medicinam iam pridem itum. Ea vero Hippocratica, ſeu Galenica, & Hermetica coniunxit. Tentata eſt media quædam ratio, qua ex vtriſque contendentibus eligeretur, id quod probum eſt & genuinum; Secus ſe habens omitteretur. Verum difficultas agreſſionis ſtatim apparuit *Seuerino* & *Quercetano* cum nonnullis aliis non quidem Paracelſiam totam probantibus, nec Galenicam plane repudiantibus, veruntamen plus iuſto in illam propendentibus. Ita vero exacerbatæ ſunt in ſe mutuo partes aduerſæ, vt fieri non poſſit, quin is qui ſe medium interiecerit, vtrinque offendat, & ab vtriſque male excipiatur. Atqui ideo non proſtituenda eſt veritas, ſiue *Ariſtoteli* diſpliceat eius defenſio, ſiue *Platoni*. Audebimus nos aliquid, & rudimentum quoddam proponemus medicæ conſtitutionis, interim poſt tabulam *Apellis* latitantes, vt quid quiſque prolaturus ſit, cognoſcamus, & errata corrigamus.

Diuiſio medicinæ.

Medicina eſt ars bene medendi. Hoc vt conſequatur axiomatibus, ſeu principiis ſcientificis, ratione, & experientia ſapientum artificum comprobatis conſtat, & eo nomine etiam *ſcientia* dicitur. Subiectum eius eſt *humanum corpus animatum*, idque qua vel ægrotat, vel ægrotare poteſt. Qui enim ſani ſunt, qua ſunt, naturæ bonitate fruuntur, nec indigent medicina. Quia vero ſanitas eſt mobilis in hoc ſeculo, corporaque noſtra variis intus foriſque mutationibus obnoxia ſunt, nec eſt cuiuſuis tueri poſſe ſanitatem: Ideo ratione *prophylaxeos* & conſeruationis in integro ſtatu etiam qua ſanum eſt, ſub medicinam cadit. Hoc autem limitibus ſuis eſt circumſcribendum. *Principium ſummum omnium bonorum eſt* DEVS *creator naturæ, & conſeruator, in cuius manu ſunt ſortes noſtræ. Ipſe eſt vita noſtra, & longitudo dierum noſtrorum.* Deuter. 28. & cap. 30. 19. 20. Hoc altius eſt humana arte, & ſuperioris ſcientiæ, quam Theologiam appellamus; Et tamen in nulla medicatione omittendum, quando *conuulſo principio, potentiam ſuam in omnia deinceps diffundente, neceſſe eſt collabi cætera.* Ideo Syracides ait: *A* DEO *eſt omnis medela. In tua infirmitate ora Dominum, & ipſe curabit te, &c.* ſed Dominus tamen creauit medicum, & ex terra medicinam, quæ non eſt contemnenda. *Medicina eſt medium ordinarium à* DEO *propoſitum in ſolatium miſeriarum humanarum propter peccatum ingruentium medendi poteſtati ſubiectarum.* DEVS immediate ſanare poteſt & miraculoſe quem vult: Quem non vult ſeruatum, ei nulla prodeſt medicina. Quem autem mediate & ſeruat ſanum, & reficit ægrotum ei præmiſſa ſua benedictione per medicinam confert opem. Hæc ante medicinam ſunt perpendenda, & inculcanda his, qui medico vti volunt. Vis ſe extendit per totam; ſed interim ab eſſentiali complexu artis ablegatur ad ſacram Theologiam. Quod ergo Paracelſus inter quinque entia ſanitatis, & aduerſæ conſtitutionis etiam *Ens* DEI ponit, id exotericum eſt, & per vim ex heterogeneis homogeneæ medicinæ immiſtum. Non tenetur medicus reddere rationem de diuinis qua eſt medicus. Si reddit, Theologum agit, & ex aliena facultate pronunciat. Ita miracula cadunt extra eius profeſſionem. Quæ etiam *per ſpiritus* infliguntur creatos iuſſu DEI, aut permiſſu qua ſunt ſpirituum opera, itidem ſunt heterogenea. Itaque *peſtis Dauidis, febris filij Dauidis* ex adulterio, *ſtra-*

terio, *ſtrages Aſſyria*, & ſimilia, per angelos, aut malos genios, iuſſu permiſſuve Dei procurata, non ſunt ſub medici poteſtate. Ergo nec per incantationes magicas facta. Tollendum ergo ex agro medico eſt etiam *Ens magicum* Paracelſi ratione principii, & cauſæ primæ, & qui magice affectus eſt, primum mittendus eſt ad Deum, qui ſpiritibus creatis imperare poteſt; *non autem deprecandi ſunt ſpiritus ipſi creati*, ne idololatrian committamus, nec incantamentum incantamento propulſandum. *Tantum in me eſt auxilium tuum, inquit DEVS* Oſeæ 13. v. 9. Et *Pſaltes oculos ſuos leuat ad montes, vnde ipſi auxilium. Id autem eſt à Domino Creatore cœli & terræ*, Pſal. 121. Ideo & cum Ochozias rex Samaritanus caſu ægrotans mitteret ad *Baalzebubum* Accaronitarum idolum, Deus id miſſo angelo ad *Eliam*, & reprehendit & prohibet, factumq; morte regis punit. Quoniam autẽ Deus ſeu immediate per ſuã potentiã percutit, & morbũ infert, ſeu mediate per miniſtros angelos, aut permittit id fieri per malos genios, qui porro vtuntur malitia & improbitate ſibi ſeruientiũ hominũ, tollere quidẽ cauſam procreantẽ ſpiritualẽ ſpirituali modo licito conſultũ eſt: ſed quæ affectio, aut morbus iam ſuã eſſentiã in corpore accepit, & in natura hæret, is iam cadit ſub medici artẽ, vt videre eſt in peſte regis *Ezechiæ*. Sic ſi quis per incantamenta læſus eſt, aut à ſathana afflictus vt *Iob*, ab eo remouenda eſt cauſa prima per Theologicũ auxiliũ: medicus autẽ vlcera & alia procurata vi artis ſuæ aggredietur. Hæc fuerunt diſtinctè præmittenda, vt appareat cõfuſio Paracelſicæ medicinæ, & ſua ſuis artibus, ſcientiisq; reddantur. Ita & ſuperſtitiones aniles in pontificatu à ſe reiiciet medicus, quẽ ſic vocamus à forma artis medicæ per quam eſt, & dicitur medicus, non ſciendo tantum, ſed & agendi potentia. *Scientia enim & praxis in eo coniuncta ſunt, cum quicquid agit, non debeat temere & fortuito agere, ſed ſcienter & perite, h.e. certa ratione principiorum, & experientiæ.* Hinc repelluntur à medicina hi, qui fortuito curant. *Non.n.eſt ſcientia fortuitorum.* Nec hi ſunt in artificũ numero, *qui experientiam ſine ratione iactitant.* Neque enim experientia eſſe poteſt, cuius nullum extat principium ſcientificum, cum ſit *complexio quadam & ſymbolum Theoriæ & praxeos ſimul.* Multi fingunt rationes, tanquã Sophiſtæ, volentes apparere ſapientes, cũ non ſint. Ideo & hos non fert medicina, quæ ſua principia, & nõ principiorum figmenta poſtulat. Hinc reprehendimus in *Paracelſia*, quod rationes vndecunq; petat ex cœlo, terra, & aliis, idq; adeo diſcrepanter, vt ne duos quidẽ inuenias inter ſe conſentientes, & *Paracelſus* ipſe tanquã in ignoto mari fluctuet modo hoc afferendo, modo aliud prout in Ebrii calamum defluxit. *Infinitorum ſcientia eſſe non poteſt.* Qui ergo medicum ſit vndecunq; corradere, quod videtur in horam? *Symboliſmos, parabolasq;*, quibus vſi ſunt Hermetici, poſſumus tolerare, ſi ad certum modum redigantur, & non confuſe vagentur. Nam & hoc obſtat certitudini ſcientiæ. Paracelſia plurima enunciat ſymbolicè; ſed cũ ea inconſtantia & confuſione, vt pleraq; etiã ipſos profeſſores incertos reddant, & hic hoc dicat, ille illud. Sunt & qui ſibi *Paracelſiæ certas claues* arrogent, quas ipſi ſoli poſſideant. Itaq; interpretantur quouis quiduis quos ſi reuiuiſceret Paracelſus, ipſe pro ſpuriis haberet. Quidã noua fingunt ænigmata, quaſi deficerent vetera. Hæc & ſimilia ſunt monſtra, aut abortus medicinæ, nec toleranda in agro puro. *Medici praxis pendet ex ſcientia principiorum.* Vbi itaq; non ſunt principia, ibi praxis rationalis eſt nulla. Hipp. dicit, nõ expectandã ab arte eſſe ſanationẽ, cuius inſtrumenta nec habet, nec promittit. Multa.n.ſunt per ſe, vel per accidẽs incurabilia. Quocirca per capita ſciendorũ proponemus artis deſcriptionẽ, cumq; medicũ phyſicũ requiramus, fieri nõ poteſt, quin ad eius profeſſionẽ etiã phyſica trahamus, quatenus ſc. eorũ contemplatio ad ſanitatẽ hominis pertinet, id quod per *analogian* fieri etiã Ariſtot. iudicauit. *Scientia medica vel cõmunis eſt, vel propria.* Cõmunem vocamus *phyſicã* potiſſimũ, quã medicũ oportet aſſumere ad propriæ profeſſionis explicationẽ. Verſatur.n. circa corpus hominis naturale, tũ vt per ſe eſt, tum ad alia relate ſe habet. Vulgo dicitur *medicũ incipere vbi deſinit phyſicus:* ſed id ſic intelligendũ eſt, vt phyſicã ſciamus vim ſuã extendere per totã medicinã, vt fieri ſolet in ſcientiis ſubalternis. Neq; tñ phyſica cõtemplatione abſoluta vtitur medicus, ſed relatè, vti ad ſanitatẽ accõmodata eſt. In cõmunitate illa medicus intuetur cauſas conſtitutionis humanæ vtriuſq; ſecundũ, vel præter naturã, atq; etiã conſeruationis & remediorũ vim inuenit. Agnoſcit ſimilitudines & diſſimilitudines, ſympathias, antipathias, & alia arti ſuæ conferentia. Ea ſunt Macrocoſmica, vel Microcoſmica: Corpora nimirũ cũ virtutibus ſuis, & accidentibus, & his, quæ ad conſtitutionẽ, integramq; eorũ naturã concurrunt, ſiue animæ ſint, ſiue aliæ formæ in materia. Eſt.n. vſitata Synecdoche membri cum corporis termino vtimur. Macrocoſmica appellamus, quæ extra hominẽ ſunt in mundo magno, cõſiderunturq; vel abſolute vel relate. Abſoluta cõſideratio patefacit, cuiuſq; per ſe naturã in ſimplicibus, vel miſtis. Simplicia dicuntur nota illa cœleſtia, & elementa, quorũ illa à phyſicis mutationib. deſtructiuis eximuntur, hæc ſubiiciuntur. *Cœleſtia* ſunt *æther & ſpiritus ille prolificus* per totũ globũ diſtributus: Deinde ſtellæ fixæ, erraticæ, ſingulæ, cõſtellatæ per imagines, vel aſpectus; vnde virtutes in medium mundũ demittuntur per irradiationis modũ cũ lumine, ad illuſtrandũ mediũ perſpicuũ, & variis qualitatib. apertis, occultis afficiendã materiã paſſiuã. Eſt.n. ſuperior locus formalis magis, & actiuus: medius magis materialis, & paſſiuus. Vnde illi adiacet potentia excellentior actiua, huic paſſiua, quanquã nec in inferioribus deſint formalia. Cæterũ *primũ elementũ* dicitur aliquando cœlum: nonnunquã *quinta eſſentia*, vel *natura*, contra quatuor elementa, quanquã *Quercetanus Paracelſi* ineptiis indulgẽs, velit *quartã* vocari, lite indigna liberalib. ſtudiis. *Hippocrates* caloris nomine intellexit, & non tantũ in ambitũ globi mundani coegit, ſed & multã eius partẽ in inferiorib. reliquit, quæ eſt *quinta Chymicorũ eſſentia. Ariſtoteles* licet in aliis libris valde tenuiter de natura miſtorũ & elementorum philoſophetur: tamen cum de generatione eſt diſſerendum, & facultatibus animatorum, *naturam quandam inter cœlum & elementa interiicit*, quæ non tota ſit cœleſtis, ſed tantum *analogos elemento ſtellarum*, & tamen elementis ſublimior, quam & ipſe *calorem* vocat, tum *ſeminibus incluſum:* tum diſperſum per vniuerſa. Verba eius habes lib. 2. de gen. an. c. 3. & lib. 3. c. vlt. *Calori* coniungit *ſpiritum & humorem.* Vnde colligimus cœlum non volui tantum circa elementa, ſed & virtutem in ea immittere cum *ſubſtantia quadam ſpirituali* triplici forma in conſpectum ex miſtis prodeunte. His ipſis aſtipu-

Macrocoſmica.

In defensione Hermet med. g' Anonymum.

Tria eſſentialia miſtorum perfecte.

latur *Phyſica diuina*. Neque enim DEVS ex elementis iuſſit ſemper commiſceri; ſed cùm miſcuerit ipſe, ſingulis indidit *ſeminales rationes, & eſſentias cœlo analogas*, per quas propagantur. Ita de cœlo ſtatuendum eſſe conuincit ratio & ſenſus inexperientia fruſtra tumultuantibus his, qui cœlum ab inferioribus remouent, & tamen non poſſunt ſpirituum vitalium, animaliumque, & naturalium naturam ſine cœlo explicare, multo minus nobiliſſimarum functionum, & generationum

Elementum. ſecundum formas, & formis proxima, rationem expedire. *Elementi* termino intelligunt communiter veteres Hermetici, & Hippocratici, Galenici, Ariſtotelici, &c. *quatuor naturas ſimplices mutationibus obnoxias*, quarum formæ declarantur qualitatibus primis tactilibus, ex quibus profluunt & ſecundæ, vt ſint aptæ ad conſtitutionem miſtorum. Sed hîc monendum eſt priſcorum quoſdam tantum tres numerare. Nam *ſpiritum calidum ſiccum*, quem elementum Peripateticus *ignem* vocat, aggregant cœleſtibus, quia flamma eiuſdem virtutis ex vtrisque, maxime radiis ſolaribus exiſtit. Quidam aeris partem faciunt: Et ſane non putamus cum his diſputandum eſſe. Nam omnino *ignis natura eſt valde formalis* quod agnouit & Ariſtoteles. Deinde ſi cœleſtis natura cum aere conſpirat, affectionibus formalibus impreſſis, nempe calore, ſubtilitate, diuiſibilitate, puritate, &c. nihil abſurdi contingit, ſi iſtum ignem Peripateticum ponas, ſed non merum elementum, verum affectum cœleſti natura. *Elementa*, ſiue *tria*, ſiue *quatuor* numeres, *conſiderantur dupliciter*: Primum *per ſe*, vt in Phyſicis: Deinde *quâ ſunt quaſi capſæ interiorum, & formalium eſſentiarum*; item quâ ſunt loca, & aliqua etiam media tranſmeationis ſuperiorum in ima, & imorum expirantium in ſuperiora. Hæc conſideratio *Hermetica* eſt, & ab *Arabibus, Mauritanisq;* etiam ad *Auguſtinum* peruenit, nec poteſt vllo euidente argumento negari, vt vt quidam elementares Phyſici obſtrepunt: *Generantur* (inquit Ariſtoteles) *in terra, humoreque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore calor animalis in vniuerſo ineſt, ita vt quodammodo plena ſint animarum omnia. Solis calor & animalium principium habet vitale, &c.* DEVS dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, &c.* nempe cum adhuc cœleſtis natura ſparſa eſſet, necdum factæ ſtellæ. Item: *Producant aquæ reptile, &c.* Rurſus: *Terra producat animam viuentem, &c.* Iterum: *DEVS fecit hominem de limo terræ, &c.* Putetne aliquis iſtà ex puris elementis Ariſtotelis nata eſſe, & adhuc naſci? Quorſum animæ iuſſæ produci?

„ Quorſum inſtituta ſeminia? Notabile eſt illud Ariſt. *Omnis animæ virtus ſiue potentia corpus aliud par-*

„ *ticipare videtur, idque magis diuinum, quam quæ elementa appellantur, &c. Calor animalis nec ignis eſt, nec ab igni originem ducit, neque quicquam conſtituitur denſis, humidis, ſiccis, &c.* quæ verba diligenter ſunt attendenda, quanquam aliqui craſſi Phyſici, qui ſe putant rationales eſſe, prætereant, aut ſuſpendant. Sap. 3. 20. ſcriptum eſt: *Omnia pergunt ad vnum locum; de terra facta ſunt, in terram reuertuntur.* Ita cap. 11. v. 7. Vbi tamen *ſpiritum hominis ad DEVM* mittit. Sed iſta non ſunt ſimpliciter, & elementaliter intelligenda, ſed quomodo corpus hominis ſcribitur ex puluere terræ factum, vbi non excluduntur cætera mundi magni materialia, & formalia. Verum iam non diſputamus. Ad miſta accedimus. Aliud eſſe *compoſitum*, aliud *mixtum* pridem à ſcholis eſt definitum, ſuntque compoſitiones quædam *ordinatæ*, quædam *tumultuariæ* & fortuitæ. Ordinatarum à creatore per naturas ſingulorum compoſitorum exempla ſunt apud Ariſtotelem triplicia, compoſitio eſſentialis homogeneorum & heterogeneorum principiorum ſubſtantialium materiæ & formæ. Ita magnus mundus eſt compoſitus ex medio, & ambitu: In medio centralem locum obtinet terra, cui in cauitatibus iungitur aqua; inde eſt aer, qui tamen non paucis in locis & terræ inania ſubit: in aere nubes: poſt aerem ſpiritus calidus ſiccus, quem ignem vocant Ariſtotelici. Grauitate & leuitate inſita, ſimul & molis amplitudine, raritate & denſitate hæc locari perhibentur, ſed phyſica ſacra diuinæ voluntati & prouidentiæ tribuit, & locationem, & conſeruationem cuiusque in ſuo loco, ſine quibus cauſis, cum globum elementarem multa vis exerceat, non poſſunt conſiſtere. Ambitus conſtat ex cœlo planetario, primo mobili, & aquis ſupra firmamentum. Communiter cœlum in ætherem, & ſydera ſeu ſtellas diuiditur. Æther circumfluum corpus & tranſparens eſt. Stellæ ſunt fixæ, vel erraticæ ita coordinatæ & conſociatæ, vt earum vinculum & ſitus à creata vi ſit indiſſipabilis, ſicut & corpora earum numero indiuiduo ſic durant, vt à Phyſicis perpetuæ, æternæ & diuinæ ſubſtantiæ eſſe perhibeantur, idque etiam relate ſunt, ſed non abſolute. Tandem enim per voluntatem DEI deſtruentur, & ſtellæ cœlo delabentur, in commune chaos redacto toto, ex quo etiam prodiiſſe fertur. Hermes ſic mundum factum eſſe putabat, vt Philoſophorum arcanum, & magnum magiſterium arte, nempe in principio omnia fuiſſe aquam, quod & Thales poſuit; inde facta ſeceſſione per raritatem & denſationem operante ſpiritu & calore grauia ſidiſſe, leuia ad ſuperiora contendiſſe, quæ res etiam deſtillationibus & circulationibus declaratur. Aliud exemplum eſt in generatione microcoſmi, hominis nimirum, qui compendium magni mundi eſſe perhibetur, & ſimiliter ex ſemine aqueo naſci, ſingulis membris ſuo in loco emergentibus, atque ita totum componentibus. Hæc eſt compoſitio heterogenea cum ratione certa. Compoſitio prima eſſentialis materiæ & formæ, à Philoſophis varie explicatur, nec curat medicus num cœlo agente formæ in materiam primam ſint introductæ, & adhuc eo modo ſecundas materias informent, an alio modo fiat coniunctio. Relinquit eam diſceptationem Phyſicis in ſola contemplatione permanentibus. Sequitur miſtio. Quæ tumultuarie & fortuito coaleſcunt, partim ad compoſitionem heterogeneam accedunt, vt videre eſt in mineris terræ variis in vnam maſſam conflatis, compactisque; partim ad homogeneam, qualis eſt concretio ex aqua & terra dum fit lutum, & glebæ, vel etiã lapides ex arenulis compacti. Medicus in hac compoſitione, vt & in præcedente heterogenea diuerſitatem naturarum diligenter conſiderat. Sæpe .n. ſalubria in ſalubribus, & vtilia inutilibus ſic coaptãtur, vt opus ſit diligente ſeparatione, quali etiã metallici vtuntur. Quod ſi cõfuſiones minerarũ ſint eiuſmodi, vt nõ offendi poſſit humana ſalus, aut etiã corrigi induſtriè, tolliq; noxa, etiã integræ

concretio-

concretiones in vſum veniunt, vt apparet in primorum entium elaboratione, vbi venæ, in quibus ſeminaria poteſtatum metallicarum latent, aſſumuntur integræ.

Prima entis.

Componuntur corpora corporibus, ſpiritus ſpiritibus, ſpiritus corporibus inexplicabili varietate. Ita coaleſcunt homogenea & heterogenea miris modis. Quæ miſta perfecte dicuntur, homogeneam habent compoſitionem, cuius partes miſtiles elementa ſunt, & natura quædam elemento ſtellarum analoga, quam cœleſtem vocant, & quintam. De elementis non multum eſt contendendum medico. Nam primis duntaxat qualitatibus, & ſecundis deſcribuntur, & facilem habent explicationem, vſumque plebeium. Ita frigida calidis, calida frigidis, humida ſiccis & contra contemperari, & alterum altero corrigi non profundam habet phyſicam, eſtque potius, & difficilius eſſentialium poteſtatum ſubiecta conſiderare, & ad medicinam accommodare. Illa ſunt *quatuor* numero, licet ad *tria* redigantur ab antiquis Hermeticis, qui *Spiritum, animam & corpus* propoſuerunt; ab Ariſtotele, qui *Spiritum, calorem, & humidum primigenium*: à poſterioribus chymicis *Iſaaco Hollando, & Baſilio monacho*, qui *ſulphur, ſalem & mercurium*, ſeu *oleum, ſalem alcali & liquorem*, vnde poſtea *Paracelſus ſua principia hypoſtatica* inuenit, ſumpta ab illis, nõ propria induſtria explorata. Nos addimus *quartam naturam, quæ eſt ſpiritus*. Proponimus *vinum*. In hoc duo elementa ſunt euidentia, *terrea*, nimirum ſuperfluitas, & *phlegmatica* aquoſitas. Duo alia aer, & ignis inconſpicue tranſeunt partim, partim formalibus eſſentiis implicata cohærent. Ex feculentia terrea ope ignis calcinantis *ſalem* producimus, eumq; per proprium phlegma ſeu elementum aqueum ſeparamus. *Oleũ*, quod interdum & *ſpiritus* vocatur (ſunt iſta eſſentialia communi vſu vocis omnia ſpiritualia & cęleſtia) & *ſulphur*, per circulationem aquæ ardentis aut alia induſtria emergit. *Liquor*, qui *Mercurius* appellatur ex eadem ſeparatur, vt & *ſpiritus* ille nobilis, qui *quinta eſſentia*, & *cœlum* Lullianum eſt. Conſidera *roſas*. Ex his ſalem, oleum balſameum, aquam roſaceam, & ſpiritum ardentem conficit præter phlegmaticum elementum, & feces terreas. Ita eſt in ceraſis, & aliis pluribus. Miſta ergo perfecta *ex octo miſtilibus* conſtant, quatuor elementis, & totidem eſſentiis ætheri analogis: verum non in omnibus æqualiter. Imperfecte miſta valde vicina ſunt fortuito concurſui, quia partes miſtiles vt inordinate, & vt contingit, coeunt, ita etiam ſeparantur, nec conſtanter cohærent. Exemplum tamen perfectius eſt in his quæ iam per artem ſpagiricam ſunt reſerata veluti in artificioſa putrefactione: Deinde in naturæ operibus, vt aquis mineralibus, venis metallicis nonnullis, ſeu mineralibus imperfectis, meteoris & ſimilibus, in quibus itidem ſunt elementa, & eſſentiæ confuſæ. Ortus perfectorum miſtorum *ex certo ſeminio*, quod DEVS in principio conſtituit, exiſtit: Imperfectorum, vti contingit. Itaque ibi etiam certa ratio eſt generationis; hic incerta, quaſi obiter fierent in cæterorum generationibus & corruptionibus, ſicque conſiſterent, vti tumultuarie coincidunt, quanquam ſi diuinam prouidentiam reſpicimus, DEVS & natura à DEO gubernata nihil faciant temere. Sic ergo ſe habet ordo methodicus in his DEI per naturam operibus poſt creationem; Macrocoſmica abſoluta, vel ſimplicia ſunt, vel compoſita. Illa in cœleſtia & elementaria diuiduntur; hæc in coagmentata quouis modo & certa ratione miſta, idque vel imperfecte, vel perfecte. Inter imperfecte miſta habentur tum quæ in terra, ſub terraque naſcuntur ex confluxu aquarum ſeu liquorum diuerſorum, & concretione halituum, vaporumque ex reſolutione miſtorum aliorum, & elementorum genitorum, tum quæ in regione aerea, igneaque ex eleuatis exhalationib. conſiſtunt, indeq; iterum deferuntur, cuiuſmodi ſunt pluuiæ rores, niues, granula, lapides, rores mellei, & alia, quæ magis minusq; ſunt miſta, & aliquando leuius, aliquando fortius, cõſtantiuſq;. Perfecte miſtorum genera regulariter ſunt in globo medio ex terra & aqua, nempe mineralia, minerophyta, vegetabilia, ſeu plantalia, zoophyta, & animalia, quorum quædã aquatilia, quædam terreſtria, quædam aerea, quædam communiter vtuntur elementaribus regionibus aere, aqua, terra, vt heterobia. Vſitate ſolent animalia in homines & beſtias diſtingui. Sed nos hominem conſideramus tanquam ἀντίκοσμον, ſeu μικρόκοσμον, ita vt quæ in magno mundo fiunt & ſunt κατὰ λόγον, hæc in homine καθ' ἀναλογίαν, atque adeo exemplaria eorum quæ ſunt in homine legantur in tabulis magni mundi, & viciſſim homo ſit exemplar τοῦ ὅλου, ſpiritualia & corporalia parua imagine complexus. Neque tamen omittemus etiam ſingularem hominis conſiderationem, cum medici ſubiectum ratione ſanationis ſit homo. Siue autem miſta perfecte ſint, ſiue imperfecte, in vtriſq; inuenimus diuerſas potentias primum ſuis ſubiectis inhærentes. Aut enim ſunt elementares, vt calor, frigus, ſiccitas, humiditas, craſſum, ſubtile, rarum, denſum, graue, leue, aſperum, glabrum &c. quarum virtutum ſubiecta primum ſunt elementa, & iudicantur potiſſimum ſenſu tactus: aut ſunt eſſentiales ad formã, materiam, & vtriuſq; coniunctionem relatæ, quæ dicuntur etiã proprietates formales, & totæ rerum naturæ, vel ſubſtantiæ, vel vires occultæ & qualitates tertiæ, quarum ſubiecta propria & prima non ſunt elementa, ſed ſubſtantiæ nobiliores, non quidẽ ſine elementis (nam & in elementis tanquam capſulis latitant; & elementorum contagium in ſe traxerunt, nec poſſunt ab eo totaliter liberari, DEO in principio creationis ſic naturas conflante, & per ſeminia deinceps propagante) veruntamen in ſe & per ſe ſingulares naturæ, ſaltem elementis cõparabiles. Itaq; chymici nonnulli, quorum ars ſeparat partes miſtorum diuerſas, etiam eſſentialia illa ſubiecta nominibus elementorum enunciarunt, vt in chelidonia præter vacuam potentiis eſſentialib. terram, phlegma, & ſpiritus fugaces, inuenerunt igni analogam partẽ, quæ eſt ignis chelidoniæ; aliam aeri, aliã aquæ, aliã terrę, quæ ſunt aer, aqua & terra chelidoniæ: Et quidẽ terra duplex, vna virgo, altera alcali: ſed hermetici ſymboliſmis gaudentes, & ſingularibus artis ſuæ terminis, alijs vſi ſunt nominibus, & quidem diuerſis, vt ante eſt dictum. Hodie vſitatiſſimi ſunt ſal, ſulphur, Mercurius, & per ſulphur intelligitur eſſentia oleoſa, quę tamen non eſt vniusmodi; quædam enim aeri comparatur, eſtq; mitior; quædam igni, & eſt acrior, flãmeoq; ſpiritui vicinior: per

Quatuor eſſentialia iuxta numerum elementorum.

Binario abiecto non ternarius, ſed quaternarius ſeruandus.

Diſpoſitio rerum repetita.

Aliis tres familia; vegetalia, animalia, mineralia.

Mercurium accipitur liquor,aquę comparabilis. A metallis iſta ſunt tracta. Omnes enim hermeti-ci metalla conficiunt ex ſulphure tanquam patre,& Mercurio tanquam matre,vel mare,& fœmi-na.quibus nominibus explicant etiam magnum ſuum magiſterium, ita vt ſulphuri aliquãdo ſub-ſtituant arſenicum præſertim in metallis albis(ſulphur enim rubeis magis tribuitur) Sal quoq; in-eſt tanquam fundamentum conſiſtentiæ & coagulationis. Sed præter iſta tria etiam terra virgo,& ſpiritus,quintæ eſſentiæ magis affinis,ſeparantur. Terrã virginẽ poſſumus accenſere elemẽto terrę quaſi ſit terra prima ſimpliciſſima:Spiritum dixeris nobiliorẽ ſulphuris partẽ, præſertim cum & i-pſe ſit inflãmatilis; ſed noſtra ſententia eſt debere diſtingui propter naturã ſingularem qua modo accedit ad ſalẽ,vt ſpiritus deſcenſorii,ſpiritus ſulphuris ex fumo per campanã,& ſimiles acidi,& a-cres,qui etiam ſunt ſoluentes, & ad aquas acutas, ſeu cauſticas accedunt, qualis ſpiritus fit etiam ex aceto &c.modo ad ſulphur,vt in roſis, quarum ſulphur eſt buryri inſtar, ſed ſpiritus limpidiſſi-mus,vini quintæ eſſentiæ æmulus:Ita & in vino ipſo. Aliquando mercurialis magis eſt. Hæc diſtin-ctio neceſſaria eſt medico,vt ſciat quæ quibus applicãda, & quæ ſint ſingularum partium virtutes. Cæterum in ſeparatione partium eſſentialium modo accuratior eſt artifex,modo minus. Idem in-terdum contentus eſt extractis materialioribus;interdum quæ ſtudioſe ſeparauit & ſigillatim pur-gauit, exaltauitque per philoſophicam vnionem iterum coniungit, & elixyria facit. Aliquando tincturam venatur. Hæc petenda ſunt,ex artis chymicæ conſtitutione:in medico vero vſu diligen-ter iudicanda,vt ſciamus quid cui conueniat. Agnoſcuntur illæ eſſentiæ potentiarum proprieta-tibus quæ inſunt cuiq; per ſe,& determinate;veluti cinamomi eſſentia patet ex qualitatib. intrin-ſecis cinamomi;Roſæ ex qualitatibus formalibus & ſpecificis roſæ,& ſic in cæteris, idq; vel ſenſu, & ratione,vel experientia in effectu medico. Viſus parum ad iſta facit. Licet n. colores eumnire di-cantur vi eſſentiarum,tamẽ nos aliunde eos ſcimus exiſtere,nempe à termino luminis externi per medium perſpicuum vſq; ad opacum corpus propagati. Terminus autẽ cõmunis eſt elementis, eſſentiis,& toti cõpoſito. Auditus quoq; nullum ius habet in diſcernendas eſſentias. Guſtus & ol-factus primas obtinent inter ſenſus,ſi ratio ſimul conſpiret, qua alienũ à proprio, aduentitium ab inſito diſcernimus. Experientia & rationẽ & ſenſum coniungit:Et in plæriſq; mineralib.nec guſtui nec olfactui ſe iudicandum ſiſtit vis interna, vtpote ſola obſeruationi perceptibilis. Quæ eſſentia ſit venenata, quæ alexipharmaca, quæ nutritiua quæ cathartica, pauca ſenſuum argumenta,eaq; dubia fere,indicant. Effectum autẽ plene docet,ſicut & magnetiſmos. Quod ad craſes attinet,her-metici diſtinguunt,vt & Ariſtot. Quædam enim referuntur ad facultates eſſentiales: quædam ad elementales. Illæ exiſtunt ex cõiunctione calidi innati,ſpiritus,& humidi primigenii, ſeu eſſentia-lium principiorũ tum per ſe conſtitutione,tum cõcurſu,quẽ cum Deus,primus naturæ autor, pri-mum rebus indiderit,&per ſemina earum propagauerit,artifices ſtudioſe imitantur,& in arte me-dica,poſtulante neceſſitate,ſimiliter cõponunt, quanquã magis gaudeant vel ſimplicib. & ſingu-larib.eſſentiis, vel omnium eiuſdẽ rei in elixyr per imbibitiones, & alios vnionis, coagulationis, fixionisq; modos cõiunctione. Tẽperamentum hoc formale eſt,medicinæq; maxime inſeruit. Al-terũ eſt elementale;de quo Ariſt.in ſuis miſtionib.elementalib⁹,& Galenus cum cæteris ſunt pro-lixi. Non autẽ ita ſeparari poſſunt iſta duo tẽperamenta, quin elementale quadãtenus maneat cũ eſſentiali. Ideo qui qualitates elemẽtares ex toto irrident,nõ faciunt pro natura, & ab illa ipſa red-arguuntur. Eſſentiale vero ab elementati corpore ita poteſt ſeiungi,vt ad ſenſum nihil in eo rema-neat,aut admodum tenue quid. Dicimus ad ſenſum: quia in aliquib⁹ latitat vis ſeminalis,vt cum putemus omnẽ exhauſtã eſſentiã eſſe,ea ſe iterum inſtaurẽt, vt videmus in ſalis confectione in ni-trariis officinis,& aliquando etiam in metallicis. Non ſic Deus proſtituit naturæ arcana, vt omnia veniant in hominis notitiam & potentiam. Multa retinuit in abdito. Itaq; capita mortua, vti vo-cant chymici,& elementares reliquiæ nõ ſunt Paracelſicẽ vituperandæ. Inſunt n.inſtaurationis, & reuiuiſcentiæ ſeminaria à ſenſib. noſtris remota. Ideo & in talib. ſub dio locatis poſſunt herbæ,& vermiculi enaſci,aut reſuſcitari vis aliqua primæ analoga. Quando integrum naturæ corpus con-cludit & eſſentialia, & elementalia, quorum vtriſq; tribuitur ſuum tẽperamentum, quæritur an non tertium ſit ponendum ex eſſentiali, & elementali conflatum, quod temperamentum totius naturæ vocetur? Exempla præbet ars cõpoſitionum medicarum ex eſſentiis pluribus,vel magiſte-riis,vel vtriſq; ſimul,atq; etiam integris. Dictum eſt craſin æſtimari eſſentiis potius.

Num his implicata eſt craſis quoque elementalis, ita vt ſi tota rei natura quærenda ſit,in eſſentiarum complexu ſit quærenda. Ex eo complexu quælibet pars eſſentialis ſibi aliquid trahit, pro vt dominatur ratio miſtionis in vno magis,quam in altero, ſicut videmus, quod in oleo cina-momi virtus cinamomi ſit fortior quam in aqua;& in aqua fortior,quam in ſale.

Et tantum quidem de Macrocoſmica abſoluta ſcientia medica, in qua Anatomia illa excel-lit,quam eſſentialem vocant. *Alia eſt relata*,quando ſcilicet non ſingulæ per ſe naturæ conſideran-tur,ſed vna ad alterum relata. Inde fiunt *comparationes & proportiones*, iudiciaque varia. Quocirca cum de *graduationibus* quæritur,quod nam ſit calidius,aut quod quo gradu calidum:aut quod quo gradu nutritiuum,purgans,confortatiuum,alexipharmacum, hoc eſt huius loci. Deinde huc re-feruntur etiam *magnetiſmi,ſympathiæ,antipathiæ*;ſiue eæ ſint primordiales, ſiue aduentitiæ. *Hippocra-tes* conſiderauit hæc in nutrimentis,& medicamentis,in quibus eſt familiaritas, ſeu ſimilitudo,vel aduerſantia,& diſſimilitudo,(lis,concordia,inimicitia,amicitia) ad ea quæ nutriuntur, vel medi-cina curantur. Vulgare eſt de actionibus inter contraria,& de nutrimento primum diſſimili,poſt-ea ſimili:de grato, ingrato &c. quæ beſtiæ ſenſibus fere diſcernunt, homines etiam ratione & ex-perientia. Quin & naturarum brutarum quædam ſine ſenſu, & ratione ſunt familiarium & non familiarium diſcretrices, vt in *magnete* patet, *herba viua*, *arbore triſti*, *ſolſequiis*, *duriombus & Betele*, *ſanguine*

Craſis.

Anatomia eſſentialis.

1. Magnetiſmi 2. Sympathia 3. antipathia

ſanguine & toxico Toræ, aliiſque multis, quæ porro ab homine æſtimantur. Ita ἀυτοδίδακτον naturam pronunciauit *Galenus*.

Medicus autem iſta ſedulo animaduerſa & iudicata ad opus medicum transfert. Idem comparat hominem cum rebus externis cœleſtibus, elementaribus: vt: qualiter affectus ſit ad ver, autumnum, æſtatem, hyemem, caniculam, lunam plenam, cibos, potus, aeris diſpoſitiones, balnea, &c. Deinde hominem homini confert, vt: quomodo ſe habeat ad familiares ſeu domeſticos, peregrinos, ciues, hoſtes, vxorem, filios, &c. Eſt & cum idem ſecummetipſo ſit componendus. Aliter enim habet in iuuentute, aliter in ſenectute, ebrius, ſobrius, iratus, placatus, ſatur, ieiunus, diues, inops, iuxta triplex bonorum genus. Sic membra membris in eodem, contenta continentibus cõciliantur. Sed hæc cadunt etiam in conſiderationem microcoſmicam cuius ſubiectum eſt Homo, paruus ille mundus à præcellentiore appellatus.

(*Magnum mundum Plato animal magnum vocabat. Ei opponitur animal ideale paruum, cuius ſpecies excellentior eſt homo.*) Hominis contemplatio eſt *Localis*, vel *virtualis*. Localis *Anatomia* vulgo dicitur, in qua corpus humanum ſecatur in membra ſimilaria, vt ſunt caro, os, cartilago, &c. & diſſimilaria, quæ ſunt caput, manus, pedes, inque maribus verenda, deinde truncum corpus cauitatibus duabus ſeu ventribus diſcretum. Aliquibus placet hippocratica diſtinctio in continentia, contenta, & concitata, qua de re conſulantur anatomicorum commentarii. Microcoſmica conſideratio virtualis principium omnium facultatum ſupponit *animam*, qua præſente vita eſt, & corpus viuum, animatumque, abſente mors, & corpus inanime, quod *cadauer* vocamus. *Hominis contemplatio.*

Dicitur anima habere *actiones quaſdam inorganicas*; ſed has Medicus vix agnoſcet, cum videat intellectum non valere ſicubi organa eius ſunt læſa, vt in Apoplexia, ſyncope, mania &c. Dum autem anima per organa exequitur functiones ſuas, ea oportet diſpoſita eſſe, & facultatibus cõmodis inſtructa. Inde temperamentum, & organicæ rationes in conſiderationem veniunt, præterea que calidum inſitum, ſpiritus & humores ſine quibus actiones non procedunt. Functiones diuiduntur in communes & proprias. Communes ſunt prima, naturalis, cui inſeruit ſpiritus naturalis, quanquam aliqui hunc negent, & calor innatus cum humido primigenio. Potentias complectitur tres, generatricem, nutritiuam, augmentatiuam, quibus famulãtur quatuor poteſtates, appetens, retinens, immutans, (quæ eſt concoctrix, & aſſimilatrix) & excernens, de quibus Medici agunt fuſe. Secunda potentia ſeu functio eſt *vitalis*, cui tribuitur calor, ſpiritus, & ſanguis vitalis. Additur ei ſpiraculum quoddam ad halitus ſuperfluos diſcutiendos, & calorẽ temperandum. Reſpiratio vocatur in habentibus pulmonem: in cæteris eſt analogum quiddam. Sed & perſpiratio occulta naturæ miniſtrat. Tertia communis functio *animalis* nuncupatur, ſenſum motumq; præſidio & ope *ſpiritus animalis* procurans. In homine coniungitur ratiocinatiuæ, in beſtiis æſtimatiuę. Inter has affectuoſa interiicitur, attingens quodammodo rationem. Ariſt. diuiſit potentias iſtas in ἄλογον vnã, quæ eſt naturalis, & duas ἐλλόγυς, quæ eſt affectuoſa & ratiocinatiua. Plato diſtinxit triplici animali, vario, Leone, & homine, vnde ἐπιθυμητικὸν, θυμικὸν, ἡγεμονικὸν. Singulis ſuus tribuitur appetitus. Vulgo in ſcholis ex Ariſt. alia diuiſione quinq; potentiæ nominantur, *vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, locomotiua, & rationalis*. Verum ne iſta ſine methodica lege vagentur, operam dabit artis informator. Iſtæ functiones etiam principales appellantur reſpectu ſeruilium, & inſtrumentalium per ſpiritus & humores, tanquam minus principalium, quo reuocari poſſunt etiam qualitatum elementalium operæ. Facultates propriæ inſitæ ſunt ſuis membris, vt ventriculo χυλοποιητικὴ, epati αἱμάτωσις, oculo vis viſiua, & ſic de cæteris. Priores generales dixerim, poſteriores ſpeciales, quarum vigor nullus eſt, niſi generalium ſocietate. Vt n. ex potentia in actum veniat facultas cõctrix ventriculi, epatis, & ſingulorum membrorum, ſpiritus & calor vitalis affluxu, actioneq; ſua facit. Vt ſentiat pes, manus, oculus, auris &c. ſpiritus animalis procurat, qui & motui primum præfectus eſt. Fundantur autem proprię facultates cuiuſq; membri in craſi propria, & conſpiratione elementalium & eſſentialium, vbi cuiuſq; per ſe calor, ſpiritus, & humor, tribus principiis analoga, in contẽplationem veniunt, vna cum rationib. tam organicis, quam non organicis, ſeu ſimilarium temperamento. Hæc eſt quædam *adumbratio eorum quæ Medicus communiter cum phyſico contemplatur, quæque præſcire ipſum neceſſe eſt, ſi officio medico ſcienter, & perite velit fungi.* Quidam hanc partem vocant *Theoricam*. Diuidunt n. medicinam in *Theoricam & Practicam*. Sed theoremata vbiq; ſunt praxeos fundamentum, ſiquidem ſcientia iudicandum & agendum, non autem fortuito, & inſcitẽ medendum eſt, *Scienter nemo agit niſi vi principiorum ſcientificorum*. Deinde vſitate ſolet ſcientia ex fine æſtimari, quaſi ſatis ſit ſi ſciat is qui ſcientiam acquiſiuit. At Medicus in hoc fine non quieſcit, ſed ad opus quoque medicum, quod eſt ſanatio progreditur.

Quicquid ergo ex communitate naturali aſciſcit, id ad praxin accommodat, vt tota eius laus in actione ſecundum virtutem conſiſtat. *Actio Medici propria eſt ſanatiua corporis humani animati primum*, & conſequenter etiam eorum quæ ad functiones ſpectant. *Actio ſanatiua eſt motus quidam ad ſanitatem*; motus eſt actus mobilis, ſicut *ſanatio actus ſanabilis qua ſanabile*. Quod ergo inſanabile & irrecuperabile eſt, Medicus non aggreditur, vt mortuos excitare, tametſi id Æſculapio tribuatur, Gangræna, & Sphacelo corrupta membra reſtituere, manum præſectam reficere &c. Ita quædam ab ortu contracta ſunt inſanabilia; quædam ob circumſtantias quaſdam talia fiunt, aut cenſentur. Aliquando inſanabile dicitur id quod eſt ἀδύνατον. Quæ non ſimpliciter, & per ſe ſunt talia, ſed propter accidens quoddam ſiue in ægrotante, ſiue medico hoc, illo, ſiue circumſtantibus, in ea nonnunquam incidunt empirici, & aniculæ cum ſimilibus, quibus accidit forte ſanare in inſanabilibus κατά τι relictum, aut ſaltem eo perductum ope medici prioris, vt natura deinceps per ſe ſit ad ſanationis complementum ſufficiens. Inde ſæpe populus, & agyrtæ, præſertim Paracelſici, *Inſanabilia.*

male loquuntur de Medicis, & ſibi inſanabilium reſtitutionem arrogant dementer, & falſo. Hippocratis diſcipulus iurat in hæc verba: ὀ τεμέω δὲ μὴν λιθιῶντας ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. Calculo laborantes non ſecabo, ſed viris chirurgiæ, operariis eius rei faciendæ locum dabo. Vnde patet ab antiquo nonnulla ad ſanationem pertinentia conceſſa eſſe artificibus aliis. Sed Medicus nihilominus ſcientiam retinere debet, & vel per ſe medicinam facere, vel per adminiſtros, vt fit cum Clinicos, pharmacopœos, Rhizotomos, chirurgos adhibet. Diuiditur eius functio propria vulgariter in *phyſiologian, Hygienen, Pathologian, Prognoſticen, & Therapeuticen.* Sed Phyſiologian & hygienen reiecimus ad Phyſicam communem.

Medici functiones.

Prognoſtica adhæret Pathologiæ & Therapeuticæ. Relinquuntur itaq; propriæ partes duę, quarum prior conſiderat pathemata præter naturam exiſtentia; poſterior remedia, eorumq; applicandorum induſtriam ex ſcientia & experientia. *Pathemata* præter naturam ſunt duplicia, tranſitoria, quæ *affectiones* dicuntur, & habitualia, quæ *morbi*. In vtriſq; conſiderantur cauſæ, & ſymptomata, ſeu accidentia. Cæterum morbi, quorum analogiam ſequuntur & affectiones, dicuntur *affectus præter naturam primum lædentes actionem.* Diſtribuuntur varie. Sunt generales, particulares; vniuerſales, ſporadici; Epidemiales, Endemiales, contagioſi ſimpliciter, contagioſi peſtilentes, non contagioſi, chronici, acuti, peracuti, qui motu celeri, vel tardo deſcribuntur. Quidam conſiderant *materiam, formam, & totam ſubſtantiam,* iuxta triplicem οὐσίαν Ariſtotelis. *Galenus* alios *intemperiem* vocat, alios *organicos* in compoſitione, figura, ſitu, numero &c. alios *communes* in continui ſolutione. Qui ſunt *dyſcraſiæ*, vel ſimplices ſunt, vel cum materia. Paracelſici quoſdam appellant *aſtrales,* qui ipſas eſſentias membrorum, aſtris comparatas, occupant: quoſdam *elementales.* Nam in miſto tantum illa duo habent, elementa ſcilicet, & principia. Elementales morbos multum curæ negant requirere, iuxta *Hippocratem* in lib. de vet. medicina. *Eſſentiales* ſeu aſtrales diſtribuunt in mercuriales, ſulphureos, ſalinos, Nonnunquam comparate nominant ſeu ſymbolice vitriolatos, arſenicales, martiales, ſaturninos &c. Non raro per cauſas diuidunt. Vnde Paracelſi *quinq; morborum Entia,* diuinum, aſtrale, magicum, naturale, venenatum. Iſtæ omnes conſiderationes ſunt generales, vt & eorum qui omnes morbos *ex ſpiritu* conflant, vt omnibus vnum generale remedium ſtatuant: & eorum qui ex *humoribus eſſentialibus* ſingularum partium. (Nam in excrementitiis non eſt eſſentia morbi.) In ſpecie per membra ſingula digeruntur, vnde *capitales, pectorales, ventris, manuum, pedum, cerebri, cordis, &c.* ſimilariter, & diſſimilariter conſiderando. Hinc illæ ſpecies quas & Paracelſici agnoſcunt, Febris, Apoplexia, Epilepſia, Spaſmus, paralyſis, arthritis, podagra, chiragra, ſciatica, &c. Item peſtis, morbus hiſpanicus, ſcorbutus &c. noui, veteres: Nam Paracelſiſtæ putant hodie, & progreſſu mundi nouos morbos excitari: veteres quidem veteri medicina ſanari, ſed nouos requirere nouam, vt minerales, mineralibus, vegetales, vegetalibus, animales, animalibus, & omnino ſimiles ſimilibus, aſtrales aſtralibus ſint propulſandi. Si certitudo definita poſſet eſſe, atque adeo infallibilis ſcientia in iſta diſtinctione, non incommoda foret. Sed quia ipſi magiſtri errant, & contraria pronunciant, principiumque petendum ſemper relinquunt, non poſſunt ad ſcientificam methodum reduci. *Nihil ſub ſole nouum*, inquit Eccleſiaſtes cap. 1. verſ. 7. 10. Satius eſt morbos diſtinguere ſpeciebus, & deinde ad cauſas eos accommodare, vbi fieri poteſt, vt in vno multæ ſint cauſæ, ſolitariæ, vel ſociæ, aut ſuccedentes, quas enunciare propriè, vel ſymbolice parum intereſt.

Morbi.

Cauſæ morborum vniuerſales ſunt, vel particulares, remotæ, propinquæ, &c. varie enim diſtinguuntur. *Vniuerſalibus* accenſentur *Dei voluntas & permiſsio*: Spirituum procuratio: cæli conſtitutio: aeris communis affectio quæ ſunt ſimpliciter vniuerſales: aliæ relate & ſubalterne, vt cum in vna regione aliqua cauſa incolas plærosque communiter inuadit, aut in vno oppido, vico, domo.

Cauſæ particulares fere ſunt in vniuſcuiuſque conſtitutione propria, gignuntque *ſporadicos.* Sunt qui omnes morbos & affectiones ſpiritui officiorum vitæ gubernatori aſcribunt iuxta Hippocrati tributum de flatibus libellum. Hinc & vnum remedium catholicum omnibus opponunt quod *Panacean* vocant. Nolumus autem repetere quæ paſſim apud autores de cauſis inueniuntur. Quædam ſunt extra hominem: quædam in ipſo. Extra hominem ſunt quæ à cœlo & elementis exiſtunt, & quæ ex corruptis aut vitioſis cibis, pharmacis, magia, faſcino, violentia plagarum, caſu & ſimilibus oriuntur. Intra hominem peccant ſæpe cibi, potus, ſomni, labores, ſpiritus, humores, excrementa, ſiue elementaliter, ſiue aſtraliter conſiderata. Parit non raro & morbus morbum, & ſymptoma in morbum euadit.

Elementa externa.

Elementa interna.

Non pauci ex phantaſia, & affectibus exiſtunt. Aliqui ex ſtudio nimio πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, inquit *Hippocrates*, ſicut & defectu peccantia, vnde medicina *additione & ſubtractione* definitur. Sex res Diæteticæ vt ſeruare naturam recte diſpoſitæ adhibitæque poſſunt, ita & lædere, ſi præternaturaliter ſe habeant. Dominatur hic gula ſeu bacchus, & venus cum marte. Symbolici Medici cauſas omnes eſſentialiter enunciant, referuntque ad ea in mundo maiore, cum quibus analogiam habent: veluti ſi placet ex cœlo petere explicationem, Mars Microcoſmicus, ſol, venus, Luna, canicula &c. ſunt cauſæ aduerſæ valetudinis in nobis, cumque iſta ſint etiam metallorum nomina, naſcitur *ſymbolica metallorum tranſmutatio*, qua Venus peccans, & leproſa in aurum, ſeu ſolem mutatur, mercurius in argentum, hoc eſt, valetudo ærea, vel mercurialis in ſolarem vel lunarem. *Paracelſus*, vt eſt monſtrorum monarcha, ita hic quoque monſtrificus eſt. In cœlum enim infert mundi medii pœnas, ibique fingit *baſiliſcos, menſtrua venenata*, napellos, & alia quæ viciſſim inde in nos graſſentur, quaſi à lunæ, & aliarum ſtellarum diſco ſpeculari in nos reflexa, quę commenta nos repudiamus.

Transſmutatio ſymbolica.

Figmenta Paracelſica.

Interdum

Interdum cauſas per mineralia tradimus: vt vlcerum & apoſtematum cauſæ dicantur eſſe arſenicum, Realgar, vitriolum, ſal, mercurius, ſulphur, &c. quia humores mortifici, & ſpiritus lædentes talem habent naturam. Sic febres dicunt exiſtere à ſulphure intemperato incenſo in corde, vel etiam flagranti nitro comparant, hydropem à mercurio, & ſale eſſe volunt, atque ita de cæteris. Quidam ſolis iſtis tribus explicant omnem cauſam; quidam etiam ad alia transſeunt, nec abſurda eſt comparatio per ſe, ſi modo ea non abuterentur contra veterum diſciplinam, qua cauſæ mortificæ *humoribus, ſpiritibus* & aliis per nota in arte vocabula deſignantur. Quid enim intereſt *humorem biliosum*, vel *bilem* dicas, *an ſulphur*, ſi ibi plane, & ſimpliciter loquaris ſermone ſapientum artificum, hic vtaris metaphora ex analogia? *Eadem eſt eſſentia febris Galenico, & Hermetico eadem ſanandi ratio. Si eryſipelas* vrticam vocas, * aut formicam, num ideo à ſanguine bilioſo, & acri eſſe negaſti, aut alio modo id tollis? Sanatio eſt cauſam tollere eius quod moleſtat, & ſimul moleſtiam auferre. Sanant eriſypelas Galenici, ſanant & Hermetici.

[* *Fundamentum Paracelſi* [illegible] *quod interna microcoſmica ſint nominanda externorum macrocoſmicorum appellationibus, contrarium potius eſſe debebat. Nā homo eſt menſura cæterorum, & principium in relata hac habitudine.*]

Cauſam vtroſque auferre neceſſe eſt, nec refert ſiue hi ſulphuream & ſalſam faciant, ſiue illi ſanguineam bilioſam, inflammatam. Si ſanatur ſectione venæ, humoris detractione, & conſequēte moderatione per refrigerationem ſanatur, cui & topica adhibentur, & non raro cathartica: aliquando etiam ſorbentia, ſeu exiccantia ichores affluentes, & tumorem facientes. Eadem methodus eſt vtrobique. Quid opus eſt tam acribus pugnis? Quæ de *cauſa continente, coniuncta, procatarctica* & aliis habentur in commentariis medicis, ſuo loco non ſunt inutilia. Sine cauſis eſſentialibus morbus non eſt. Efficiens propinqua, remota, modo adhuc eſt, modo fuit, requiriturque à medico, vt diligenter de hoc quærat. Sed nos tantum adumbrationem artis meditamur. *Symptomata* modo effectis morborum, qui tunc cauſæ vim habent, accenſentur, modo adiunctis, nec raro ſunt & ipſa morbi. Inter ea ſunt *læſiones functionum*, & earum priuationes, effecta nimirum morborum, qui dicuntur actiones primum lædere. Deinde *affectus* in ſenſibus, viſu, olfactu, guſtu, tactu, auditu; præterea quæ circa vacuationes, & earum errores, exceſſu, defectu; vt alui profluuia, obſtructiones &c. Videatur Gal. lib. de diff. ſymptomatum. Hactenus medicina pathologica.

Adhærent ei σημειωτικὴ, προγνωστικὴ, & doctrina de *temporibus*, & *criſibus* morborum, vbi comparantur antecedentia, comitantia, ſequentia; quin & non raro ex remediis pronunciatur, & extrinſecus euenientibus, vt in criticis ex motu humorum, tum à Luna, aliiſque ſyderibus, & conſtitutione præſente, tum ex ipſorum natura & coniunctis. Accerſuntur ad eam rem etiam obſeruationes, temperamenta, ætates, victus ſympathiæ, & alia multa, ita vt ad prognoſticon, & criticen ſemiotice plura comportet argumenta: complexa Pathologicen, & Therapeuticen cum phyſiologica ſubiecti patientis conſideratione. Indicationes ſumuntur à rebus naturalibus, & præternaturalibus. Indicatio ergo eſt iudicii medici inſtructio ex apparentibus in ſubiecto ſanando. Indicans & contra indicans eſt. Sed ad propriiſſimum opus medici, quod eſt *morborum ſanatio*, accedamus.

[*1. actio læſa: 2. ſimplex corporis affectus, ſeu ſenſuum mutati habitus ex qualitatum mutatione. 3. Vitium in excretionib. & retentionibus.*]

Hic primum *catholica quædam bene medendi principia* proponuntur: Vt quæ ab Hippocrate ſunt tradita; *Natura morborum medici*: 2. *Natura ſtimulata & impulſa quid faciendum artis peritus monſtrat* (in lib. de arte) 3. *Sublata cauſa tollitur effectus*. 4. *Medicum ſcire oportet opponere ſe contrarium inſtantibus morbis, naturis, temporibus, ætatibus: ſoluere diſtendentia, ſoluta diſtendere, &c.* Item *curam facere oportet inſtando ex contrariis aduerſus morbi cauſam*. Cum *medicina ſit ablatio abundantium, appoſitio deficientium*, manifeſtum eſt ὅτι τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα. *Concluſa enim aperienda ſunt, diſtorta corrigenda, humida reſiccādaq; oportet*, καὶ τὰ ἄλλα δρᾶν ἐναντία δι' ὕλης ἐργαζομένης ἕκαστον τῶν ἐναντίων, vt Galenus ait, & Hipp. in Aphoriſmis, ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος πλησμονή, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις. *Commune eſt omnibus præter naturam affectibus, vt nullus poſſit redire ad naturalem ſtatum niſi potentia contrario remedio: medicum quoq; miniſtrum naturæ decet non conſentientem morbo ei contrarium ſe exhibere*: qui eſt ſummus bene medendi ſcopus. 5. *Medicina eſt morbos ab ægris in totum tollere, eorumq; vehementes impetus obtundere, nec curare ab eis victos, cum medicina hos nequeat ſanare*, (in lib. de arte apud Hipp.) 6. *Si quis cauſas corporis affecti probe cognouit, potens eſt valde ea afferre quæ corpori commodent. Sufficiens ad cognoſcendum, etiam ad ſanandum ſufficit.* 7. *Firma tamen memoria teneto medicamenta & ſingulas facultates, cum morborum curationibus, & earum modis. Hoc enim principium medium, & finis eſt in medicina.* Hæc & ſimilia principia ſunt catholica. Adduntur *indicationes curatiuæ ex ſuperioribus repetitæ. Inuentio remedii* apud Hipp. eſt *ex comparatione iuuantis cum lædente, modoq; applicandi.* Habetur quidem hic aliqua qualitatum elementarium ratio; Sed potior eſt conſideratio *diætæ*, ex cuius peccatis morbi oriuntur, & aeris, vnde morbi *catholici*, ſicut inde *ſporadici*.

[*Magis vrgēti ſubueniendum.* — *Hippocraticæ leges.* — *Remedium inuenire.*]

Recentes adiecerunt etiam plura obſeruanda. Iubent enim *magnetiſmos, ſympathias, antipathiasque rerum, & ſignaturas reſpicere.* Inde enim remedium iudicant inueniri facile poſſe. Deinde quærunt *analogias* inter eſſentiam morbi & remediorum, volentes *ſimilia ſimilibus ſanari*, vt mercurialia mercurialibus, ſulphurea ſulphureis, ſalina ſalibus, quæ petunt ex aſtralibus, mineralibus, vegetalibus, animalibus *Quæ à Deo immiſſa ſunt ſupplicationibus* curant; quæ *à magis*, magicis; *à veneficis* alexipharmaco auxilio, quæ *ab imaginatione*, contraria imaginandi conſtantia: quæ ab aſtris per aſtralia: & ſane mirabile eſt per incantamenta, & ſortes magicas inflicta naturalibus remediis non poſſe tolli, & ſuperſtitione conciliata fide ſuperſtitioſa depelli, quæ firmatur pentaculis, amuletis, ſigillis conſtellatis, characteribus, gemmahæis, homunculis, & aliis figmentis.

[*Paracelſica.*]

Verum hæc in artem medicam, ſcientia conſtantem, non cadunt. *Supplicationes* autem ex Theologia ſunt aſciſcendæ. Qui per *chymica* ſanant non ſunt reprehendendi, modo artis principiis vtantur. Quam Paracelſici vocant *ſignaturam*, & *chiromantiam*, fortuita tota eſt, nec poteſt ſcientificis præceptis comprehendi. Quod ſi alicubi ſignum reſpondet, id non fit ideo, quia hoc eſt huius

[*Ars ſignata.*]

ſanationis ſignum, ſed accidit. Cur nux moſchata per figuram ſuam potius cerebro auxilium promittat, quam noxam? Imo copioſius comeſta delirium affert. Cur *argentum* cum cerebro ſymbolû habet? Num ideo quia *Luna* humiditate ſua cerebro nocet, & ea à paraboliſcis myſticis dicitur argentum? At ſic nocere argentum debebat, ſiue integre datum, ſiue in eſſentiam, vel magiſterium redactum. *Axioma de ſimiliũ cura*, diuerſum habet ſenſum. Non ſane ſicubi qualitas materialis morbi cauſa eſt, ſeu efficiens, ſeu eſſentialis, per ſimilia eſt ſanatio, niſi ex accidente. Humida n. ſunt remedio ſiccis, & contra. In contrarietate tamen eſt quædam identitas. *Contraria enim genere conueniunt.* Ideo & Hipp. *morbos ex diæta ſanat oppoſita diæta.* Qui mercurialia mercurialibus, & non ſalinis, vel ſulphureis curari dicunt, cum audiunt, *ex Mercurio fieri catholicum remedium*, & ſulphureas inflammationes aquis, ſucciſve ſemperuiui ſanatas eſſe, miſerum κρηνοφύγετον comminiſcuntur, dicentes, etiam *in mercuriali liquore eſſe aliquid ſulphurei, & ſic omnia omnibus miſcent.* Si omnino iſta ſententia ſequenda eſſet, humani morbi certorum membrorum eſſent ſanandi eſſentiis membrorum ſimilium, quomodo *Cranÿ* extracto, & *muſco ex cranio* humano docent pelli capitis per eſſentiam *Epilepſiam*: Ita epar epate lupi, pulmo pulmone vulpis, arthritis talis, vel tendinibus pedum hinnuli, aut rupicapræ &c. curant. Cur iſta non ex homine petunt? Cur & corde lupi Epilepſia ſanatur, & melancholia corde leporis?

Sympathetica. Figmentum eſt *imaginatione forti poſſe ægrotum ex aſtante ſano, & robuſto ſanitatem, & vires in ſe trahere*, cum potius valens ex ægroto contagium eliciat. Sympathetica quoque, vt perſicaria, vnguentum armarium, & ſimilia nullam habent ſcientiam. Si quid fit, fortuna fit, ſeu ex accidente, *Fides naturalis.* fallitque ſæpiſſime. *Fide fieri vulgus* autumat. Neque tamen damnandum cenſemus fallaciam illam ſeu aſtutiam medicam, qua opiniones, & phantaſiæ quorundam decipiuntur, & obiter ſanatio promouetur.

Sic enim *melancholicos* aliquando reſtituimus ex ſuo delirio, & *febricitantes* paroxyſmis liberamus. Multum eſt in *affectibus*, & *forti appetitu*. Ideo Medici interdum indulgent etiam ea quæ putantur alias noxia eſſe. Verum iſta omnia inartificialia ſunt, neque conſtantem habent præceptionem, niſi generalem illam de *indulgentia*. *Paracelſus* ſcripſit etiam à *Diabolo* remedium peti poſſe, quia Deus beneficiat per bonos, & malos, debereq; inde ſumi auxilium, vnde morbus ortus, vt cum epar canis rabidi datur morſo ab eo, & ſcorpius ſuo vulneri imponitur. *Remedium à Sathana impium.* Sed *naturalia non ſunt hyperphyſicis iſtis comparabilia, & Iobus à Sathana afflictus non quærebat ex ipſo curam.* De his & ſimilibus monendum fuit ante operam medicam, quæ eſt *in ſpecie medicina* iam notitiam remediorum, & ſanandorum ex ſuperioribus adepta. Functio eius dicitur θεραπευτικὴ, cuius tres ſunt partes, Diætetica, Pharmaceutica, Chirurgica: Sed in omnibus non tam notitia materiarum, & inſtrumentorum requiritur, quam applicandi peritia. *Medicina practica.* *Diæteticam* eſſe ſanatiuam patet, quia inde & n o bi non leues, vt inquit Hipp. in lib. de genitura (*morbi partim ex diæta, partim ex ſpiritu, quem attrahentes viuimus*) & in lib. de alimento, *in cibo medicina optimum.* Comprehendit autem is victum tantum, alimento vtroque, *humido & ſicco* conſtantem. *Diætitica.* Nos Diæteticam explicamus ſex rebus, quas *non naturales* vocant, vt *aere, cibo, potu, ſomno, vigilia, quiete, motu, affectibus, vacuationibus*, quibus & venus continetur, & opponitur repletio. Videatur diæteticum *Quercetani* paulo ante mortem eius an. 1605. Pariſiis editum. Inſeruit autem diætetica tam ſanis ad præſeruandum, quam ægrotis ad reficiendum, medicandumque, nec opus eſt nos in hac Diagraphe de ſingulis tractare. Illud mirum, quod Paracelſici in cæteris remediorum materiis Galenicos ferre nequeant cum integra, decocta, infuſaue præbent; hic autem nequeant vitare integra, decocta, infuſa, expreſſa, aſſa, cruda, &c. *Paracelſici in Diætetica integra Galeni à habent.* *Si per diætam Hippocraticam* (amplecti ſe *Hippocratica* ſimulant, quanquam contra Paracelſum) *eſt ſanatio*; & hæc naturalia præſcribit, *quorſum ſola chymica artificialia ad medendum imperantur?* Naturam eſſe *ſpagiricam*, inquiebat Gramanus, & chymicum opus in diæta peragere. Sit inquam ſpagirica etiam in cæteris: Veruntamen *nihil quod melius, & vtilius fieri poſſit à Medico negligatur.* Itaque & *ſorbitiones* & *iuſcula* veterum non contemnat, nec quæ *Arabes* formaliter præparare docuerunt. *Artis eſt inueſtigare & ſcire quando, quid, quantum, qua forma, quibus ſit dandum*, quo pertinet cibario ſeu *victus ratio in acutis*, peracutis, chronicis; item iuxta tempora morborum, & criſes. *Pharmaceutice.* Pharmaceutice ex cognita natura remedium inuenit, præparat, & perite vſurpat. *Remedium* dico id quod Græci *pharmacum*, vnde nomen huic parti. Nam de diæteticis iam præmiſſum eſt, de chirurgicis ſequetur. *Inuenire remedia.* Ad inueniendum medico ſufficit cognitio naturæ cuiuſque in ſingulari & generali, vbi inſeruiunt multa ſuperiora per ſenſum, rationem, experientiam. Inuenimus vel in patria, vel externis regionibus, illud malunt quidam: nos nihil vtile repudiamus.

Paracelſici hic maxime prædicant *artem ſuam ſignatam*, & accuſant Galenicos quod eam omiſerint. Sed vt diximus, qualiter eam *Paracelſus, Crollius, Ioh. Bapt. Porta* & ſimiles tractant, non eſt ſcientifica & eſſentialis, verum potius accidentalis, & fortuita, quam quidem non omiſerunt Galenici: nam guſtu, olfactu, tactu, ratione experientia comprobant medicamina, vt & beſtiæ: Sed in viſibilibus notis ſciunt parum eſſe præſidii. *Præparatoria.* *Præparatio* duplex eſt, *officinalis Galenica*, & *Hermetica*, quam *chymicam & ſpagiricam vocant.* Illa *materialis* magis eſt, hæc *formalis, &c.*

Præmittitur vtrique *purgatio rhizotomatica*, qua ab adhærentibus ſordibus liberantur & in cumulo, non parui momenti eſt *electio*, & *reſeruatio* qua de re in arte pharmacopœorum. Cum apud phyſicos *ſex ſint ſpecies motus generatio, corruptio, alteratio, augmentatio, diminutio, loci mutatio*; Poterant pharmaca iſtis diſtingui. Verum medicis terminis magis vtendum. *Pharmacum eſt motiuum.* Id mouet per ſe, aut per accidens: idq; vel *elementaliter*, vt cum alterat qualitatibus primis, aut ſecundis: *vel eſſentialiter*, vt qualitate occulta, quæ & ſpecifica, craſis, tota natura, tota ſubſtantia dicitur. Paracelſici principiis ſuis diuidunt, quaſi hoc moueat *ſulphure* proprietatis, illud *mercurio*, aliud *ſale*, & hæc

& hæc aſtraliter. Hippocratici ab effectu diſtinguunt: vt ſint quædam *Cathartica*, quædam *confortantia*, quædam *alexiterica*. In catharticis ſunt *emetica, diuretica, hydrotica, vacuantia*; Et nonnulla ſpecialia, vt *errhina, apophlegmatiſmi &c.* Sunt alia *catholica*, alia appropriata membris, vt *cephalica, cordialia, epatica, ſtomachica, hyſterica &c.* Item morbis certis dicata, *antepileptica, antarthritica, antaſthmatica, febrifuga &c.* Hermetici in quibuſdam naturam *magneticam* agnoſcunt, in attrahendo *ſympathetica*, vel depellendo *antipathetica*, cuiuſmodi ſunt & quæ *amuleta* vocant. Item quæ vulneribus iobolorum, & bubonibus impoſita ad ſe trahunt virus. Quædam *ſpicula* reuellunt, ſpiritus eliciunt, & diſcutiunt, liquores liniunt, vt *veſicatoria, phænigmi &c.* Eo referunt & *phantaſiæ* operationes, & certarum rerum tum odia, tum proſecutiones. *Ars applicandi agentia patientibus* excellit in tota Therapeuſi, vt *cito, tuto, & iucunde* fiat ſanatio. Hic non tantum ſcire oportet an potandum ſit medicamentum vel edendum, intus, foris applicandum, & qua forma, qua copia, ſapore, odore &c. ſed variæ circumſtantiæ, tempora, criſes, naturæ inclinatio, conſuetudo, ſexus, ætas, cælum, patria, ſimplicitas, compoſitio, præparatio, & alia plura ingenioſe inueſtiganda. Si quid per imprudentiam commiſſum eſt, aut præter ſtochaſmum euenit, qua arte id corrigendum, noſſe decet. Neque enim omnia poteſt Medicus in explorato habere, vt *Hippocrates* annotauit in lib. de arte. *Artis principiis & praxi, ratione, & experientia in bona diſpoſitione, ſapientia, prudentiaq; & ſenſibus vti oportet dexte & perite.* Legendi de his ſunt commentarii artificum, & exempla hiſtoriæque euoluendæ, nec pudori eſſe debet conferre cum medicis, atque etiam aliquando *olitores* audire. Quid de *ferinarum* vſu? Inartificialis eſt. Neque enim ipſæ aquæ ſunt conſtantes, neque qui Thermas ferinas, aut alias minerales adeunt præceptis medicis admodum obſequuntur. Medicum ſi quis adeſt, oportet tempori accommodare conſilia. Fere cæcus cæcum ducit, & exempla plus valent, quam præcepta opinionesque anteferuntur ſcientię. Vſus multus in aliquibus peperit imaginem artis potius, quam artem. Paracelſici medicis Galenicis dant probro, quod vltimum conſilium ſit *ferina aqua*, vel *ligni cura*. Verum nos iſta exoterica dicimus, in quibus ſi conſulimur, methodo prudentiæ vtimur. Supereſt *chirurgia*, quæ ex argumento manuum operationes ſibi vendicat, & à Medico per miniſtros procuratur, ipſo rationes ſingulorum expediente, & modos præſcribente. Ita chirurgus foret medici ſeruus tanquam alipta, tonſor, myrepſus, rhizotomus &c. verum quæ hodie eſt chirurgiæ profeſſio, practico chirurgo communis facta eſt etiam Theoria, fereque totius medicinæ epitome venit in eius poſſeſſionem, quanquam raro inueniantur chirurgi excellentes, populo ad balneatores & barbitonſores, aliptaſque ſe conferente. Partem ſibi tribuit *Lithotomus*: quidam vocantur *oculiſtæ*, qui & *Hernias, ſtrumaſq;* ſecant: alii venereæ Lui ſanandę operam dicant; aliqui dentes vellunt, vnguenta, theriacas, radices, & ſimilia vendunt, vnde circumforanei dicuntur, quanquam vix inuenias, qui non omnia in omnibus glorietur eſſe, præſertim fugitiui ex Paracelſia. Qui integrā chirurgiam legitimè didicerunt, & profitentur, quædam habent communia cum medicis phyſicis, quædam propria. Communia ſunt duplicia. *Naturalia & præternaturalia*: illa diuiduntur in naturam conſtituentia & adiuuantia. In conſtituentibus ſunt, quæ vulgo *res naturales* dicuntur, vt elementa, humores, temperamenta, facultates, actiones, ſpiritus, anatome, & quæ adhærent, vt ſexus, ætas &c. Naturam adiuuant bona ſui diſpoſitione diætetica, *ſex rebus non naturalibus dictis* comprehenſa, quæ mala conſtitutione, aut habitudine etiam poſſunt fieri aduerſæ valetudinis cauſæ, vt aer, cibus, potus, & reliqua, de quibus ſupra. *Præter naturam* ſunt *cauſa, morbus, ſymptoma*, plane vt in Pathologia medica. Neque enim hæc contemplatio chirurgica aliud eſt quam *paruum exemplar exactæ ſcientiæ medicæ*. Inde etiam *indicationes* ſuas haurit chirurgus. Etſi autem inueniantur *Polypragmones* quidam, qui in omni re præter naturam dent reſponſa, conſiliaq; & ſanationes promittant: tamen medicina chirurgiæ pauca interna commiſit: externa vero plæraq; concredidit. Hic conſiderantur primum *paſſiones*, deinde *materia remediorum chirurgicorum*. *Paſſiones* diſtribuuntur ſecundum genera, vel membra ſingula. Genera ſunt vel *organici affectus*, vel *ſolutiones continui*. In organicis eſt *numerus excedens*, vel *deficiens, figura diſtorta, ſitus illegitimus, magnitudo nimia, conformatio* ſeu compoſitio praua, cum *vel ſine intemperie aut materia*. In ſolutione continui euidentia ſunt *vulnera*, cum, vel ſine empyreuſi, *vlcera, fracturæ oſſium, curta ſeu amputata &c.* Omnino chirurgus tractat *tumores quatuor generum* iuxta totidem *humores Hippocraticos*, vnde exiſtunt *phlegmone, eryſipelas, œdema, ſcirrhus*, ita vt ad *phlegmonen* referantur omnes calidi humidi, vt *furunculi, carbunculi, bubones, phygetla, phymata &c.* ad *eryſipelas, herpes, eſthiomenus, impetigo* & reliqua à bile: ad œdemata, tumores ex ſero & pituita, ſeu *phlegmate, vt hydrops, hydrocele, hydrocephalos, ſcrofulæ, talpæ, &c.* quo etiam reuocantur flatuoſi: Ad *ſcirrhum* quæ ex *craſſo melancholico humore* exiſtunt, *vt cancer, lepra, elephantiaſis, clauus, &c.* ſed & partibus diſcernuntur. Sunt enim *aneuriſmata* in arteriis, *varices* in venis, *polypus* in naſo, *epulis* in gingiuis, *rana* in lingua: *Exomphalos* in vmbilico, *Hernia* in gutture, abdomine, ſcroto &c. Iſta eſt Theoria tumorum præternaturalium. Inde *vlcera* in contemplationem veniunt, quorum diſcrimina ſumuntur à *figura quantitate, tempore, euidentia, ortu, ſitu, membris, ſimplicitate, compoſitione, ſimilitudine, ſymptomatibus, malignitate &c.* Inde *cancroſa, Telephia, chironia, cacoëthe*, & alia de quibus exactius in ſuis commentariis. Hic enim nihil niſi rudis delineatio traditur. Sequuntur *vulnera cum vel ſine ambuſtione*, quorum differentiæ item ſumuntur à *ſimplici & compoſito, ſimilaribus* partibus, & *diſſimilaribus, figura, inſtrumentis* quibus fiunt, animatis, vel inanimis, & aliis. *Fracturæ* in oſſibus fiunt, item *caries, fiſſuræ, contuſiones &c.* Diuiduntur item partib. vt *cranio, pedibus, manibus &c.* Quædam *gangrana*, vel *ſphacelo* correpta diſceſſum moliuntur. Sunt & *ſuggillata & ἐκχυμώσεις*; Hic *luxationes oſſium, & articulorum*. Inſuper quæ *in cute* naſcuntur, *ſcabies, morphæa, lepra, variola, morbilli &c.* Item in *ſternutationis* tempore peſtis. Chirurgo committuntur & *in cauitatibus* præter naturam hærentia, vt *vermes calculi, molæ, mortui* in vtero infantes &c. Itē multa in membris ſpecialibus cōngenita, vt in oculo *hordeolum*.

Aph. 1. vita breuis, ars longa &c.

Ferinæ.

Chirurgia.

Chirurgi veteres.

Paracelſiſtæ ſunt abortus & excrementa quædam veræ medicinæ.

hordeolumue,ſuffuſio, vnguis, &c. illapſa in oculum, aures &c. infixa palato inter glutiendum, aut etiam in ventriculum demiſſa, ſicut *culter*, quem quidam in Bohemia per œſophagum delabi ſiuerat, nec raro *magica* intruduntur. Sunt & *connata* interdum ſeparanda, & *perforanda concreta*, item *deformitas* mutanda ſpecie decora, *pili* gignendi, euellendi, *alopeciæ* curandæ, *capillitium* & *barba* tondenda: *Venæ ſecandæ*: ſcatificandum, fonticuli, & ſetones procurandi, veſicæ ducendæ, hitudines admouendæ, dolores mitigandi in articulis, colica, capite, & alibi.

Dan. Liddel. in art. med. inſ. Chirurg

Omnia ſtudebimus ſuo tempore ad iuſtam methodum reuocare. Illud notandum eſt quanquam Hippocratici medici cauſas vlcerum, & tumorum, impuritatumque cutis, vel intemperiem eſſe dicant, vel humores intus natos, aut foris illatos, ſimplices, miſtos, malignos, mites, venenatos non venenatos, peccantes triplici vel quadruplici (ita enim quidam volunt) qualitatum genere aut copia &c. tamen non eſſe repudiandos illos qui cauſas declarant ſymbolice, modo ſapienter ſimilia ſimilibus accommodent, & ſymboliſmos ſuos demonſtrent. Itaque non diſplicet vlcera quædam vocare *ſalina*, quædam *mercurialia*, quædam *ſulphurea, arſenicalia, vitriolata, martialia, venerea, ſaturnia &c.* iuxta metallicarum eſſentiarum & mineralium varietatem. *Paracelſus* in his nimius eſt cum ſuis *magnetiſmis*, atque adeo in incertum totam ſuam Theoriam deducit dum vult quæ foris ſunt per naturam concretam, ea in homine eſſe, aut naſci poſſe per eſſentiam, & poſtea eſſentiam eſſentiæ eſſe remedio. Ita cum cœlum miſcet terræ, & magica obtrudit, à chirurgia determinata ad interminatam delabitur. Sed nos pergamus. Ad pathemata chirurgicalia curanda requiruntur *materia medicinales, inſtrumenta & operationes*. Materię adhuc ſunt communes cum priore medicina, & parantur item vel *officinaliter, vel chymice*.

Diſtinguuntur generibus, & formis quibus vſus accedit. Genera ſunt ſecundum facultates ex qualitatibus manifeſtis vel occultis, vt *diſcutientia, repellentia, aſtringentia, oppilantia, frigefacientia, attrahentia, reſoluentia, mollientia, ſuppurantia* vel peptica; *aperientia vomicas, mundificantia vel extergentia, incarnatiua, epulotica, ſiccantia, carnem ſuperfluam reprimentia, glutinantia, catagmatica, corrupta reparantia*, aut tollentia, *acopa, neruis familiaria, anodyna, ſanguinem ſiſtentia, pyrotica*, vt cauſtica, *dropaces, ſinapiſmi pſilothra, phænigmi, cathæretica, ſeptica, Eſcharotica, Ectilotica* ſeu callos exterentia, cruſtas detrahentia, & alia de quibus abunde diſſerunt Fernelius, Hollerius, Paræus &c. Formæ item ſunt variæ, diſcontinuæ, continuæ, humidæ, ſiccæ, ſolutæ, concretæ &c. vt *pulueres, aquæ, ſucci, potiones* & *decocta*, vel infuſa vulneraria, *olea, balſama, pultes, cataplaſmata, linimenta, vnguenta, cerata, emplaſtra, tela medicata & ſparadrapa: Epithemata, fotus, embrocha, balnea, inſeſſiones, fumigationes, lauamenta, gargariſmata, infuſiones, cauſtica potentialia, emmota, peſſi, collyria, errhina, maſticatoria*, & alia tam à forma, quam vſu appellata. Et hæc fere de communibus. Proprie ad chirurgum ſpectent *inſtrumenta*, & *operationes*, in quibus oportet artificem eſſe induſtrium, agilem, circumſpectum, peritum. Oportet inſtrumenta eſſe ex materia bona, & competente: ad vſum autem ita comparata, vt tractari poſſint ſalutariter. Depicta inueniuntur apud Botallum, Paræum, Fabricium & alios: multaque fiunt etiam ex tempore, & ſingulari induſtria, qualia propoſuit *Fabricius Hildanus*. Vt aliqua dicantur, chirurgo opus eſt *nouaculis, ſcalpris variis, radulis, cultris reuulſoriis, forficibus, forpicibus*, acubus ſpecillis, vectibus, terebris, ſerris, ſpeculis, gloſſocomiis, trochleis, tubulis, ſyringibus, ſiphonibus, cauteriis, tripanis deſquamatoriis, vulſellis, malleis, circinis, laminis, roſtris gruinis, lacertinis, coruinis, anatinis, pſittacinis, quæ ſunt inſtrumenta in fixorum extractoria, dilatatoriis, vncinis, limis, dentiſcalpiis, catheteribus, euerriculis, cucurbitulis, phlebotomis, ſcarificatoriis, ſpongiis, plagulis, filamentis, ſtuppa, ligamentis, ſubligaculis, thoracibus pro gibboſis, gryphibus, cochlearibus, clyſterum organis, cupis, ſellis balneariis, acerris, & huiuſmodi aliis, quorum tamen quædam ex populo aſſumit, quædam denuo effingere cogitur, vt in fracturis capſas, & plagulas ligneas efformat quas Paracelſus reprehendit: in fomentis pedum, ſingularia dolia excogitat; & ſudatoria ingenioſe adaptat. In fonticulis etiam eſt induſtrius imponendis nodulis ex ſpongia, ſambuci medulla, & aliis. Dilatatoria vulnerum ſæpe ſunt extemporanea, veluti ex radice gentianæ, &c.

Operationum quædam ſunt leuiuſculæ, vt tondere, fricare, & quæ alia balneatorum ſeruitia quoque adminiſtrant: quædam plus habent prudentiæ quam artis, *vt venas ſecare, ſcarificare, &c.* quædam magni momenti ſunt, & experientiæ non vulgaris, *vt bene obligare, & conſuere*, præſertim ſi quid neruorum, venarum, arteriarum, inteſtinorum &c. eſt læſum: *fracta & luxata* legitime reſtituere, *vulnera* compoſita feliciter ſanare, *impacta* reuellere, *hæmorrhagias* ſiſtere, varices, ſtrumas, hernias, cilculos, ſuffuſiones, vngues oculorum, aneuriſmata, apte tollere, curta reficere ſiue *Tagliacotiano* modo, ſiue per *ſubſtitutionem ſimilis &c.* Eſt tamen etiam in vulgaribus quædam induſtria, *vt poſſe recte conficere emplaſtra, vnguenta, cerota* & ſimilia: quidam etiam deſtillationibus dant operam aliiſque magiſteriis chymicis, quæ ad præparationem medicinarum chirurgicarum pertinent. Vnde *Paracelſus* in ſua *Berthonica* ſibi multum arrogat. Artificis eſt poſſe bene parare *emplaſtrum magneticum* inuentionis Paracelſicæ quod deſcripſit *in Gemmario ſuo Boetius*. Non eſt cuiuſuis facere *corallatum*, & in illa ſingularia ex argento *viuo, Antimonio, arſenico*, plumbo, lithargyro, vitriolo, colcotare cæteriſque ad cancros, lepras, luem gallicam, & alia mala aſtralia profliganda. Veruntamen hæc poteſt chirurgus à probatis chymicis ſibi comparare. Lignum coquere iam didicerunt & opifices & mulieres. Admiranda ſunt, & quaſi monſtroſa, quæ ſæpe periti artifices in magnis malis, Deo benedicente, conſequuntur, vt oſtendunt vulnera capitalia, ſpiritalia, inteſtinalia, & alia in quibus vir apparet. Præceptis quidem operationes tales, & hiſtoriis explicantur apud *Paræum, Fabricium Hildanum, Wurcenium, Quercetanum, Botallum, Paracelſum, Lanfrancum, Riolanum, & alios*, ſed experientia ſæpe plus virium habet, quam præcepta, vt conſtat his qui in rerumpub. frequentibus noſocomiis, & bellis artem exercuerunt. Inde etiam *iudicare poſſe de vulneribus, fracturis*, & reliquis ad

chirurgum

chirurgum ſpectantibus, & conſilium imperitis dare, informareque iudices, eſt ſublime opus artificis. Secare anatomice, abſcindere membra mortua, oſſa radere, terebrare, deſquamare, euiſcerare cadauera, condere, item ſunt opera chirurgi; ſed minus excellentia, ſępe adhibetur etiam ad ſectiones anatomicas, quas non quilibet perite adminiſtrat. Vt in aliis *ordo* primas tenet, ita etiam in operationibus chirurgicis, vbi *confuſio, inuerſio, trepidatio, cunctatio, præcipitantia, imprudentia* ſæpe plurimum nocent. Verum hæc omnia ad plenam artis informationem pertinent. Nos hic rudimentum ſaltem proponimus, hoc potiſſimum fine, vt pateat *chymiatrian hermeticam* non debere adeo inuiſam eſſe Galenicis. Nihil enim per ſe detrahit arti, ſed potius eam iuuat & declarat. Si animorum exaſperatio, contemtus, vana arrogantia, conuitia & huiuſmodi pręclararum artium peſtes aliæ è medio tollerentur, ipſæ per ſe ſcientiæ facile conciliarentur. Sępe etiam opinio & ſuſpicio, mordicuſque vni autori adhęrens affectus vim facit veritati, & lumen mentis à ſyncere iudicando auertit. *Paracelſi* errores, criminationes, & contumelias, liberaliter reiicimus, & *Paracelſiſtarum impoſturas* ingenue aperimus, & confutamus. *Quæ vero tum ab illo, tum ab his ſyncere inuenta, facta, iudicataque & vera deprehendimus, abſit à nobis, vt ea contemnamus.* Hinc factum vt in chymicis noſtris Paracelſica magiſteria non omiſerimus. Verum de his hactenus. Paracelſiſtarum acerbitas etiam nos acerbos facit. Cui volupe eſt in alios maledicta ingerere, quod Paracelſus à Baſilio Monacho acceptum multipliciter auxit, facit vt malefacta noſcantur ſua, ipſeque ſimili colore depingatur.

FINIS.

VITA

D. O. M. A.

VITA, VIGOR ET VERITAS ALCHYMIÆ TRANSMVTATORIÆ IN SYNTAGMATE ARCANORVM NON PER

dubias coniecturas, ſed Philoſophemata ſolida explicatæ & traditæ,

ILLABEFACTA INFRACTA & conſtans.

Hoc eſt:

DEMONSTRATIO IRREFRAGABILIS, Tranſmutationem metallorum, & argenti viui ex imperfectioribus ad perfectiora non tantum eſſe poſſibilem arti, & naturæ (in aliquibus quoque reciprocam) verum etiam ſæpe ſpectatam, rationeq; & experientia multiplici comprobatam:

OPPOSITA APOLOGIÆ, ET TRACTAtibus de interitu Alchymiæ tranſmutatoriæ Nicolai Guiberti Medici Lotharingici poſt quadraginta annorum Paracelſiam inanem ad Galeniam crudam non ſine iniuria, & contumelia artis & artificum conuerſi,

PRO VERITATE CERTANTE

ANDREA LIBAVIO M.D.P.C. CHYMIÆ Hermeticæ ſtrenuo vindice & aſſertore.

Anno M. DCXV.

Lectori ingenuo.

S. Petrus Epiſt.2.cap.2.verſ.12.& S.Judas in ſua Epiſtola verſ.10.ſcribunt de hæreticis, & pertinacibus Iudæis, falſiſque Doctoribus: οὗτοι ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦσι, &c. Iſti, vt irrationales phyſicæ beſtiæ, natæ in capturam, & occiſionem, maledictis inceſſunt, & contumelioſe blaſphemant ea quæ ignorant. Quod illi apoſtoli de ſynceræ pietati, & orthodoxæ Euangelii doctrinæ reclamantibus pronunciant, etiam veritatis philoſophicæ, in primis Alchemiæ tranſmutatoriæ aduerſariis congruit. Cum enim rudes & imperiti ſint optimarum diſciplinarum, adeo vt nonnulli etiam in Grammaticum ſermonem impingant, nec de myſteriis chymicis, aut aliis Philoſophicis quicquam ſyncere, aut fundamentaliter intelligant, liceat aliqui ſibi eſſe videantur, vt canes tamen imbelles allatrant ſcientias, & earum alacres profeſſores, defenſoresq; conuitiis proſcindunt, ne quod ipſis Deus & natura denegauit, alii cognouiſſe exiſtimentur. Noſti, Lector, me hactenus ſtudioſe, & pro virili, gratiaque Dei, & talento illo, quod mihi diuinitus concreditum eſt, & cuius rationem in extremo iudicio reddere cogar, in controuerſiis Theologicis, Philoſophicis, medicisque & chymicis hermeticis verſatum eſſe, & multorum antagoniſtarum non contemnendis armis exercitatum. Pugnaui pro veritate quantum potui, iamque quoniam ad mediocrem ſenectutem perueni, quietem mihi, & reſpirationem aliquam pollicebar. Quis etiam putaſſet chymicam mihi litem motum iri ab eo, qui totum decennium obticuit, quemque mortuum potius, quam viuum crediciſſes? Quis ab illis, qui ex meis commentariis ſua compendia fecerunt, & experimentorum nonnihil cum ipſa doctrina hauſerunt? Contigit vtrumque. Imbellis quidam ſenex, & armis veris deſtitutus in me irruit tanta cum conuitiorum & maledictorum mole, quantam, vt ſcribit, Aſinus portare nequeat. Is eſt Nicolaus Guibertus Lotharingus Medicinæ Galenicæ crudus Doctor, qui cum floridam, & recte diſcendi ætatem inter flagitia & impoſturas Paracelſicas conſumſerit, ſerò ad ſyncera ſtudia veniens quaſi αὐτοδίδακτος ex ſua opinione iudicat de ſcientiarum principiis, cumque deprauatè videat, de omnibus, in quæ incidit, non aliter ſtatuere poteſt quam prauè.

Non intelligit vim verorum argumentorum; non habet præſidia illa logica ad certamen literarium neceſſaria: non capit neque Latinam meam locutionem, neq; Græcam. Termini eruditi ipſi ſunt peregrini, & barbari. Expectabam argumenta, ſed elenchos ſophiſticos, mendacia, & vanitates inuenio: Sapientes rationes, quibus & ego poſſem proficere, mihi promittebam: ſed ſtultitias nanciſcor: Veritatem me cogniturum putabam, ſed aſſunt falſitates magno numero: Certamen de virtute fore augurabar, at ille in me omnia crimina ingerit, quæ etiam apud perditiſſimum illum & toties triumphatum, Gretſerum, Del Rio, & alios propter religionis diſſenſum mihi infeſtos, reperire potuit. Diu deliberaui venirem ne ad manus denuò, an vitiorum illud certamen detrectarem. Suadebant amici ſtercori non eſſe colluctandum: Senem illum decrepitum tarde conceptam ſtultitiam non poſiturum eſſe: Neceſſaria magis agenda. At inquam rurſum mene adeo inſtrenuum eſſe, vt cum fortiter ex carceribus procurrerim, prope metam ſeu concidam, ſeu ignaue me geram? Non deſerendum veritatis patrocinium eſt vſque ad extremum halitum. Dicteria & conuitia in me ingeſſit? Quis fortis iſta reformidet? Qui criminum metu ſtationem deſerit intrepidi, infractique bellatoris laudem mereri non poteſt. Accinctus itaque rurſus ſum arma chymica, & quia nouis argumentis & hiſtoriis, vel potius elenchis, ſophiſmatibus, & perverſiſſimæ vitæ nequitiis videbatur armatus ille Lotharorum ampullator vti, hæc aggreſſus ſum, & tota in ventum redegi. Ita vero

ſcriptio-

ſcriptionem temperaui, vt ſemper aliquid admiſcere ſtuderem quod ſtudioſæ iuuentuti poſſet vtile eſſe.

Noſti mihi eſſe ſermonis genus ex poetarum commercio aliquanto fœcundius, & neruoſius: ex Philoſophia vero accuratiore aliquanto difficilius his qui ſoliti ſunt circa humiles lacunas, & plebeium morem exerceri. Inde videor aculeis minacior, & importunior. Fateor inter tanta criminum contagia accidere mihi aliquid humani potuiſſe. Quis enim tam lenis ſit, & tam molli animo vt non interdum conſurgat, & vim vi repellere annitatur? Proteſtor tamen quæcunque ſint verba, me non perſonam, ſed qualitates & rationes eius tetigiſſe. Voluit me vitilitigator ille trahere ad quædam Theologica hoc conſilio, opinor, vt intercludatur reſponſioni meæ via ad pontificios. Verum ego nolui pugnas Theologicas pugnare. Notum eſt me addictum eſſe Auguſtanæ confeſſioni. Non opus eſt vt chymica & Philoſophica miſceantur cum Theologicis. Seponatur hæc diſſenſio. Alicubi tam acerbe Gheſuitarum vehementia in me debacchata eſt vt non potuerim vitare mentionem etiam horum. Sed Gheſuitæ, ſi quid inuenient de ſe ſiniſtre dictum, imputent Guiberto, eique imperent pœnitentiam, & ſatisfactionem. Quis enim iuſſit eum confundere ſacra profanis, & tam maligne diſputare vt omnia vndiquaque in contumeliam comportaret? Si ante decennium quid accidit, vbi recens erat cum Gretſero decertatio, id in præſens debuit quieſcere. Corripiant, itaque hominem, & doceant certare prouide. Cæterum, vt Iob cap. 7. ait, Militia eſt vita hominis ſuper terram. Hanc bene militare oportet ſuadente Paulo ſeruata fide & bona conſcientia. Qui ſic militat vt libido ſuadet, de eo Eccleſiaſtes dicit: Ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & Scito quod pro omnibus his te Deus adducet in iudicium.

CVR VIRI MAGNI NON PRÆMITtunt ſuis ſcriptis ἀμυντήρια illa de Momo, Zoilo?

RAtio facilis eſt: Quia certi ſunt in ea excelſitate ſe ſuaque poſita eſſe, ad quam Liuor nequeat peruenire. Contemnunt infra ſe abiectos Momos, Zoilos, & alia monſtra. Deinde quid prodeſſet etiamſi contra Momos ponerent antidotum, & appenderent amuletum? Tertio Elephantes non curant muſcas, ſed prehenſas occidunt, tantum corrugato corio. Qui vero in luto adhuc hærent, & malorum operum conſcii vident ſua fata, per poetaſtros quoſdam ſtultos verſiculos fabricari curant, eoſque tanquam malam hederam, aut Pentaculum inefficax & otioſum terriculamentum ſuis libellulis præmittunt; Temere.

DE MODO HVIVS DEFENSIONIS PROOEMIVM.

C*VM anno Chriſti 1603. Nicolaus Guibertus Ducis Lotharingorum Medicus, aut, quem ſe appellat, Lotharingus Doctor Medicus, ſcripſerit contra Alchymiam, quam putauit* ratione & experientia ita viriliter à ſe impugnari, & expugnari, vt nunquam in poſterum ſe erigere valeat, *& id ſcriptum fortaſſe non ad omnium manus peruenerit, aut etiam nolint id tam futile, veſanum, & impotens ſibi comparare literati, operæ pretium erit ſingulorum capitum, in quæ digeſtum eſt, argumenta nude reponere, confutationes adiicere breues, contrarium ex poſitis euincere, & abſurditates, paradoxaq; Guibertiana in luce oſtentare palam. Deinde ad Apologiam iam quinquagenarii, nō ætate. (Nam hac proculdubio ſeptuagenarius, aut ſenior erit) ſed diſciplina chymica accedemus, demonſtrabimuſq; in ipſo non ſecus, ac in Iudæis rebellibus, verum eſſe illud Saluatoris.* Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. *I*lle homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax eſt, atq; eius rei pater, &c. *Ioh. 8. Tertio videbimus quid noui in Tractatibus de Interitu Alchemiæ tranſmutatoriæ per totum Decennium parturiuerit, & quale ouū ipſe coruus malus excluſerit. Aſſit nobis veritas inculpata, & vera ſapientia, doceatq; quam horribile monſtrum ſit falſitas, & inſipientia cum comitibus ſuis peſſimis, perſuaſione ſe eſſe aliquid cū nihil ſit, & ſcire, cum omnia ignoret, & poſſe verbis pugnare cum rerum notitia, & experientia careat: Deinde arrogantia, ſophiſtia, maledicentia, quæ vitia in Guiberto co ſunt deteriora, quo à ſene decrepito, & longo vitæ vſu prudentiore alieniora, inq; ipſiſſimam veritatem magis iniuria. Sed rem ipſam aggrediamur.*

Generale argumentum cum ſponſione & obligatione Guiberti.

SI verum eſt, quod, vbi rerum euidenter apparentium experientia eſt iudex, ſeponendæ ſint opiniones, & rationes, Alchemia tranſmutatoria, qua ſub vno genere proximo ſpecies vna in alteram ſymbolum habentem traditur cōuerti, palmam contra omnes Guiberti conatus obtinet. Eſt autem prius. Ergo & poſterius. Ratio connexi eſt, quia euidentiſſima experientia notum eſt tranſmutari ſpecies in ſpecies ſub vno genere proximo, idq; primum apparet in elementis ipſis. Alia ſpecies eſt aqua, alia aer, quorum genus proximum eſt elementum. Tranſmutari eas viciſſim quid notius? Secundo idem manifeſtum eſt in miſtis imperfecte. Nebula & nubes ſunt diuerſæ ſpecies ſub vno genere proximo meteori aquei. Ex nebula fieri nubem nemo ignorat, præſertim accolarum nemorum. Ita vapor, nebula, nubes, pluuia tranſmutantur. Ex halitu fit ventus, ex vento conſiſtente, vaporibuſq; oppreſſo nubes: ex nubibus pluuia. Halitus ſulphureus eleuatus conſiſtit, iterumq; mutatur in corpus ſulphureum quod non raro defertur pluendo. Metalla ſunt imperfecte miſtis proxima, vt & ſemimetalla. Ex ſtibii regulo, & bismuthi ſemimetallis fiunt metalla, vt plumbum, ſi eis committatur ſpiritus plumbi. Ex ferro fit chalybs; ex vtroque æs iam publica, & irrefragabili experientia. In conflatoriis officinis ex plumbo fit plumbago & lithargyros; Et rurſus eadem, in plumbum reducuntur. Eſſe vero ea ſpecies diuerſas, definitiones ſpecificæ indicant. Si velis dicere, accidentibus differre, res adhuc eſt clarior. Quod ſi compoſitiones reſpicere velimus, exempla adhuc occurrunt plura tam in arte quam natura. Præterea facilius eſt ſub vno genere proximo ſpecies mineralium tranſmutari, quam ſub genere remotiore exiſtentia. Iſta n. ſymbolum habent, & ſunt in potentia propinquiore: hæc non habent. Si fit id quod difficilius fieri poterat, cur nō quod facilius? Sed connexi firmamēta plura occurrent inter tractationes ipſas, Aſſumtio eſt Guiberti. Sic enim ſcribit lib. 2. c. 1. *Opiniones & ratio-*

nes hic parum valere poſſunt, cum rerum euidenter apparentium iudex ſit experientia NON RATIO, *quam ſibi vnuſquiſque veriſimiliter commentus fuerit.* Et: *Cum quid plane fieri conſpicitur* (vt: plumbum mutatur in lithargyrum; Lithargyrus in vitrum, aut lac virginis, vitrum in aquam: vel etiam plumbum ſtatim in aquam; Et ſic de ære, ex quo fit vitriolum, ſicut & ex ferro; ex omnibus metallis fit mercurius, & ex hoc iterum poteſt fieri metallum, &c.) *nugatoria & ſuperuacua ratio eſt quæ ipſam fieri cauſam afferens dicat. Teſtante eadem Galeno de morb. vulg. comm. 3. Nugatoria etiam & ſuperflua tot tantorumque teſtimonia. Quid enim opus eſt vel ratione, vel ſcriptorum teſtimoniis vbi ſenſus noſtri nos erudire poſſunt, atque experientiam conſentientem habemus?* Item: Recte ſcribit Ariſtoteles lib. 8. phyſ. *Quærere rationem & dimittere ſenſus, infirmitas quædam eſt intellectus.* Ex his ille porro ſic concludit aliquot locis: *Si oculata fide,* ſi experientiis etiam tam facilis experimenti quæ ſubiiciuntur oculis, conuincere poſſunt chymiſtæ metallum in aliud mutari, ferrum in æs, æs in ferrum, & ſic de reliquis: proculdubio nugatoria & ſuperflua ratio erit, quæ ipſam fieri cauſam afferens dicat: Superflua erunt teſtimonia, &c. Item: *Si id nobis præſtabunt ſine fuco, non modo admirabimur artem, ſed etiam ornabimus ſummis laudibus etiamſi ſine lucro, & magnam gratiam referemus, & in maioribus ei credemus.* Ita cap. 4. *Hæc experimenta* (de argento viuo ex plumbo, de ferro in æs, &c.) Si vera eſſent, vel ſaltem ex eorum numero *VNVM aut alterum,* negantes tranſmutationem metallorum fateri cogerent. Item cap. 13. *Si ex ferro purum æs* in tribus dimenſionibus ſui plenum totum, & non ferri vere, & ſine fuco è ſuis fornaculis in medium proferat, *Volo vt mihi omnes boni ſuccenſeant, & diffidant, vt me MENDACII & CALVMNIÆ arguant,* autor ero vt omnes eorum ſententiæ ſubſcribant, vt omnes Alchymiam admirentur, laudibus ſummis ornent, nec in poſterum fidem habeant mihi, vel aliis.

Hæc Guibertus. Si vir bonus eſt & ſeruans pactorum, an non debet præſtare id cui ſe obligauit incoactus, & ſua ſponte? Omnino debet. Iam ſiue metalla, & alia mineralia ſpecie differre dicat, ſiue accidentibus, liquidiſſimæ eſt experientiæ etiam plebeiæ, quod ex ferro æs fiat purum putum: quod plumbum in argentum viuum mutetur, quod idem in Lithargyrum, vnde etiam reduci poteſt, &c.

Neceſſe eſt ergo primum vt æquo animo ferat, ſi eum redarguimus MENDACII, vbi veritati vim fecit, & ſi calumniatum eſſe dicimus, vbi naturam præter verum eſt interpretatus.

Guibertus reus obligationis ad calumniam & mendacium.

Sed ille Sophiſticæ ſuæ confidit. Ne enim mentitus & calumniatus eſſe videatur, in omnia ſe rerum miracula vertit, & tam opera artis quam naturæ calumniatur. Itaque etiam aliquoties contrarium ponit, & experientiæ contradicit. Ita enim ſcribit cap. 13. de experimento æris ex ferro, *id apud aliquos SEMIDOCTOS fidem inueniſſe* (talis ipſi eſt Agricola, Wernerus, Mattheſius & cæteri) *Miſtionem quidem eſſe & temperaturam ſatis exactam, quæ dederit mendacio locum: non eſſe formæ mutationem*: Et paulo infra: *Si ad examen iudicij & RATIONIS hæc prius reuocaſſent, longe aliter ſenſiſſent.*

Apertiſſimæ experientiæ negatio.

Ecce tibi. Iam ratio in re ſenſibili eſt prior, cum ante ratione repudiata experientia iudex poneretur. Demonſtra ſenſibili experientia, quod æs ex ferro non ſit æs purum, ſed miſtura ex aere, & ferro. Vt id demonſtres experienter, habes examina ſingulorum metallorum. Rationes tuas non audimus. Iam enim eas repoſuiſti.

Guibertus ſibi contrarius.

Quod ad teſtimonia artificum attinet, meminerimus ea reiecta iam eſſe à Guiberto, quanquam ſtulte. Quis enim quæſo iudicabit de ferro, ære, auro, argento, docimaſtis repulſis? Non multitudine imperita iudicandum eſt quod bene iudicari debet; ſed ſcientia peritiaque. Hæc autem eſt ſapientum prudentumque artificum. Vbi artificum, & rerum teſtimonia aſſunt, temeraria eſt verborum contentio. In fine lib. 2. hæc audet ſcribere: *Præmoneo curioſiores vt non omni ſpiritui credant, dubitentq́ SEMPER in re magni momenti de teſtimonio ſingularis quantumcunq́ probi viri, &c.* In animum ſibi inducant cum Pſalmiſta, quod *omnis homo eſt mendax &c.* Bene mones Guiberte. Ex vtroque ergo contra te ſic argumentamur:

Artifices periti repudiati

Si vnum atq; alterum ſaltem experimentum tranſmutationis eſt verum, Guibertus eſt mendax, & calumniator ſuo ipſius iudicio, & obligatione. Atqui non vnum atque alterum, ſed multa ſunt vera. Ergo Guibertus eſt mendax, & calumniator ſua ipſius obligatione. Aſſumtum patet, nō ratione: hanc enim repudiat, & ſic totum ſuum primum librum temeritatis damnat: Sed euidentibus experimentis. Deinde: Si nulli, etiam probo viro teſtanti credendum, quia omnis homo mendax, neque Guiberto credendum eſt. Eſt enim homo; Et quidem videretur etiam vir probus eſſe, niſi ſeipſum calumniæ, & mendacii aſtrinxiſſet. Prius eſt, iudice & monitore Guiberto. Ergo & poſterius: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Libri I. Guiberti Cap. 1.

Res huius capitis hoc ſyllogiſmo continetur: Quæ ars ex non auro conatur facere aurum, & metallum quoduis in aliud docet conuertere, tota eſt inuenta fallaciis ad quæſtum, vel errorem, nec eſt aliud quam fumus, ſeu ſplendida policitatio carens ſuo effectu.

Alchemia eſt ars, quæ conatur ex non auro, &c.

Alchemia ergo tota eſt inuenta fallaciis, &c.

Propoſitionis probatio: Aurum vel argentum ex alio metallo ſtudio humano, & arte nunquam eſſe factum vel mediocriter eruditi comperire poſſunt. Hoc porro probare vult noui operis materia, & forma noua. Augetur conſequente: Alchemiæ fornaculæ nihil aliud ſunt quam noctuę ad aucupium crumenarum. Reſponſio: Diſtinguo propoſitionem. Aut enim vera & legitima via docet, conaturq; facere aurum verum, & legitimum, quod omnia examina naturalis auri ſuſtinet, aut illegitima ſophiſticum. De priore nego maiorem: De poſteriore diſcerno fines. Nam

 etiam

etiam ſophiſticum aurum, & argentum ſi non animo, ſeu propoſito fallendi fit, ſed ad ornatum externum, vt Perſica illa pocula ex ære, quæ in templum ſecundum ſunt illata ex Theſauris Darii, &c. non eſt inuentum fallaciis, nec caret ſuo effectu. Hoc vnum. Deinde quod ad cætera metalia attinet, nego eorum cauſam eſſe parem cauſæ auri & argenti. Itaque etiam multo minus inuenta fallaciis erit ars vertendi plumbum in lithargyrum, & ex hoc faciendi lac virginis, vel plumbum in minium, ceruſſam, plumbaginem, &c. medicinæ cauſa, aut opificiorum. Tertio, ſophiſticum eſt quod dicitur de effectione auri ſtudio humano, & arte. Neque enim ars eſt primarium agens internum, ſed inſtrumenta naturæ, quæ ars induſtrie adhibet materiæ naturali paſſibili.

Contrarium ex dictis.

Quæ ars nec fallaciis inuenta eſt, nec caret principiis tum ſcientificis, tum practicis ex natura ratione & experientia extructis, non eſt fumus, & ſplendida ſine effectu promiſſio.

Tranſmutatoria metallorum eſt ars eiuſmodi. Ergo.

Aſſumtum declaro de ea tranſmutatoria quæ eſt vniuoca, & eſſentialis, non quæ ſophiſtica & impoſtoria, quam ſub communi nomine Alchymiæ plærique ſolent damnare.

Item: *Si cum omnibus ſapientibus conſtanter poſſumus affirmare tranſmutatoriam vniuocam eſſe veram & vtilem, quiſquis eam damnat & vituperat inſipiens erit, & veſanus.* Eſt autem prius: quod demonſtratur copioſe variis argumentis. Ergo & poſterius: Ex conſequente Nic. Guib. Lotharingus damnator artis non eſt ſanæ mentis.

Calumniæ & mendacia Guibertii ex cap. I.

I. MEndacium & calumnia eſt: Alchymia nihil aliud eſt quam vanitas & impoſtura.

2. Alchymia eſt potius calliditas, quam ars, vel ſcientia dicenda.

3. Alchymia eſt falſa impoſtura: (in quo eſt ſolœciſmus. Si enim eſt impoſtura falſa, non erit impoſtura. Falſum enim opponitur vero. Falſus dolus non eſt dolus. Negatio enim quædam eſt falſitas.)

4. Alchymia TOTA eſt inuenta fallaciis.

5. Alchymia nihil aliud eſt quam fumus, & pollicitatio carens effectu: Noctua ad aucupium crumenarum.

6. Aurum, vel argentum ex alio metallo nunquam fuiſſe factum mediocriter eruditus quoque comperiet.

7. Quid in ea verum, quid falſum ſine affectibus explicabo, (nempe ſine affectu eſt vocare ſapientiſſimos philoſophos, & artifices profeſſoresq; alios tenebriones, nugigerulos, mendaces, ſordidiſſimos, abiectiſſimos impoſtores, mere bardos, pecora, impios, magos, ſagas, hæreticos, ſchiſmaticos, regnum Sathanæ procurantes: omnes autoritates, & teſtimonia contemnere, experimenta liquidiſſima calumniari, & peruertere, &c.

Res capitis ſecundi lib. I.

NEgatur arte miniſtrante naturam poſſe metallum vnum mutare in aliud. Argumento: quia id apud doctos ſit indubium: Indocti ſaltem falſiſſimis, & abſurdiſſimis rationibus, fallacibusque experientiis in dubium vocarint: quaſi diceret, eſſe per ſe verum axioma, quod omnes docti ſic iudicent. Sed mutatur nonnihil ratiocinatio in hunc modum:

Si vnius metalli in aliud tranſmutatio in natura non datur: etiam non datur res in natura quæ poſſit ad eam naturam deduci, vt eius drachma adhibita metallo alicui aliquot libras alterius efficiat.

Atqui non datur in natura tranſmutatio vnius metalli in aliud. Ergo.

Aſſumtio iam ſit Theſis duobus libris comprobanda.

Senſus propoſitionis eſt, non data tranſmutatione tanquam opere effecto, non dari tranſmutans tanquam cauſam; Sicut & viciſſim, negato tranſmutante, negatur tranſmutatio. Additur determinatio per pondera: Sed de hoc non eſt lis principaliter.

Reſponſio: Præcedens caput de ſtudio humano, & arte tantum loquebatur: hoc ſecundũ in antecedentibus mutat ſermonem. Artem enim naturæ coniungit. At ſyllogiſmus de natura ſola proponit. Mentis inconſideratæ error. Emendamus: *Si nec natura ſola, nec natura cum arte conſpirante datur tranſmutatio vnius metalli in alterum, nec tranſmutans ſiue naturale, ſiue artificiale datur.*

Sane ſic ſolemus iudicare quod nunquam factum eſt in natura, id ne fieri quidem poſſe, cum non ſit ratio cum non ſit factum, ſi fieri potuit. Fruſtra enim eſt potentia, ſi non ſequitur actus. Verum limitatione opus eſt. Sunt enim quædam quæ fieri poſſent, ſed quod non fiant, non eſt defectus cauſæ agentis, verum actus eius propter perpetua impedimenta. Terram totam corruptibilem eſſe patet: at nunquam corrumpitur tota vſque ad finem mundi.

Minor eſt pro Rhodo. Hic ergo ſaltandum.

Nos contra:

Syllog. oppoſitus.

Si datur in natura non tantum vnius metalli in metallum aliud, ſed & non metalli in metallum, & metalli in non metallum tranſmutatio, datur etiam res naturalis quæ tranſmutandi vim habeat ſiue per ſe conſideretur ſiue ſocia arte:

Antecedens

Antecedens eſt. Ergo & conſequens.

Connexum eſt manifeſtæ veritatis. Aſſumtionem non probamus duorum librorum nugis: ſed experientia. Nam certum eſt, communique ſenſu, iudicio & experientia probatum ex ferro æs fieri, ærei ſpiritus in chalcantho operatione, in quo eſt natura æris effectiua, & quaſi ſeminaria. (Analogos enim eſt.) De aliis, producentur experimenta, & veterum ſeculorum, & noſtri teſtibus infallibilibus. Non metallum in metallum tranſit cum ex argento viuo fit aurum, argentum, æs experimentis euidentibus: cum ex regulo ſtibii, & bismuthi plumbum, vel ſtannum, per animam plumbi vel ſtanni. Metallici liquido deprehendunt naſci metalli, argentum, æs, plumbum &c. Ex bismutho nihil actu argenti habente argentum poſt aliquot annos eſt excoctum &c. Generatio ex non Ente in Ens eſt motus. Metallum in non metallum verti, mutatio in hydrargyrum, ſalem, vitriolum, lapidem, cinerem, vitrum, teſtatur, idque manifeſtum eſt apud conflatores, figulos, vitrarios, gemmarum & ſmalthi artifices &c. Et cur Petrus aurum vocaret corruptibile? Cur Deus minetur ſe in ſcorias verſurum, argentum? Qui cæmento, ſtibio, & ſimilib. medicaminibus vtuntur, imperfecta metalla corrumpi in ſcorias ſciunt. Hæc liquida ſunt. Probata res tota eſt vnico ſyllogiſmo.

Flagitia capitis II.

I. HYperbole Augurelli à Fernelio repetita, defertur in diſputationem ſeriam, quaſi immenſa quantitas argenti viui tenui parte tincturæ poſſit tranſmutari. Odioſa & calumnioſa hæc ex poëſi allegatio eſt.

2. Eos qui Guiberti negatiuam in dubium vocant, vti rationibus inſulſiſſimis, abſurdiſſimis, falſiſſimis, experientiis fallacibus, minime veris, mendacium criminoſum eſt. Non inſaniendum, ſed demonſtrandum quod proponis. Animi immoderati id eſt indicium.

Res capitis III.

THema eſt: Vnius metalli in aliud tranſmutatio non datur in natura. Arg. ſumitur à ratione, & experientia: Syllogiſmus:

Quod dari nec ratione nec experientia probari poteſt, id non datur in natura.

Vnius metalli in aliud tranſmutationem dari, nec ratione probari poteſt, nec experientia. Ergo.

Maior patet: Duo enim iſta ſunt iudicandi inſtrumenta à natura data ad omnem cognitionem veritatis. *Ridicula*

Minor ſuſcipitur probanda cum tantis ampullis vt dicat ſe prolaturum argumenta *ex intimis philoſophiæ penetralibus* validiſſima, vt cogantur fateri omnes, chymiſtarum commenta de mutua metallorum tranſmutatione perperam fuiſſe habita pro veris ſententiis, & experimenta eorum eſſe falſa. *Guiberti ex imperitia, & malo iudicio confidentia.*

NOTA. Tranſeat maior in hac materia. Minor & eius ampulloſa illuſtratio vno membro truncatur in lib. 2. vbi, vt ſupra oſtendimus, rationem repudiat, vbi euidens eſt experientia. Hæc enim omnem logicam ratiunculã, quæ aduerſatur elidit. Itaque totus primus liber nihil aliud habebit quam inania verba. Male ominatur Guibertus in titulo capitis vbi ait: *Longe aliud ſuadere VIDENTVR.*

Syllogiſmus oppoſitus:

Quod in rebus rationi & ſenſibus ſubiectis ratione & experientia demonſtrari poteſt, id eſt certum.

Rationis nomine non quamlibet intelligimus, ſed principia ſcientifica propria & communia, quibus iungi poſſunt & minus eſſentialia argumenta.

Vnum metallum tranſmutari in aliud poſſe, ratione, & experientia demonſtrari poteſt, cum ſit res vtrique ſubiecta. Ergo.

Minor patebit & inanitate contra demonſtrantis, & inſitis rationibus cum experimentis, non vt videantur, ſed vt ſint vera quæ ponuntur.

Ineptiæ & conuitia capitis III.

I. PRoponit demonſtrationem; exit in VIDETVR.

2. Sic ratione & experiẽtia vult probare, vt aurum ad lapidem Lydium: Inſcite. Neq; enim ſyncera probatio eſt auri ad lydium. Omen rei ineſt. Reuera enim adulterina erit probatio.

3. Rationem & experientiam inconſiderate ad omnem veritatis cognitionem proponit. Nam in diuinis nec ratio humana, nec experientia noſtra ſatis eſt valida.

4. Conuitium & calumnia eſt chymiſtarum mendacia & commenta pro veris ſententiis eſſe habita. Sentit autem non de ſophiſmatibus, ſed de tota arte tranſmutatoria. Si quis libros artificũ ſapientum perlegat, is certe non mendacia viderit, ſed philoſophemata, & principia in vniuerſa natura fundata.

5 Chymiſtas experientiam tanquam fucum ignorantiæ ſuæ allinere, verum fuerit apud magiſtros inter quos per annos 40. carbones perdidit cum oleo, & opera Guibertus, ſed non apud philoſophos & artifices probatos.

Res capitis IV.

MVtatur thema & ſic enunciatur: *Metallorum metamorphoſis impoſſibilis eſt naturæ & arti*: Pro: Trãſmutatio vnius metalli in alterum non datur in natura. Tametſi hæc differant, tamen feratur hyperbole.

Species Guiberti.

Argumentum eſt: Quia ſpecies in ſpeciem non mutatur. Quid ſibi hoc velit, explicat. 1. Species intelligendæ ſunt eæ quæ ſunt corporum diſtinctæ, naturales, ſubſtantiales, perfectæ, habentes formas proprias peculiares, differentiales, quibus ab aliis eiuſdem generis diſtinguuntur, & quæ ſunt ſub vno genere proximo.

2. Exceptiones adduntur quatuor. 1. Species per artem factæ excipiuntur, vt vitrum, calx, cinis. 2. Species accidentales excipiuntur. 3. Excipiuntur imperfectæ ſubordinatæ perfectis. 4. Quæ ſunt generum remotorum, dubium habent.

Syllogiſmus:

Si impoſſibilis eſt ſpeciei in ſpeciem mutatio, metalli vnius in aliud transformatio eſt impoſſibilis.

Quodlibet enim metallum eſt ſpecies in ſe perfecta, & diſtincta ab aliis, omnibus numeris abſoluta, conſiſtens in ordinaria mutatione.

Illud eſt: Et hoc ergo.

Aſſumtio probatur duplici proſyllogiſmo: 1. ab autoritate: Nam ſpeciem in ſpeciem non mutari receptum eſt ab omnibus ſapientibus. 2. Ratione: Si ſpecies in ſpeciem mutaretur, in ordinaria mutatione deberet corrumpi ſpecies, delerique forma vt ſpecies eſſe deſineret, & noua forma in materiam introduceretur. At hoc non eſt. Ergo neque illud. Minor turſus probatur:

Si ſpecies in ordinaria mutatione corrumperetur, ſimul interiret ratio generis: Declaratur: Si equus corrumperetur, ſimul animal interiret, quia equus eſt animal; Si plumbum corrumperetur vt aurum fieret, periret etiam ratio metalli.

Conſequens non eſt: Neque ergo antecedens.

Reſponſio: Primum quod ad limitationes attinet, eæ ſunt ridiculæ. Certe bene ageretur cum aduerſario ſi ei permitteretur pro arbitratu terminos exponere. Logici peripatetici dicunt ſpecies eſſe ſubiectas ſuo generi. Species eſt pars generis. Ea vel ſubalterna eſt, vel vltima, quæ iam non amplius in alias ſpecies diuiditur. Vltimam aliqui vocant exemplum indiuiduum; ſed ne Lotharingus queratur ſe circumſcribi vocibus, ſit ſpecies vltima proxima indiuiduis, quæ & ſuo ambitu complectitur. De his ſpeciebus verum eſt omnino quod non ſit inter eas tranſmutatio: vt homo eſt vltima ſpecies, cuius forma Humanitas. Homo in hominem natura, & arte eſt intranſmutabilis: Sed nec homo in beſtiam, quæ ſunt duæ ſpecies ſubiectæ vni generi proximo quod eſt animal. Id alii ſic enunciant: *Homineitas ſingularis non eſt tranſmutabilis in homineitatem aliam, nec in beſtialitatem.* Ita metallum ſpecie conſideratum non tranſit in ſpeciem oppoſitam, vt metalleitas vna non tranſit in metalleitatem. (Liceat vti his Platonicis barbariſmis) alteram; plumbeitas, non fit aureitas & ſic deinceps. Hoc tatum eſt. Quod autem attinet ad ſingularia ſenſibilia, quæ dicuntur indiuidua, in corruptioni ſubiectis, diſtinctione opus eſt. Alia enim ratio eſt elementorum ſimplicium, imperfecte miſtorum, & mineralium: alia plantarum & animalium, niſi qua alterum genus ad alterum reuocatur, vt in plantanimalibus, & quæ reducuntur ad aliud genus. *Hic vnius corruptio eſt alterius generatio*, & contra in determinatis ſiue ſub vno genere proximo, ſiue ſub diuerſis. Imo & in plantis & animalibus eſt diuerſitas. Aut enim de ſpeciebus imperfectionis vltimæ perfectioni ſubordinatis ſermo eſt, aut de his quæ vltimam perfectionem acceperunt. Præterea aut de mutatione per ſe loquimur, aut de accidentali. Illa naturalis eſt, hæc etiam violenta eſſe poteſt. Preſſius: ſpecies non tranſit in ſpeciem formaliter; at forma vnius corrupta materialiter fit tranſmutatio in determinatam. His & aliis limitationibus conceſſis, ingens non feneſtra, ſed oſtium patet chymicis à carcere Guibertino elabendi.

Ad ſyllogiſmum ergo dicimus:

Maior, ſeu connexio diſtinguitur. Aut enim accipitur de omni omnino ſpecie καθόλȣ, aut de certa, & limitata. Si de omni; falſa eſt. Nam aliqua ſpecie in ſpeciem tranſmutari poſſibili, poſſibilis erit & metallorum tranſmutatio. Sin autem ita limitatur connexio, vt vult Guibertus, irridetur à chymicis. Eat & diſputet cum ſuis phantaſiis. Quid hoc ad chymicos? Aſſumtionem eſſe particularem & fallere elencho à dicto ſecundum quid, iam patet, idemque ſuis limitationibus confitetur Guibertus ipſe.

Probatio prima aſſumti eodem errat elencho. Non enim abſolute id receptum eſt, ſed ſecundum quid. Probatio ſecunda eſt ſtulta & ridicula. Non enim ratio metalli petit ſi ex hoc plumbo fit hoc aurum, quia vtrumque eſt metallum: nec verum eſt deſtructa vna ſpecie deſtrui genus, & mortuo hoc homine hominem ſimpliciter mori. Ad ſcuticam Dialecticam.

Scutica Dialectica.

Quod autem dicitur ſpeciem prioris interire debere, ſi gigni ex eo debet poſterius, de ſingulari vltimaque forma, & materia verum eſt, ſeu de indiuiduo, non autem de ſpecie logica plurium indiuiduorum. Bucephalo pereunte non pereunt equi, ſed tantum hic equus: multo minus perit animal καθόλȣ. Quando perit forma plumbi huius, non perit plumbum ſimpliciter: Reſtat enim eius forma in pluribus partibus: multo minus perit metallum ſimpliciter. Eſt autem ex principiis phyſicis diſcendum, quod materia elementaris nunquam excedat è potentia, ſed ſemper procliuis ſit ad formam aliam ad quam eſt diſpoſita, ſiue natura fiat mutatio, ſiue violentia. Generatio & corruptio fiunt in materia communi quando formæ priori cum ſuis proprietatibus indiuiduantibus expulſæ ſuccedit poſterior determinata, agente aliquo diſpoſito per modum conuenientem. Syllog. contrarius:

Si & natura & arte poſſibilis eſt ſpeciei in ſpeciem in generabilibus & corruptibilibus, certo modo tranſmutatio, metalli in metallum aliud transformatio aliqua non eſt impoſſibilis.

Illud eſt: Et hoc ergo.

Conne-

Connexum declaratur, quia metalla ſunt corpora generationi & corruptioni obnoxia, atque adeo ſpecies rerum transformabiles, facilitate prope elementati. Itaque vel in ſpeciem generis eiuſdem abire poſſunt, vel diuerſi. Aſſumtio probatur limitationibus Guiberti, addita declaratione, quod dicatur ſpecies in ſpeciem ſingulariter mutari, cum vno corrupto, generatur alterum ſubſtrata communi materia. Probatur & irrefragabili experientia, & analogia cum elementis, & imperfecte miſtis, variiſque mineralium paſſionibus.

Natura autem id fieri, Phyſica tota elementaris, & quæ mineralium paſſiones conſiderat, principiis ſuis de poteſtate materiæ, & vi contrariorum agentium conteſtatur, idque ſic etiam inuenitur in imperfectis maxime. Ferrum enim paulatim ferrugine, æs ærugine, plumbum ceruſſa, &c. conſumitur, & tranſit in aliud determinatum. Artis vim comprobant varii, etiam opifices, vt aurifices, vitrarii, figuli, & omnino chymicorum quoque caculæ. Fit tranſitus in rem generis diuerſi, vt in lapidem diſpoſitum, & inde etiam aliqua reducitur vel idem, vel analogum, quomodo ex plumbo fit ſtannum. Verum hæc ſunt publice decantata.

Flagitia capitis IV. Lib. I.

I. QVÆ veriſſime à chymicis aſſeruntur, & opere ipſo demonſtrantur flagitioſe traducuntur nominibus inſcitiæ, arrogantię, pertinaciæ. Nimirum effutit ille homo pro ſuo liuido affectu ſine ratione quicquid malæ menti, maloque animo occurrit infamium nominum. Nos eodem iure par pari referamus, & dicamus Guibertum mera deliria ſpuere.

2. Metallorum metamorphoſin dicit OMNINO eſſe impoſſibilem, & tamen paulo poſt quatuor modos excipit.

3. Impudentiæ ſummæ eſt negare id quod & figuli probant.

4. Stulte, & ridicule dicit chymiſtas ridicule diſputationem conuertere ad quædam ſophiſtica: quaſi ſophiſticum ſit ex plumbo facere minium, indeque reducere plumbum, aut ceruſſam, lithargyrum, vitrum, liquorem, ſalem, & ex his purgatis reducere ſtannum: Ex ferro per ſulphur, aquas fortes, atramentoſaq; medicamina æs conflare probatiſſimum.

5. Ridicule & pueriliter artificiales ſpecies excipit, & tamen ait impoſſibile eſſe arti tranſmutare. Exceptio repugnat theſi. Fatetur enim metalla poſſe arte in artificiales ſpecies mutari, vt in vitrum, calcem, cinerem, quanquam hæc ipſa etiam in natura fiant vt ferrugo, ærugo, cæruſſa, teſtantur. Si alia ſpecies eſt metallum, alia vitrum, & arte ex illo in hoc tranſitus eſt, patet non tantum poſſibilem eſſe tranſmutationem, ſed & ex ipſa naturæ potentia procliuem, quod figuli probe norunt, & pene indies exercent in vitrando ſua vaſa plumbo, ſtanno, ære, ferro; aliquando etiam argento Lazurio, ſeu cæruleo. Sunt autem iſta ſpecies aliæ: Definitiones enim id comprobant. Ergo.

6. Species imperfectas excipit. At hæ nihilominus per ſe ſunt ſpecies integræ, & tantum relate dicuntur imperfectę, vt: ouum eſt ſpecies per ſe perfecta, licet deſtinatum ſit ad pullum, qui erat potentia, ſi ſemen fœcundum continet. Non eſt imperfectus pullus. Metallici aliquando inueniunt metallum inchoatum, & immaturum: vel abſolutum quidem ſua forma, ſed nondum fixum. Itaque licet omnibus indiciis externis iudicetur eſſe hoc, vel illud metallum, vt argentum; & aliquando etiam minores ignes ſuſtineat, tamen propter volatilitatem examina maiora non fert. Itaque opus habent aliquando medicaminibus fixatiuis, & perfectiuis. Si igitur iam formam metalli habet, at fixitate, colore, & aliis accidentibus deficit, imperfectum eſt, poteſtque arte perfici aliquando. Si nondum habet formam, ſed eſt adhuc mercurius, aut puluis vel ſimile quid, quod matureſcendo in perfectum metallum, ad quod diſpoſitum eſt, tranſit, licet non ſit metallum actu, ſiue hæc ſpecies, eſt tamen ſpecies alia, & ex ſpecie hac poteſt in determinatam tranſire. Si ſpecies imperfectæ ſunt ſpecies, mutanturque in perfectas, datur ſpecierum in ſpecies transformatio forma imperfectionis pereunte & ſuccedente altera, quæ eſt deinceps ſecundum naturam.

7. Contra chymicam experientiam euidentem producit illud ſuum VIDETVR, dum ait; *demonſtratio manifeſte ſuadere videtur.* Quæ iſta demonſtratio eſt in qua opinio incerta regnat?

8. Scutica Logica & Phyſica dignus eſt dum corrupta ſpecie genus corrumpi dicit hoc modo; *Si equus corrumpitur, ratio animalis corrumpitur.* Finge omnes equos totaliter perire, at non perit animal. *Ad ſcuticam.*

Puerilis fatuitas eſt putare animalis rationem perire ſi in indiuiduo equo, & equi forma perit, & de genere animalis quantum ad id indiuiduum attinebat. Non ſi hic equus mortuus deſinit & equus eſſe, & animal, aut corpus eius per putredinem in terram abit, deſinit ratio animalis, & corporis. Quid ſi ex equo fierent crabrones? Manente ratione animalis ſpecie vna corrupta emergeret alia. Euidentius id eſt cum ex verme fit volucre. Ita ſi ex plumbo abſolutiſſimæ naturæ fit ſtannum, manente ratione metalli, hoc eſt generis ſpecies tantum permutantur, cumque ſit mutatio ex contrario in contrarium, contraria vero ſint ſub vno genere & materia communicent; delirat Guibertus negando rationem generis manere ſpecie corrupta.

Res capitis V. Lib. I.

GVibert: *Si à priuatione ad habitum non datur regreſſus, tranſmutatio metallorum eſt nulla. Antecedens eſt: Ergo & conſequens.*

Aſſumtio probatur. 1. Quia iſtud eſt axioma philoſophicum ab omnibus receptum.

2. Si eſſet à priuatione ad habitum regreſſus natura vel arte, mortuum poſſet in vitam reſtitui. At non poteſt. Ergo.

3. Si eſſet, deleta forma metalli poſſet reduci. At non poteſt.

4. Senſus, & communis experientia teſtatur priuatum vita, non redire in vitam.

5. Nec in eandem formam datur regreſſio, nec in alteram eiuſdem generis proximi; vt plumbum deſtructum nec in plumbum nec in metallum aliud poteſt reduci: Ratio eſt; quia cum plumbi forma perit forma metalli. Nihil reducitur in id quod non eſt.

6. Si daretur regreſſio, circularis foret generatio. At non eſt. Ergo. Minor probatur, quia motus non reuertitur ad primum vnde incepit, vt ex plumbo ad plumbum, ex metallo corrupto ad metallum motus non reuertitur.

Reſponſio: Primum ridiculum eſt reductionis argumento negare tranſmutationem. Neque enim ſi non foret reductio, tranſmutatio non eſſet; imo nominata priuatio tranſmutationem ſupponit. Deinde nego *connexum*. Etiamſi enim non daretur à priuatione ad habitum regreſſio, tamen non nulla eſt metallorum transformatio. Ratio eſt. Si enim non redit idem numero habitus, id quod vult axioma: tamen idem ſpecie, vel genere redit; Vt ſi plumbum in lithargyrum fuerit mutatum, etiamſi non idem numero plumbum ex eo reducitur, tamen idem ſpecie.

Præterea axioma illud minime negat tranſmutationem ex vno genere in aliud. Quis quæſo negaret ex non ente, quod non eſt ſimpliciter non ens, ſed per ſe ens tranſmutabile in aliud quod actu iam non eſt, poteſt autem eſſe ens, ens fieri; Et rurſus ex ente non ens, ſi etiam generum nulla eſſet permutatio ? Probanda ergo connexio prius fuerat. In *aſſumti* probatione ani-li loquacitate eſt ſuperfluus.

Primum quod attinet ad axioma ipſum, in peripateticis diſputationibus pro principio ponitur; Sed phyſici chymici dicunt eſſe otioſam ſubtilitatem contendere quando aqua in cucurbitam immiſſa in vaporem redigitur, qui alembico exceptus iterum in aquam tranſit, maxime ſi aqua fuit pura, & ſimplex, non eandem numero aquam redire, ſed tantum ſpecie. Fac periculum in oleo ſuccini, iuniperi & ſimilium. Deſtilla. Tranſibit in halitum. Ex halitu reducetur idem numero oleum. Experire idem in argento viuo. Neceſſe erit vt alterum ex duobus concedas, aut numero idem reduci, aut nullam eſſe tranſmutationem cum ex aqua fit vapor, atque ita generatio, & corruptio ariſtotelica erit tantum alteratio per rarefactionem & condenſationem, ſolutionem, coagulationem, volatilitatem, & fixationem, vt falſo Ariſtoteles refutauerit antiquos. Cum ergo ex plumbo fit lapis, & ex lapide iterum plumbum, vide vtrum ſtatuere velis, numerone an ſpecie idem reuertatur, neque poſſis tamen negare aliud eſſe plumbum, aliud lapidem. Chymici nolunt tecum contendere. Euidentiam autem tranſmutationis ſi negas, plumbum es.

Ad 2. Proſyllog. Arte creaturarum, & natura non poteſt id quod mortuum eſt reuocari in vitam, niſi æquiuoca ſit mors, ita vt eadem numero anima reducatur, id quod vult axioma. At ex cadauere fieri viuum ſpecie alia, nihil impedit. Eſt autem diſſimilis ratio elementorum mineraliumque, & animatorum. Non ſi hic non datur regreſſus, etiam ibi non datur.

Ad 3. negatur aſſumtio, ſi de indiuiduis & ſingularibus metallis agitur. Reducitur enim metalli forma ex calce, vitro, lapide, imo aqua quoque & vitriolo. Ita ſi aurum in argentum viuum ſolueris, reduci poteſt in aurum per tincturam. Hydrargyrus variis modis mutatus, redit in antiquum arte. Nihil autem refert ſiue numero, ſiue ſpecie reuerti dicas.

Ad 4. iam reſponſum eſt. Non ſi in animatis idem numero non reſtituitur, etiam in elementis & mineralibus. Cogita tamen de forma herbarum ex ſale ſuo, & mercurio reductili, qua de apud Quercetanum, Paracelſum & alios. Antiquis ea res non fuit admodum incredibilis qui de phœnice fuerunt curioſi. Sunt & exempla plantarum ex putredine renatarum ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei.

Ad 5. Totum falſum eſt, vt ante demonſtratum.

1. de ortu tex. 17. 2. de ortu c. 4. Ad 6. circularem generationem pridem in elementis Ariſtoteles ſtatuit. Eadem poteſt eſſe in miſtis imperfecte, & mineralibus quanquam non in omnibus ſimiliter. Naturaliter ſane ex plumbo in cinerem corrupto non videtur motus iterum in plumbum tendere: neque tamen id ſimpliciter negare poſſumus, quod naturæ operationes non ſint adeo euidentes. Arte vero reductionem fieri, nemo negat niſi imperitiſſimus rerum.

Syllogiſmus oppoſitus.

Totum genus mineralium eſt tranſmutabile. Ergo & metalla.

Si in elementis, & mineralibus ex vnius formæ deſtructione, ſeu priuatione eſt progreſſus in aliam determinatam ſiue ſpeciei eiuſdem, ſiue generis, metallorum tranſmutatio eſt poſſibilis.

Prius eſt: Ergo & poſterius.

Connexum probo, quia metalla ſunt proxima mineralibus mediis, & minoribus; Et hæc imperfecte miſtis & elementis, ſuntque ipſa mineralia maiora, quorum totum genus eſt tranſmutationi obnoxium, & ſubiectum generationi & corruptioni. Aſſumtio manifeſta eſt & cocis, & conflatoribus. Notanda autem hic eſt mira pertinacia, ruditas, cæcitaſque Guiberti, qui argumenta rationis quærit in ea re quæ quotidiana experientia & ſenſibus comprobata eſt.

Para-

Paradoxa cap. V.

1. AB omnibus receptum eſſe id axioma, falſum eſt. Non ſi à vulgaribus Phyſicis receptum ab omnibus receptum eſt. Demonſtrationes debent procedere ex communiter confeſſis; Et contra chymicos vtendum eſt principiis chymicis, aut ſcientiæ illius cui chymia eſt ſubalterna, non ex peregrinis diſputandum. Vnum tantum dicam: Lumen eſt actus, ſeu habitus perſpicui qua tale. Hoc aer priuatur noctu. Redeunte ſole, à priuatione ad habitum eſt regreſſus. Nonne?

2. Mortuum non poſſe reduci in vitam natura nec arte, ita infinite & indiſtincte non debet poni. Nam potentia & ars diuina excipienda eſt. Ea Deus non tantum immediate vtitur, ſed & mediate per Prophetas & Apoſtolos. De morte æquiuoca ſunt exempla apud chymiatros. Alii producunt exempla inſectorum, quæ mortua reuiuiſcunt, ſi nondum corrupta ſunt corpora.

3. In plumbo puerilis imperitia eſt. Nam reductio oſtendit ex deſtructo plumbo reparari plumbum, & per plumbi animam (ita loquuntur parabolici) ſeu ſpiritum poteſt ex non plumbo, vt regulo ſtibii & bismuthi plumbum fieri: quin & naturaliter naſcitur plumbum.

4. Imprudenter plumbo vitam, & mortem tribuit, aut ratione errat dum ait, *Si deleta forma plumbi poſſet rurſus plumbum fieri, ſequeretur res poſſe regenerari, quod ſenſui repugnaret, cum nunquam viſum ſit aliquid morte deletum in vitam reductum eſſe.* Num ergo vixit plumbum vnquam? Ad Galenicum loquor.

5. Ab omnibus receptum eſſe ſcribit: *In natura circularis generatio non datur.* Falſum. Vide Ariſtot. 3. de cœlo text. 55. 1. de ortu text. 17. & 20. 2. de ortu cap. 4. vbi omne ex omni generari natum eſſe ſcribitur: Et text. 25. *Quapropter manifeſtum eſt quod circularis generatio erit in ſimplicibus corporibus, & facilimus hic modus tranſmutationis, quia cognatio exiſtit in iis quæ conſequenter.*

Res capitis VI. lib. 1.

METalla ſunt intranſmutabilia: argumento: quia appetitu naturali contendunt ad optimum ſuæ ſpeciei, & in eo quieſcunt.

Syllogiſmus.

Quicquid appetitu naturali ad optimum ſuæ ſpeciei fertur, & in eo acquiſito quieſcit, eſt intranſmutabile in aliud.

Metalla appetitu naturali feruntur ad optimum ſuæ ſpeciei, & in eo acquiſito quieſcunt. Ergo metalla intranſmutabilia ſunt in aliud.

Propoſitio patet. Nam in ſummo ſuo bono, quo naturaliter quoduis, quod generatur, aſpirat, conſeruari per naturam gaudet vnumquodque. In eo eſt ſtatus & quies. Non ergo mouetur vlterius, & ſic non tranſmutatur. Ariſt. in 1. de anima cap. 3. *Quocunque aliquid natura mouetur, in eo quieſcit.* Item: *Perfectæ ſpeciei nihil poteſt addi.*

Si enim poſſet, non eſſet perfecta, ſed aſpiraret continuo ad ſpeciem perfectiorem, nec in vili conquieſceret: quod abſurdum. Si namque ſubinde ad perfectiorem contenderet, vna tantum eſſet ſpecies vltima ad quam omnes aliæ mouerentur, quod ſenſui & experientiæ aduerſatur. Hi proſyllogiſmi vim habent etiam ad nouos ſyllogiſmos, vt: *Perfectum eſt porro immobile, ſeu non poteſt reddi perfectius ſua ſpecie perfecta. Metalla ſunt perfecta. Ergo.* Aſſumtum probatur exemplariter: plumbum non eſſet plumbum niſi in ſuo ſummo eſſendi: Item Deus Optimus omnia fecit optime. *Si addi poſſet aliquid metallis, non eſſent optima.* (Perfecto nihil poteſt addi. Si enim poſſet addi, Deus non feciſſet optimum. Metalla ſunt perfecta. Ergo.)

Minoris probatio exculpenda eſt ex proſyllogiſmis prædictis. Quod enim metalla appetant optimum ſuæ ſpeciei, & in eo quieſcant, probatur, quia quoduis eſt in ſua ſpecie perfectum, & optimum. Sit enim non: Ergo Deus non feciſſet optima & perfecta, quod eſſet abſurdum.

Inde & aliæ rationes promuntur: Vt:

Si anima, quæ ſuum corpus deſeruit, nec in ſuum, nec in aliud poteſt nec arte, nec natura reduci: *etiam metalla nec in ſe reduci, nec in alia mutari poſſunt. Prius eſt: Ergo & poſterius.*

Aſſumtio patet. Nam canis mortuus nec in canem reducitur, nec in lupum mutatur. Connexio probatur: quia eſt ſimilis ratio corporis animati & metallorum. Vt enim animali ſua forma eſſentialis pura eſt, qua eſt id quod eſt, & accidens; ita metallis. Obiectio: *At metalla poſſunt ſic affici vt nec intus nec foris appareant eſſe id quod ſunt*: Reſp. Mangonium eſt in accedentibus.

Aliud:

Solius Dei eſt ſpecies mutare in ſpecies. Ergo non artis creaturarum.

Antecedens probatur miraculoſa tranſmutatione vxoris Lothi in ſtatuam ſalis, & Nabuchodonoſoris in bouem. Hæc ibi.

Reſp. Argumentum non arguit Theſin. Itaque ignorat elenchum. Vnumquodque corruptibilium eſſe in ſua ſpecie perfectum poteſt, & nihilominus tranſmutabile. Nam perfectio non eſt interminata, ſed articulis durationis definita. Id docet tota ſublunarium natura. Temporale quod eſt, non eſt immobile. Tẽpus corruptionis magis occaſio eſt quã generationis & durationis. 2. Cor. 4. verſ. 18.

Maior vera eſſet ſi quies eſſet perpetua. At in ſublunaribus non eſt perpetua quies. Deinde æquiuoca eſt quies. Quod generatur, cum generatum eſt, à motu vlterioris generationis quie-

ſcit,

Guibertus Ariſtotelicus & Galenicus videri volens non cogitat de materia Phyſica proprietatibus, & ideo garrit aniliter puerorumque more.

ſcit. Peruenit enim ad terminum perfectionis ſuæ. At in id aliud principium motus poteſt incidere, quo porro moueatur ad alium terminum: vt aqua ex aere nata in iſta ſua forma quieſcit, donec aliud principium incidat, & eam vel in aerem rurſus mutet, vel in terram.

Proſyllogiſmi maioris omnes ignorant Elenchum. Non enim probant quod perfectum ſua ſpecie ſit intranſmutabile ſi eſt ex genere corruptibilium. Hoc ſaltem ex eis conficitur, ſumma perfectione, & fine vltimo non eſſe naturaliter alium ſuperiorem, & vlteriorem. Non probatur quod ab eo vltimo nequeat deiici, aut etiam arte ad vlteriorem perfectionem perduci. Ars enim in multis quidem inferior eſt natura, ſed & in multis eam imitatur, in aliquibus etiam ſuperat, quod in mineralibus ars excoctoria, & elaboratoria euincit. Eo enim quædam opera artis perducuntur, quo nunquam per naturam peruenirent. Sed oportet tamen potentiam naturæ ſubeſſe. Ars enim inclinationes, diſpoſitiones, & potentias naturales non efficit. Præterea multa inueniuntur in natura errata; vnde Ariſtoteles ſcripſit Sect. 10 probl. 44. Naturam praue omnia facere, & plura praua quam bona: proba pauciora præſtare, non omnia poſſe. Si ergo concedamus de perfectis, non tamen concedere poſſumus de imperfectis, impeditis, & erratis. Deus omnia fecit optima in creatione; ſed inde non ſequitur in natura maledicta omnia etiam per generationem talia euadere. Eſt enim vanitati ſubiecta natura non ſua ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, vnde & parturit, & congemiſcit, cupitque liberari à ſeruitute corruptionis, inquit Paulus Rom. 8. ℣. 20. 21.

Vide 2. phyſ. tex. 82.

Ad minorem dico: Non ſi natura metallorum ad optimum tendit, id etiam ſemper aſſequitur. Impedita enim à motu & interpellata ſubſiſtit in deteriore. Inde per artem aliqua promoueri, & perfici motus poteſt. De quiete idem moneo quod in propoſitione. Proſyllogiſmus diſtinguendus eſt. Quoduis metallum in ſua ſpecie poteſt eſſe optimum: ſed in natura non ſemper inuenitur optimum. Non ſi quoduis in ſua ſpecie eſt optimum, etiam in genere eſt. Aliud etiam eſt Deum facere optima, aliud per accidens prauitatem euenire. Taceo iam de chymicorum ſententia, quod aurum naturæ metallificæ ſit vltimus finis, & reliqua metalla ſubſiſtant in formis imperfectionis propter matrices, & alias cauſas, quod tamen Deus ſic ordinauit, vtilitatum aliarum cauſa. Nam & quæ in inferioribus formis ſubſiſtunt habent ſuas vtilitates à Deo, vt oua, ſemina & alia quæ in cibum, medicinam, & alios vſus cum Dei gloria vertuntur, licet ordinata ſint ad procreationem animalium, vel plantarum.

Argumentum de anima eſt ridiculum. Diſſimilia ſunt animatis metalla. Erat autem id in præcedente quoque capite. Ideo Tautologum.

Cogitet futilis illa anus tantum de ignis effectu ſiue natura, ſiue arte adhibiti.

Argumentum de Deo ſpecies mutante diſtinctione tollitur. A Deo proficiſcitur principium omnis boni. Is bonitatis radios in naturam ſparſit, & homini conceſſit.

Idem fecit omnia ſublunaria mutabilia, & dedit agentia & patientia. Itaque quędam tranſmutantur natura, quædam violente. Deinde aliud eſt miraculo tranſmutare, quod ſolus poteſt Deus: aliud per media naturalia, quæ hominis poteſtati ſubiecit. Is mutat aquam in vinum miraculo; vinitor mutat natura per vites aqua irrigata terra.

Syllog. oppoſiti.

Si appetitus materiæ in corruptibilibus ſemper fertur ad mutationem formæ, metalla mutationibus ſunt obnoxia.

Sunt enim materiata, generabilia, & corruptibilia.

Prius eſt. Nunquam enim potētia, malefico illo principio, in ſeculari natura ſublunari exuitur materia. Ei vero coniuncta eſt priuatio.

Ergo eſt & poſterius.

2. *Quæ ſic perfecta ſunt, vt motu accepto ad aliquid perfectius tendant, non quieſcunt omnino in priore perfectione, ſed ſunt mutabilia ſecundum naturæ ſuæ inclinationem.* Metalla infra aurum ſic ſunt perfecta, &c. Ergo. Minor vera eſt non tantum de metallis, ſed & ſemimetallis, & argento viuo. Appello experientiam liquido ab artificibus peritis iudicatam.

3. *Si Deus tranſmutabilem fecit naturam metallorum, eſt tranſmutabilis.*

Prius eſt, vel ipſo teſte Eiaiæ 1. ℣. 22. 1. Pet. 1. ℣. 18. de auro & argento corruptibili.

Ergo & poſterius.

Deliramenta capitis VI.

1. N*aturalis rei cupiditas eſt, vt ad optimum ſpeciei ſuæ pertingat*, inquit ſtolide. Nihil enim gignit ſeipſum ſua cupiditate. Phyſicum erat: *Natura rei melioris ſemper autor eſt. Natura talium procreatrix qualis ipſa. Naturæ ſunt quæcunque ab aliquo in ipſis principio continue mota perueniunt ad aliquem finem niſi quid impedierit. Natura ſunt quæ cauſam & ordinem in ſeipſis habent.* Vide de anim. inceſſu cap. 10. &c. Eſt in eo quod gignitur natura quædam, quæ ad optimum, ſimile ei cuius eſt, & vnde eſt, contendit, accepto motus principio, quo ex potentia in actum producitur. Notetur autem iſta ſententia Guiberti ideo, quia tribuit metallis *principium generatiuum inſitum naturæ*, & contra Clauæum non miſtionem elementarem cauſam facit metallorum, ſed principium perfectiuum ex imperfecto per motum ordinarium.

NB. Metallorum ortus ex principio inſito tanquam ſeminio.

2. Notetur ſyllogiſmus: Cuiuslibet metalli appetitio eſt vt ad optimum ſpeciei ſuæ pertingat quantum per facultatem valeat, quod vbi eſt nactum, in eo conquieſcit & ſtudet ſe conſeruare.

Hæc

Hæc eſt propoſitio. Aſſumitur: Quæque ſpecies metalli ad optimum ſpeciei ſuæ pertingit quantum conſequi per facultatem valuit.

Concluſio: Ergo metalli quæque ſpecies conquieſcit, & ſtudet ſe in eo conſeruare.

Ad logicam ferulam. Vbi ſic didiciſti ſyllogizare? Thema eſt ſeu quæſtio : Quoduis metallum in optimo ſpeciei ſuæ quieſcit, & ſtudet ſe in eo conſeruare : Argumentum : quia naturali appetitu huc fertur: Syllog. Quod naturali appetitu ad optimum ſuæ ſpeciei fertur, id in eo acquiſito quieſcit, ſtudetque ſe conſeruare. Metalla naturali, &c. *Logica ferula.*

Ergo, &c.

Nota hic iterum quod Guibertus metallis tribuat appetitum, & motum inſitum ex imperfectione ad perfectionem, quod eſt contra miſtionem clauæi. *NB.*

3. Stulte citat Ariſtotelem ex 1. de anima cap. 3. textu 40. vbi de naturali & violento motu ſecundum locum agit, dicitque *in quod quid mouetur natura, in hoc & quieſcere natura, in quod violentia, in eo & violentia quieſcere.* Si hęc applicanda ſunt ad generationem, & corruptionem naturalem, & violentam, conſequens erit quod metallum vi artis motum in aurum, in hoc ipſo quieſcat; Et natura factum plumbum in plumbi forma ſe conſeruet, atque ita de cæteris. Sed ſe non poſſe conſeruare plumbum, æs, ferrum, experientia cognitum eſt.

4. Species quæque ſibi pura & perfecta eſt, inquit. Quorſum ergo opus eſt excoctione, & purificatione? Si item ſpecies quæque perfecta eſt, debebat quæque quieſcere in perfectione ſua, & non amplius tendere, vt ſemen, vermis, ouum, gemmæ arborum, nodi, &c. niſi forte ſpecies nulla eſt ouum, ſemen tritici, auenæ, hordei, &c.

5. In plumbi iudicio eſt plumbeus. Detur optimum plumbum, æs, ferrum: (Sunt autem hæc & non optima) at optima non ſunt metalla: Sed adhuc habent aliquod melius ad quod perduci poſſunt. Non ſunt ſpecies vniuocæ, ſed analogæ potentiam habentes ad melius, quia eiuſdem ſunt materiæ mercurialis diſpoſitæ ad omnia ſui generis.

6. Delirat & de continua motione ſpecierum imperfectionis. Sit ouum, ſint ſemina. At non continue mouentur. Nec ſequitur ſi continue mouerentur vnicam tunc fore ſpeciem. Nam circularis poſſet eſſe generatio vt in elementis.

7. Quærit quo ſenſu compertum ſit aliquam ſpeciem ad aliam perfectiorem aſſpiraſſe. Erat quidam qui putabat ſe audire gramen creſcere, & ex herba euadere in perfectam plantam. An non audit tam acutum Guibertus? Semen hordei eſt ſpecies quædam integra ſua definitione, qua materia & forma continetur perfecta. Quo ſenſu percipitur ex eo fieri hordeum plantam? Talia facta eſſe potius quam fieri ſentimus. Quando vero facta ſunt, vt vir ex puero, num adeo inſenſatus eſt Guibertus vt nullo ſenſu ad hoc aſſpiraſſe percipiat? In arte tamen etiam ipſum fieri ſentimus. Nix eſt ſpecies quædam, vt & glacies, nebula, nubes. Quo ſenſu in aquam tendere ſentiuntur? Intret deſtillatoriam officinam, ſeu laboratorium chymicum, & attendat quibus ſenſibus mirificiſſimas tranſmutationes poſſit obſeruare.

8. Ex lupo non poteſt fieri canis. At lupus canis ſylueſtris eſt : Et domeſticus poteſt efferari. Dicitur lupus à feritate vacuus fore aſſuetudine humanæ ſocietatis. Sed lupus pilum mutat non mentem.

9. Argentum poteſt formam interiorem deponere mangoniis ait : Et tamen cum interiorem formam amittit, deſinere eſſe argentum. Lingua ſaltem emendanda erat. Ita de plantis quas vult interiores formas mangoniis deponere. Quid in ſacro phyſico tam impura lingua?

10. In accidentibus fieri mutationem poſſe concedit, & vt opinari oportet, tam interioribus quam exterioribus. Si hoc eſt, vicerunt illi qui metalla tantum accidentaria imperfectione diſcernunt: vt inter recentes Oſvvaldus Crollius pag. 95. Baſilicæ, qui putidas Guiberti nugas nihili faciet. Quærat Phyſicus num forma eſſentialis manere poſſit interioribus, & exterioribus accidentibus ſublatis.

11. Deum ait poſſe abſoluta, non ordinaria poteſtate rerum naturas euertere, & ordinem à ſe inſtitutum peruertere. De potentia Dei non diſputo. Interim dico non neceſſe eſſe cum Deus abſoluta poteſtate rerum naturas mutat, non vti ordinaria. Nam abſoluta etiam ordinaria eſſe poteſt.

12. Facetus eſt in tranſmutatione Nabuchodonoſoris in iumentum. Erat hoc ei probro datum. Sed quam ſophiſtice ſe vertit in omnia rerum miracula ſcribens ſceleratam quandam apologiam? De ſpeciei in ſpeciem tranſmutatione cap. 4. & 6. agit, idque ſeptima linea ante exemplum regis de quo dicitur quod ordine inſtituto peruerſo Deus vxorem Loth in ſtatuam ſalis commutauerit, Nabuchodonoſorem in iumentum, aquam in vinum. Obieceram falſitatem. At ſcelerata apologia quantum luctatur, vt crimen diluat? Conſumit tres pagellas ea materia incipiens in 82. & deſinens in fine 85. Videamus furioſi hominis pugnam. *Nota de Nebucadnezare Palinodian Lothaingicam.*

1. Dicit ſibi temere & falſo impoſitum eſſe, quod aſſeruerit regem Nabuchodonoſorem ſubſtantialiter vel SPECIFICE fuiſſe mutatum in iumentum. At legat quicunque poteſt. Qui de ſpeciei in ſpeciem tranſmutatione non obiter & perfunctorie agit, ſed accurate, & eius exemplũ miraculoſum proponit Nabuchodonoſorem à Deo in iumentum cõmutatum eſſe, additis exemplis ſimilibus vxoris Lothi in ſalem, & aquæ in vinum, an non is aſſerit mutationem factam eſſe ſecundum ſpeciem? Quæ iſthæc impudentia eſt, negare ſcripſiſſe quod ſcriptum eſt? Si mutatus eſt accidentaliter tantum, exemplum erat impertinens. Iam conceſſum erat accidentales mutationes interiores & exteriores eſſe poſſibiles, at ſpeciem in ſpeciem mutare ſolum Deum poſſe. *Impudentiſſima Guiberti temeritas.*

2. Putat falſum ſcriptum eſſe, quod cum Boditio deliret. Verba ſunt ex pag. 49. in argumento

mento ſexto : *De Nabuchodonoſore in iumentum ſubſtantialiter vel ſpecifice mutato delirium papiſticum deliras cum Bodino.*

Hæc tantum. Bodinum idem ſcripſiſſe legere eſt cap.6.lib.2.Dæmon. vbi de Lycanthropia agit, & dicit Danielem aſſerere Nabuchodonoſorem mutatum fuiſſe in bouem : Et circa finem capitis : *Si veritatem hiſtoria ſacra apud Danielem, qua in dubium vocari non poteſt: Si vxoris Loti in Saxum immobile verſa confitemur, certum eſt æque poſſe hominem in bouem, lapidem, aut animantes alias transformari, &c.* Hæc Bodinus, quæ pene eadem & Guibertus. Non ergo falſo hoc ei tributum. Pancirollus lib.1.memorabilium, titulo de equis, *Nec deſunt*, inquit, *qui Nabuchodonoſorem regem Babylonium re vera bouem factum putent, quorum in numero eſt Dorotheus Tyri Epiſcopus in ſynopſi de Prophetis, &c.* Habeat Guibertus etiam hunc ſocium; Et quem recenſet Tertullianum Montaniſtam, quem Hieronymus negat hominem Eccleſiæ eſſe: Item Gregorium Papam, & Molineum, cæterosque. Quid autem facere & ſentire homini conueniebat, & quidem accurate diſputanti? Debuit ſequi maiorem partem ſuorum Catholicorum tenentium Nabuchodonoſorem tantum fuiſſe mẽte captum, atque ideo huc non pertinere exemplum vbi agitur de mutatione ſpecierum.

3. Papiſticum delirium vocaui ob ſuperſtitionem anilem in papatu de eiuſmodi tranſmutationibus. Plebs enim ſuperſtitioſa non aliter hiſtoriam accipit.

4. Citat ſua verba, perſuaſurus ſe minime aſſeruiſſe Nabuchodonoſorem ſubſtantialiter, & ſpecifice fuiſſe mutatum.

Sane illa vocabula, *ſubſtantialiter, & ſpecifice*, non ſunt in tuo textu; at nullum alium eſſe ſenſum tota diſputatio euincit. Stultus eſt qui poſito antecedente negat conſequens. Neque bonus Philoſophus es, Guiberte, nec Theologus. Humanum eſt errare: Errorem nolle agnoſcere eſt diabolicum. Non erat totum certamen in hoc ſitum.

5. Ais porro, te cum iſta ſcriberes non id egiſſe, vt curioſius explicares quæſtionem, vtrum ſubſtantialiter, an accidentaliter mutatus ſit in iumentum. Dic ergo inter alia exempla tibi id obiter obrepſiſſe.

Quid opus eſt mihi falſi dicam ſcribere? Sed quis credat te non accurate cogitaſſe, cum & 4. & illo 6. capite omni vi ingenii neges humanitus poſſe ſpeciem mutari in ſpeciem aliam, & ideo diuinæ potentiæ ſoli id adſcribas? Male excuſando te accuſas.

6. Si legiſti talia verba apud *Mercurialem, & Riolanum*, in accurata diſputatione cogitare debebas quid referres, & quomodo verba adhiberes, alias te comedendum & ridendum inconſiderata allegatione aduerſariis tuis propinaturus.

7. Siue delires cum Bodino, ſiue cum Tertulliano, idem eſt delirium. Si legiſti Tertullianum de patientia, miror quo malo genio abreptus ab eius exhortatione ſcripſeris tam Diabolicam, & ſceleratam Apologiam. Legi & ipſe : Sed non poſſum inuenire in meo opere citationem tuam. Sub finem libri de pœnitentia hæc habet : *Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exhomologeſin ſciens præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna reſtituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat ſeptenni ſqualore exhomologeſin operatus, vnguium, leoninum in modum efferatione, & capilli incuria horrorem aquilinum præferente.* Hæc ibi. De externa forma, eaque particulariter ratione capillorum, & vnguium loquitur, non de interna, & eſſentiali. Si hunc locum inſpexiſti, male Tertulliani verba accepiſti.

8. Iubes me diſcere non defuiſſe qui occaſione verborum ; *Et figura mea reuerſa eſt ad me*: putauerint regem non ſolum in amentiam verſum, ſed & in bouem mutatum, ita QVOD (ad Grammaticam ferulam ſæpe ſic peccas) externam figuram amiſerit, indueritque bouinam: qui non delirarunt, quia quæ dixerunt aut vera ſunt, aut veriſimilia. Bene mones. Diſcam enim libenter etiam alterum pedem in ſepulchro habens. Sed tu viciſſim diſce, non cuiuis ſpiritui eſſe credendum, ſed probandos ſpiritus an ex Deo ſint. Quæ hiſtoria autoritatem habet à ſpiritu Sancto non eſt deprauanda noſtris opinionibus, & ſi non vere, ſaltem veriſimiliter, hoc eſt, ficte & falſo (vero enim quicquid diſſentit verum eſſe non poteſt) exponenda.

Ad ferulam.

Legerat eadem Hieronymus, ſed tuam ſpeciei in ſpeciem tranſmutationem non poterat exculpere. *Franciſcus Valleſius* de ſacra Philoſophia cap. 80. ex profeſſo tractat locum & argumentum tuum reponit: Sed non inuenit iſtum ſenſum. *Conſtat aperte, inquit, non fuiſſe hanc metamorphoſin aliam quam morbum eum quem Medici vocant Melancholiam*; Et infra : *Nabuchodonoſor putabat ſe eſſe onagrum, aut bouem quendam, vel aliquid tale, appetebatque beluinam vitam & victum, quod eſt, factum illi eſſe cor ex humano beluinum. Alioqui & figura ipſi mutata eſt, non quidem penitus in beluinam, ſed in magnam deformitatem, & faciem ab humana diuerſam, corporis cute tota durata, &c.* Idem Pancirollus aſſerit, & Ioſephum ὁμόψηφον citat. Textum Biblicum, qui eſt authenticus, quod attinet, vaticinium non dicit regem in bouem abiturum, ſed : *Eiicient te ab hominibus & cum beſtiis campi erit habitatio tua, & herbam vt bos comedes, & rore cœli infunderis, &c.* (Interim) *regnum tuum tibi manebit, &c.*

De tranſmutationibus ta'ibus vide Peuceri diuinationem de Theomantia pag.130.& ſeq. Item Lercheimeri libellum de ſagis & incantationib. cap.12. Ioſeph.lib.10.antiq. c.12.

Proceres Babylonici non paſſi fuiſſent eſſentia bouem ſeptem annos ſuum regem eſſe. Capilli & vngues eius nominantur, & non bouis vngulæ. Bos vngues auium non habet. Aſſimilantur autem eis digiti humani in manibus. *Figura mea reuerſa eſt ad me*, inquit, quod eſt non amplius quadrupes inceſſi, ſed erexi me in humanam formam. Hanc poſtea Medici humano cultu exornarunt.

Guiberti tranſmutatio.

9. Verum tu inſanum (ſed non in bouem aut iumentum mutatum) Libauium argumentis vis reprimere, demonſtrando Nabuchodonoſorem affectu ſaltem, & alteratione in mente in feram abiiſſe. Non opus eſt iſtud docere, Guiberte, neque de tali mutatione tu diſputabas.

C.edo

Credo libenter vel ſine Peripatetica Philoſophia, & admonitione Philonis te in canem, imo diabolum quaſi viuum transformatum eſſe, ſi ſpectem ſceleratam, rabioſam, & diabolicam tuam apologiam. Sed & aliam metamorphoſin ſuſtinuiſti. In titulo de Alchymia impugnata *VIRVM* te profiteris. At ſi apologiam conſidero, deprehendo te in *vetulam turpem*, & *anum diabolicam*, de genere ſagarum tranſmutatum eſſe, peiorem *Canidia*, aut vlla alia, quæ conuitiis, contumeliis, inuectiuis, & ſimilibus iniuriis furere in eos ſolet, à quibus ſe putat læſam eſſe, & ſi poteſt, etiam oculorum, verborumque faſcino, aut ſortibus magicis eorum vitæ inſidiatur. Talis eſt tua tranſmutatio. Rationali mentis officio amiſſo, irrationalis beſtia iuxta poeticas metamorphoſes factus es: virili animo ſublato in mænadem veſaniſſimam, furioſiſſimamque es mutatus. Ignoſce iuſto dolori. Alias debueram Tertulliani & Cypriani patientiam ſequi, ſed Chriſtus non pepercit Iudæis diabolica facientibus. Aliquando & Paulus parrheſia & ſeueritate vtitur.

Alia eſt moralis tranſmutatio, alia naturalis.

Guibertus in vetulam.

Res capitis ſeptimi, libri primi.

ARGVMENTVM ſua opinione validiſſimum contra Chymicorum pertinaciam machinatur. Thema eſt: Metamorphoſis metallorum eſt nulla. Argumentum, quia ſpecies non miſcentur. Syllog. *Si metalla tranſmutarentur mutuo, ſpecies miſcerentur. Atqui ſpecies non miſcentur. Metalla ergo non tranſmutantur mutuo.*

Minor probatur Ariſtotelis, Boethi, Ammonii, adde & Scaligeri exerc. 268. contra Cardanum autoritate.

Reſponſio: Quanquam aſſumtio adhuc ſit ſub iudice, cum apud Horatium ſit *Diuerſum confuſa genus Panthera Camelo*, & inueniantur *Leopardi, muli*, cum ſimilibus, tamen tranſeat. Nego connexum. Non enim ſi ex aere fit aqua, ex ferro cuprum, ex ſtibio plumbum, ex ſemine humano homo, ex hordei ſemine hordeum, miſceri ſpecies neceſſe eſt. Fiunt enim hæc motu generationis & corruptionis, quem à miſtione differre, qui non videt ipſe, conſulat Ariſtot. in 1. de ortu, tex. 83. c. 10.

Ariſt. 2. Gen. an. c. 5. & 6.

Cæterum operoſe probat aſſumtum ſuum emendicatis ex Scaligero rationibus: Omnia temere. Quid enim tum poſtea, ſi ſpecierum, quæ ſunt formæ ſimplices & indiuiſibiles, non miſcentur, ſed vna abolita in materiam introducitur altera? Eſt tamen aliquis modus miſtionis ſpecierum, vt elementorum, ſi quidem ſpecie differunt. De hoc modo Ariſtoteles ita: *Quoniam ſunt entium illa quidem potentia, hac autem actu: Contingit miſta eſſe quodammodo, & non eſſe, actu quidem exiſtente alio ex ipſis generato: potentia vero quid vtriusq; eorum, quæ erant antequam miſcerentur, & non deperdita. Videntur enim ea, quæ miſcentur prius ex ſeparatis conuenientia, & poſſibilia ſeparari rurſus. Neque permanent ergo actu, neque corrumpuntur, neq; alterum neq; ambo. Saluatur enim virtus* (ἡ δύναμις potentia) *eorum*. Hæc Ariſtotelica abunde demonſtrare poſſunt Chymici, & ad ſenſum quoque docere, præter elementa etiam tria poteſtatum efficacium corpora ex miſto perfecto ſegregantes. Quorſum vero tam multus eſt Guibertus de miſtione ſpecierum, cum metallorum tranſmutatio ſit hac nihil impediente? Audiuit tranſmutationem argenti viui, plumbi, ſtibii, ferri, &c. fieri proiectione medicinæ tranſmutantis. Inde argute colligit in tranſmutato ſimul eſſe formam auri, & plumbi, ſeu aliorum tranſmutatorum. Iam duæ formæ vnius, qua vnum eſſe non poſſunt, tum alias, tum maxime in miſtione. Sed præter rem ſudas Guiberte. Ariſtoteles ait 1. de ortu, text. 89. *Quando alterum ſolum paſſiuum erit, aut vehementer, illud autem valde remiſſe, aut nihil amplius fit, quod miſtum eſt ex ambobus, aut parum, vt cum æs tingitur ſtanno.* Ita ille de quanto. Nos ſimiliter de ſubſtantia ex textu Ariſt. 88. Actiuorum & paſſiuorum quæcunque ſunt facile diuiſibilia, multa quidem paucis, & magna paruis compoſita, non faciunt miſtionem, ſed augmentationem dominantis. Mutatur enim alterum in dominans. Et 2. de anima tex. 37. Actus eius quod potentia eſt, ratio eſt. Iam attende. Vbi diſpoſita propinque materia eſt, eaque paſſiua vehementer, cum ei committitur agens determinatum validiſſimum, neceſſe eſt mutari paſſiuum in dominans, & non fieri miſtionem, aut compoſitionem. Quando per medicinam ex auro ſpiritualem efficaciſſimam, in parua mole, tanquam principio, vim maximam habentem, ſimulque mercurialem materialiter, formaliter vero aurificam, in argentum viuum, plumbum, aut aliud paſſiuum analogum, & mercuriale proiectam fit tranſmutatio in aurum, tunc quod facile paſſiuum eſt, à validiſſimo agente in ſui dominantis naturam tranſmutatur. Id autem aliquando fit ſtatim in aurum, aliquando in medicinam aurificam. Ita de argento & aliis. Si Philoſophiæ Chymicæ annos illos 40. quos cum ſcurris & impoſtoribus conſumſiſti, dediſſes, rectius iudicare poſſes.

Guibertus copioſus in non neceſſariis.

1. de ortu tex. 80.

An in tranſmutatione fiat miſtio.

Oppoſitus Syllogiſmus.

SI *validum agens commiſſum promtiſſime patienti determinato, mutat hoc in ſui dominantis naturam, tranſmutatio metallorum, & argenti viui, aut argento viuo conſtantium per proiectionem efficaciſſimæ medicinæ metallicæ, ex actu iam metallo extractæ, & facilis eſt & poſſibilis, & ſecundum naturam. Prius eſt: Et poſterius ergo.* Aſſumtio eſt Principis Peripateticorum, eaq; experientia vulgari comprobata. Agentis enim naturalis finis eſt ſimilitudo paſſi: & quod tranſmutatur, abit in naturam tranſmutantis, ſicut ſanguis in carneis abit in carnem, in oſſeis in oſſa, in cutaneis in cutem, & ſic deinceps. Propoſitio firma eſt. Nam ex natura ſumitur metallum vegetum & validum, idque per mercurialem liquorem ita præparatur, vt ſummas vires acquirat, fiatque actuoſiſſimum in mercuriale patiens, quod ipſi ſimilitudine naturæ reſpondet. Vbi eſt tale agens, & ei quam maxime procliue patiens, quod materiæ ſymbolum proximum habet, ſubſternitur, ibi neceſſe eſt fieri tranſmutationem in dominans, ſicut ignis in ſuam naturam conuertit cremia. Alia ratio ſumitur ex ſympathia, & antipathia, qualis inuenitur inter ſulphureum ſpiritum, & mercurium, ſtibium & ferrum; plumbum, & argentum;

plumbum, ſtannum, argentum, aurum, & argentum viuum, ex quo fundamento Geberus ſuam artem extruxit. Deprehendit enim argentum viuum iſtis eſſe familiare, & vulgari amalgamatione quidem facile miſceri: ſed occultiore adhærere in profundo, tranſmutare, & in ſui naturam vertere diſpoſita. Itaque cum & aurum & argentum mercurialem naturam habeant, ſtuduit argentum viuum ad argenteam & auream naturam ſeminariam & formalem actuoſiſſimam & igneam adducere, vt ſi proiiceretur in mercuriale corpus, id momento, cæteris paribus, poſſit in ſuam naturam, quæ iam non eſt amplius mercurii, ſed auri vel argenti conuertere. Similia fiunt in metallis cæteris, ſed minus efficaciter, quia non ita elaborantur eorum medicinæ, nec tam validum ignem habent. Qui rationes Peripateticas exactiores quærit, is non tantum reſpicere debet halitus & vapores minerales, ſed & inquirere rationes eorum definitas, de quibus agitur lib. 2. Gen. an. c. 1. & 3. ſicut caro non fit ex materia nutritiua niſi probe cocta, idque non in oſſe, cute, membrana, cartilagine, ſed in carne: ita aurum non fit, niſi ex diſpoſito mercurio recepto à minera ea, in qua eſt vis aurifica ſulphurea: plumbum fit in plumbificam habente, argentum in argentifica, & ſic de cæteris. Cogita iam vnde debeat artifex ſumere ſuæ tincturæ corpus, & quomodo præparare, elaborare, exaltare, multiplicare. Non erat animalis dementia Guiberti argumentis confutanda. Etenim ex pharmacopolio diſcipulus poterat ſpecierum ſuarum miſtiones varias, & theriacas ei in os ingerere: audiat tamen & Virgilium, apud quem totam infuſa per artus mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. Apud Ouid. Eſt ſemibos homo. In monſtris ſemicanis, ſemiporcus, &c.

Stoliditates Guiberti ex capite ſeptimo.

I. FATVITAS quædam eſt ex principio male intellecto, & peius adhibito contra ſapientiſſimas hermeticorum rationes concludere velle, & experientiam eorum euidentem cum ſolidis argumentis audere côuellere. Quid ad ipſos ſiue Ariſtoteles miſceat ſpecies, ſiue nô miſceat? An ideo generationes & corruptiones ſint nullæ, ſi ex hominis & beſtiæ ſpeciebus non componat tertiam? II. Miſtionem naturæ abſolutam, qua tota miſceantur per tota, & ea, quæ temperari poſſunt, commutentur, vniantur que negat à generatione differre. Fatua negatio. *Miſtio eſt miſtilium alteratorum vnio*, qua qualitates quidem dicuntur totæ totis permiſceri & contemperari, ſed non corpora miſtilia, quæ oporteret in minima diſſolui, res impoſſibilis naturæ: *Generatio eſt entis ex non ente per motum in ſubſtantia productio*, atque adeo tranſmutatio quædam, conueniens & ſimplicibus elementis, & corporibus miſtis perfecte imperfecte. Dicimus quidem interdum miſti generationem, ſed non ideo idem eſt miſtio & generatio. III. Dandum proculdubio eſt metalla eſſe corpora miſta. Si miſtio eſt commutatorum, vt loquitur, miſtilia ex quibus conſtant, ſunt tranſmutabilia. Ex tranſmutabilibus facta ſunt tranſmutabilia, ſicut & quæ generantur ex non ente, ſemper potentiam hanc coniunctam habent, vt poſſint iterum nô eſſe. Quæ dementia eſt negare metalla eſſe tranſmutabilia? Quæ tranſmutantur aut eiuſdem generis aliud fiunt, vt elementa, & elementis proxima, aut diuerſi, vt cum ex ligno putreſcente vermis. Vtrumque eſt in metallis. Ex ſulphure enim ſale & mercurio naſcitur metallum, in eademque reſoluitur; & ex ſtibio vtroque plumbum, ex plumbo ſtannum, ex ferro æs, iterumque ex ære ferrum, &c. Hæc dum non intelligere poteſt *Guibertus*, ad fatuos ablegandus eſt. IV. E putridis commiſtis poteſt fieri animal inquit ſtulte. Nihil gignitur putreſcens inquit Philoſophus; ſed intra putredinis determinatum gradum fit ſeparatio, & concoctio, quæ dum fit diſpoſite, principium animale concipit, ſequiturque generatio animalis determinati. Vide Ariſtot. in 2. de Gen. an. cap. Latinis 4. Græcis 6. paragr. *Hic autem calor nec ex qualibet materia carnem aut os facit, &c.* & lib. 3. cap. 11. *Nihil gignitur putreſcens, ſed concoctum, &c.*

Crama. V. *Crama artificialem miſtionem eſſe arbitratur, in qua non fiat vnum forma, ſed ſola continuatione*, vt cum vinum aquæ miſcetur. Delirat miſer. Vbi plus aquæ eſt quam vini, κρᾶμα appellatur. At fieri poteſt, vt ea copia ſit aqua vt dominetur, & confuſum vinum in ſuam naturam conuertat. Hic neceſſe eſt vnum fieri non continuatione, ſed forma interiore. Dicimus etiam κρᾶμα τὸ φύραμα, quando maſſam facimus & ſubigimus. Et conuenire vocabulum etiam naturæ miſtionibus, inde exiſtens κρᾶσις, eiuſdem iugi, indicat. Ridiculum eſt putare vnum fieri continuatione, quando vinum aquæ infunditur, idque minimorum ſenſu appoſitione. Quis erit ille lynceus, qui minima ſentiat, & poſſit dicere hæc guttula huic continue cohæret? *Continua ſunt quorum extrema ſunt vnum.* Vbi ſunt extrema iſta in vino & aqua confuſis? Mox hoc negatur. In vini & aquæ miſtione alterum alteri non ita cohæret, vt fiat vnum continuum, ſeu ſolidum. Et tamen dicebantur Cramatis partes ſola continuatione vnum fieri. VI. *In craſi vini & aquæ manet vtriuſque forma*; argumento: *quia ſeparari poſſunt*: ait fatue. Si dominatur alterutrum alterum tranſit in naturam alterius, nec eſt argumentum ſufficiens *ſeparatio*, niſi velis in perfecta naturæ miſtione etiam fieri appoſitionem tantum ſeruatis formis. Qui vero ſunt iſti ſeparatores vini & aquæ? Chymici etiam ex ſolo vino phlegma aquoſum, reſpondens elemento aquæ ſegregant. Num & ibi crama appoſitionis fuerat? VII. *Eſſentia rei cuiuſque eſt impartibilis, indiuiſibilis.*) Quid ſi eſſet quanta quædam, vt materia? Corpora in infinitum diuiſibilia eſſe ſtatuunt. Vide an ea velis eſſe eſſentias. Ariſtoteli tres ſunt ſubſtantiæ, ſeu οὐσίαι: (eſſentiæ) materia, forma, compoſitum. VIII. Aſinina ratio eſt hæc: *In metallorum tranſmutatione tranſmutans, & tranſmutandum ſub vna ſpecie non continentur, quia ſunt dua diſtincta. Ergo non poſſunt miſceri.* Quid? An elementa ſpecie diſtincta non poſſunt in vnam formam miſti coaleſcere? Deinde ſi vnum eſt tranſmutans, vtpote actiuum, & dominans alterum tranſmutandum, nempe paſſiuum, quod in alterius naturam tranſit, quid hoc ad miſtionem? Generatio vnius, & alterius corruptio hoc eſt, non miſtio. Cætera mittimus ad Cynoſarges.

Res capi-

Res capitis octaui, libri primi.

CHYMICI dicuntur probare tranſmutationis poſſibilitatem exemplis plantarum & animalium, vbi ex vno diſpoſito fit alterum, ſeu vnius corruptio eſt generatio alterius, idque ſimiliter in mineralibus: Syllogiſmus:

Si in vegetabilibus & animalibus vna ſpecies corrupta tranſmutatur in alteram, etiam in mineralibus, atque adeo metallis quoque.

Eſt autem antecedens: Ergo & conſequens. Connexum probatur, quia vtrobique par ratio eſt: Imo ſi in vegetabilibus & animalibus, multo magis in mineralibus, quia horum tranſmutatio eſt facilior. Aſſumptio probatur I. exemplo erucæ in papilionem tranſeuntis. II. Oui in auem. III. Siſymbrii in mentham, & lolii in triticum. De primo vero tantum agitur cap. 8.

Reſponſio Guiberti. I. Ad connexum dicitur eſſe diſſimilitudinem in exemplis, quia *metallum vnum non ſit perfectio alterius: papilio vero ſit perfectio erucæ*: metallum quodque per ſe ſit perfectum: Eruca imperfecta. Secundo, quia, cum ex eruca fit papilio, metamorphoſis ſit ordinarium opus naturæ; metallorum non. Si enim eſſet, vel in venis, vel extra alterum in alterum mutaretur, quorum neutrum contingit. Tertio, quia in quæſtione de metallis agatur de transformatione vnius ſpeciei in aliam ſub vno genere proximo: non autem in eruca & papilione, quia papilio non ſit ſpecies erucæ, nec eruca papilionis. II. Negatur & aſſumtio, quia in vegetalibus & animalibus nulla ſpeciei in ſpeciem mutatio poſſit deprehendi. Ratio eſt, quia non interioris, ſed exterioris formæ ſeu figuræ fiat mutatio tantum. Deinde non ſit perfecta ſpecies eruca, quia finis & perfectio eius ſit papilio; vnde conſequens non eſſe tranſmutationem, ſed perfectionem vno motu perfectiuo conſtantem, vt ex ouo eruca, ex hac oriatur papilio, tertia generatione animal perfectum. Hæc Guibertus. *De eruca in papilionem.*

Defenſio argumenti Chymicorum.

PRINCIPIO notandum eſt Chymicos non opus habere armis à pari, vel ſimili, quæ ſi quid poſſunt, declarant potius rem qualitercunque quam probant. Specierum eſſe in mutuas, ſi diſpoſitæ ſint, tranſmutationem, ſatis probat euidentia facti in elementis, & mineralibus ſiue ſola natura operante, ſiue accedente arte, & agentia patientibus rite diſpoſitis, præparatisque accommodante, & opus regente in matricibus idoneis. Naſci mineralia, & in his etiam metalla certum eſt. Generatio eſt motus ex non ente, (quod tamen per ſe non nihil eſt, ſed ens aliquod aliud determinatum, vt tali agente tale ex eo fiat) in ens diſpoſitum. Fiunt ergo metalla ex aliquo. Id in natura propter varia impedimenta & materiæ ligationem pertinacem fit fere tarde. Si ars poſſit impedimenta tollere, & ligamenta ſoluere, naturalibusque vaſis, & adminiculis ſubſtituere artificialia, motus naturæ erit expeditior, & celerius abſoluetur, quod inſtituitur. Futilis eſt miſtio illa, quam fingunt Peripatetici nonnulli ex elementis primum coeuntibus, niſi explicetur dextre. Generatione fiunt perfectiua etiam mineralia, quæ ſi perfecta ſunt, non iam miſcentur, ſed à creatore in initio ſunt miſta, & principio propagationis dotata, vt analogiam cum plantis & animalibus habeant, & horum exemplis declarari poſſint. Hæc eſt Chymicorum Dianœa.

Quod ergo Guibertus dicit de diſparitate exemplorum, aliqua verum eſt. Neq; enim per omnia ſunt idem. Quod autem negat ſic ſe habere metalla, vt vnum ſit finis alterius, ſicut papilio eſt terminus motus ab ouo per erucam; ſunt qui diſſentiant, velintque aurum eſſe optimum, quod à natura intendatur: nos nihil referre dicimus. Neque enim id ſpectatur declaratione exemplari, ſed hoc, quod ſcilicet, *ſicut in productione papilionis principium in ouo conceptum ex potentia in actum à calore temporis, ſeu alio externo determinato vocatum mouetur, & generatione perfectiua continuata per formas imperfectionis ſubordinatas tandem papilionem producit, & in hac quieſcit: ita fiat etiam in metallis*, ſiue iam dicas ex mercuriali materia agente ſulphureo principio initium fieri, & progreſſionem per intermedia ſemimetalla, & metalla imperfecta vſque ad vltimum, quod eſt aurum, quantum fieri poteſt; ſiue naturam inſtituere etiam metalla imperfecta dicta. Non autem eſt conſequens, ſi papilio non amplius promouetur in formam perfectiorem, etiam metalla non poſſe. Hic enim iam eſt ratio diſpar cum imperfecta metalla omnia ſint tranſmutabilia in perfecta propter materiam mercurialem altioris formæ ſuſceptiuam. In auro eſt ſumma fixio. Ideo hic ſtatus eſt. In cæteris non eſt. Ideo poſſunt vlterius moueri. Peccat Guibertus Elencho non cauſæ, & parium diſtorſione. Hæc ad primum. De ſecundo non opus eſt verbis. Sint metalla non ſic ſubordinata mutuo, vt ouum, eruca, papilio: at ita ſunt affecta, vt materia mercuriali participent, in quam ſi fortius principium incidit forma priore expulſa ſuccedit alia iuxta naturam eius principii. Tertium inter deliramenta eſt. Reſponſio ad aſſumtionem fatua eſt, vt patebit in examine. Perfectio procedit per formas imperfectionis ſubordinatas vſque ad vltimam, & ſic perficitur μεταβολῇ, vt paulatim ex non ente per entia imperfectionis procedendo tandem ens deſtinatum fiat. Manet itaque robur argumenti hermetici, quod firmari adhuc amplius ſic poteſt:

Quodcunque generatur, ſiue vniuoce, ſiue æquiuoce, ſiue analogice, mouente determinato, ex materia diſpoſita per formas imperfectionis ſubordinatas, dum ſucceſſiue tranſmutantur, ad vnam vltimam à natura primum intentam perducitur.

Metalla generantur. Ergo. Propoſitio declaratur elementis, mineralibus minoribus, & mediis, vegetabilibus animalibus. Aſſumtio eſt liquidæ experientiæ, & illuſtratur modo generationis ex mercurio per ſulphureum determinatum ſpiritum in ſua minera; vnde metallici differentiam ſumunt argenti maturi, immaturi, volatici, fixi, &c. Quod ſi materia eſt proxime diſpoſita, pura, & *Summa ad patiendum promtitudo, proximaque potentia, &*

 valde

agens efficaciſſimum faciunt, vt propter celeritatem non poſſint diſcerni ſucceſſionis partes, vt & in flamma.

valde procliuis ad patiendum, principiumque incidens validum, & cætera omnia recte compacta, motum velociter procedere, vt reſpectu diuturnæ abſolutionis poſſit momentum vocari, nemo peritus & ſapiens negauerit, cum idem fieri videat in elementis, & argentum viuum ſpiritu ſulphuris, plumbi, & ſimilium facile ex liquido in concretum mutetur.

Deliramenta capitis octaui.

I. ET delirat, & criminatur homo improbus. Philoſophos ſummos vocat *tenebriones, ignaros prorſus Philoſophiæ naturalis, & occæcatos.* Competere autem ipſi hæc crimina præſens collatio demonſtrat. Adeo vero malicioſus eſt, vt dementium anicularum inſtar contumelias inconſulto, & temere euomat, quaſi iuſtum ſit in eum, à quo diſſentias omne genus iniuriarum ſine diſcrimine effutire. II. Negat commutationes particulares conferre quid ad probandum, quod pro confeſſo aſſumunt Chymici, ſcilicet metalla eſſe tranſmutabilia. Stulte. Si pro confeſſo aſſumunt, non probant. Si vtuntur ſimilitudinibus, non ad probandum vtuntur.

III. *In propoſitis exemplis vegetalium & animalium nulla ſpeciei in ſpeciem tranſmutatio deprehendi poteſt.* Si hoc verum eſt, tantum accidente different ouum, vermis, eruca, papilio: Et erit definitio eſſentialis eadem: Et ſicut dico papilio eſt animal alatum ex eruca natum, &c. ita & ouum eſt animal, &c. Definitio ſpecifica eſt per differentias ſpecificas, ſeu formas.

IV. *Figuris externis differunt.* Amentis aſſertio. Quis ouum & auem inde natam accidentibus
» tantum differre dicat, & ſapientis nomen defendat? Ariſt. in 3. de Gen. an. c. 9. Inſecta, quæ vim
» generandi obtinent, vermes (σκώληκας) generant: Et quæ ſponte non per coitum naſcuntur, ex
» tali primum gignuntur conſiſtentia (συστάσεως.) Oportet enim ponere & erucas (κάμπας) eſſe ſpe-
» ciem vermis, & fœtum araneorum: Et videri ſane poſſint ſimilia eſſe ouis (δόξειεν ἐοικέναι) propter
» figuræ circumferentiam (περιφέρειαν σχήματος) ſeu orbiculatam ſpeciem (καὶ τούτων ἔνια, καὶ πολλὰ τῶν
» ἄλλων) tum horum quædam, tum aliorum multa. (ἀλλ' οὐ τῷ σχήματι λεκτέον, οὐδὲ τῇ μαλακότητι καὶ σκλη-
» ρότητι, ἀλλὰ τῷ ὅλον μεταβάλλειν, καὶ μὴ ἐκ μορίου τινὸς γίνεσθαι τὸ ζῷον. Verum dicendum eſt, quod non
» figura, nec mollitie, aut duritie, ſed totum tranſmutetur, & non ex parte aliqua fiat animal. (Gazæ
» interpretatio hic labaſcit) Omnia vero vermiformia (σκωληκώδη, quæ vermis ſpeciem habent) in
» progreſſu (προελθόντα) & cum finem magnitudinis acceperint, q. ouum fiunt. (ſenectam accipiunt
» duram, quam exuunt) Dureſcit enim eorum putamen, & per id tempus non mouentur (ἀκινητί-
» ζουσι) &c. Addit declarationem per exempla, redditque rationem facti, quia oua prima ſint imperfecta, genitaque antequam ſint matura, ſeu tempeſtiua; vnde foris poſtquam primus vermiculus ex ouo genitus eſt, quaſi adhuc ouum ſit, cuticulam duram accipit, quam ſubinde exuit, quaſi vermis ſit ouum molle, quod recuperat corticem, & mox ex eo viciſſim prorepit: quod contingit etiam in aliis. Omnia enim talia poſt naturam vermis, q. immobilia (ἀκινητίσαντα) & putamine in circuitu exarefacto, hoc poſtea rupto exeunt, ſicut ex ouo animal perfectum ex tertia generatione (ἐκ τῆς τρίτης γενέσεως) quorum plurima pennata ſunt ex pedeſtribus. (τῶν πεζῶν) Hanc ſententiam

Loci Ariſtotelici explicatio.

Ariſtotelis citauit Guibertus. Sed videamus quam induſtrie. Ex erucis & bombycibus naſci papiliones dicit, non interioris, ſed exterioris formæ mutatione, vt non ſit generatio, ſed generati elaboratio, quam perfectiorem vocat argumento Ariſtotelis, qui ſcribit animal fieri tertia generatione perfectum: ἐξ ᾠοῦ ζῷον ἀποτελεσθὲν ἐκ τρίτης γενέσεως: Atqui contrarium eſt ex eodem loco. Quod gignitur à papilione, vel ſimili beſtia, eſt ouum. Ex hoc prorepit eruca, ſeu vermiculus. Hæc eſt prima tranſmutatio, qua ex non ente verme fit ens vermis. Quia vero hic vermiculus aliquoties mutat cutem: nam prima ab aeris contactu dureſcit, vt creſcere amplius non poſſet, ſi eam retineret; ideo quieſcit tunc donec liberetur ab illa, & poſtquā liberatus eſt, prorepit: quando ad iuſtum incrementum peruenit, tunc vermis abſolutus eſt perfectione illa accidentaria, non eſſentiali, ſicut & in genere cammarorum adhuc paruorum dum creſcunt. Semper enim à primo ouo vſque ad ſecundam tranſmutationem vermis eſt & manet, tantum magnitudine & ætate, abiectioneque ſenectæ differens. Inde ſequitur generatio ſecunda, qua deſinit eſſe vermis, & in nympham tranſit. Ex nympha fit papilio animal generatione tertia perfectum. Hæ tres generationes non tantum ſunt generationes ſecundum quid, ſed & ſimpliciter. Quia vero Ariſtoteles vult cauſam reddere ſenectæ toties exuendæ: Conſiderat erucam vt ouum; non quod ouum eſſe vniuoce putet. Eſt enim animal actu; ſed quod ſimiliter ſe habeat accipiendo plura putamina, & ſæpius ex illis prorepencdo, donec vermis iuſtus ſit, quem bombycem in genere ſerum appellamus. Quoniam autē denuo indureſcit, & ouo fit ſimilis in aurelia, vbi nympham appellat; adhuc durat oui conſideratio, quanquam ſit generatio ſecunda. Ex aurelia cum prodit abſolutum eſt tertia generatione animal, cui pręcedentes mutationes fuerunt ſubordinatæ. Quælibet vero ſua forma & ſpecie conſtat, cum alia forma ſit oui, alia vermis, alia nymphæ, ex qua papilio. Tres generationes totidem formas requirunt. Inde ridiculus fit Guibertus tantum exterioris figuræ mutationem aſſerendo, quaſi alteratio ſit, & non generatio. Sed & ſit alteratio, quidni metalla ex ouo ſuo mercuriali iam prognata dicamus ſimiliter matureſcere, & perfici?

V. *Metalla ordinarie nunquam fiunt, nec extra nec intra venas.)* Vnde ergo exiſtunt? Si generantur ex non ente gignuntur, & ex imperfecto ad perfectionem tendunt, idq; ſecundum eſſentiam formalem, quæ eſt finis generationis. Metallici impudentiam & imperitiam huius hominis infallibilibus exemplis, de quibus alibi redarguunt. VI. Stultior eſt, dum ait, *præſente quoque efficiente cauſa per infinita ſecula ſuis venis manentia fieri ordinaria opera naturæ.* Non eſt efficiens, quæ nec efficit, nec vim efficiendi habet. Si opera naturæ ſunt, & omne opus eſt effectum cauſæ operantis, neceſſe eſt efficientem habere, eamque internam, ſi naturæ ſunt, quæ eſt principium inſitum.

Si non

Si non ſunt naturæ opera, vnde ergo exiſtunt? Putant quidam ex creatione eſſe omne metallum. Sane & creauit Deus omnia genera: Aſt & adhuc per generationem naturalem propagando conſeruat, vt teſtatur experientia. Naſcuntur ergo etiam nunc.

VII. Erucam & papilionem vult eſſe *non ſub eodem genere proximo, ſed remoto.* At vtrumque eſt & animal remotius, & beſtia propinquius. Animal ſenſu & motu definitur. Eruca & ſenſum, & motum liberum habet.

VIII. Ratio eſt ſtultiſſima; quia *eruca non eſt ſpecies papilionis, nec papilio eruca:* quaſi ſi ſub eodem genere proximo deberent eſſe, alterum ſub altero eſſe oporteret, vt plumbum ſpecies auri, aurum ſpecies plumbi. At inquam & eruca eſt potentia papilio, & plumbum aurum. *Dictamen Guiberti Ebrii.*

Caput IX. de ouorum excluſione, & X. de plantis inter ſe commutatis eodem referuntur, & ſunt ſatis dilucide examinata in editione priore, Anno M.DC.IV. Cap. XI. eſt ſtolida inuectiua. Mittimus hæc capita ad anticyras, & ſi non proficiunt in melius, inde ad coruos.

Res capitis duodecimi, libri primi.

ARISTOTELES in ſexto Nicom. cap. 7. *Sapientiam dicit eſſe rerum præſtantiſſimarum natura ſcientiam & intellectum;* vnde Anaxagoram & Thalem, atque huiuſmodi homines, quos viderint ignorare ſibi vtilia, ſapientes quidem dicunt, ſed non *prudentes*, vtpote admiranda, difficilia, & diuina cognoſcentes, ſed inutilia, quia non humana bona inquiſiuerint, circa quæ prudentia verſetur. Tribuitur Anaxagoræ quod omnia ſimilaria (ὁμοιομερῆ) generari & corrumpi dixerit ſolutione, & coagulatione (διακρίσει, συγκρίσει) Ariſt. in 3. Metaph. cap. 5. ait dixiſſe μεμίχθαι πᾶν ἐν παντὶ, vt & Democritus, ὥστε μηδὲν ἀληθῶς ἐν ὑπάρχειν, καὶ ὁμοῦ πάντα χρήματα εἶναι ἄπειρα καὶ πλήθει, καὶ μικρότητι. Ei refertur accepta etiã πανσπερμία, de qua Ariſt. 4. Gen. an. c. 3. εἰσί τινες οἵ φασι τὴν γονὴν μίαν οὖσαν οἷον πανσπερμίαν εἶναί τινα πολλῶν, &c. Cum Riolanus, quem Guibertus laudat, contra Quercetanũ diſputaret, ratione materiæ primæ omnia eſſe omnia aſſerebat, & hactenus poſſibilem tranſmutationem omnium concedebat. Ariſtoteles in 1. Metaph. cap. 3. ſcribit primos Philoſophos putaſſe principium omnium entium eſſe materiam, & ob hoc nihil fieri, neque corrumpi: quod & Seuerinus Paracelſiſta in ſua Idea aſſeruit. Guibertus cap. 11. lib. 1. proponit ſententiam Chymicorum quorundam volentium aurum eſſe vltimum naturæ ſcopum in metallis: Solum enim hoc perfectum eſſe: Cætera in via eſſe ad aurum, & differre accidentibus tantum: Ideo etiam poſſe perfici arte & natura. Ipſe putat hoc eſſe idem ſentire quod Anaxagoras, qui dixerit omnia eſſe in omnibus: quod ſi conceſſum fuerit, etiam priſcorum opinio, & Paracelſiſtarum probanda erit. Suaue delirium. *Non ſi quis dicit imperfecta metalla potentia eſſe aurum, omnia omnibus immixta eſſe dicit.* Si hoc eſt panſpermian Anaxagoræ aſſerere, Guibertus à falſo non eſt immunis, qui per tria capita docuit, quando ex ouo inſectorum per ſucceſſiones ordinarias fit animal perfectum, tantum figuram externam mutari, & differre ouum, erucam, bombycem, papilionem tantum accidentibus, quanquam interim ſpecies numeris compararet, qui addita vel ſubtracta vnitate in alios atque alios abeant. Verum cap. XII. ſeriam, & contentioſam admodum diſputationem inſtituit, probaturus omni conatu metalla differre ſpeciebus. Rident hominem magno cum ſupercilio maximas nugas nugantem Chymici. Siue enim accidentibus, ſiue ſpeciebus differant, vnius corruptio eſt generatio alterius. Sinamus eum nugari ad ſatietatem. Illud ſaltem notemus, quod totus conatus capitis XII. de forma & formalibus metallorum exeat in VIDETVR. Ait enim, iſta videntur comprobare metalla differre ſpecie.

Sapientia. *Prudentia.* *1. Metaph. cap. 3.* *Ar. 1. de ortu c. 4. text. 23. 1 de cœlo tex. 126. Videtur.*

Res capitis decimitertii, libri primi.

ARGVMENTIS formæ voluit probare cap. XII. metalla differre ſpecie: Cap. XIII. idem tentat rationibus à materia. Rem ſuperuacaneam agit. Argumentum ſaltem videamus:

Si metalla ſpecie differunt, ex imperfectis aurum fieri non poteſt. Prius eſt. Et poſterius ergo.

Reſp. Nego connexum. Nam & elementa ſpecie differunt, & tamen ex terra poteſt fieri ignis ſucceſſiue mediante aqua & aere generatione mediata. Ita aliud eſt plumbum, aliud cinis plumbi, aliud vitrum, aliud liquor: Et tamen hæc ex illo fieri poſſunt. Quod ſi ſpecies perfectæ ſunt tranſmutabiles, magis erunt imperfectæ ſymbolicæ. Æs Ariſtoteles μεταβάλλειν, hoc eſt, tranſmutari nouerat 1. Metaph. 3. Id fit aut in aliud, aut materiam, ſiue perfectam ſpeciem æs dicas, ſiue imperfectam, accidentibus, aut ſubſtantia à cæteris diſcrepantem.

Tantum de primo libro.

NEQVE enim pluribus eſt opus. Qui homo per totos quadraginta annos perdidit ligna, carbones, cineres, & ſalem, adhuc ignorat ſpecies eſſe tranſmutabiles, quaſi eadem ſpecie ſint iſta. Turpiſſimæ hoc inſipientiæ, & ſtolidæ peruicaciæ argumentum eſt.

SVMMA CAPITIS I. LIB. II. GVIBERTI contra tranſmutationem metallorum.

Diſputationes hæ ſunt, q. luſus & iocus ſcholaſticorũ inter ſe ratiunculis litigantium. Alias figulus, & quidã alii βαναύσοι ſtatim probare poſſunt æs, plumbum, ferrum argentum, ſtannum tranſmutari & corrumpi partim, partim generari: quod ſi nõ credit Guibertus, communi ſenſu caret.

CONTRA primi libri totius conatum omnem ita argumentari ſolent Chymici ex Ariſtotele: *Quæ experientia multiplici euidenter ſunt comprobata, & ſenſibus ipſis euicta, fruſtra logicis argumentis petuntur. Metallorum tranſmutatio experientia multiplici euidenter eſt comprobata, ſenſibusq́; ipſis euicta. Fruſtra ergo argumentis logicis petitur*, & ex conſequente oleum, & operam perdidit in 1. libro Guibertus. Propoſitio certa eſt. Logica enim demonſtratio, quia vniuerſalior eſt, à propriis principiis eſt remotior. 2. Gen. an. 6. & in 1. de ortu. c. 2. tex. 8. vbi naturaliter, & logice conſiderare differunt, laudaturque Democritus, qui videatur vtique propriis & naturalibus rationibus perſuaderi. 2. de cœlo tex. 81. Bene quæſiturum per proprias in genere inſtantias ad inſtandum idoneum eſſe oportet, ex eo quod omnes contemplatus ſit differentias, nec paucis inſpectis facile pronunciet. Ita 1. de part. an. 1. Senſibilium principia ſenſibilia ſunt, & materiam comprehendunt. Senſibile enim omne in materia eſt. Ita & Guibertus ipſe: *Si Chymiſtæ oculata fide & experientiis probare poſſunt metallum, vt ferrũ, in aliud, vt in æs, mutari, proculdubio nugatoria & ſuperflua eſt ratio, quæ id allatis cauſis fieri non poſſe dicit: Superflua etiam teſtimonia ſecus deponentia. Nam his longe minor eſt habenda fides, quam oculatæ experientiæ.* Nota vero nos de argumentis logicis dicere, quæ Guibertus vocat RATIONEM. Sed attendere oportet rationes eſſe diuerſas. Quædam ex alienis principiis, vt Dialecticis, Metaphyſicis, &c. ſumuntur: quædam ex propriis, quæ principia non ſunt prætoria edicta, ſed mente, vſu, & experientia, ſenſibusq; per plures ſapientes extructa & comprobata. Talibus rationibus qui vtitur, non ſine experientia diſputat, cum principia experientia ſint inuenta, & ſtabilita. Experientia vero non eſt vnius actionis, aut ætatis, aut hominis, ſed plurium, idque vel ſemper, vel vtplurimum. Vide 1. Metaph. cap. 1. Γίγνεται ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις· αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι, &c. Quod ſi nec mea, nec tua experientia ſenſibilis, & ſingularis produci poteſt, non neganda ideo experientia eſt ſi principium habeas. Subeſt enim experientia, h. e. ſenſus & ratio artificum ſapientum, & prudentium. Hæc de propoſitione. Circa aſſumtionem lis eſt. Chymici phyſici affirmant: Guibertus cum ſuis negat. Illi producunt innumerabilium ſapientum, & rationes, & teſtimonia facti: Guibertus impudentiſſime omnibus aduerſatur. Chymici metallorum corruptionem vel in idem genus, vel diuerſum (nihil enim in nihilum corrumpitur) vnde exiſtit generatio alterius, ad oculum monſtrant, & ex publicis officinis petunt ſenſatam fidem. Guibertus repudiat omnia, fuciq; ſeu doli & mali iudicii accuſat non alio argumento fretus quam opinione, & incredulitate. Si Chymici prouocant ad examina cuiusque metalli, communia, & propria, nihil apud hominem indulgentem ſuæ pertinaciæ proficiunt. Ecqui iam ἀξιόπιστοι? Dicite Phyſici, Medici, Logici, Opifices metallici, Docimaſtæ, Zygoſtatæ, & quicunque circa mineralia verſamini. Guiberti hoc eſt: *Si Chymici ſine fuco, & mendaciis metallorum tranſmutationem præſtant, admirabimur artem, ſummisq́; laudibus ornabimus, referemus eis gratiam, & in maioribus credemus. At non poſſunt. Ergo.* Nos contra: At & poſſunt præſtare, & præſtiterunt, idque longo vſu & rationibus firmis propriis euidenter probarunt. Cur ergo cunctatur Hiator ille admirari artem? Iam enumerantur ſapientes, & producitur artis deſcriptio ratione & experientia munitiſſima.

Guibertus purus putus ſtultus & inſenſatus in rebus naturæ & artis. aut ſubdolus, & malicioſus nequam. Guiberto nullus artifex ſatis eſt, ſimili Marcolpho, cui nulla arbor placebat ad pendendum.

Guibertus Cap. II. lib. II. incipit totum proſyllogiſmum Chymicorum demoliri, & vſque ad Cap. XIII. ſummorum artificum teſtimonia propria, & aliena repudiat, cauillatur, eludit. Nos contra: *Quicquid Guibertus contra Chymicos de tranſmutatione metallorum produxit, id totum eſt cauillatorium, & temerarium ex Sophiſtica petulantia, rerumq́; imperitia profectum, vt demonſtratum eſt in defenſione Alchymiæ anno 1604. edita, iterumq́; demonſtrarunt Heliophilus à Percis in Elia Artiſta, Bernardus Penotus, & Euualdus de Hoghelande Mittelburgenſis, quorum libellos adiici curauimus.* Adde his Philippum Miillerum, & innumerabiles alios. Si res in iudicium venerit, cui quæſo fides plenior, Guibertone ſtulto & inſano olim Carboniperdæ, an Hermeti, Arnoldo, Morieno, Raimundo, Gebro, & aliis tam priſcis, quam recentibus infinitis, qui non tantum experientiam ſuam, & aliorum propoſuerunt, ſed & artem ipſam more ſuæ Philoſophiæ deſcripſerunt, & argumentis validiſſimis munierunt? Sed & exoterica aſſunt teſtimonia principum, & aliorum probatiſſimorum, adeo vt ex ferro æs factum publicam habeat autoritatem, & cuilibet facile ſit ex regulo antimonii facere plumbum, aut ſtannum: æs & ferrum in chalcantum reſoluere: plumbum in lapidem & vitrum redigere, indeque reducere, & alia circa metalla ad generationem & corruptionem pertinentia facili opera peragere. Credemusne vni apoſtatæ, qui ætatem circa artem fruſtra contriuit, & inter impoſtores annos quadraginta conſumſit, infelici ſydere, & aduerſo numine temere carbones perdendo: tot autem ſapientes ratione, & experientia munitiſſimos reiiciemus? Cap. III. lib. II. Recitantur aſſertiones veriſſimæ de ferro in æs mutato, dicunturq; ſtultitiæ. Inſania mentis hæc eſt cum impudentia intolerabili coniuncta, id ſtultitiam vocare, quod publicam habet autoritatem, & ab infinitis ſapientibus artificibusq; eſt probatum. Communi ſenſui qui repugnat, inter dementes relinquitur, in quorum numero ſe eſſe gaudeat Guibertus. Cap. IV. Multa verba temere conſumit ſuper auripigmento Cai principis, idemque repetit Cap. XIV. Sunt qui dicant excoctum inde eſſe aurum tanquam ex vena: Sunt qui tranſmutatum. Non eſt improbabile vtrumque. Dicat Guibertus: Fuitne in illo auripigmento aurum actu an potentia? Si actu, non opus fuit excoctione. Nam ſeparari vel ſola lotura poteſt, aut etiam argento viuo, præmiſſa aqua deterſoria, ſi cortice obductum eſt, vt fit in Chryſophyſiis. Si potentia, qua arte in actum fuit perductum, vt ex non auro actu, fieret aurum actu, ſeu ex non ente, ens? An non tranſmutatoria generationis? In Deut. c. 8. v. 9. ſcriptum eſt: *Lapides terræ ſanctæ eſſe ferrum, & de montibus æris metalla eſſe.* Cap. 33. Iſachari tribuuntur

Ex ferro æs.

Nota dementiam Guiberti.

Theſauri

Theſauri abſconditi arenarum, & de Aſere dicitur: *Ferrum & æs calceamentum eius*. Non negamus metalla pura puta inueniri, quæ iam actu ſint metalla, nec alia opera indigeant, niſi repurgatione. Sed de ferri & æris lapidibus, arena, & ſimilibus, in quibus non eſt actu ferrum, ꝙ & magnete non poteſt deprehendi, nec æs actu, vel aliud metallũ, quid quæſo ſentiendum? An nõ ars perficit naturam, & ex eo, ꝙ potentia eſt, facit metallum actu, id ꝙ μεταβολὴν appellamus? Conſulantur metallorum hiſtoriæ. Mercurius Hoghelandæi proxima potentia fuit argentum, ꝙ certum eſt ex argento viuo, vt & alia metalla, naſci. Non autẽ eſt talis omnis hydrargyros. De cinabari Rubei & aliorum nihil habet Guibertus demonſtratiui. Quod enim dicit de cemento hauriente metallum imperfectum atque etiam corrumpente ita vt metallum amplius non ſit, ſed quidam veluti cinis eius, non quidem negamus, ſed interim non euerſa eſt ſententia Rubei. Nam per animam argenti, vt loquuntur, potuit diſpoſitum argentum viuum tranſmutari, iuxta principium phyſicum quo agentis naturalis finis dicitur ſimilitudo paſſi. Fixio argenti viui duplex eſt, metallica vna, non metallica altera. Vtraque eſt poſſibilis: illa tranſmutatoria, hæc alteratiua.

Ex hydrargyro argentum.

Cinabaris Rubei.

Plumbum in ſtannum mutare docuit Geber: expertus artem eſt Ioh. Baptiſta Porta, & ſunt admodum cognata metalla, ita vt & ſtannum plumbum dicatur, ſicut & reguli ſtibii, & Biſmuthi, quaſi accidentibus tantum diſcreta. Nihil abſurdi propoſitum eſt à Porta. Eſt in medio artificium, idque facile.

Ex plumbo ſtannum.

Ex plumbo argentum viuum fieri nouerunt & mercatores. Kellæus in Bohemia, & Thuringia ex auro fecit: Heliophilus etiam ex aliis metallis fide irrefragabili cui ne Eraſtus quidem potuit contradicere &c. Quam facilis autem res eſt per aquilam vtramque? Syllog. ex principio Guiberti: *Si vnum aut alterum tantum ex iſtis transmutationum exemplis eſſet verum, cogeret fateri negantes transmutationem metallorum. At plura ſunt veriſſima. Cogitur ergo negans Guibertus contrarium ſibi confiteri.*

Hydrargyrus ex plumbo:

Cap. V. Agit de libris chymicorum priſcis, & nouis, omneſque repudiat, quaſi ad hunc librorum cenſorem, & Ariſtarchum publicitus delatum eſſet iudicium. Sed deeſt iudici Elleborum. Ideo & non tantum ſtolide pronunciat de commentariis chymicis, verum etiam mendaciſſime, iniurioſiſſime, ingratiſſime. Mendacia vocat homo veſanus ſingula librorum verba: quaſi non ex naturæ, artis, experientiæque principiis promerentur. Hinc abnorme eius delirium æſtimetur.

Priſci libri reiecti, quod eſt compendio quidem, ſed fatue diſputare. Quid enim aliud faceret ſtultus?

Cap. VI. De ſingulorum librorum autoribus ſermonem inſtituit, vbi ridiculo argumento tabulam Smaragdinam negat eſſe Hermetis, quia aurum, & argentum vocet nominibus planetarum dicens: *Pater eius eſt Sol, Mater Luna: portauit illud ventus in ventre ſuo.* Quid ſtolidus hoc homine qui non intellecta audet iudicare? Male impendiſti iam 50. annos, Guiberte, ſi nondum ſcis quid ſit Sol, & Luna Hermetis, & ſi auri, argentique vocabulis appellentur, ſint ne vulgaria metalla, an ſapientum. Cap. VII. De libris Thomæ, & Alberti rancidã ſententiam habet, quam probat magorũ carnifice Del Rio homine impuro ex Diaboli, & Antichriſti ſatellitibus, indigno de quo verba fiant. Siue ſint iſtorum autorum libri, ſiue non ſint, non ex autoribus de arte iudicamus, ſed ex principiis, & ſcientia quæ autores facit commendabiles. Nouimus quid tentare auſint circa libros illi, qui indices expurgatorios conficiunt, & edunt. Infames ſeipſos fecerunt impudentiſſimis auſis.

Lotharingi huic ſuo pullo debent aut Elleborum, aut ſcuticas.

Del Rio Rana beſtia.

Cap. VIII. De Reimundo & Arnoldo mendacia, calumnias, & iniurias indignas reſponſione texit. Crollius pag. 55. Lullius fuit diuinus ac conſummatiſſimus philoſophus.

Cap. IX. Rupeſciſſam, Bachonem, Paracelſum criminatur. Si hoc eſſet refutare, compendio Guibertum ad coruos & furcas ablegaremus. Fecit tamen aurum ex argento viuo Paracelſus ſiue à ſe facta medicina, ſiue aliunde accepta. Si Rupeſciſſa ex Lullio ſuos libros tranſſcripſit, quia veram artem habent, veterum præceptis homogeneam, Lullius quoque artis veræ fuit peritus. Cap. X. Vexat Marſilium & alios. Sed rabienti nulla eſt fides. Emendetur rabies ſcuticis.

Cap. XI. Fernelium flagellat. Eius deſcriptio lapidis eadem eſt, paucis mutatis vel deficiéntibus, cum antiqua illa ex libro Anſelmi à Bood, quam dedit publico Nicolaus Barnaudus; quæque comprobata eſt euidente artis teſtimonio, & experientia, vt oſorem Alchemiæ Anſelmum tranſmutauerit in eiuſdem amicum. Quanquam autem virulentus ille canis Guibertus Barnaudum quoque allatret, & eius communicationem velit ſuſpectam reddere, tamen pluris eſt Barnaudi hiſtoria apud peritos artis quam aliquoties mille Guibertorum, calumniatorum impudentiſſimorum, collegia. Ratio eſt: quia ex principiis, & experientia eſt extructa.

Cap. XII. Miſcentur ſyncera exempla impoſtoriis. Aliunde accepta medicina factum aurum negari non poteſt. Illi qui acceperunt, & ſpecimina ediderunt, putantes ſe imitari poſſe id cuius nec rationem, nec modum ſciuerunt, & ſe & alios deceperunt: quod ipſum & in Germania experti ſumus. Sed pœnas dederunt audaciæ. Vt vt ſit, verum aurum medicina alterius artificis aliquando effecerunt. Crollius pag. 89. Noſtro ſeculo impoſtores quidam veriſſimum fermentum philoſophicum ab aliis tamen præparatum, illicitis mediis acquiſitum propter principii ignorationem vlterius multiplicare non potuerunt &c.

Cap. XIII. Nihil ſceleratius, & impudentius eſt hoc capite quo dicuntur mentiti omnes qui aſſeruerunt ex ferro æs factum eſſe. Atqui id ipſum etiam hodie fit, & agnoſcitur à peritiſſimis artificibus. Ad coruos ergo cum calumniatore Guiberto.

Cap. XIV. eiuſdem argumenti eſt cum quarto. Argumentum habet nudam negationem qua nihil non poſſet euerti.

Concluſio.

Omnis homo ſine principio loquens mendax. Guibertus eſt talis homo. Guibertus ergo mendax. Item, Non omni ſpiritui credendum. Guibertus eſt talis ſpiritus, Guiberto ergo non credendum. Hæc eſt ſumma virilis expugnationis Guiberti.

D. O. M. A.

ANDREÆ LIBAVII M. D. P. C. AD NICOLAI GVIBERTI APOLOGIAM

Reſponſio.

CAPVT I.

De qualitate Apologiæ.

Nota quam laudet ſuam patriam Guibertus. Tales ne eſtis Lotharingi?

ANNO Chriſti 1603. Nicolaus Guibertus edito Argentorati libello contra Alchymiam tranſmutatoriam promittebat virilem impugnationem, & expugnationem eiuſdem tantam vt nunquam in poſterum ſe erigere valeret. Reſpondebam eodem anno vt meritus erat tam animoſus verbis impugnator, & expugnator. Reſponſio publicata prodiit ſequente. Tacuit Guibertus totos vndecim annos, aut ſi mauis decem (Annum enim concedamus notitiæ, vt qui ſcribat *ſe in angulo Galliæ habitantem vix quicquam bonorum librorum adipiſci*: verba eius pag. 31. *Conſtitutus in angulo Galliæ, vbi præter infelicißimos ſacculos litigantium & ſordidatos contractus, tabularumq́ cautelas nihil inuenias laudabilium ſtudiorum: Vbi ſumma virtus in cenſu, gloria in alienas opes inuaſio, & occupatio*: Vbi nota quod videatur loqui de commentariis Iureconſultorum, quos valde honorifice ſcilicet appellat.

II. Quod à laudabilibus ſtudiis locus ille ſit alienus: vnde æſtima tum inter quos homines viuat, tum quis ſit ipſe, atque inſuper quali patria glorietur.

Guibertus in vetulam rabidam transmutatus.

III. Quæ ſit SVMMA VIRTVS eius loci, nempe non pietas, honeſtas, iuſtitia, modeſtia, ſcientia, ſapientia, artes & ſi quæ aliæ virtutes dicuntur, ſed *litigia de bonis, alienorum inuaſiones, cenſus*: iuxta illud Horatii: ô ciues ciues quærenda pecunia primum, virtus poſt nummos &c.) Poſt tantum ſpacium, quo creditus eſt cum ſuo libro ad generum Cereris conceſſiſſe, (quod probabile erat de eo qui 40. annos carbones temere perdiderat, & his iam addiderat decem, quem conſentaneum eſt circiter viginti annos natum furnulos impoſtorum irrepſiſſe) prodit non vt VIRILIS athleta, ſed *canis rabioſa*, & *ex viro in veſanam aniculam* ἀρτοπωλίδα transfiguratus, vt *Scopeliani* iſtud ſuo exemplo confirmet, quo eos, qui conuitiis agunt exiſtimantes ſeſe hoc pacto declarare animi magnitudinem, *aniculas* appellauit, non tantum *ebrias*, ſed & *rabidas*. Ego quidem omnes eius rationes, omnia argumenta, omnem ſapientiam diligenter excuſſi, & ſicubi delirarent deliramenta vocaui, & ſtultitias ab homine inſano profectas: retorſi crimina, maledicta, calumnias in homines ſapientiſſimos præter omne eorum meritum furioſe euomitas, vti videre eſt in Alchemiæ defenſione, cuius ſummam quandam huic reſponſioni ideo præmiſi, vt omnibus non in angulo illo Galliæ tantum viuentibus quos ciuis, conterraneus, & ſympatriota tam flagitioſos, & vitioſos deſcribit, vt merito gratias ferreas in frontem ingrati cuculi, proprium ſuum nidum conſpurcantis, inurere debeant, verum etiam vbiuis gentium viuentes literati, boni, honeſti, piique amici, inimici (Nam & horum iudicium peritum non pertimeſcō) videant ſitne Libauius is quem furioſa, Diabolica, & ſcelerata iſta Apologia eſſe dicit, corraſis vndiquaque conuitiis, & mutuo acceptis iam à pharmacopola quodam miſero, iam à monacho toties triumphato, & qui nuper in ſocietatem Iudæorum, & Arianorum ſecedere non eſt reueritus, aſſerendo nomen ſanctiſſimum IEHOVAH etiam creaturis tribui: iam à medicaſtro decepto, iam vndiquaque etiam ab impoſtoribus nequiſſimis. Quilibet enim huic Beliali dignus autor eſt modo aliquod conuitium in Libauiū dicat, iſque melior, qui linguæ virulentia fœcundior, inſanior, rabioſior. Quid ad hæc ego? Ipſe dicit temere eſſe omnia: quia pingueſcam conuitiis. Bonus es diuinator Guiberte. Immeritum conuitium non vrit, & vt benedictio bonorum non inueniens locum redit ad benedicentes, ita maledictio reuertitur in ſuum autorem. Tu contabeſces, & ni conuerſus fueris, in inferno ſepelieris. Non quidem fieri poteſt, quin iuſtus dolor aliquid exprimat grauius: Nam & Saluator ad criminantes

Ex conuitiis immeritis pingueſcit Libauius. ô factum bene iuxta regulas ſapientū: Maledicent illi, Tu Deus benedices &c.

Iudæos

Iudæos dicebat eſſe *ex patre Diabolo*, quem calumniis & homicidiis imitarentur: Verum reprimam me quantum poſſum. *Qui ſuam patriam tam fœde polluit, illene mihi parceret?* Morbus eſt hominis. Si Paracelſiſta eſſem, curarem eum ſimili. Nunc cum hippocraticus ſim, oportet me contrariũ remedium quærere. *Memnon* Dux Darii contra *Alexandrum*, cum mercenarium militem multa conuitia in *Alexandrum* iacientem cognouiſſet, *haſta eum percuſſit* inquiens: *Conduxi te vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas.* Pontifex Romanus iuſtiſſime verberaret Gheſuitam *Gretſerum* eiuſdẽ criminis reũ: Princeps Lotharingiæ & patria tota *Guibertum*. Pugnare debuerunt: at ecce calumniantur, conuitiantur, criminantur. Hocne eſt militis ſtrenui? Quod ſi ego videor importunior fuiſſe, cogitandum eſt *me non perſonam propriam ſuſtinuiſſe, ſed innumerabilium Sapientum turpiſſime à Guiberto laceratorum*, ſiue eiuſdem fuerint religionis, ſiue diuerſæ. Reſpondi ſtulto iuxta ſtultitiam, ne videatur ſibi ſapere. Iuſtus dolor retorſionem expreſſit *Qui dicere pergit quæ vult, quæ non vult audire debet.* Θηριοτροφεῖς ô Lotharingia, vide vt expuas tam virulentam belluam. Non ſatis πηλὸς αἵματι συμπεφυρμένος ἐστι ſicut & Gretſerus. Minitantur iſti egregii athletæ ignes, cruces, ſanguinis totius miſſiones, vt pateat cuius ſpiritus ſint filii. Mihi vero ſatis eſt vt cũ *Auguſto loquar*, ſi hoc habeam à Deo bonorum patrono, & magiſtratu cæteriſque bonis, ne quis mihi furentium canum poſſit malefacere. Hæc in genere de Apologia. Si partiri eam velis præter plauſtra vituperiorum inuenias hiſtoriam hominis qui precioſiſſimum primæ ætatis tempus inter impoſtores contriuit, & per 50. annos didicit chymiam, ſed ad ſcientiam eius nondum peruenit. Videas poſtea confuſum chaos ex Theologicis, iuridicis, medicis, chymicis, poeticis, latinitate, & aliis. *Eraſmus* in apophthegmatis meminit *Medii* cuiuſdam *Alexandri* paraſiti, ſoliti alios adhortari ne metuerent quoduis crimen in quemuis intendere: Vt enim maxime ſanet vulnus is qui eſſet criminatus, tamen manere cicatricem. Addit epiphonema Eraſmus: *Non arbitror eſſe quempiam Diabolum tam impium vt poſſit rẽ magis nefariam ſuggerere.* Lege & reliqua. Illud ſolatio eſt quod dum maxime cupit Libauium vituperare, & ſe laudare, maxime & laudet Libauium, & ſe vituperet. Si laudatus vir eſſet Guibertus bonos non vituperaret. Iam cum vituperet iuſtos, & immeritos, illaudatum pecus ſe eſſe docet. De minis nihil dicam niſi illud: *Fulgur expelui: & Elephas non curat muſcam* Viros illuſtres reprehendit: Sed ſuum furorem, fœtorem, & obſcuritatem prodit, *Graculus Graculo aſſidet*, ſturnus ſturno, vpupa vpupis. *Mali corui malum ouum.* Nunquam didicit bene dicere, & vtilia ſcribere. Mirumne quod maledicat, & peſſime ſcribat? Doleo vicem verſificum quos decepit, vt pulcherrimam artem poëteos tam male collocarent. Si ſapient palinodiam canent, & malent potius *Cloacinæ & Sterculii* laudes decantare quam tam mali corui peiorem fœtum muſica ornare. Sane quicunque eſtis, ſi me laudaſſetis, dicerem quid feci? A vobis enim laudari vituperari eſt. Si vellem par pari referre, quot pueri eſſent ad manum qui vos verſibus atris poſſent egregie oblinere, & nigro ſale perfricare? ô vos miſerum pecus. Periiſſetis. Retorqueo in Guibertum conuitiatorem, & colluſores omnia conuitia, quo iure, qua religione poſſum, & debeo.

Res apologiæ Guibertinæ.

Verſificat. Guiberti. Miſerum genus per verſus criminari quaſi cæteris nulla eſſet vena.

CAPVT II.

Quam belle titulum famoſo libello dederit: Apologia.

Ἀπολογεῖσθαι Græci dicunt quod Latini rationibus prolatis ſe defendere, & crimina obiecta diluere, repellereque. Inde ἀπολογία defenſio per argumenta oppoſita obiectis, & purgatio. Tali vtebatur *Socrates* apud Tyrannos Athenienſium contra accuſatores *Melitum*, & *Anytum*. *S. Petrus* 1. Pet. 3. verſ. 15. iubet Chriſtianos ſemper paratos eſſe πρὸς ἀπολογίαν omni poſcenti eos rationẽ de ſpe quæ in ipſis eſt, cum modeſtia & timore conſcientiam habentes bonam. Hic apologia eſt fidei expoſitio cum ratione cur quis ſic credat. Legat Guiberti ſermonem, cui vacat, *Famoſum libellum* inueniet. Neque enim argumentis diluit obiecta, neque rationem reddit ſententiæ, ſed aduerſarium vituperat vndiquaque omni genere conuitiorum ſine pudore, & conſcientia corraſo. Reprehendit alicubi meam inſcriptionem. *Defenſio & declaratio perſpicua Alchymiæ transmutatoriæ ex Ariſtotelicis Peripat. principiis &c.* Negat in libro eſſe quod titulus promittit. Num ergo ipſe meo, quem putat, errore cautior factus eſt? Minime pro apologia fronti eius inuri iuſte poterat INVECTIVA in Libauium, & omnes chymicos & metallurgos metallorum tranſmutationem profitentes. Quæ affuit conuitia non curo. Neque enim in me ſunt.

Apologia quid ſignif.

Quidam inſignis ICTVS cum legeret, phy, inquit, mera conuitia.

CAPVT III.

Quæ ex dedicatione, & Epiſtolis.

Notetur quod dicit Guibertus ſe ſcripſiſſe *tractatum aduerſus Alchymiam*. Monueram debere diſtingui. Alia enim eſt Alchymia ſapientum, alia quam vulgus ſic appellat honeſto nomine, quã ſibi impoſtores ſumſerant, in infame tranſmutato. Inde & Pantheus Alchymiã euertere conatur, deceptoriã illã intelligens in qua Guibertus 40. an. conſumſit vpupa cũ vpupis. Quæ Hermetis eſt & aliorũ philoſophorũ, vera eſt, & ſine mendacio. Auicenna etiã plura iſta voce cõplexus eſt vt & Meſues

Alchymia vox diſtinguenda.

Meſues, & Bulcaſis, quos ſecuti ſunt recentiores. Guibertus vno nomine infamiaque inuoluit & Hermeticam artem, & impoſtoriam, Sophiſticamque, quæ audacia non eſt ferenda. Nos quoque aſſerimus impoſtoriam Alchymiam, qua occupatus fuit Guibertus, eſſe indignam bonis viris: At Hermeticam tranſmutatoriam fundatam eſſe principiis naturæ, & artis experientiaque, & autoritate philoſophorum. Huius fautores ſumus, non iſtius deceptoriæ. Scripſeram contra expugnationem Guiberti libellum defenſorium. Huic calumniatur, mentiturque ineſſe innumeras rationes ſophiſticas, friuola paradoxa, deliramenta, errata, monſtra opinionum &c. Mirum autem. Demonſtra *Guiberta anicula*, verbis fruſtra pugnamus, vbi ſunt tuæ ſapientiæ principia, axiomata, veritates? perdidiſti ea inter carbones impoſtorum. Quomodo potes iudicare quid ſyncerum, aut fucatum, quid ſapiens, vel inſipiens, cum quadraginta annos carbones, & furnulos nebulonum ſis ſecutus? Non poteras eo tempore ſapientum libros legere. Nunc ſenex factus eum lapis odorem quem iuuenis cepiſti, fœtidum ſcilicet, & corruptiſſimum ſulphur referentem. Iudicem veri & falſi oportet ab ineunte ætate aſſueuiſſe ſapientis iudicii regulis, non putidas ollas delirantium linxiſſe. Ideo meas rationes, & argumenta deliramenta vocas, quia nihil vnquam ſapiens didiciſti. Refutare non potes, nec aggredi audes propter inſcitiam. Criminaris, ô te aniculam inſanam. Notetur & hoc: Scribit *ſe legenda dediſſe pluribus doctis hominibus, quæ in Libauianas nugas ſcripſerit.* Ridiculum. Reuoca tibi in memoriam, Lector, qua laude ornauerit ſuam Lotharingiam. Si talis eſt, qualem deſcripſit, qui poſſunt in ea docti pauci eſſe, nedum plures? Riſi ſuauiter cum legi meam defenſionem iſtis diſplicere qui Chriſto, & veritati. Gratulatus ſum meis muſis quod etiam Romæ legantur, & quidem à præcipuis, non à grege & manipulo furum. Fors ſtant in Capitolio, & cum iuſtiſſimus iudex adueniet pro me teſtabuntur. Valete ô viri, & fruimini veſtra ſapientia. *Carolus Mamburgus* in epiſtola ſua fallitur. Duo in crucem acti ſunt Studgardiæ, non propter chryſopoeiam veram, ſed mendaciſſimam veræ profeſſionem, & impoſturas, furtaque patibulo digna. Principem alias & ſtudioſum fuiſſe veræ Alchymiæ, & oculis ſuis vidiſſe tranſmutationes aliquas, non eſt obſcurum. Ideo nec ſine præmio principe digno Lazari Zetzneri volumina ſibi aſſcripta clementiſſime recepiſſe memoratur. Ego tibi mi Mamburge, puto rectius votum tuum conuenire quam mihi. Ex animo opto tibi vt mendaciſſima Guiberti obiecta damnes, apologiam eius ſceleratam, & plane Diabolicam (quod tibi tua dictabit conſcientia ſi iuris Doctor es) execretis, & meliorem religionem, quæ ex ſolis Chriſti libris diſcitur, amplectaris. Alias à iudice Chriſto audies illud horribile: *Nunquam noui te. I in ignem æternum maledicte.*

Alchymia Guiberti impoſtoria.

Quid furioſus de non furente aliud?

Muſa Libauii etiã ſunt Romæ.

Mamburgi deceptio in Honauero, & Mullenfelſio.

Cachetus.

Te quoque *Cachete*, admoneo candoris, philoſophum appellas contumelioſum, ſeditioſum, inſolentem. Quid tibi cum mea philoſophia? *Ne ſutor vltra crepidam.* Male agitur cum tua Lotharingia, ſi ego homuncio priuatus poſſum ſeditiones in ea in qua ne ſemihominem quidem noui, excitare. Quomodo calumniæ crimen effugere potes cum ſcribis me vocaſſe *Lotharos pacis publicæ, & otii literarii perturbatores?* Lotharingicis armis id tunc tribuebat res ipſa, & fama publica. Mene loqui nefas id quod arma Lotharingica tunc agebant? De literis Guiberti nihil falſum ſcripſi, melius tamen tu de Lotharingia ſentis quam tuus Guibertus in ſua Diabolica apologia, in qua vide quæſo quem locum inuenerit admonitio tua his verbis propoſita: AGES CVM ILLO MODESTIVS, MAGIS PHILOSOPHICE, MAGIS RELIGIOSE, MAGIS CHRISTIANE. Conſilium bonum etiamſi malo ſis in me immerentem, & qui te nullo vnquam verbo læſi, nec ſciui eſſes ne inter literatos vel a vel b vel c, animo dediſti: Sed ille male obtemperauit. Si omnes habenas immodeſtiſſimæ conuitiandi libidini laxare eſt eſſe MODESTIOREM: Si philoſophicum eſt nullis vti argumentis ex philoſophia, omniumque myſticæ ſcientiæ philoſophorum libros & autoritates peſſundare, & conculcare: ſi religioſum non criminantem recriminari, ſed vitia & errores ſuis nominibus appellantem tot criminibus & maledictis onerare quot ne Aſinus quidem (vt loquitur) portauerit: Si Chriſtianum eſt nulla patientia Chriſti vti, ſed impatientiſſime omnium furiarum arma ad conuitiandum comportare, tuus, Cachete, Guibertus tuum conſilium eſt ſecutus. Cur autem tu, ô bone medice, non curabas prius animum tuum, quam iſtud conſilium dares? Eſtne iuſtum abuti verſibus latinis in ignotum tibi hominem, cui lis eſt cum medico in quæſtione phyſica? Tu iuriſta es, & tam male memor es artis æqui & boni? Si in te aliquid ſcripſiſſem, ignoſcerem iuſto dolori. Nunc neſciui te in rerum natura eſſe. Eſtne modeſtiæ aliena curare? Eſtne philoſophicum ignotos mordere in cauſa non ſua? Eſtne religioſum, & Chriſtianum inuectiuam ſcribere in innocentem pro nocente?

CAPVT V.

An ſemper reſpondendum aduerſariis.

OBiiciunt mihi homines veſani, Gramanus, Scheunemanus, Guibertus &c. ſilentium ad ea quæ mihi oppoſuerunt nonnulli in quæſtionibus partim philoſophicis, partim Theologicis, idque interpretantur peſſime, quaſi coactus fuerim cedere, & cauſam deſerere. Sed ſcire debent ſilentium non eſſe vniuſmodi. Aliud prudentiæ eſt, aliud tolerantiæ. Eſt qui imperio legum tacere cogitur, eſt qui cum poſſet loqui, metu compulſus ſilet, & ſi quæ aliæ ſunt differentiæ, meum ſilentium prudentiæ, & tolerantiæ eſt, non impotentiæ, aut fugæ, vel timiditatis, deſertioniſque cauſæ iuſtæ, vel etiam coactionis legum. Qui theologi ſunt, aut etiam ſaltem Chriſtiani, norunt Deo ſæpe committendam cauſam eſſe, & in altercationibus rem deferendam Eccleſiæ, eiusque

iudicio,

iudicio, quod ſecundum legem Dei, & mandata ſeu principia fidei pronunciauerit, acquieſcendum. Quod ſi aduerſarius vel nihil ad rem reſponderit, vel conuitiis in perſonam iactis, vti ſolent facere argumentis deſtituti, victique à veritate, ne nihil rependiſſe videantur, more ſtultiſſimarum anicularum, aut imbecillium canum, mordere ſaltem voluerit, vel rixoſorum ſophiſtarum conſuetudine ſemper eandem cantilenam cecinerit, crambenque ſæpius coctam repoſuerit, delirus videatur talibus qui reſpondere tentet, cum certum ſit flagris, & non argumentis iſtiusmodi homines coërcendos eſſe. Habemus exemplum Saluatoris qui ad conuitia perſonalia, & iniuſtas accuſationes, manifeſtaſque calumnias tacebat, non impotentiæ, aut confeſſi criminis nomine, ſed vt Petrus ſcribit 1. Pet. 2. 23. tradebat iuſte iudicanti. Tito mandat Paulus vt hæreticum hominem poſt vnam atq; alteram correptionem vitet, quod certum ſit ſubuerſum eſſe talem, & quaſi proprio iudicio condemnatum. Philoſophorum ſententiam & facta contemplari ſi volumus, inueniemus quod duorum litigantium alter qui tacet prudentior habeatur, indignumque ſit artopolidum exemplo verba verbis ſemper permutare, & conuitiis certare. Si reſponſum eſt ſtulto ſecundum ſtultitiam ne videatur ſibi ſapere, non addenda eſt reſponſio altera. Furenti bacchæ, ſi reſtiteris, quid aliud quam inſaniæ augmentum obtinueris? Socrates ferientem referire nolebat. Neque enim aſinos percutientes ſolemus impetere calcibus viciſſim, aut canes mordentes remordere. In Theologicis credidi, & ideo ſum locutus. Si propter hoc iudicor, humanà iudicia contemno. 1. Cor. 4. verſ. 3. 4. 5. Deus eſt qui me iudicat. In philoſophicis argumenta hactenus deſeruerunt aduerſarios meos. Maledicta redeant ad ipſos. *Pſ. 115. 2 Cor. 4. 13. Rom. 10. 9.*

Caput VI.

Quid impulerit Guibertum ad ſcriptionem.

DAtam ſibi occaſionem ait Maledicenti maledicere. Errat malæ mentis opinione. Quis quæſo medico Lotharingo ante Decennium & amplius occaſionem dedit non tantum impugnandi artem chymicam, in parte Magiſterii de tranſmutationibus, verum etiam perítiſſimos, fideque digniſſimos artifices traducendi, & mendacii accuſandi? Quis fuit tunc prouocator alius niſi mala mens, malus animus, inſcitia, temeritas, & ſtolida arrogantia? Tibine liceat bonas ſcientias, arteſque impugnare, nobis non defendere? An autem noſtra propulſatio eſt maledicentia? Non maledictum tibi eſt, Guiberte, ſed ſtulto iuxta ſtultitiam reſponſum. Quis autem te poſt decennii ſilentium ad furendum induxerit, ipſe videris. Vocas argumentum quod tractas Tricas Profanas, quibus ſacra nolis immiſcere. Tu ergo propter tricas commotus es vt in hominem probatæ notæ omne genus conuitiorum adeo cumulatim ingereres vt aſini pondus exceſſeris? vbi argumenta rerum? ſed fruſtra litigo cum rabioſa vetula.

Caput VII.

De controuerſia Pariſienſi.

MAgni & erecti, ſibique fidentis animi eſt pro veritate ſtare pugnareque viriliter. Virtutem hanc ſua laus ſequi apud recte iudicantes debebat. At apud Guibertum probro, vitioque datur ſine reſpectu perſonarum pro artibus bonis arma capere. Nota lis eſt inter Riolanum pro facultate medica apud Pariſienſes, & Quercetanum pro hermetica Chymiatria. *Riolanus* peccabat defectu. *Quercetanus* in contrariam partem inclinabat, videbaturque nimium Paracelſiſſare. Hippocratica & Galenica licet nō omnino repudiaret, tamē poſtponebat. Collegium medicum iuſſit *Riolano* obuiam ire conatui. Is omiſſa cauſa *Quercetani* contra Alchymiam arma expediuit, non quod de Chryſopoeia eſſet controuerſia, hanc enim nolebat defendere Quercetanus: Sed quod de *principiis, extractis, eſſentiis quintis*, & homogeneis, quæ vno impetu omnia *Riolanus* de gradu dignitatis ſuæ deturbare annitebatur. Videbatur excedere mandatum Collegii, & non tam pro medicina publico nomine pugnare, quam contra chymiam odio priuato, aut ſaltem ea opinione, quaſi errores Paracelſici non poſſint redargui niſi tota chymia conuulſa, & euerſa funditus. Notabam hominis morbum, & licet nomine Collegii ederentur ſcripta, tamē *Riolani* importunitatem magis eluceſcere deprehendebam. Cum itaque denuo publicanda eſſet Alchymia integra, argumenta contra eam producta ad examen reuocabam ſtudio meo, & profeſſione. Quid fit? *Riolanus* controuerſiam mecum init: Sed vt maiore fiducia, & autoritate pugnare poſſet, Collegii *damnatoriam* appendit. Mirum videbatur *damnatoriam* procudi nondum plene cognita lite. Reluctandum erat, & reſpondendum obiectis. Si Collegium cohibuiſſet ſuam damnatoriam intempeſtiuam, nihil fuiſſet paſſum. Excuſabam etiam id, & audaciā, temeritatemq; in Riolani ſæuitiam coniiciebā. Moritur *Riolanus* pendente cauſa. Collegium medicum nihil amplius tentat in Alchymiā pharmaceuticam: imo facto oſtendit ſe nō alienum eſſe ab illa. Apparuit ſcilicet *Riolanum* maiore animo, quam viribus bellum geſſiſſe, & Alchymiam ſine diſerta diſtinctione damnandam curaſſe: Nos poſtea in gratiā rediimus obliterata cauſa diſſenſionis, extinctaq; lite, aut potius prudenter ſopita, non ꝙ vel ego, vel Pariſienſes multū tribueremus Paracelſiſtæ, ſed quod vtriq; genuinā Alchymiā in adiumentū medicinæ admitteremus. *Guibertus* odia, diſſenſiones, & cōtrouerſiarū vlcera ſiue ſacra *Ex particulari controuerſia generalis.* *Damnatio ante diſcuſſam cauſam.*

ſiue

ſiue profana non poteſt ferre conſolidata eſſe. Itaque vndiquaque corradit quicquid inimicus homo poteſt ex *Gretſero Riolano*, & aliis, vt omnium animos, totamque camarinam moueat, & ſanguinaria iſta conſilia, quæ mihi ſcelerate, & mendaciter imputat, ſua eſſe doceat. καλὸν εὖ κείμενον μὴ κινεῖν. Nihil mihi amplius negotii erit cum *Gretſero*: nulla controuerſia cum collegio medico Pariſienſi, quod ſatis apparuit, cum & ipſum candide, & ego animoſe contra *Palmarium* pugnauimus: *Palmarium* inquam, qui *Guiberti* & *Mechelii* maledicendo, conuitiando, criminando, mentiendo, iniurias famoſe ſpargendo, arrogantia ſtulta, & ſtupida tam erat ſimilis, quam ouum ouo. Interim ſi ego videor immodeſtus fuiſſe defendendo veritatem ἀπροσωπολήπτως contra quoſuis, quid de te, *Guiberte*, iudicandum, qui tot ſummos viros priſcos, nouos, chymicos, metallicos tam rabioſe inuaſiſti? Rectum iudicium iudicate tum vos Lotharingi, tum cæteræ nationes.

Belli Socii in conuitiando Mechelius, Gretzerus, Guibertus, Cramanus, Ambaldus, Scheunemanus, Palmarius, Hartmanus &c. omnes Diaboliſerui, qui rationibus cum neſciant certare, maledictis agũt.

Capvt IIX.

De reſponſione Guiberti ad res ipſas.

PAG. 6. Apologiæ ſceleratæ & Diabolicæ ita ſcribit: *Minus ſolicitus eſſe debeo, & valde mihi laborandum non eſt vt oſtendam quæcunque de meo libro, quem flagellat mihi impingit, eſſe mera ſophiſmata, & deliramenta. Iudicium enim tanti collegii, tanti viri quanti eſt Riolanus, tanti athletæ quanti eſt Gretſerus & aliorum quorum ſenſus cum meis plane congruunt, & quorum autoritate ſum confirmatus, opponi poterit malignis, ac ſiniſtris nugigeruli ſuſurris, & putidis fabellis.* Hæc ille perquam viriliter & maſcule. Libauio non conuenit cum *Gretſero* in quæſtione fidei: non cum *Riolano*, & ab hoc deceptis in cauſa Alchymiæ pharmaceuticæ: Libauius iſtorum iudicio non placet: Ergo Guibertus non debet laborare in reſponſione ad obiecta in cauſa ſua de Alchymia transmutatoria. Quid ſi Libauius eodem modo: *Non debeo oſtendere Guibertum in cauſa Alchymiæ metaſchematiſticæ delirare, & rudem, imperitumque furioſum, & malignum virorum ſummorum infamatorem eſſe: quia ab eo in cauſſa religionis diſſentiunt omnes reformati, & contradicent eius veſaniæ, qua patriam, & nidum ſuum conſpurcat, omnes Lotharingi honeſti: prætereaque nullum ex metallorum peritis habebit conſentientem.* Num ideo immunis ſum à veritatis defendendæ officio? At tu cauſam hanc non audes amplius tangere. Stant itaque mea contra te argumenta inconcuſſa. Vicit veritas chymica. Triumpharet, niſi *homo nihili* eſſet *Guibertus*, qui non fortibus armis reſiſtit, ſed vetularum more maledictis. *Viro bono*, inquit, *ac philoſopho nihil aliud tam eſt indignum quam calumniando ſimul, ac differendo conuitiis, non ratione diſputare.* Facete, & αὐτοκατακρίτως. Cur ergo tu, *Guiberte*, me tam horribiliter per aliquot octerniones laceras, & ne vnicam quidem rationem rationibus meis opponis? An conſcientia te tua conuincit, quod *nec bonus* ſis, *nec philoſophus*? Dicis ſæpe me calumniatum, conuitiatum &c. eſſe. Quando vero id demonſtras? Putas ne tuum Dicere eſſe tanti? Quæ conuitia in te iacta ais, oſtende temere, & ſine cauſa iacta eſſe, atque ita non culpæ tuæ nomina, ſed veras criminationes ex propoſito fuiſſe. Quod ſi ego omnia argumentis docuero, iuſtitiæ, & veritatis eſſe pronunciata apparebit, tantum abeſt, vt ſint maledicta. Quæ verboſiſſime, & loquaciſſime cùm anilibus tautologiis per aliquot paginas nugatur, ad ſcholarum ferulas relegentur. Deo gratia quod etiam infenſiſſimo hoſti Guiberto *Libauius* appareat *à Deo inſtructus multis ingenii & doctrinæ donis eſſe*, vt pag. 9. ſcribitur. Si agnoſcis, Guiberte, ingenii & doctrinæ dona multa mihi à Deo eſſe, quare me tam horribiliter abſque vllo argumento & iuſta cauſa, criminaris? Vocas tenebrionem, impoſtorem, & quid non? Tribuis mihi deliramenta, & alia innumera. Quomodo hæc ſtare poſſunt cum multis Dei donis? An non Deum ipſum per meum latus vituperas? Repetiui ſummã diſputationis noſtræ. Iudicent Phyſici, Logici, Medici, Chymici. Si veritati volent aſtipulari, egone an tu delires patebit. Pag. 10. poſtquam Priſcianum ſæpius verberaſti, mihi *ferrum* deſtinas, & *ignem*. Vſurpo de te illud Saluatoris Ioh. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo.* Profer rationes firmas, certas, probabiles, & graues ſapientum autoritates. Non habebis me tibi aduerſantem. Hic vero tuus morbus eſt. Argumentum, & rationem firmam eſſe arbitraris, quicquid tibi videtur tale eſſe. Erras, ſi id credis. Cogita quid ſcripſeris de rationibus contra experimenta. Ecce ego affero experimenta transmutationum. Quin ſiles de tuis rationibus? Vtor contra te, tuosque ſocios illo Pſalmi 108. Perſecutus eſt hominem afflictum &c. Induit maledictionem, & veniet ei &c. Adiuua me domine Deus meus: Et ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti ea. Maledicent illi, at tu benedices: Qui inſurgunt in me confundantur: Seruus autem tuus lætabitur: Inducantur aduerſantes mihi pudore, & operiantur confuſione ſua.

Diabolus Diabolum confirmat.

Bellum argumentum Guiberti.

Arg contrarium.

Victoria.

Diſce latine loqui.

Libauius à Deo habet multa dona.

Ferrum & Ignis.

Capvt IX.

Narratio Guiberti de ſuis erroribus & facinore antichymico.

Guibertus iunior inſcius philoſophiæ 40. annos inter carbones adoleuit.

EA incipit pag. 11. I. Fatetur ſuam *infirmitatem* in rebus philoſophicis cum eſſet iunior. Quando ergo ſapuit cum 40. annos inter carbones perdiderit? Mi Guiberte vmbram tunc habebas ſapientiæ. Tranſmutatoriam enim veram eſſe recte iudicabas: Sed quod & aliis accidit, non

non poteras diſcernere inter veram & impoſtoriam, quod tamen ex Gebro & Pantheo didiciſſes, & Bernhardo, aliiſque multis.

2 *Ariſtotelem, Galenum*, & vniuerſum prope ſapientiorum ordinem *præ Paracelſo nihil*, aut *parum* ſapere arbitratus eſt. Euge Guiberte. Numera annos ætatis. Antequam inciperes Paracelſicus eſſe, quot annos habebas? Eis adde 40. quos conſumſiſti inter fornaculas Paracelſicorum nebulonum. Quando didiciſti ergo *Ariſtotelem, Hippocratem, Galenum*? Deſperatio te ad horum libellos adegit, indeque ne recte quidem lectis repente factus es philoſophus, & medicus. Non mirum eſt te opinione rationum errare, cum tam ſero ad opera iſtorum luminum acceſſeris. *Gubertus fuit Paracelſiſta.* *Repente Phyſicus & medicus.*

3 Tandem intellexi, inquit pag. 12. eos *qui chymica deliramenta ſequuntur in maxima bonarum rerum ignorantia verſari.* Equidem ſi ſequuntur deliramenta, quæ non tantum tu vocas, ſed & reuera ſunt. Studia vero chymiſtarum diſtinguenda eſſe non ignorares ſi recte impendiſſes annos diſciplinæ, & non vt aſinus ad lyram ſero acceſſiſſes ad muſas. Si talis es, quæ te intemperiæ ad iudicandum compulerunt? Cur non delituiſti miſer Lothare? pag. 13. vbi bonis artibus opponis Alchymiam, diſtincte debes pronunciare. Nam & *Alchymia eſt vna præclararum artium à Deo hominibus conceſſarum*: De vniuoca loquor. Subrepſit autem ex tincturis Sophiſticis impoſtoria quædam, quæ ad ſe nomen Alchymiæ traxit plebis opinione, quæ non poteſt diſcernere inter ſyncerum, & fucatum ob imperitiam. De hac dicere debes quod ſit falſa, & adulterina. Hanc tu per 40. annos es ſecutus. Itaque pag. 14. temere nugaris, & vera falſis miſces. Bene dicis artem veterem, quæ eſt Alchymia vniuoce, conſiderata ea parte qua eſt metallorum tranſmutatoria, ſeu *ars faciendi Elixyr cuius proiectu imperfecta metalla perficiantur vt aurum, vel argentum fiant pro natura Elixyris*, tum hoc promittere, tum medicinam grauiſſimorum morborum, & ſanitatis conſeruationem vſque ad terminum diuinitus præfixum. Dum autem hanc artem confundis cum impoſtoria altera, quæ apparet vera eſſe, non autem eſt, eademque promittit, ſed præſtare nequit, peccas. Ita pag. 16. mendacia & fumos Paracelſiſtarum non diſcernis à vera artis veræ promiſſione, quanquam non negem etiam alios artifices hyperbolice ſcientiam iſtam commendaſſe, & ideo in meis ſcriptis hyperbolas iſtas contraxi. *Confuſio diuerſarum Alchemiarũ.* *Immodice prædicata Alchymia.*

4. Pag. 16. & 17. in Alchymiam pharmaceuticã veram incidiſti *Sebaſtiano Manzono* artifice. Hæc non eſt tranſmutatoria metallorum niſi ſecundum quid, qua ſcilicet ex metallis conficit medicinas. Sapuiſſes, ſi in huius ſtudio conſenuiſſes. Debuiſti admonitiones Gebri, & aliorum conſiderare, indeque intelligere te ad tranſmutatoriam veram non eſſe diſpoſitum. An vero nulla ſit tranſmutatio ſpecierum metallicarum etiam cum medicamina Mazonus tuus facit?

5. Pag. 18. Libros es aggreſſus: ſed nondum fundatus philoſophica ſcientia, nec initiatus myſteriis. Ideo ex libris non potuiſti proficere, id quod non deſinunt monere periti, quanquam Bernhardus lectione eorum profecerit: ſed non niſi poſt multam experientiam.

6. Inde veniſti ad *aurifices*, non ſcientia, ſed opinione, qui cum aliunde accepto puluere aliqua ſpecimina procurarent, conſumto eo, coacti ſunt impoſturas, quibus perierunt aggredi. Fortaſſis & ipſi adhuc laborioſiores, & circumſpectiores, in que opere memorioſiores confecerint lapidem, ſed poſtea facti obliuioſi, ignaui, & delicati non potuerunt amplius in eo laborare? Cognitum eſt aut à magiſtris veris donatos eſſe tales aliqua parte pulueris, aut mala fide eum paraſſe. Aliquid videre potuerunt apud magiſtros, qui ferè latibula ꝓpter vulgi intemperiem quærunt: Sed nõ totum. Itaque fallaces vias ſiccas, humidaſq; excogitarunt. Ab his es ſeductus: Sed & opinione tua deceptus. Non eſt in aulis ars iſta. Quos principes aluerunt, impoſtores pene dixerim omnes fuerunt. *Michael Sedinvogius* cuidam principi voluit artem communicare, & ſub eius præſidio laborare: ſed in periculum vitæ illapſus propter puluerem cui nebulo quidam inſidiabatur, nuſpiam comparuit. In Polonia alicubi eſſe creditur. *Conthonius* mille mortes ferre potius voluit quã principi vlli artem manifeſtare, eodemque animo ſunt omnes veri chymici. Ideo mirantur famam fraternitatis de Roſea cruce, quod tam liberaliter ſuam artem & Theſauros proſtituat. *Aurifices ex alieno opere.*

7. Pag. 21. ais te *deſcribi curaſſe manuſcripta plura, quæ ignibus aliquando ſint tradenda.* Ego te adhortor ne facias ſine exquiſito iudicio. Video enim te non intelligere artificum ſermonem, & non poſſe eſſentialia à ſuperuacaneis diſcernere. Mitte in publicum per typographiam. Si quid inerit boni, id inſeruiet communi ſocietati. Si nihil, non opus erit ignibus. Per ſe cadent. Memineris tale conſilium Gamalielis olim fuiſſe.

8. Pag. 22. ſcribis te *confugiſſe ad antidotum ex veris philoſophicis rationibus, & experientia depromtam.* Hoc quidem debuit anteceſſiſſe, deinde quia artis conditores non ſunt rationum expertes (promiſſores inanes non moror) hæ quoque erant ponderandæ: ſed ſi in veras incidiſti, qui potuiſti contra metaſchematiſticam metallorum tam καθόλȣ, & indiſtincte ſcribere? Rationes iſtas tuas habet tuus liber primus. At quas ego ad oculum oſtendi nihil poſſe contra tranſmutatoriam veram. Tu vero ipſe quoque eas ſuperuacaneas putas ſi modo experimento conſtet æs ex ferro ſine fuco fieri. Fit equidem. Rationes ergo tuas abiice, quia ſomnia tua ſunt, & logiſmata futilia, non rationes: aut diligentius perpenſas adhibe melius.

9. Pag. 23. Reperiſſe indicas *Alchymiam à primis autoribus Idololatris excogitatam paulatim coli ceptam, poſtea ad quæſtum, & inanem gloriam mille commentis ab impoſtoribus contextam, & ad hæc vſq; tempora noſtra deriuatam.* Nimium indulges opinioni tuæ, Guiberte. Inuentã eſſe ab idololatris, vi arguendi caret, niſi & ipſum inuentum ſit idololatricum. Abiice ita Ariſtotelem, Hipp. Gal. & omnium gentilium ſcripta. Ab iſtis venit in poſſeſſionem Chriſtianorum, vt Morienis, Lullii, Rupeſciſſæ, Arnoldi &c. qui eandem & præceptis rationibusq; exornarunt, & experientia facti cõprobarunt. Tu quidem iſtos autores explodis, quia à Deo impetrare non potuiſti vt ſimili ſcientia donareris:

Sed non ideo damnati ſunt. Monachi plurimi, pauci medici, & philoſophi artem iſtam & exercuerunt, & deſcripſerunt. Monachi vero qui? An nō Pontificii, & tuæ fortaſſe religionis Chriſtiani? Hos tu omnes delirii, & aliorum criminum accuſas. Ordo Monachorum debet mihi gratias q; ſua ſtudia à tuis rabioſis dentibus vindicarim. Non eſt nouum apoſtatas fieri ſui ordinis perſecutores, & eos qui imbecillitate mentis, defectuque gratiæ Dei non poſſunt ad ſcientiam peruenire, conuerſos in hoſtes eandē damnare. *Ars non habet inimicum niſi ignorantem*, qui eius particeps nequit euadere. Præterea ſi nihil niſi inania verba deſcriptiones habuiſſent, tune putas potuiſſe ad tot ſecula durare? 10. *Chymiæ ſcriptores* (inquis) *ea protulerunt quorum nullam certam cauſam & rationem tenerent* De impoſtoribus non diſſentio. De ſcriptoribus diſtincte iudicandum. Qui autem præceptis, è rationibus, experientiaque confirmatis complexi ſunt, eos carere certis rationibus noli dicere. Patuit hoc diligentia (abſit verbo inuidia) mea. Si quis legat Morienis tractatum, Item Bernhardi, Alani, Arnoldi, Riplæi, Sedinuogii, & alios tales, pondera argumentorum inueniet, niſi præoccupatus ſit alienis perſuaſionibus. Puto me tibi in repetitione controuerſiæ oculos aperuiſſe, ſi nondū vides ex libris apocalypſeos hermeticæ. Peruerſe iudicas, ſi iſtos ſapientes pronuncias Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum libros *ad literam, & ſuperficie tenus intellexiſſe*, indeq; detorſiſſe à vero philoſophorum ſenſu &c. De litera quidem quorſum? An non ex ſcripto eruendus eſt philoſophorum ſenſus? Tune ſomnias aliquid myſtici ſubeſſe, quod non indicet litera? Ego non poſſum cum tuis ſenſibus aliter diſputare, niſi per verba quæ ſunt rerum notæ, & conceptum mentis indices. De detorſione falſum dicis. Quorſum oportet detorquere id, cuius principia à ſenſibus ſunt orta, & rurſus ad ſenſum reuocantur? Quæ iſta detorſio eſt: Elementa generantur & corrumpuntur circulariter, & facilius ſymbolū habentia. Elementorum naturā ſequuntur imperfecte miſta, & ex miſtis propinqua. Species tranſmutari inuicem elementa oſtendunt, & elementis affinia. In nutritione ex aqua, & herba campi fit in vaccarum ventriculis chylus: ex hoc ſanguis, ex ſanguine caro, os, cutis, & porro etiam adeps, & lac, ex quo butyrum, caſeus, ſerum. Hæc omnia ſenſibus ſunt obuia, & negari non poteſt ſpecie differre. Sic omnia metalla ex mercurio fiunt & in mercurium reducuntur: In omnibus eſt ſal quidam & ſulphur, figuratiua, & determinatiua principia. In quod vltima reſolutione quid redit, ex eo erat factum primitus. Mercurium à puris metallis aſſumi, eſt experientiæ liquidæ. Eundem à ſpiritibus, ſeu anima ſulphurea eorum pati, & in eandem naturam mutari verum eſt. Natura gaudet natura familiari, & in ea acquieſcit &c. Talia ſunt & cætera. Sed vnde tu quæſo didiciſti arcanos philoſophorum ſenſus qui vſque ad inclinantem ætatem caminos Paracelſicos Alchymiſta Paracelſicus, qui extreme ſolet omnes veteres & nouos contemnere, es ſecutus? Tu monarchæ Paracelſi fuiſti mancipium per annos 40. Quis tibi tunc erat Ariſtoteles? Num vna vertigine factus es peripateticus?

ô intelligentem Ariſtotelis Lotharum.

Ridicula detorſio Guiberti.

11. Pag. 23. 24. *De obſcuritate.* Eam tu interpretaris perperam, quaſi ita ſuas fallacias voluerint tegere artifices, & verum nucleum ſententiarum philoſophicarum Ariſtotelis, & ſimilium occultare: imo ludere homines Sathanæ more: &c. Primum dico paucos ex chymicis veris curaſſe quid hic, vel ille philoſophus Græcus ſentiret. Naturæ opera ſpectarunt plerique, vt & axioma eorum habet: *Qui vult philoſophorum lapidem conficere, illum oportet principia naturæ reſpicere.* Naturā obiter & perfunctorie in ſuis phyſicis Ariſtotelem contemplatum eſſe, melius in libris de animalium generatione, & partibus, non opus habemus te Doctore faſcinato viris ſtultitiis, ſcimus ipſi, à quorum manibus & oculis raro decedunt Ariſtotelici libri. Quod ergo tribuis Philoſophis chymicis à te eſt confictum, veruntamen vtar & hic diſtinctione. Tu Paracelſiſta fuiſti, quod hominum genus ante dixi explodere veteres, & nouos. Paracelſiſtæ ſunt duplices: Quidam literaliter intelligunt chymicorum ſcripta, ſi quæ curant, & non damnant: quidam myſtice, vt *Sucbthen, Dornæus* & ſimiles. Putant enim non intelligi metalla maioris mundi, ſed minoris, vt morbos, & ſanitates: alii idem dicunt de Pharmaceuticis magiſteriis, extractis, eſſentiis &c. Literales pauci ſequuntur. Vix enim eſt qui non audacia Paracelſi reprehendat *Lullium, Thoman, Rupeſciſſam* & cœteros. Plærique inhærent myſteriis *Paracelſi*, quorū ſibi fingunt interpretationes ſingulares, & claues quaſdā. Hi ſunt tui impoſtores, ex quorū numero, & quorū diſcipulus fuiſti. De his recte dicis, q; cum veterū omniū & literā & ſenſum non intelligant, vt tamen aliquid ſcire videantur, vtantur phraſib. obſcuris & perplexis neq; tamen ſit vllus qui cum altero in materia, & modo elaborandi cōſentiat. Ideo & omnes ſunt execrandi impoſtores, quorū finis fere crux & furca. Paracelſicis oppono ſynceros Alchymiæ vniuocæ & eſſentialis veræ ſtudioſos, qui non negligunt principia eruditæ, & ſapientis vetuſtatis quidem, veruntamen ea cum experientia conferunt, & vbi ſecus apparet pro liberali philoſophādi more, diſſentiunt, & corrigunt. Hi chymicorum ſapientum libros attente legunt, rationes ponderant, verba expendunt, cumque ſenſibili apparentia conferunt. Norunt artem ſcriptam eſſe ſuæ diſciplinæ more per ænigmata, & parabolas, non quod inuideant bonum hominibus, aut ſua errata occultent: verum ita mos eſt in omni ſtudio, præſertim metallico. Quælibet factiones habent phraſes ſingulares. Quædam etiam ſtudio inuoluerunt, ne porcis proiicerentur margaritæ. *Si* tibi notū eſſet penitus artificium, quid quæſo facturus eſſes, Guiberte? Num omnibus proſtitueres & paſſim principes ditares? Occultares opinor longe accuratius. Cur in aliis reprehēdis, quod ipſe faceres? Mira vero fortuna ſcientiæ. Ego liquidiſſime docui, & fidem non inuenio. Qui perplexiſſime ſcripſerunt, ſunt in admiratione, & hos ſtudent per vim intelligere ii qui nec à Deo, nec ab hominibus facultatem acceperunt. Ad literam laborantes, litera decipiuntur, & decipiunt alios. Tu, Guiberte, duplicis culpæ reus es. Primum Paracelſiſta fuiſti, & proculdubio neminem niſi monarcham tuum ſequendum putaſti, atque ideo adhæſiſti impoſtoribus Paracelſicis. Poſtea vertiſti te ad ſcripta veterum, & in eis literam es venatus, quanquam cum aliqua allegoria. Nam per *Solem* intellexiſti

Alchymiſtæ Paracelſici.

tellexiſti *aurum* natiuum, per *Lunam argentum* apud Hermetem, & ſic porro per mercurium argentum viuum vulgare. Sed non attendiſti aliquid occultius deſignari. Quorſum enim & auri, argenti, argenti viui &c. vocabulis frequentius vterentur? Dic per tuam conſcientiam ſi ſcires artẽ, tune ita vulgandam putares, aut ſi parabolice traderes, rectene dicerem te homines Sathanæ more ludificare. Ariſt. in 1. metaph. 2. Philoſophus amator fabularum quodammodo eſt, eo quod fabula ex mirandis conſtat. Inde priſci poetæ philoſophi dicuntur & ſapientes myſtæ ſacrorum hieroglyphicas ſuas habuerunt. Mos iſte à ſapientibus priſcis ad poſteros peruenit. Eo vſi ſunt apologorum ſcriptores, Poetæ, Sacerdotes, Prophetæ. Chriſtus ipſe per parabolas locutus eſt incredulo populo, vt audientes non intelligant &c. Matth. 13. verſ. 13. 14. Mar. 4. 12. 33. 34. Luc. 18. 10. Eſ. 6. 9.

XII. Pag. 24. ſcribis: *Cum grauiter ea in re peccari viderem ab iis etiam quibus concreditæ eſſent bonæ literæ, & periculum eſſet ne vera philoſophandi ratio corrueret, obrueretque maximos ea procella viros, eius mali impetum coercendum oppoſito rationum vallo, & adhibitis demonſtrationum propugnaculis exiſtimaui &c.* Vah emendatorem philoſophiæ ex furnulis quadraginta annorum Paracelſicis. Scilicet ni tu ex furuis Proſerpinæ Paracelſicæ antris prorepſiſſes, Sol non luxiſſet amplius? Falleris, Guiberte. Non correxiſti philoſophiam, ſed te, & ſocios tuos decepiſti falſis perſuaſiunculis. Tua propugnacula ne ſtraminea quidem ſunt, Et vnde tibi quadragenario Paracelſiſtæ ſapientia philoſophica? In *Scaligero* latitabat aliquid. Sed tibi deerat *Scaligeri* genius. Mane domi, & tace. Maioribus opibus, quã ſunt tuæ, ad eam rem opus eſt. Obſcuraſti philoſophiam, & implicaſti tuis tricis, non illuminaſti, aut expediiſti.

Ecce correctorem philoſophiæ chymicæ.

Anſer & Graculus Guiberti volunt Cycnos, & luſcinias docere cantus.

XIII. Pag. 25. *Oſtenderem dogmata chymica, & fabularum monſtra ante ſexcentos annos à Spiritu erroris inſpirata PERVERSISSIMIS HOMINIBVS &c.* Vide quid ſcripſeris. Principia naturæ, quibus chymici artem ſuam acceptam referunt, vocas errores, & monſtra fabularum. Hac re inſaniam tuam in propatulo declaras. Autorem eorum vocas ſpiritum erroris, qui alias Diabolus. Hic in Deũ es impius: omne perfectum (τέλειον) donum à Deo eſt, & patre luminum, inquit S. Iacobus. Tu Diabolo tribuis optimæ rei inuentum. Annos numeras ſexcentos. Si finitus eſt numerus & hic ipſe qui ponitur, anno Chriſti milleſimo exorta fuiſſet Alchymia. At eſt antiquior longe. Si infinitus: conſidera num inter Chriſtianos deuotiſſimos potuerit tam diu hærere res à Sathana inſpirata. Quarto vocas *homines peruerſiſſimos* quibus ars iſta inſpirata. Eam vero didicerunt, exercuerunt, & celebrarunt magna ex parte Monachi deuotiſſimi Morienus, Iohannes de Rupeſciſſa, Albertus Magnus, Thomas de Aquino, Lullius & alii multi, prætereaque medici, reges, comites &c. Illine homines PERVERSISSIMI? Quantam præ ſe fert pietatem *Baſilius Valentinus* Monachus? Illene peruerſiſſimus? Iureconſulti aliquot defenderũt hactenus chymicos ſynceros, vt & Comes Mirandulanus. Num & hi peruerſiſſimi homines? Notabit hoc ſocietas de Roſea cruce, & hominis amẽtiam damnabit.

Vetuſtas chymiæ.

Monachi attendant quã belle ornentur fratres à Guiberto.

XIV. *In lucem protuli tractatum in quo oſtendebam Alchymiam, quæ circa metallorum tranſmutationem verſatur, eſſe impoſſibilem, & nunquam in rerum natura fuiſſe.* Ita pag. 25. ô oſtenſorem inanem. Tune aliquid ea de re oſtendiſſes? Inſcribimus tibi Epitaphium Phaethontis: *Hic ſitus eſt Lotharus chymicæ malus arbiter artis: Quam ſi non leſit, magnis tamen excidit auſis.* Tam miſere, ruditer, imperite, ſtolide, & dementer ea in re te geſſiſti, vt ſi collapſura alias fuiſſet, abſurditate rationum tuarum erecta immobiliter ſtaret. Contrarii enim abſurditas, veritatem contrarii confirmat. Inter Lotharos tuos ſomnians neſciuiſti quid alibi eſſet bonorum ſtudiorum te ipſo confeſſore.

Epitaphiũ Guiberti infeliciter Alchymiam tentantis.

XV. Iam pugnarum tuarum magnitudinem & excellentiam pag. 26. narras. Quid enim? *Plærique doctiſſimi viri ſcripſerunt contra hanc vanitatẽ, refutarunt multis & VERIS rationibus: Sed nec omnes omnia comprehenderunt, nec ad amuſſim ſingula elaborarunt, & præcipui eorum nolentes volentes in EA INCIDERVNT quæ potius tranſmutatoriam DE NON ESSE AD ESSE proferrent, quam eius fundamenta deſtruerent.* Cur id? *Quia ignoratio, & difficultas rei obſtabat.* At philoſophus veris rationibus artem falſam, etiamſi eam non exercuerit, nec didicerit, refelleret. Reſpondes pag. 27. *Certum eſt Neminem poſſe experientias falſas refutare, niſi operationes chymicas didicerit & exercuerit, & libros autorum falſos, & ſuppoſititios eſſe oſtenderit.* Affers & alia argumenta, vt: *quod multa vtilia in refutanda Alchymia fuerint prætermiſſa,* quia non ſimul ars inuenta, & abſoluta: 2. *Quod nemo ex doctis magnopere laborauerit refutandis tam obœſis mendaciis vt manibus contrectari poſſint.* Cur? *Ne non minus delirare videretur quam ipſi chymiſtæ.* Hæc tu magnifice, polyphemice, Thraſonice, & vt Pyrgopolinici Artotrogus: *Nempe illum dicis cum armis aureis cuius tu Legiones difflauiſti ſpiritu, quaſi ventus folia, aut panicula tectoria: Elephanto in India pugno perfregiſti brachium: Si connixus eſſes, per corium per viſcera, perque os Elephanto brachium tranſmitteres: centum in Cilicia, Quinquaginta centum Sycolatronidæ, Triginta Sardi, ſexaginta Macedones, ſunt homines quos tu occidiſti vno die.* En te depictum graphice. Sed ad rem. *Thomas Moreſinus* Aberdonanus Scotus philoſophus, medicusque, qui audiuit optimos Europæ præceptores, frequentauit, non furnulos Paracelſicos per annos 40. ſed celebres orbis vniuerſitates, audiuit in re literaria non impoſtores in Italia, & alibi, ſed ſapientiſſimos quos potuit, deditque operam & libris, & experimentis chymicis, magno ſtudio conatus eſt demoliri alchymiam tranſmutatoriam fruſtra. Nam vel vnica proiectione omnem eius conatum pluribus rationibus admirandum proſternere potuit *Alexander* ille itidem natione Scotus, de quo *Hoghelandæus.* Quid tu præclarius afferres ex carbonario Paracelſico? videamus aſſerta.

Ampullæ Guiberti aniles.

Plautus in milite glor. act. 1.

Vide & impugnationis cap. 1. lib. 1. & cap. 3. eiuſdem, vbi de ſuis viribus immane quantum narrat.

Thomas Moreſinus fruſtra oppugnat Alchymiam.

I. Doctiſſimos viros appellas illos Gigantes. At ſi ignorarunt id quod debuerunt alias fuerint doctiſſimi, hic ſunt infantes.

II. Refutarunt, inquis, vanitatem tranſmutatoriæ. Inanem conatum audio. Vanitas quã facilis refutatu? Non opus eſt ad difflandam doctiſſimis.

3. Multis, & veris rationibus. ô infelices homines qui multis, & veris rationibus tranſmutatoriam temere adorti ſunt, imo ſtatuerunt, tantum abeſt vt euerterint. An autem hinc non patet te mentiri cum vocas veras?

4. Non omnes omnia comprehenderunt. Quid? Tune Moreſino copioſior? Tune inſtructior? Es puſio rudis cum eo collatus. Ille philoſophiam melius, tu rectius carbonariam, quam 40. annos ſecutus es, tractaueritis.

5. Non elaborare ſingula ad amuſſim. Bonus vir Guibertus. Multa dicit, ſed pauca probat. Eraſtus talem ſe eſſe minime putabat, nec Moreſinus.

Palma chymica.

6. Præcipue nolentes volentes Alchymiam ad eſſe protulerunt. Accipio confeſſionem ab hoſte. Ita argumentor.

Si doctiſſimi viri, & præcipui nolentes volentes veris argumentis, quibus oppugnauerunt tranſmutatoriam, à non eſſe ad eſſe protulerunt, multo minus Carboniperda Guibertus, qui 40. Annos vitæ inter Carbones Paracelſicos perdidit, eam deſtruxit ſuis argutiunculis. Illud eſt. Et hoc ergo.

7 Mirum te ſcientiſſimis viris in ea re, quam omni conatu perditum ibant, tribuere ignorationem. Oportet tamen conſentire. 8. Alchymiam negas exercuiſſe, & iuſtos progreſſus feciſſe in chymicis operationibus. Non dabit tibi hoc Moreſinus. 9 Eraſtus opinabatur ſe fiducia ſuæ metaphyſicæ poſſe de ignotis quoque iudicare, & non tantum rationes rationibus refellere, ſed & experimenta euertere. Tu negas. Pugna ergo cum Eraſto pro chymicis. 10. Experientias fallas & ſuppoſititias recte tribuis tuis magiſtris apud quos didiciſti furnulos Paracelſicos purgare per annos 40. Non autem potes Gebro, Arnoldo & aliis qui omni experimento afferunt aurum ſuum, falſa ſpecimina aſſcribere, *Renero Budelio* ICTO. & monetarum ad Rhenum præfecto aurum iuſtum pronunciante quod auri examina acria ferret.

Ridicula Guiberti opinio qua putat vulgares operationes Alchymiæ eſſe eaſdem cum myſticis.

11. *Operationes* chymicas quas pag. 16. vocas *calcinationem, digeſtionem, fermentationem, deſtillationem, circulationem, ſublimationem, fixationem &c.* didiciſſe & exercuiſſe libros que legiſſe, putas requiri ad refutationem tranſmutatoriæ adeo vt ſine illis nemo id poſſit. Rideo tuam infantiam. Feceris ſane iſta omnia, pro vt te feciſſe ais noctes, dieſque per 40. annos: at nihil proficere potuiſti, Cur? Quia nunquam debitam materiam intellexiſti, nec vnquam myſticas chymiæ metaſchematiſticæ operationes aſſecutus es. Pharmaceutica & magiſteriorum, quin & Sophiſtica, chymia iſtis vtitur, ſed non tranſmutatoria, in qua tantum eſt Solve, coagvla. Hoc dum fit, ſingulares geſtiones comparant Enchireticis operibus: Sed nihil manu peragitur quando illata eſt in ſuum Athannor Philoſophicum materia. Lege quæ in Riplæum, & alios ſum commentatus, eaq; intellige, videbis te adhuc eſſe in annis erroris.

Libri chymici.

12. Libros chymicos vis eſſe ſuppoſititios. Sint aliqui tales, præſertim tui impoſtorii. At ſi vnum atque alterum habueris verum, veris principiis conſentientem, quia verum vero conſonat, facile inde potes cæteros iudicare. Nomina præfigere diuerſa, parui eſt momenti. Neq; enim humanæ autoritates in exquiſito rerum iudicio multum valent. Non quis dicat, ſed quid videndũ.

Ariſt. 1. metaph. cap. 1.

13 Argumentum de artium inuentione Paracelſicum eſt. Paracelſus videri voluit correxiſſe veterem artem, & aliquid noui inueniſſe, præſertim abbreuiationem, quæ non videtur eſſe impoſſibilis. At quam priſci profeſſi ſunt, eius tota eſſentia ab initio conſtat, nec potuit præceptis ſcientificis comprehendi ſine ratione, & experientia. Quid tu quæſo inueniſti, aut recens repertum putas? Si de tuis argumentis loqueris, præter falſam principiorum quorundam adhibitionem iuſte tibi tribuere nihil potes. Non dico temere. Demonſtraui iam binis ſcriptis.

Probrum in dignitates & honoraria nomina Libauii. Inuidus alterius rebus macreſcit opimis. Liuor iners vitium mores non exit in altos.

14. Ridendus es cum tuis obœſis & palpabilibus mendaciis, ſomniis, & anilibus fabulis. Tune tantus Polyphemus, & Elephas iſtas muſcas cures? Egregiam laudem ſcilicet ex tricis, nugis, obœſis mendaciis retuleris. Speculum habes Guiberte. Contemplare ingenium, & mores tuos. Hactenus narratio principii, medii, finis, vſque ad meam Alchymiæ defenſionem. Nunc reuerteris ad anilem ſcurrilitatem, & conuitia, quibus exprobras mihi dignitates quas cum laude & conſecutus ſum, & gero pag. 31. Ad hoc ego οὐδὲ γρῦ. Non quæro ex me gloriã, ſed ex Deo. Nihil habeo quod à Deo, cui gratia, & gloria, non accepi. Non poſſum me efferre, & arroganter de me ſentire, qui nihil ſum mea dignitate. Gratia Dei ſum quod ſum, qui mihi iſtas dignitates eſt largitus, quæ indicio ſunt inter eos me vixiſſe, & viuere apud quos eſt virtuti honos, & præmium. Tu quis ſis, tua narratio declarat.

Capvt X.

Iudicium Guiberti de defenſione aduerſus ſuam virilem expugnationem.

Nota accuſationes friuolas Guiberti quibus fugit forum, & ſe victum prabet.

NON quidem difficile eſt cogitare quid contumelioſus hoſtis poſſit iudicare de aduerſus ſuas pugnas ſcripto: ſed tamen audiamus nonnihil.

1. *Exagitaſſe ais virulentiſſime.* Reſp. In gradu mendacium, eſt & in verbo. Neſcis morem diſputandi ſerio. Nihil datum eſt auribus tuis. Tractatus es ex tuo merito. Nihil fruſtra. Quicquid in tuas ſtultitias dictum eſt, ex argumento dictum eſt, non intelligendo Guibertum perſonalem, ſed eum quem ſcripto induit.

2 *Speciem ſapientiæ oſtentaſſe fallaciis, & ſophiſticis concluſiunculis.* Reſp. Laborem tibi diminui ſi nõ mentiris. Eo erunt refutatu faciliores. Tu ſi vires, aggredere. Pugnare mutuis conuitiis vetularum eſt, quarum perſonam in Apologia tua bene agis. Iudicent ſapientes.

3. Mopu:

III. *Me pugnare potius conuitiis quam ſuis rationibus*: Reſpon. cur argumentatus ſum? Ad formam tuis Patribus familiarem rationes compoſui. Habes ſyllogiſmos. Facilis labor erit videre ſophiſma, & monſtrare. Ego puto me vel à præſtigiatore tuo Del' Rio laudem argumentantis conſequi poſſe. Syllogiſmi mei tibi ſunt vnguis in vlcere. Non auſus es eos aggredi. Fœnum in cornu habent. Fugis ergo: ô imbellis vetula.

IV. *Mea verba inuertere.* Reſp. produc locum vel vnum. Humanum fortaſſe fuerit non vbiuis ſenſum diſputantis aſſequi. At inuertiſſe mendacium tuum eſt. Tu monſtra vbi hoc ſit factum, & tunc me ad tuam ſaliuam componam.

V. *Affingere quæ in mentem meam nunquam venerant.* Reſp. Ni vis mendax haberi, monſtra & hoc. Audi vero diſputator egregie: Qui principium Syllogiſticum ponit, & antecedens, an non ille & concluſionem, & conſequens? Negare conſequens poſito antecedente in legitima diſpoſitione cuius eſt hominis? Non poſuiſti fortaſſis expreſſe concluſionem, at principia dediſti.

VI. *Sententias meas alio modo interpretari vt poſſit euertere.* Reſp. Nauci homo ſis niſi hoc euidenter doceas. Ecce iam denuo propoſui tuorum confutationem. Oſtende vbi exorbitarim. *Nota mendacia putida.*

VII. *Alium cauſæ ſtatum fingere de quo non agitur: & eam controuerſiam de qua quæſtio verteretur, aſtute diſſimulare &c.* Reſpon. Qui potuit hoc fieri? An tu non negas metallorum tranſmutationem eſſe poſſibilem naturæ & arti, ideoque alchymiam tranſmutatoriam eſſe nullam? Titulus libri: *Alchymia ratione & experientia viriliter impugnata, & expugnata.* Ponuntur & tituli ſingulorum capitum coniunctim, repetunturque in ſingulis, vt: *Alchymiam nihil aliud eſſe quam vanitatem &c.* Quid in controuerſia ſit: *Metallorum tranſmutationem non dari*: *Inficiamur dari in natura metalli vnius in aliud tranſmutationem*, quod eſt cap. 2. cap. 4. idem argumento vult concludere: capit. 5. *Impoſſibilem eſſe*: cap. 6. iterum *non dari in natura.* cap. 7. *impoſſibilem eſſe.* Cap. 13. lib. 2. *omnes eos mentitos eſſe qui ferrum in æs natura & arte mutari literis prodiderunt.* Ecce hæc ſunt tua verba thetica. Quæſtionem ponis, & argumentum eius: Et non pateat ſtatus cauſæ? Num tu aliter ſentis, aliter loqueris? At nec in Apologia tua, & interitu Alchymiæ aliud dicis. *Guibertus negat ſcripſiſſe quod ſcriptum in publicum aedit.* *Argumentare, Guiberte, cur calumniaris, & malitioſe mentiris.*

VIII. *Impudenter res manifeſte veras calumniatur.* Reſpon. Demonſtra: aut calumniator eſto.

IX. *Vbi nulla eſt controuerſia ibi malitioſe aliis perſuadere eſſe maximam.* Reſp. Euince hoc, aut malitioſus audi.

CAPVT XI.

De argumentis quibus inductus Guibertus ſcripſit in Libauium.

PAG. 32. 33. producuntur argumenta quibus incitatus in me ſit Guibertus. Quæritur an Gratis (ita enim loquitur) inuectus ſit in Libauium, hoc eſt temeritate quadam, & ſtudio iniuriæ inferendæ, aut eum contumelia afficiendi. Negat Guibertus cum proteſtatione: *SE NIHIL vnquã cogitaſſe, aut ſcripſiſſe nominatim in quenquam quod vel calumnia, vel contumeliæ nomen mereretur.* Belle: videamus expugnationem eius virilem: Et ſic argumentemur. *Nota illud nominatim, & confercũ ſequentibus.*

Si id non eſt iniuria, & contumelia afficere aliquem quod Guibertus ſcripſit de viris ſummis: ſapientibus, philoſophis, phyſicis, chymicis, hiſtoricis, multo minus id erit iniuria, & contumelia quo Libauius dignitatem iſtorum virorum, (imo & artis pulcherrimæ, *defendit.* Iuſtius eſt defendere innocentes, quam traducere, & inſectari. Prius eſt opinione Guiberti. Ergo poſterius ergo. Vt aſſumtio pateat, expatiamur parumper per impugnationem iſtam virilem.

I. Statim in titulo Alchymiæ tribuit *fallacias, deliramenta, imbubinationes.* pag. 70. *ars à Diabolo* profecta dicitur. II. In dedicatione ſcribit omnia plena eſſe *inuidorum, & maledicorum* (ergo & in ædibus Guiberti) quorum aculeos haud multis retro annis ſit expertus (nihil ſine cauſa.)

III. Inuectiua in chymiſtas Laconis manumiſſi cuiuſdam, cum aliis quatuor famoſis libellis indici præmittitur.

IV. Pag. 1. Alchymiam *calliditatem, impoſturam falſam* (bene habet quod non ſit vera impoſtura) & aliter nominat, & quibuſcunque poteſt probris per totum librum afficit. vide & pag. 7. de mendaciis & commentis. &c. quæ tribuit chymiſtis.

V. Pag. 19. *Tenebriones* appellat *occæcatos, & totius philoſophiæ naturalis prorſus ignaros.*

VI. Pag. 27. Peculiare caput deſtinat inuectiuæ in chymicos qui metalla accidentibus diſtinguunt, vbi plauſtralia conuitia. Verum hæc nihil ſunt præ illis quæ in perſonas ipſas lib. 2. effutiuit, ſimulque in libros earum incipiendo à pag. 59. vſque ad finem. Vides ibi chymicos qui libros ediderunt de arte vocari *Sordidiſſimos, & abiectiſſimos impoſtores, mere bardos, pecora impios, magos, Sagas, hæreticos, ſciſmaticos* (ſic enim ſcribit) *homines regnum Satanæ procurantes, quibus autoritas nulla, vel ſaltem ſuſpecta.* Hocne eſt non criminari, non conuitiari, nulla contumelia, aut maledicto afficere? Qui ſunt iſti ſcriptores? Pag. 45. recenſet *Hermetem, Democritum, Ariſtotelem, Auicennam, Raſin, Albertum, Thomam Aquinatẽ, Lullium, Arnoldum, Bachonem, Rupeſciſſam, Ficinum, Paracelſum, Agrippam, Fernelium* & alios plurimos, quorum plerique fuerunt Romanæ religioni addicti. Pag. 61. Principes chymiæ ponit *Gebrum, Lullium, Villanouanum, Paracelſum* & alios in quorum libris *tot ſint mendacia, quot verba.* Ne in *Albertum, Thomam &c.* ſimiliter inuehi videatur, pag. 62. vult eis aſſcriptos libros chymicos eſſe ſuppoſititios. Ita de Hermete etiam per cap. 6. lib. 2. pag. 67. *Albertum* vanitatis accuſat. *Lulliũ* quam fœde laceret, habetur pag. 69. Vbi eſt mercator, laicus, phantaſticus, imperitus, Catalanicus, totaliter Grammaticæ ignarus, cui Diabolus in forma Chriſti crucifixi apparuerit (quod mirum ſi *Inuectiua Guiberti in perſonas & libros earum.* *Lullii vituperia.*

Nota de cruce Christi.

vllus Romanæ religionis credere poſſit cum cruci etiam in aëre factæ magnam vim contra Diabolum omnes tribuant) qui ſtultus ſit factus, & omnino nullus eſt modus criminum in Lullium pag. 70. & 71. vbi ei additur *Arnoldus*, qui dicitur ſcriptor Catalanus *pluris* ſuperſtitionis (ita loquitur ille bellus Grammatiſta) quā ponderis, impoſtor egregius omne genus vanitatis amplexus &c. pag. 72. cum dæmonibus habuiſſe familiaritatem dicitur. pag. 75. *Rupeſciſſa* fraterculus eſt furunculus (fur paruus Guiberto) impoſtor, nugarum ſcriptor &c. *Bacho* itidem monachus auctor ignobilis, nullius ponderis, inſulſus, impius &c. *Paracelſum* pag. 77. tantis proſcindit conuitiis, vt vno ſaltem Diabolo dicat inferiorem fuiſſe. pag. 78. plane Diabolicum, licet eum primis annis 40. prætulerit Galeno Ariſtoteli & quibus non? pag. 79. *Marſilii Ficini* autoritatem negat magni æſtimandā, quod doctrinam aliquam hauſerit ex Platonicorum, & Arabum deliramentis de vita metallorum &c. pag 82 vix aq. roſ. conficiendæ rationem tenuiſſe ſcribitur, vbi & alia multa in eius ignominiam. Pag 85. *Fernelii* autoritas eleuatur. vt qui cum philoſophicis miſcuerit fabuloſa, magica, cabaliſtica &c. pag. 87. *Pharmacopolam Taruiſinum* egregium impoſtorem nominat. pag. 93. *Hoghelandæo* fidem detrahit, quæ debeat adhiberi probis & peritis, quaſi ille Euualdus nec probus eſſet nec peritus. Eadem pag. de ære ex ferro ſummis viris crimen impingit, audetque ſcribere *omnes eſſe mentitos*. Et dum vult abnorme illud ſcelus mitigare, pag. 94. mentitos eſſe nolentes ait *Wernerum*, *Agricolā* & alios, quos certum eſt fuiſſe peritiſſimos illius rei, & non nolentes, ſed bene conſcios ſcripſiſſe ex ferro æs fieri, nec falſa pro veris edidiſſe. pag. 99. tenebriones vocat, ſimulque etiam *Rentmannū* *Libauium* & alios, quos pag. 55. *ſtultos* nominat, & Libauium *nugigerulum* appellat. pag. 103. inuehitur in plures alios, eoſque peiores Ethnicis facit, vt *Palmarium*, *I. Bapt. Portam*, *Albertum*, *Buccaferreum*, *Rubeum*, *Fiorauantum*, *Mizaldum* &c. Ecce tibi hoc totum iudice Guiberto non eſt iniuria, non contumelia: hoc totum non eſt *Gratis* ſeu ſine cauſa furere, inſanire, conuitiari, criminari, calumniari &c. Sed his ſceleribus fictam cauſam prætendere. Quia ergo, quæ voluiſti, in artem, libros, autores, aſtipulatores dixiſti, Guiberte, iuſtum erat te multo magis audire viciſſim quæ non vis. Neq; enim tu vlli eorum quos vituperaſti potes par eſſe. Atqui ne comparari quidem cum tuis conuitiis poteſt increpatio, & redargutio, non facta ſine argumentis, vt tu temere & aniliter feciſti, ſed additis ſemper rationibus, ne poſſes de iniuria conqueri iuſte. Retorquentur in te crimina, non ſine tuo merito ingeruntur. Quam tu potes iuſtam cauſam tum mei traducti, tum tot illuſtrium virorum ſcelerate proſciſſorum afferre? Errauerimus ſane. Error noſter philoſophicus, medicus, chymicus, tanti erat, vt audiremus tenebriones, ſtulti, nugigeruli, & quid nō? Sed num mitius nos tractas in tua apologia? Imo & aniculas artopolidas, & Diabolum ipſum vincis calumniando & cōuitiando, qui debueras crimen prius diluere, & recantare. Sed pilum mutat lupus non mentem. Nobis ſolatio eſt quod non aliter poſſis. Qui enim in tuam patriam es iniurius, & tuum locum, tuoſque dedecore, ignominia, & turpitudine publice afficis, tune exteris parcas?

XXVII. nominatim à Guiberto traducti. In nominatorũ iniri numerus nō poteſt.

CAPVT XII.

Quales viſi Guiberto Libri Libauii.

Stultum Guiberti de libris Libauii iudiciũ.

PAG. 33. *Plures libros Libauii cum legiſſem, ac animaduertiſſem portenta opinionum, in quæ præceps ruit, ſubinde errore mentis actus, exhorrui, tam alienum à veritate eſſe hominem, vt tot deliramenta, ac mendacia ſcriberet &c.*

Hæc & alia ille: Vtar ego iſto Chriſti Ioh. 8. verſ. 46. Quis ex vobis arguit me de peccato (illo nimirum quod mihi tribuit in meis libris Guibertus, alias enim me peccatorem eſſe, & ſcio, & fateor, & doleo: Credo quoq; me vnius Chriſti ſanguine à peccatis emundatum eſſe, & adhuc quotidie ablui dum vita quotidiana pœnitentia occupatur) ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ignoſcat mihi Dominus Ieſus, quod ſanctiſſimis verbis eius in aliena (quanquam putem etiam Theologicam confeſſionem à Guiberto cōprehendi) cauſa vtar. Vbi vero ſunt meliores libri à Guiberto editi? Non debebant culpari alieni niſi melioribus à culpante proditis. Quis autem à Lotharo Guiberto laudari vellet bonus? Malus ſi quem laudat, vituperat. Iudicio Guiberti fatuo & hoſtili, oppono aliud virorum optimorum, quod non dubitarunt publicis literis committere, ex quibus eſt Nobiliſſimus & clariſſimus Anshelmus *Boetius de Bood, Belga*, qui aliquoties Libauii honorificam facit mentionem in ſuo gemmario. Item *Caſparus Bauhinus* vir ſummæ laudis, claritatis, & autoritatis in lib. de Bezoare. *Bernhardus Penotus* à portu Sanctæ Mariæ qui honori Libauii inſcripſit eruditum tractatum de denario medico: *Petrus Amelungius* Stendalienſis vir doctiſſimus, peritiſſimus, clariſſimus: cuius extat & pro tranſmutatoria & pharmaceutica Alchymia ad inuictiſſ. Imperatorem D. Rudolphum felicis memoriæ opus inſigne, & Apologia cum dedicatione ad Illuſtriſſimum Electorem Brandeburgicum, in qua hæc leguntur: *Vnus ille qui ſit aliorum inſtar nulle Andreas Libauius D. & Poeta Cæſareus, quem ego honoris cauſſa appello merito &c.* Lege & reliqua, quæ ne me titillare encomiis videar, committo bonis viris inſpicienda. *Helophilus à Percis* ita ſcribit: Incidimus in eruditiſſimos Libauii viri clariſ. libros qui omnium facile Princeps eſt. Is abunde omnia præſtat. His adde *Martinum Rulandum*, *M. Wenrichium*, *Iacobum Zuingerum* profeſſorē Baſilienſem laudatiſſimum piæ memoriæ, apud quē Alexander ille Scotus *Plumbum in aurū* mutauit illiq; ſpecimē reliquit, qui & de chymicis principiis præclarū tractatū ſcripſit: *Quercetanū*

quo

quo vix alter fuit in Chymicis exercitatior: *Gregorium Horſtium* Philoſ. & Med. excellentem de fluxu ſanguinis, &c. Et quid occupor plutibus nominandis? Quanti ſunt iſti præ Nicolao Guiberto, qui ſe 40. annos temere in carbonaria Paracelſi, & impoſtorum conſumſiſſe ſcribit, cumque & Deum & naturam ſibi in metamorphoſi aduerſam habuerit, poſtea apoſtata factus in contumeliam artis ſe accinxit, delireſcens in eo Galliæ loco, quem ipſe adeo deformat, (patriam nempe ſuam) vt qui legent, niſi dementes ſint, ſtatim iudicare poſſint, ſi verum is ſcripſit (puto autem nequiſſime & ingratiſſime inquinatam eſſe à ſuo pullo Lotharingiam, quæ iſtum ſerpentem in ſinu ſuo inſcia fouet) nihil poſſe in eo loco præclari eſſe. Non ergo mirum de meis ſcriptis tam contumelioſum iudicium. Delirat miſer. Non ego prior laceſſiui hominem, ſed ipſe & viros ſapientiſſimos, & artem admirabilem, & me diris modis lacerauit. Si portenta ſcripſi: Si deliramenta: ſi mendacia: age demonſtra, & conuince. Non ſi quid à tuis opinionibus diſſentit, id ſtatim eſt error, deliramentum, mendacium. Tu male es informatus, & 40. annos perſequens carbonariam falſam, quî ſapientiam didiciſſes? Agnoſce morbum tuum, & ſapere diſce. Tu ipſe aliquoties in me agnoſcis Dei dona, quæ & Riolanus prædicauit, nec ignota ſunt amicis. Obiicere *Gretſerum*, & *Martinum Del Rio*, quem ego hominem eſſe tne in natura rerum ignorabam, nec vnquam eius mentionem feci, & alios factionis Gheſuiticæ, item *Riolanum* in Alchymiam furentem; perinde eſt ac ſi *Michelium*, qui deceptus opinione in me debacchatus eſt: ſi *Gramanum*, quem vocas peſtem bonarum literarum; ſi *Aſſyluanum*, à cuius impoſturis medicinam Hippocraticam defendi: ſi *Palmarium*, qui me Paracelſicum impoſtorem finxit, cum ipſe eſſet Suchthenii Paracelſici ſectator, & Collegium Medicum Pariſienſe totum in Paracelſiam temerariam transmutare voluit, & ſimiles; quorum errores & vlcera tetigi, ob id mihi infenſiſſime aduerſantium: vel qui in gratiam aliorum in me ſunt inuecti, vt poetaſtri velani: vel rabie canina correpti me attroſerunt, contra me teſtes produceres. Inimicus contra inimicum teſtis eſſe lege prohibetur. Syrac. 37. 12. *Si de rebus tuis conſultaueris cum homine, qui male de te ſuſpicatur, aut qui tibi inuidet, perinde fuerit ac ſi mulierem interrogares, quam blende tractanda eſſet, quam ipſa oderit: aut hominem inuidum quo modo de aliis bene mereri oporteat: aut immitem, durum, & crudelem, quam clementer agendum ſit, &c.* Quod ſi aliqui de me ſiniſtris ſeu ſuſpicionibus, ſeu narrationibus ſecus ſcripſerunt, quam & ipſorum prudentia, aut honor meus patiatur, iis libenter ignoſco, eoſdemque etiam rogo, vt ſi quid indecentius reſcriptum eſt, iuſtæ defenſioni imputent, & deinceps omnia beneuola, quantum fides patietur à me expectent. Tu vero Guiberte qua facultate, viribus, & ratione demonſtraturum te putas *nihil tam ineptum, abſurdum, & ab omni veritate alienum dici poſſe, quod non dicatur & pro vero aſſeratur à Libauio?* Tune putas te hæc ſcribere tibi ſoli? An arbitraris ſtatim aſſenſuros eſſe dicenti ſiue amicos, ſiue inimicos? Perſuades verum eſſe quod de tuo angulo ſcripſiſti, nempe ratione tuæ tantum perſonæ (cæteros enim tam diu bonos eſſe præſumo, quamdiu contrarium non probatur) *nihil in eo eſſe laudabilium ſtudiorum, vbi ſumma virtus in cenſu, gloria in alienas opes inuaſio, &c.* Te iudice, Guiberte, tua ſtudia non ſunt laudabilia, nec præclaræ virtutis. Quid ergo ſunt? Id quod res loquitur in apologia ſcelerata, infami, diabolica. Ne inſanias mediocriter addis *me cum damno Reip. literariæ, & præiudicio animarum mendacia protuliſſe, & ideo mea ſcripta comparas fabulis Amadiſi.* Non eſt ſatis iſtud dicere. Demonſtra. Si non demonſtras, leges te eadem pœna afficiunt, qua dignus eſſem ego ſi talis forem. Extra omnem modum eſt pag. 34. plena diabolicis & execrandis conuitiis, cumulatim congeſta: vt & pag. 35. 36. Ego Deo vindictam commendo, & bonorum omnium iudicia appello. Pag. 36. ait *me multis in locis ſcribere, quod non ſim expertus.* Oſtende loca ſi vir es, & non furioſa vetula. Ratione & experientia vel ſolis, vel coniunctis in philoſophicis pugno. Experientia vero partim mea, partim aliorum. Impoſſibile enim eſt vnum hominem omnia Chymica experiri. Videat Lector Præfationem in Opus Chymicum, quod Francofurti in folio impreſſum eſt an. 1606. Quid promittam & mihi tribuam, inueniet. In tractatu de bombycibus & bituminibus iure mihi aſſero meam experientiam, ſed ſeruato honore ſuo cæteris. In ſacris principiorum complexio mihi eſt canon fidei ſanctis ſcripturis totaliter & perfecte, quantum attinet ad Eccleſiam militantem, contentus. Ex eo ſolo peto demonſtrationes primas. Lucerna enim pedibus meis eſt verbum Dei. Orthodoxorum ſententias ſecundario adhibeo, & non aliter, niſi qua conſentiunt cum principiis ſcriptis & analogia fidei. Policeris, Guiberte, demonſtrationem, quod *mea ſcripta ſint alieniſſima à viro Philoſopho & Chriſtiano.* Id tu quidem facies ad Calendas Græcas: Sed tamen, ſi facies, audiam, & te viciſſim tractabo, vt dignus eris. Vacillas autem ſtatim: Ita ais: *Veri Chriſtiani & Philoſophi eſt nihil credere, nihil affirmare, quod vel euidentia, vel ratione demonſtrari non poſſit.* Nempe vt dicebas in anili tua impugnatione lib. 1. cap. 3. Duo tibi ſunt iudices tum eorum, quæ ibi, tum aliorum omnium inuentorum. Ratio & experientia. Vereor ne in ſacris tardius, quam tuæ ſaluti expediat experientiam conſequaris. Rationis in rebus Theologicis, ni informata ſit à Spiritu ſancto, nulla eſt efficacia, nullus reſpectus 2. Cor. 10. v. 5. vbi in captiuitatem redigitur omnis intellectus in obſequium Chriſti, in quo habemus omnia, vt non opus ſit Philoſophicis perſuaſionibus: Coloſ. 1. 19. & 2. v. 8. & ſeq. aut doctrina aliena 1. Iohan. 2. 27. Ebr. 8. 11. Si tu non afferes principia Spiritus ſancti in ſcripturis reuelata, quicquid in diuinis ex tua, vel aliena ratione proferes, vocabo principii petitionem, teque calonibus & lixis ridendum, & comedendum propinabo. Non opus eſt verbis. Habuiſti Rhodon. Cur non ſaltaſti? Vetulam artopolidem inſanientem in tua apologia video, non fortem athletam, quem te fingis.

Crimen ex inimicorum iudicio futile.

Horribile mendacium Guiberti.

Pag. 31. apologiæ.

Patria Guiberti qualis.

" *Amadis*
" *Gallus.*

Principia Libauii.

Guibertus premittit incredibiles demonſtrationes.

Pag. 36.

Pugna contra Libauium argumentis ignaue, cur ei maledictis, & verba perdus?

De Amadiſao Gallo.

De *Amadiſæo Gallo* aliquid addendum eſt. Cum puer eſſem, ante annos quadraginta & plures, illecebris & floſculis linguæ Germanicæ, aliiſque, præſertim mirificis Heroum pugnis & poeticis figmentis illectus aliquid librorũ de eius fortibus factis & amoribus legebã. Vera falſa narrarentur

diſcernere nondum poteram. Id ſaltem tunc quoque obſeruabam eſſe libros, de virtutibus heroicis, & moribus aulicis, multiplicibusque vitæ humanæ caſibus confectos. Poeticum opus eſt ſine forma poeſeos ligatæ. Si mea ſcripta ſunt huic operi æquiparanda, ſine genio non ſunt, modo velit quis non voluptatum & amorum ſermones & exempla venari, ſed oratoriæ facultatis & eloquentiæ vim ſpectare, fortiaque facta, & variam fortunam in ſuum ſuccum vertere, & ex ſpeculo hoc humanorum actuum diſcere quid ſibi ex vſu ſiet. Suaue enim eſt aliorum periculis ſapere. Quo modo tu legiſti illud virtutum ſpeculum, & fortitudinis heroicæ, conſiliorum, eloquentiæ, & aliorum maxime vtilium palæſtram? Vt anilem aliquam fabulam, quam otiantes ambubaiæ poſt fornacem temporis terendi cauſa recitant. O te lectorem aſininis lactucis dignum. Talibus fabellis, dum mea ſcripta comparas, te aut delirum, aut inuidum, aut ſtupidum eſſe indicas. Quid aliud iudicaret de Amaracino, & Minerua ſus? Quid aliud de Philomelæ cantu aſinus? Quid aliud de Apollinis lyra Marſyas? Quid aliud Midas, ob id aſini auriculis inſignitus? Scribite hunc hominem ſuem, aſinum, Marſyam, Midam. Non enim plus ſapit.

Ouid. meta. lib. 11. de Mida & 6. de Marſya Satyro.

Capvt XIII.

De iudicio defenſionis Alchymiæ.

Vide & p. 32.

Ridicvle inſanit tota pagella 36. 37. 38. Quid opus eſt verbis furioſis, ô anus furioſa, & canicula rabida? Si in defenſione Alchymiæ ſunt integumenta, inuolucra, obſcura, dubia, pugnantia, mera mendacia, nugæ, næniæ, ſtultæ interpretationes, abſurdæ reprehenſiones, inconſtantia in affirmando; negando, dicta præter propoſitum, adiecta nihil ad rem, eaque tanto numero quantum recenſes: ſi in tuo tractatu pauca intellexiſſe, dictis & factis declaraui; monſtra, oſtende, euince, vbi, quid, quo modo, qua in re, quo argumento, pagella. Iſtudne eſt aduerſarium refutare? Si hoc eſt, ego facilimo ſpiritu omnia tua in nihilum redegero. Quid enim? Tuarum artium & ſcriptorum es egregius pictor. Nam quod de meis dicis, id in tua quadrat. Omnia conuitia ſunt tua, quæ canina facundia profundis, nec potes atrociora nomina, nec plura in omni tua latinitate rabioſiſſima, & ſtultiſſima inuenire, quam quæ poſuiſti, & proculdubio diabolus totum exhauſit infernum, cum tibi iſta ad calamum dictitaret. Res eſt in medio. Iudicent docti & periti. Rideo carbonarium iſtum ſtultum. Nullis argumentis me poteſt refellere. Ad ſcelerata, diabolica, aniliaque conuitia deſcendit. Si hoc eſt ſapere & refutare aduerſarios, Guiberte, non male per 40. annos Paracelſicus nebulo fuiſti. Non calamis ſolum æquiparas, (imo longis paſſibus antecedis) ſed voce magiſtrum. Nunquam Paracelſus, nunquam Monachus, Baſilius Valentinus, nec vllus alius ſcurra, nebulo, & quicquid eſt vſpiam ſtultorum & furioſorum hominum, ne Boggius quidem Florentinus in inuectiuis in Vallam, Felicem antipapam, & Franciſcum Philelphum, tam fœcundi fuerunt rabie & conuitiis, quam tu in hac tua ſcelerata & diabolica apologia. Hæc ſunt tua Polyphemica, & Pyrgopolinica & Thraſonica, quibus dicebas te meam defenſionem demoliturum. Quo peior quiſque eſt, eo tuis copiis eſt inſtructior. Ego vero ſecurus rideo tuam amentiam, nec is ſum, qui verbis & conuitiis in fugam poſſit verti. Latito ſub clypeo optimæ conſcientiæ, & veritatis irrefragabilis. Si vir es, vel pilum mihi detrahe, aut ſaltem tange in diſputatione iſta. Plorabis, & de laqueo tibi diſpicies.

O profundæ ſapiẽtiæ tractatũ, quem Libauius nõ potuerit intelligere.

Gretſerus.

Ridebit & Gretſerus ea, quæ ſcribis pag. 38. vbi tribuis ei plures in me libros. Fortaſſe cortices dicis, & fatuas membranas. Ego nihil præter delirum antimonium vidi. Poſt veritatis Chriſti de eo triumphum commiſeratione potius quam reſpondendi impotentia tactus hominem & ſuis aduerſariis, & iudicio Eccleſiæ Chriſti commiſi. Similes aſſident ſimilibus, graculi graculis, ſturni ſturnis, diabolus delectatur diabolo. Ideo tibi Gretſeriana conuitia, quæ vide an tantum pattem, profeſſorem quatuor votorum, & Ieſu imitatorem deceant, adeo placent, vt aliquoties ea repoſueris. Pergite ita diſputare. Nihil alienum facitis à Chriſti oſoribus & inimicis. Accipietis præmium veſtra malitia dignum. Si quis hominem aliquem immodice laudat, is pro fatuo, aut mendace habetur, & ridetur ab omnibus. Neque enim perfectio tanta poteſt cadere in peccatis obnoxium. Quid dicendum ſi quis hominem Chriſtianum, Chriſti ſanguine ablutum, iam per 60. annos vitæ inculpatæ ciuiliter, & pluribus teſtimoniis ornatum à viris ſummis tam fœde laceret & criminetur, quam nullus poſſit diabolus, & ne auſit quidem? Si quæ obiiciuntur, omnium bonorum iudicio non poſſunt cadere in eum, cui obiiciuntur, obiicientes mania mentis correptos eſſe certum eſt argumentum. Nam plane idem facere ſolent diabolica mania occupati, quos ideo nullus curat, ſed potius miſeratur eorum morbum. Eadem dico de Guiberto, Gretſero, & quouis alio conuitiatore. Quid quæritis inſulſi conuitiatores? Ego ſecurus rideo veſtras amentias. Vnum te moneo Guiberte. Quatuor ſunt argumenta, quæ me mouent, vt, quanquam varie me afficias varietate tuorum probrorum, vt non ſemper ſim eiuſmodi, tui me miſereat. Primum agnoſcis pag. 43. maledicentiam tuam, cum ſcribis: *Sed laterem lauo. Lætatur enim & pingueſcit maledicentia Libauius.* Si ego pingueſco maledicentia, tu es maledicus. Si pingueſco: hoc autem eſt benedictionis diuinæ: tuæ maledictiones mihi cedunt in benedictionem, pro qua Deo omnipotenti, & Chriſto meo ſit gratia & gloria in æternum. Secundum habes pag. 31. vbi ais *in loco tuo, ſeu angulo nihil eſſe laudabilium ſtudiorum.* Conſequens eſt, quia quiſque ſequitur morem patriæ ſuæ, te illaudabilibus aſſueuiſſe, & ad talia ab ortu eſſe deſtinatum. Non potes aliter ô miſer. Cur tibi ſuccenſeam valde? Tertium eſt, quia *Paracelſi ſectator fuiſti per annos* 40. In hac vita didiciſti Ariſtotelem, Galenum, Rupeſciſ-

Ita pag. 6. ſcribit Guibertus.

Pag. 39. & in veſtibulo libri: pag. quoque 5. 6. 7. 10

Vide præ cæteris pag. 40. vbi ingens plauſtrum cõuitiorum: quæ continuantur p. 41. 42.

N B.

Guibertus ſe maledicum agnoſcit.

Sua ſtudia illaudata profitetur.

Annos 40. in errore conſumſit, nec potuit diſcere vera.

Rupeſciſſam, Arnoldum, Albertum, imo & LVTHERVM & Papam extreme contemnere. Licet ergo ad Eccleſiam Papalem te receperis, tamen adhuc retines ſaporem illum, quem ex Paracelſo traxiſti? Quartum dicam an ſileam? Ego ſum Chriſti; Tu es Belialis. Ego, vt de me ex Gretſero ſcribis pag. 40. nihil extra ſcripturam credo: Tu credis de his, quæ ad fidem pertinent Chriſti, & ſalutem etiam multa non ſcripta, & ab hominibus inuenta: Ego controuerſiarum iudicem vnicum agnoſco Chriſtum in verbo Scripturæ iudicia ſua proponentem: Tu extra Chriſtum habes iudices alios: Ego cito ſacram Scripturam in ſenſu Spiritus ſancti: Tu in ſenſu ſpiritus dæmoniorum: Tu cum Gretſero tuo horribiliter mentiris me bene mereri de Iuda Iſcariote: (nihil enim huius rei mihi ſum conſcius) & facere apoſtolos hæreticos. (quod quomodo fieri poſſit, cum eorum doctrina ſit fundamentum Eccleſiæ Chriſti ſummo angulari lapide Chriſto, & ipſi, quo ad Spiritus ſancti præſentiam infallibilem, teſtes irrefragabiles, fateor me intelligere non poſſe, niſi forte Eccleſia fuit prior ſuo fundamento) Ego vero & ſacram Scripturam ſenſu eius Spiritus accipio, quo ſcripta eſt, tibique opto, vt idem facias; non mentior, ſed verum dico, & confidenter nego vos me redarguere poſſe: Iſcariotem relinquo ſuo iudicio; Apoſtolorum doctrinam Chriſti eſſe profiteor, eamq; & vitam mihi eſſe ſentio indubitanter, & ab omni morte miſera remedium diuinum, infallibile. Tam tu, quam Gretſerus mendacium ſcribitis, cum illinitis ſceleratis, & impiis, imo diabolicis veſtris chartis me diffidere à prædicantibus, ſi eos intelligitis, qui Ratisbonæ fidem Chriſti contra omnem aſtutiam inimici defenderunt: Mentimini diabolice, cum me Donatiſtam facitis, & vt pag. 41. calumniaris, me efferre me ſuper omnes prædicantes, quorum corrigias calceamentorum, vt ſoluam fateor me indigniſſimum eſſe, & libenter ad pedes eorum in imis ſubſelliis hæreo. De Dialectica quid vos omnes poſſitis? Audete quid, ſi viri eſtis. Egregia laus eſt te cum Gretſero tanta in me effudiſſe conuitia, *vt eis portandis non ſufficeret aſinus*, quod ſcribis pag. 41. Gaudete hoc veſtro onere ô aſini turpes. Tandem in inferno, ni reſipiſcetis, procumbentes temere rudetis. Cum hoc recitarem cuidam viro nobili & præclaro, reſpondebat: Oportebat ergo Guibertum grandi aſino grandiorem eſſe beſtiam, qui iſta conuitia comportare potuit. Ecce hoc tuo merito tibi cape. Vtor argumento:

Guibertus ideo in Libauium inſanit, quia eſt religionis aduerſa.

NB. diabolicas calumnias Guiberti.

Nota conuitiorum molem, quam ASINVS non portet.

Qui in aduerſarium argumentantem pro argumentis tantum conijcit conuitiorum, quantum non portauerit ASINVS, eius cauſam perditam & deſperatam eſſe, illud eſt euidentiſſimum ſignum.

Gretſerus & Guibertus in ſuum aduerſarium argumentantem pro argumentis tantum coniecerunt conuitiorum quantum ne aſinus quidem portauerit.

Gretſeri ergo & Guiberti cauſam perditam & deſperatam eſſe, id eſt euidentiſſimum ſignum.

Propoſitio rata eſt. Qui enim liberali eſt ingenio, etiamſi aliquando cogitur ſcapham appellare ſcapham, tamen non huic, ſed argumentis confidit, & in his palmam ponit. Quis eſt morio, aut ludio, qui non queat aſininas illas moles ſuperare? An ideo vicerit argumentis? Quis Leno, aut quæ vetula non queat ſimilia fundere? Non me terrebitis aſinina criminum mole, quæ ſi poteſt aliquid, iam perierint plurimæ nationes.

CAPVT XIV.

Guibertus poſt molem conuitiorum plus quam aſininam, fugit pugnam.

VT te imbellem & rabidam vetulam eſſe probes, declinas forum, & conuitiis inanibus cumulatim & vltra vires aſini proiectis acie excedis. Ita enim ais pag. 44. *Laborem iteratum contra Alchymiam ſuſcepi.* Quo fine? Num vt tua argumenta defenderes, & meas ſolutiones infringeres? Non. Res ipſa loquitur te auxilio calumniatoris & conuitiatoris impudentiſſimi pagellas pene omnes portentoſa inſania & rabie impleuiſſe. Hoc quod feciſti, id ſtuduiſti, & tibi propoſuiſti. Deinde tuis verbis dicis *te iteratum laborem ſuſcepiſſe, non vt ſperes Libauium ſanare*: (in quo non falleris. Nam non ægrotat, vt te medico indigeat, & in hac cauſa nimis contra te valet.) Cur ergo? *Vt auerterem* (inquis) *curioſos à dogmatibus Chymiſticæ peruerſitatis inquirendis.* Erras mi homo. Tu allicis curioſos. Cum enim videant te nihil præter conuitia contra Libauium afferre, fortitudinem & veritatem Chymiæ tranſmutatoriæ intelligunt, & ad eam feruntur auidius. Tantus iactator & gigas, ſeu potius ampullator, cum deficit in oppugnatione & expugnatione, neceſſe eſt caſtrum, quod oppugnandum ſuſcepit admodum robuſtum eſſe, præſertim cum omnia vndiquaque auxilia contraxerit fruſtra, & non niſi cum [illegible] damno arietes & tormenta admouerit, cogaturque perditis armis, copiis auxiliaribus & [illegible] terga vertere. Ecquis alius finis? *Vt oſtenderem errores & fabularum monſtra, quibus* [illegible] *Chymici libri ante annos ſexcentos à ſpiritu erroris.* At tu nihil oſtendiſti. Putasne nos verbis [illegible] dici? Manus noſtræ ſunt oculatæ. Credunt quod vident. Manus mentis intelligimus. Demonſtra & effice, vt neceſſitate argumentorum coacti non poſſimus aliter quam tibi aſtipulari. Hic deficis. Si pari arte vti velimus, quid non poſſimus refutare? Ecce mentiris in ipſo hoc fine. 1. Cum errores vocas, quos nullos demonſtraſti in Alchymia vera: (tuam impoſtoriam per 40. annos quæſitam & inuentam non moramur) 2. Cum monſtra fabularum, quæ ſic vocas, at non conuincis eſſe: 3. Dicis libros Chymicos eſſe iis refertiſſimos, cum parabolis quidem vtantur ſapientes, ſed interim etiam ex natura & experientia rationes pulcerrimas, lucidiſſimas & validiſſimas adhibeant. 4. A ſpiritu erroris ais inſpiratos eſſe libros, hoc eſt à diabolo, vbi tu dona Dei perfecta ad diabolum grandi cum impietate refers. 5. Cum ais id factum ante ſexcentos tantum annos, mendacium ſuperius repetis, & contra tuam conſcientiam ſcribis. Nam longe antiquior eſt Alchymia, & quidem ante ſexcentos inuenta, ſed non tantum.

Bona neceſſe eſt eſſe, quæ ab improbis fruſtra oppugnantur.

Dic alium

Dic alium finem: Cur iterum ſcribis contra Alchymiam tranſmutatoriam Hermetis? *Vt inſtlices confundantur ſero nimis.* O te confuſorem. Si anilibus vltra aſini pondus conuitiis expediri res poſſet, palmam ferres. Quis enim te & Gretſero ſceleratior maledicendo? Tu confuſurus Chymicos hermeticos confuſionem tantam reportaſti, vt in reſpondendo neque a, neque b, neque c, inuenire poſſis. Quid autem vocas infelices cum nullus te ſit infelicior? Quadraginta totos annos intra Carbones Paracelſicos conſumſiſti, nec potuiſti veræ Medicinæ, Alchymiæ & Philoſophiæ principia diſcere, niſi quod ſero nimis obiter inſpexiſti *Galenum, Scaligerum*, & quoſdam alios circa marginem oberrantes, ex quibus aliquid pro tua opinione, vt araneus ex flore vtiliſſimo, ſuxiſti quidem, ſed concoquere adeo non potuiſti, vt omnia cruda cum teterrimis fœtoribus reuomas. Tune felicitatem aliquam tibi arrogare auſis? In quo loco vixiſti poſt errores tuos? Dicam tuis verbis ex pag. 31. *In eo in quo nihil laudabilium ſtudiorum eſt inuenire.* Ex tam bellis inſidiis in paratiſſimum Chymicorum exercitum vetula amens inſilis. Scilicet ex Lotharingia expectandus erat, qui Europam, Aſiam, Africam, & inſulas doceret mentiri omnes, qui æs ex ferro fieri dicerent, & impoſſibilem eſſe metallorum corruptionem ad generationem alterius, tametſi etiam in fauillam vertantur quædam, vt calaem in fumum album.

Confuſor confuſus.

Infeliciſſimus Guibertus.

Alius finis: *Vt reuertantur ad veritatem.* Non. Non inquam. Nam tua apologia confirmantur in vera veritate, tuam autem veritatem vident plus quam lynceis oculis eſſe fallaciam & inanem perſuaſionem. Tu à veris rationibus longius abes quam à cœlo tartarus. Tu in ignorantia turpiſſima plus quam miſerrime detineris. Quid opus verbis? Accingere armis Philoſophicis, Logicis, Phyſicis, Chymicis, iuxta rationem non fallentem & liquidam experientiam. Congredere cum meis argumentis. Fruſtra garris de aliis, quæ, ſi viceris, per ſe conſequentur. Num autem Defenſio Libauii interim manet? Nihilne omnino habes contra eam? Firmior eſt quam vt maledictis proſternatur, & verborum inanium ſono diſſipetur. Ecquid audes contra? *Non eſt*, inquis pag. 44. *conſilium meum, vt errores omnes Libauij hac apologia congeram ac depellam.* Ha ha he. Quando reſpondebis argumentis? Mitte errores, & hoc age. Poſtea ſicubi me erraſſe demonſtraueris, bonam à me inibis gratiam. De ictero correptis narrant quod, ſi & oculi occupati ſunt flauo, omnia flaua eſſe putent, & amara guſtu omnia. Sunt & fatui qui nihil rectum arbitrantur, niſi quod ipſis videtur. Et ſenſu, & mente laboras miſer. Ideo error tibi eſt quodcunq; diſplicet. Sed tu trabem prius ex oculo tuo. Cur vero detrectas reſponſionem ad Libauii defenſionem? I. *Eſſet onus magnum.* Bene. II. *Longiſſima ſunt fabula.* Euge. III. *Diſputationes maxime intricata.* Hui. IV. *Obiectiones inutiles.* Iſtuc eſt ſapere. V. *Meum librum alio longiori conatus eſt euertere.* Fortiter. Nempe tu putas te non poſſe meas rationes diluere, niſi libro adhuc prolixiore? Si chartas, quas conuitiis impleuiſti, argumentis doctis impendiſſes nullo prolixiore opus eſſet libro. Tibi videntur eſſe ineptiæ & deliramenta. Quam facile ineptias & deliria diſcuſſeris? Dic vero per muſas tuas quomodo conueniunt diſputationes intricaciſſimæ, & inepta deliria, eaque mera? Si adeo impeditæ ſunt diſputationes, vnde tibi tam facile de iis iudicium? VI. Vis tamen *aliquid, & non nihil præſtare.* Quid quæſo illud? *Sufficiet*, inquis, *hic PAVCA, QVAE nihil aduerſum, vt aiunt, ſed ad calumnias pertinent refutaſſe, & admonuiſſe Lectorem ME in libro DE INTERITV ALCHYMIAE omnibus veritatis amatoribus ſufficienter ſatisfeciſſe, ac ſingula Libauij errata, qua ad Alchymiam ſuſtentandam videntur pertinere ſuo quaque loco & ordine, & iuxta rei genus efficaci declaratione oſtendiſſe, &c.* Niſi mera ænigmata fundis, intelligo ſcopum apologiæ iſtius tuæ ſceleratæ & diabolicæ fuiſſe non rem, de qua eſt controuerſia tangere, ſed tantum refutare calumnias. At qua arte hoc effectum reddidiſti? Tanto pondere conuitiorum eructato vt aſinus portando non ſufficiat. Bellum certamen, quod te longe melius vetulæ, lenones, moriones, & ludiones Plautini certauerint. II. Directum diſputationis modum fugis. Indirectum monſtras, & lectorem ablegas ad nouam palæſtram de interitu Alchymiæ. Non ſapis Guiberte. Non nouam litem expectant lectores, ſed reſponſionem ad priorem, idque præſentibus argumentis. Non defenditur veritas fuga pugnæ: conferendæ ſunt manus præſente conflictu. De interitu Alchymiæ videbimus deinceps. III. Noto iudicium tuum de TVO illo interitu. Quid expectandum? *Sufficiens ſatisfactio omnibus veri amantibus.* Et pag. 47. *Docebo de ſententia doctiſſimorum virorum falſa eſſe, quæ Libauius de ſententia Sophiſtarum vera docere voluit: oſtendam ſcriptis eius non eſſe temere aſſentiendum, & ſuſpectum habendum eſſe etiam cum vera ſcribit.* Rem magnam præſtiteris niſi mentiaris. Deinde expectanda eſt etiam oſtenſio SINGVLORVM Libauii erratorum cum efficaci declaratione. Modeſtiæ erat, Guiberte, aliis iudicium committere. Neque enim ante victoriam triumphus eſt, & nos plærumque de noſtris iudicamus indulgentius. Id apparet ex tuis verbis. Vis *ſingula errata* ad ſuſtentandam Alchymiam pertinere viſa oſtendere, neque tamen omnibus & ſingulis obiectionibus reſpondere. Oportet ſane ſequi qua ducis. Sed vereor vt præſtes quod promittis. Recipis te intra Galeni ſcutum, qui vult *tempus conſumendum eſſe in ſolidis ſtudiis & operibus laude dignis.* Recte. Quo animo ergo veniſti ad apologiam tuam diabolicam & ſceleratam? Solidumne & laudabile ſtudium eſt tantum conuitiorum effundere, vt portandis non ſufficiat aſinus? Sex octerniones chartarum cum dimidio obleuiſti plus quam ſcurrilibus & diabolicis conuitiis. Hocne eſt tempus collocare in ſolida ſtudia? Fors ignoſcendum tibi eſt, quia pag. 31. ſcribis *te in eo loco eſſe, vbi nihil eſt laudabilium ſtudiorum.* Feriari, & dormire non potuiſti. Ergo ſtudium illaudabile ſuſcepiſti.

Fuga conſilium Guiberti.

Vide quaſo ſtultitiam hominis.

Nota propoſitum Guiberti, & apologia ſtatum.

Ars Guiberti qua repellit calumnias ſibi viſas.

Ingentia promittit.

Guibertus contra ſeipſum.

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

De arte diſſertrice Libauij.

IN arte differendi Ariſtarchus noſter Lotharus putat ſatis eſſe *tam eſſe quem verſatum, vt verum à falſo diſtinguere ſciat. Si quis procedat vlterius, iudicat hominem ineptum reddi inſtar ardelionis ſui:* (Ita vocat Libauium) Qualis is quæſo Dialecticus eſt? *Confidit de omnibus acutius quam par eſt, & locupletius diſputare, abſque propria ſcientiarum, in quibus diſceptat cognitione: ſemper diſcit, & nunquam ad ſcientiam peruenit.*

Sed ſubſiſtendum eſt, & videndum quid ſubſit verbis. Finis Dialecticæ eſt bene differere, hoc eſt, inuenire, & iudicare poſſe. Id tametſi pluribus officiis contineatur, tamen interdum excellentibus iſtis duobus enunciatur, accipiendo *verum* non tantum criticum, ſed & topicum iuxta Platonem.

Debet enim is, qui bene vti vult ratione, omnia argumenta topica noſſe, vt cauſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea definire, diuidere, &c. indeque ad bene iudicandum diſponere poſſe, ad quam rem non tantum quid verum, quid falſum, ſed & quid affirmatum, negatum, generale, ſpeciale, axiomaticum, ſyllogiſticum, methodicum, requiritur. Sunt autem diuerſæ profeſſiones. Quidam plenius debent noſſe Dialecticam: aliis ſatis eſt mediocris cognitio. Qui verſari in diſputationibus vult, eum oportet omnem angulum excuſſiſſe, ni velit aduerſario ſe ridendum, & comedendum propinare. Ad me quod attinet, non quidem mihi tribuo acumen vltra hominem, neque de omnibus, vt mentitur Guibertus, præſumo diſputare acutius & locupletius iuſto: veruntamen in diſciplina Chymica confido me præſtare poſſe, quod hactenus præſtiti. An id faciam tantum logice, & metaphyſice ſine propria ſpecialium ſcientiarum cognitione, iudicent viri boni, docti, & periti. Hoſtis ſcelerate & diabolice mentientis, & calumniantis iudicium eſt nullum. Semper diſcere quæ ignoro non me pudet: & erit in hac vita quod ſemper diſcamus. An autem nunquam ad ſcientiam aliquam peruenerim, aut perueunturus ſim, aliorum eſt iudicare, non hominis improbi, & peruerſi. Tu, Guiberte, cum reſpondere non poſſis, conuitiaris ſtultiſſimarum vetularum more, & cantilenam canis de Sophiſmatibus Chryſippæis. Quid hoc ad rem? Perditam tuam cauſam non ſaluabis obiiciendo Sophiſticæ calliditatem. Si Sophiſticus ſum, cur non redarguis? An tuus Ariſtoteles nullam habet redarguendi artem? Si didiciſti inter verum & falſum diſtinguere, etiam redarguere didiciſti. Sed fruſtra ex pumice oleum. *Negas me poſſe refellere tuas contra Alchymiam rationes.* Steti in procinctu, & adhuc ſto. Quando defines verbis inanibus agere? Non refutatæ ſunt tuæ rationes: Scilicet; ſi tuum *negare* ſatis eſt. Vtar hoc argumento viciſſim, *& negabo te vel Alchymiæ, vel meæ defenſioni quicquam potuiſſe detrahere.* Ecquid placeo? Num palmam dabis? Ais me credere tuas rationes eſſe falſas, meas veras. Ariolare. Non tantum credo, ſed & ſcio, & demonſtraui. Si vir es, repugna ex arte, & non rabie anili. Iudicent autem docti & periti. Tu interim ſpecimen & rudimentum quoddam tuæ artis nobis præbe. *Stulta negatio Guiberti.*

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

De examine tituli Defenſionis Libauij.

REPETIT Guibertus pag. 47. titulum defenſionis meæ quanquam decurtatum. De hoc ſic iudicat pag. 48. *Inſcriptio librorum debet eſſe quædam ſumma omnium rerum in iis explicatarum, facienda cum ſummo iudicio vt ſubiectum primo ſtatim initio nobis aperiatur.* Hæc eſt propoſitio: Inde aſſumitur: *Libauij inſcriptio non eſt talis. Ergo.* Aſſumtionis proſyllogiſmus: Quia eſt adeo inconſiderata, implicata, & tenebricoſa, vt nec verba, nec ſenſus prima facie ſatis intelligi poſſint. II. Legendus prius eſt totus liber, quam quid in eo doceatur cognoſci poſſit. III. Tum omnibus prope verbis libri mendax eſt, tum in ipſo titulo. Ratio eſt, quia illa promiſſa magnifica nuſpiam apparent, & rebus tractatis minime reſpondent. Ratio rationis: Quia tam manifeſte falſum eſt, quam quod falſiſſimum, ita expugnaſſe obiectiones Guiberti, vt facile pateat Alchymiam ex veræ ſapientiæ, atque etiam Ariſtotelicis principiis extructam eſſe, & ſibi perpetuo conſtare naturæ, & artis experimentis. Hoc quoque docetur per pag. 49. 50. 51. 52. verboſiſſime cum odioſiſſimis tautologiis. Summa eſt: In toto libro non inueniri veræ ſapientiæ locum, nec Ariſtotelis placitum, quod Alchymiæ principia fundet: ſed nec ex aliquo alio Philoſopho poſſe oſtendi, ſiue veteri, ſiue recentiori, qui Alchymiæ faueat. Obiectio: At Libauius contendit ſententias Guiberti ex Ariſtotele contra Alchymiam productas, contra eam minime facere. Reſpondet: I. Falſis argutiunculis id factum. II. Non, ſi oſtendit non facere contra Alchymiam, eam extructam eſſe ex veris principiis & fundamentis demonſtrauit. Aliud enim eſt impugnare aliena, & demonſtrare propria. Id quo deſtruitur contrarium, non ſtatim facit ad aſtruendum contrarium alterum.

III. Liba-

III. Libauius ſumſit maxime dubia, negata, perſpicue falſa, omnibusque controuerſa tanquam manifeſta. Demonſtratiua debent eſſe veritatis neceſſariæ.

IV. Aut Guibertus nihil intelligit, aut Libauius egregie inſanit, dum Chymiam Ariſtotelicis, & ſyncere Philoſophantium principiis ſe demonſtraſſe gloriatur. Ratio eſt, quia Guibertus nulla videt: Libauius ſumit incerta; non oſtendit propoſitiones, non medium demonſtrationis. Fabulas adduxit ad ſua mendacia ſtabilienda. Hæc eſt ſumma iudicii de titulo. Quid videtur? An non hoc eſt titulum, & librum vno halitu difflare? Sed bene res habent: Primum reſpondeo Guiberti artificio: Nego aſſumtionem ſyllogiſmi, & ad proſyllogiſmos dico, quod omnes petant principium, & ignorent elenchum. Nihil hic eſt quam Guiberti iudicium, & teſtimonium, quod putida nuce eſt putidius; inſipidius fungo, & ipſa ſtultitia ſtultius. Non eſt ſapientis vago modo dicere falſum, ineptum, ſumtum non demonſtratum eſt: In ſpecie, & determinate vnumquodque iudicandum. Ad prolepſin dico itidem arte Guiberti; prima reſponſio eſt falſa; ſecunda fatua; tertia mendax; quarta priorem partem disiuncti habet veram. Vere enim *Guibertus* nihil intelligit, nec videt, atque inſuper mentitur temerario auſu. Hoc ſaltem probabo, vt priores reſponſiones appareant veræ eſſe.

Reſponſio ad accuſationes tituli: Vbi nota modũ reſpondendi ex arte Guiberti.

Intellectus Guiberti.

Qui quadraginta totos annos hinc inde vagatus eſt ſtudio Paracelſicæ Alchymiæ, ætateque conſumta inter impoſtores, poſtea venit in eum locum, de quo ſcribit ipſe, quod *in eo nihil laudabilium ſtudiorum, præter infeliciſſimos ſacculos litigantium, & ſordidulos contractus, rabularumque cautelas inueniatur, quod ſumma virtus & gloria ibi ſit in cenſu, & inuaſione opum alienarum, adeo vt boni libri non importentur,* is non poteſt nec per ſe ſapuiſſe, nec ſapientiam fundamentaliter ex ſapientum libris factisue didiciſſe.

Laus patriæ Guiberti.

Aſſumo: Guibertus quadraginta totos annos, &c. Inde concluſio per ſe patet. Maiorem probo. Si enim per ſe ſapuiſſet, non dementatus Paracelſi perſuaſionibus, & autoritate optimam vitæ partem perdidiſſet, noctes diesq; ,vt ſcribit, laboratorio operam dando. Conſumta iam ætate ſtudiorum locus ipſi obſtitit, & vt ait medicationes crebræ. Ergo nec per bonos libros & autores potuit ſapere iam ſenex, tot implicatus occupationibus. Dicis: Ex libris hauſit ſapientiam: Nego id fieri potuiſſe propter ſenectutem & impedimenta. Deinde ingenium eius non admiſiſſe ſcientiam patet ſcriptis delitis. Si etiam habuit libros Ariſtotelis (ex quibus tamen vix citat quicquam, quod non legit apud Scaligerum, aut alios, qui Ariſtotelem citarunt prius) tamen quam ſint difficiles intellectu notum eſt, adeo vt totum pene tempus vitæ ſibi rapiant, nedum aliquam particulam horarum ſubciſiuarum, quam quis ſurripit cumulo aliorum negotiorum. Conſequens eſt Guibertum recte iurare pag. 51. *Se profecto nihil intelligere.* Si nihil intelligit, nec titulum libri mei, nec rem poteſt intelligere, atque ita eſt vanus iudex.

Secundo propter Tyrones Chymiæ demonſtrationem profero ex ipſo ſua opinione ſapientiſſimo Guiberto. Ita ſcribit lib. 2. Impugnationis cap. 1. *Vbi ſenſus noſtri nos erudire poſſunt, & vbi conſentientem experientiam habemus, ibi non opus eſt vel ratione, vel ſcriptorum teſtimoniis.* Ne hoc ipſi obiter excidiſſe dicas ter repetitur in eodem capite. Additur etiam ratio: *Multa fiunt natura & arte, quæ priusquam facta ſunt, fieri non poſſe videntur.* Imo ſe obſtringit, ſi vnum atque alterum ſaltem exemplum tranſmutationis verum ſit, ſe admiraturum artem, &c. Cap. 2. etiam cogi aſſentiri, ſi probatum fuerit ex plumbo fieri argentum viuum, &c. Citat & Ariſt. qui in 8. Phyſ. ſcribat, quod *quærere rationem, & dimittere ſenſus, infirmitas ſit quædam intellectus.* Quæ ſententia extat textu 22. vbi agit contra illos, qui rationibus concludebant *omnia quieſcere.* Hoc ſit principium ſyllogiſticum.

Aſſumo: *In hac quæſtione de hermetica metallorum tranſmutatione ſenſus noſtri nos poſſunt erudire, & conſentientem habemus experientiam. In hac ergo quæſtione non opus eſt ratione vel teſtimoniis.* Probo aſſumtum publica ferri in æs mutatione, non corroſi tantum, ſed & integrarum particularum, idque non vno modo tantum. Specimina ſunt in promtu. Adſit & videat cui lubet. Adſit & ad hoc, & videat quomodo plumbum in varias res ſimus mutaturi, inter quas etiam eſt argentum viuum. Adſit & inſpiciat mutationem ferri & æris in vitriolum, &c. Habemus porro magnum numerum teſtium irrefragabilium. Ita ergo totus primus liber rationum Guiberti ſiue ex Ariſtotele, ſiue aliunde ſint ſumtæ, diſploſus euanuit. Apud Ariſtotelem certe æs eſt tranſmutabile 1. metaph.

Ne deſideres principium Peripateticum primum iubeo te conſiderare metallorum generationem & foſſilium cap. vlt. lib. 3. Meteor. vbi ex halitibus gignit foſſilia, ex vaporibus commiſtis cum fumis, metalla, omniaque ruſum corrumpi poſſe vſtionibus excepto auro experienter aſſerit. *Quæ generabilia ſunt & corruptibilia ea ſunt tranſmutabilia.* Nonne? Μεταβολὴ enim eſt generatio & corruptio, idque plane Ariſtotelice, Phyſice, ſapienter, experienter. Aſſume: *Metalla ſunt generabilia & corruptibilia.* Negas? Habes Ariſtotelem aſſerentem. *Ergo metalla ſunt tranſmutabilia.* Adde & hoc: In 1. de ortu tex. 88. *Multa paucis, & magna paruis compoſita non faciunt miſtionem, ſed augmentationem dominantis. Mutatur enim alterum in dominans, &c.* Quod ſi vnum multum eſt actiuum, alterum vehementer paſſiuum, quia agentis naturalis finis eſt ſimilitudo paſſi, quod tota natura eſt decantatum, fit vt paſſiuum tranſmutetur in naturam agentis, vt in igni & combuſtilibus videmus: ſexcenta poſſem ex Ariſtotele proferre talia ſi opus foret. Stultus ille Guibertus putat cum ipſe ſit in Ariſtotelis lectione fungus, etiam alios eſſe.

Argumenta Ariſtotelica de metallorũ tranſmutatione.

Tertio conferantur tituli. Guibertus ratione & experientia impugnare & expugnare ſic vult Alchymiam, vt nunquam in poſterum ſe valeat erigere. Intelligit autem Alchymiam tranſmutatoriam, ſiue Hermetica ſit, ſiue Sophiſtica. Nihil autem præſtitit in vtroque libro, vt patuit. Quid me oportebat aliud promittere, quam *Alchymiam Hermeticarum tranſmutationum adeo non eſſe expugnatam, vt defendatur vera ſapientia, & Ariſtotelici Peripati principiis, & ſibi perpetuo conſtet ratione & experimentis*

De titulis librorum.

rimentis artis, naturaque firma, atque ita oppoſitum Guiberti conatui etiam vulgaribus Phyſicis pateat? Num autem hoc eſt in libro? Negat Guibertus malitia & declinatione fori. Res ipſa comprobat affirmatum. Ego quidem ſcurræ iſti, & Paracelſicæ ſectæ apoſtatæ non obligatus ſum ad reddendam rationem inſcriptionum mearum, ſiue tecte velim ſummam proponere, ſiue aperte: ſed tamen ſtudioſorum cauſa aliquid dicatur. Eſtne titulus talis vt argumentum libri indicet primo intuitu? Quidni? Quæ Alchymia oppugnatur, ea defenditur, idque argumentis rationis & experientiæ, aduerſantium rationibus & negationibus Guiberti. At vbi Ariſtotelica? Pag. 15. citatur Ariſtot. de ære & plumbo albo, qui locus eſt, 1. de ortu tex. 89. *Quando alterum ſolum paßiuum erit* (vt argentum viuum, plumbum, æs, &c.) *aut vehementer: illud autem valde remiſſe, aut nihil amplius quod miſtum eſt ex ambobus, aut parum efficitur, quod quidem contingit circa ſtannum & æs.* Hæc Ariſtoteles in comparatione duarum materiarum paſſiuarum. Nos analogice accommodamus ad actiua, & paſſiua, dicimusque: *ſi vnum ſit valde actiuum, vt formale, & igneum* (ignis maxime eſt formæ & actiuiſſimum elementorum) *alterum valde paßiuum, determinatum ita vt pati ab agente poßit, tunc hoc in illius naturam mutatur.* Ita eadem exempla Ariſtotelis accommodamus. Stannum ad eam ſubtilitatem & vim perducatur, vt maxime ſit ratione æris actiuum, id quod poſſe fieri, ars comprobat, & natura eius ignea, & rapax: æs purgetur, & ſic adaptetur, vt mercuriale fiat, committatur vtrumque. Stannum non tantum æs colorabit, ſed & in ſtannum eſſentialiter tranſmutabit. Eadem ratio eſt cæterorum metallorum. Confirmatur ſecundo axiomate ex 1. Elench. *Principium mole minimum poteſtate eſt maximum*, quo ipſo probatur proiectio Chymica, & per eam tranſmutatio, quæ poteſt ad ſenſum doceri etiam in elementari igni, & ſtipulis, vel naphtha, quæ paruo principio ignis incidente repente in flammam ingentem mutatur. Ecce tibi, Guiberte, principia Ariſtotelica duo; quæ dum tu non vidiſti, indicas te odio & ſtudio contradicendi fuiſſe excæcatum.

Pag. 21. Ariſtotelicum eſt, *aut nullam eſſe tranſmutationem, aut ex non ente, quod eſt alio modo aliquod aliud ens, & ſic ſpecies, fieri ens, quæ & ipſa ſpecies.* Non aſſcripſi autoritatem. At tu ſi tam es Ariſtotelicus debuiſti facile ſermonem Ariſtotelis agnoſcere. Refer huc totam doctrinam de generatione, & corruptione, quæ eſt in 3. de cœlo, in libris de ortu, de partibus & generatione animalium, de meteoris, de nutritione in libris de anima, &c. Veterum opiniones habes in 3. de cœlo tex. 2. & 3. tex. 29. *Aliud ex alio corpus fieri eſt poßibile: ex nulla alia praexiſtente magnitudine eſt impoßibile. Si id quod potentia eſt corpus nullum, eſt aliud actu corpus prius, vacuum ſeparatum erit, quod impoßibile.*

Non ſi non citaui Ariſtotelem, argumenta nō ſunt Ariſtotelica.

Citatur tota Peripatetica diſciplina pag. 24. de generatione & corruptione. Pag. 25. Iterum quartus meteororum producitur de coctione naturali & artificiali. Hinc Chymici diſcunt, vaſa artis ſimiliter naturæ accommodare, & iiſdem inſtrumentis, materiaque vti, verum ita vt ars hic imitetur partim, partim exuperet naturam. Pag. 27. de ſpeciebus ex imperfecto in perfectum, ita vt illud imperfectum ſit aliud ens actu prius, iterum doctrina eſt Ariſtotelica. Pag. 34. habet de circulari generatione contra Guibertum ex lib. Ariſt. de cœlo, & de ortu. Vide 3. de cœlo tex. 60. 1. de ortu tex. 17. & 20. & 23. vbi ex tota genitura ſanguis: 2. de ortu cap. 4. tex. 24. 25. 26. &c.

Citatur ibidem & locus ex 1. meteor. cap. 9. ad refutandum Guibertum negantem generationes circulares: Item aliquot loca p. 35. 36. 39. vbi & Hippocrates. Rurſus pag. 41. & 43. & 44. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 53. 54. 55. 58. 59. 60. 62. 65. 66. 72. 73. 83. 84. 85. 86. 87. 90. 96. 97. 98. 99. 103. 130. 133. 139. 141. 143. 168. 170. 173. 183. 184. 190. 225. 244. 286. 289. 304. Circiter quinquagies octies citaui Ariſtotelem, & Guibertus ille ingens Ariſtotelicus & plus quam Lynceus iudex non vidit? O cæcitatem mentis plus quam Thamyricam. Addidi varii generis Philoſophos, Medicos, Theologos, Sacra Biblia, Chymicos, Metallurgos, Hiſtoricos, Sacros, Profanos, ſigillatim, coniunctim, vt facile impleatur centenarius numerus: produxi principia, rationes, experientiam: Et tamen Guiberto non ſatisfacio? Nihil refert. Bono animo eſte mei Chymici hermetici. Nunquam à diabolo, & eius filiis aut antichriſto, eiusque mancipiis obtinebimus, vt ſe erraſſe confiteantur, & ad veritatem accedant. Hoc tamen ex commiſeratione do conſilii, miſeremini hominis iam ſeptuagenarii aut circiter. Primo deceptus mente putauit in Ariſtotele extare debere ipſum ſpecialem modum tranſmutationis rerum. Secundo non vacauit ei per integrum decennium legere Ariſtotelem, & fors defuit liber, quia in Lotharingiam nihil infertur bonorum, vt ſcribit, ſtudiorum. Tertio, non potuit intelligere etiam ſi habuiſſet, quia eſt fatuus. Quarto ab aliquo Gheſuitula per ſomnum videtur aliquid de Ariſtotele audiuiſſe & non potuiſſe diiudicare. Quinto non ſiuit eum ſapere furia. Omnino eſt miſer. Mittatur in purgatorium. Fiet fabula etiam apud ſuos monachos, quorum magna pars eſt Chymicæ profeſſionis.

CAPVT XVII.

De Latina dictione Libauii.

CVM diſputantem oporteat eius ſcientiæ & artis diſciplinam ſequi, cuius eſt materia, de qua diſputatur: Guibertus autem in furnulis 40. annorum & caminis nullam probatam latinitatem inuenerit, neque didicerit logice, phyſice, chymice, metallice loqui, ſciens aliquoties ſibi & à me & ab Hoghelandæo obiectum eſſe ſolœciſmum, callidus homo crimen Barbatiſmi mihi obiicit. Id Chymicos noſtros, Hermeticos, Ariſtotelicos, Logicos tam ſuauiter afficit, vt riſu pene emoriantur. Quid enim? Barbarus ſum homini ſtupido, imperito, rudi, ſtulto, qui auſus fuit eius ſcientiæ palæſtram ingredi, cuius linguam & diſciplinæ morem ignorat. Vbi vero fuſtes & ſcuticæ in iſtum bœoticum porcum, & pecus arcadicum? Tam male impenſi ſunt iam quinquaginta anni,

Libauius à-pud Barbarū & infantem Guibertum eſt Barbarus.

vt latine ſcribentem, & chymice, metalliceque loquentem non intelligat? Sed bona eſt excuſatio: In furnis Paracelſi nulla eſt probata latinitas, in Lotharingiam non importantur bonæ literæ. Veruntamen audiatur. Quid quæſo dicit?

Non eſt dubitandum, inquit pag. 52. *quin ſtatim iudicet totum Libauij ſermonem.* Qualem? *Impurum: Barbarum: Vitioſum: Aſperum: Horridum: Perplexum: Plicis & tricis inuolutum: Dicendo quidem nimium, at tenebris ipſis tenebroſiorem: Vnde oratio ænigmatica, amphibologiarum plena, data opera obſcuritas affectata, vt aliquid magnum vbique dicere videatur, cum tamen leuia quadam dicat, & peruulgata, quæ intelligi non poſſe videntur, quia res in profundo tractare fingit, ad quas intelligendum nemo ſit idoneus. Verba ſexcenta præter communem ſignificationem vſurpata, vocum nouitates, phraſes, & dicendi modos à communi vſu omnino alienos.* Hoc vt probet, exemplum ſumit ex inſcriptione, de qua mox. Hæc ille.

Doleo tuam vicem, Guiberte, & miſeret me tui. In Lotharingia ſcribis pag 31. vbi locorum tu agis, *nihil eſſe laudabilium ſtudiorum. Ergo nec eloquentiæ artificioſæ.* Si ſciuiſſem quali lingua vos vteremini, fortaſſis interpretem conduxiſſem. Et cur cum Gheſuitularum admirator ſis mihi obiicis obſcuritatem? An neſcis eos æquiuocare? Sed miror etiam quî non intelligas meum ſermonem, cum plæraque ex tuo libro repetat. An ne tuum quidem ſtylum intelligis? Ita argumentor:

Qui ſtylum, ſeu genus dicendi aduerſarij non intelligit, non poteſt res quæ in diſceptationem veniunt, capere. Verba enim ſunt rerum notæ.

Nicolaus Guibertus Lotharus medicus non intelligit genus dicendi ſui aduerſarij. Nicol. Guibert. ergo Loth. non poteſt res de quibus diſceptatur capere. Rurſus: Quod parum nouit nemo docere poteſt, & ſi de ignoris diſputat in aerem loquitur, & delirantium anicularum, vel ebriorum more inſanit. Guibert. id facit. Ergo. Quæ te intemperiæ induxerunt, vt cum decennium integrum ſilueris, iam in arenam prodieris? An ne decennio integro quidem potuiſti tibi meum ſtylum familiarem facere? An ſtupidior es illo qui duodecim annis non potuit alphabetum latinum diſcere? Ratichius pueros docere intra triennium dicitur plures linguas. Quid tu? Qua porro fiducia in me tam licenter debaccharis? Si non intelligis quæ ſcripſi, an non Deum metuebas, qui tuam iſtam proteruiam ſit puniturus? Neceſſe enim eſt omnia animo calumniandi dicta eſſe, quæcunque mihi obiicis, & iniuriæ ergo in calamum fluxiſſe. Sed tu nec conſcientiam habere videris, nec Deum vindicem curare. Quid autem ſi tu ſtyli difficultatem prætexeres tuæ inſcitiæ & perditæ cauſæ? Non potes ad res reſpondere. Genus orationis accuſas. Sed Chymici hermetici tam imbelli telo non conficiuntur. Ridicule deliras. Meus ſermo eſt plicis & tricis implicatus: Quis te ergo expediuit & extricauit? Eſt vitioſus, impurus, aſper, horridus, &c. Comporta vocabula ignominioſa quotquot habes in toto Calepino, vt fiat onus ASINO impar. Quid refert? Dicendum eſt conuitia in ſermonem Libauii. Vnum vitium dixeris, omnia dixeris, ſicut qui vnam legem violat, omnium eſt reus. Itaque tam fœcundus es, quia omnia vitia noſti quidem, ſed vocabulis tantum. Alias nullum incurriſſes, ſi rem ſciuiſſes. Apud Plautum id officium eſt nebulonum, ſcurrarum, lenonum. Horum perſonam geris ne? Sed tu Phreneticus eras cum iſta ſcriberes ex poculo Circes. Ex eo didiciſti quoque (nam fertur eſſe magicum, & homines tranſmutare poſſe) me leuicula dicere, & peruulgata oratione ænigmatica, amphibologa, tenebris tenebroſiore. Noctua es. Per tenebras videre potes. Lumen meum te excœcat. Sed profer exemplum.

Guibertus hæret in Libauii latinitate, & tamen ingentes pugnas crepat.

CAPVT XVIII.

Quid ſit Ariſtotelicus Peripatus.

DEmonſtraturus Guibertus meum ſtylum eſſe tenebris tenebroſiorem, impurum, barbarum, &c. producit *Ariſtotelicum Peripatum* ex titulo libri. Quid hoc rei? Diuinate omnes ſortilegi, & coniectores, Oedipique. Acceſſite etiam Danielem quendam arcanæ ſcripturæ peritum. Foris enim ſcriptum eſt; *Mene, Thekel, Phares, Vpharſim*, quod nullus ariolus poſſit legere. Adeſt quidam neſcio ex qua regione & gente, qui iudicat ſignificare illud Apocal. 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, volucriſq; immundæ & odibilis.* Alius putat Græca eſſe verba, & ſonare: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, & reliqua quæ ſunt 2. Theſſal. 2. Tertius audet aſſeuerare nihil aliud eſſe, quam quod ex Ebraico in Græcum ſermonem apud Matthæum translatum legitur: *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia*, quæ Paulus vocat σημεῖα καὶ τέρατα ψεύδους, de quibus loquitur & Apocal. 13. Tot interpretibus diſſentientibus ipſe dubito quid voluerim, & forte dormiens ſcripſi. Quid ſi eſſet περίπλους Arriani, aut ἄπνους Heraclidis, vel Empedoclis? Quid tibi videtur Guiberte? Es enim bonus coniector, & Daniele ſapientior. *Voluiſti* (inquis pag. 53.) *ſignificare per Antonomaſiam Ariſtotelem Peripateticorum principem, vt intelligi poteſt ex verbis.* Euge: Habes ſpiritum quendam Deorum. Nam ſine illo quî poſſes rem adeo abſtruſam diuinare? Sed num recte ſic ſum locutus? Minime. *Imo nullo iure, nullo more, nullo exemplo.* Parce vero. Diuinator non refellit oraculum, ſed interpretatur. Cur nullo iure? *Videat omnia lexica* (inquis.) Mirum lexica omnia in Lotharingia eſſe, in quam tamen teſte Guiberto nihil laudabilium ſtudiorum infertur. Quid autem hæc? Vox περίπατος (ſcribam græce, quia tu non ſcis græce) ſignificat idem quod *deambulatio* apud Latinos: *Ea vero eſt actus deambulandi.* Hem ſapientiam. Putabam Lotharingicæ eſſe caminum, aut fornicem carbonarium, in quo oportuit te, tuique ſimiles per totos 40. circumire, & ſpaciari annos. Si lexica conſulenda arbitratus fuiſſem, adieciſſem meæ defenſioni *Lexicon*, ſicut *Dornæus*, & *Dorneiſerus* Paracelſi ſcriptis. Meminiſtin'? Oportet te meminiſſe.

Peripatus Ariſtotelicus Guiberto eſt Ariſtoteles.

Quî enim

Quî enim Paracelſi ſtylum totos 40. annos ſciuiſſes ſine lexico, & eſt religio vulgare myſteria? Si Paracelſum non intellexiſti, cur tam ingratus fuiſti erga Deum naturæ, erga patriam, parentes, amicos, vt quadragenatius Paracelſiſta eſſe ſuſtineres? Didiciſtine domum reuerſus? Non. Nam in eo loco es *in quo nihil laudabilium ſtudiorum eſt inuenire.* Sed quid ludimus? Ego te abſoluam. Putabam mihi eſſe bellum cum virili impugnatore & expugnatore Alchymiæ, & ecce cum fungo inſipido tempus triui. Tene accedere ad diſputationem ſeriam, qui vbi verbum occurrit non ſatis Lotharingicum cogeris confugere ad lexica? In meo lexico περίπατος ſignificat ambulationem. Conſentis? Imo. Salua res eſt. Deinde ſæpe ponitur adiunctum pro ſubiecto, per metonymiam, vt ambulationis vox pro loco vbi ambulatur. Itane? Vnde venis? Ex Peripato: Ex catadromo. Vide ne errem. Meum Lexicum id affirmat, teſtimonio Xenophontis & Ariſtophanis, qui tibi fortaſſe ſunt putidæ caſtaneæ. Quid autem iſta ſcholaſticalia ad Chymicos? Tu es ſapientior ſapientia. Ego fateor in me conuenire iſta: ſtipes, plumbum, ſpongia. In te non poteſt eorum quicquam. Nam ſtultitia tua exuperat omnia. Vt tamen ex meo lexico euadas eruditior (nam me miſeret tui) ſuppone manum ferulæ, & diſce, quod ambulatio (nam græce neſcis) pro cœtu ambulantium accipiatur tropo quodam effecti pro cauſa. Cum ergo dico hermeticam Alchymiam (non tuam impoſtoriam) extructam eſſe ex principiis Ariſtotelici Peripati, ſenſus eſt, ex principiis eorum, qui ambulando diſputant in ſchola Ariſtotelis Lyceio. Quia vero hi tandem diſciplinam conſtituerunt, ambulatio ſumitur pro factione & profeſſione ambulantium, quæ eſt metonymia adiuncti. Hæc tu neque in carbonaria Paracelſi inuenire potuiſti, neque in Lotharingia TVA diſcere, quia *vtrobique nihil eſt laudabilium ſtudiorum, te* (non me) *teſte inuenire.* Qua quæſo pythoniſſa vſus es, cum de ſignificatione termini ſolicitus eſſes? Quis tibi dixit in MEO LEXICO Peripatum Ariſtotelicum eſſe Ariſtotelem, & non ambulationem pro ambulantibus poſitam eſſe? Cur enim non dicam: factio pro factioſis, audacia pro audacibus, ſcelus pro ſceleſto, ambulatio pro ambulantibus; ambulantes pro ambulantium hæreſi, ſicut mendicantes, pro ſodalitio mendicantium? Sic conſeſſum, concilium, ſynedrium dicimus. Eccleſia eſt euocatio, & pro cœtu euocatorum ponitur. In pontificatu ſæpe Cardinalium congregationem ſignificat, quæ eſt Eccleſia repræſentatiua: aliquando Papam, quem aiunt eſſe Eccleſiam virtualem. Tu nimium es ſapidulus & rigidulus. Diſputantium voces ſunt liberiores, & debent accipi pro materia præſente. Pag. 54. mitius inſanis. Nam concedis apud Platonem accipi pro *diſputatione Philoſophica.* Recte. Iam aſſecutus es meam mentem. Nam Ariſtotelicus Peripatus mihi eſt diſciplina & ſecta Ariſtotelica. Non enim ſolus Ariſtoteles ambulauit diſputando. Hîc iam compoſiti ſumus.

Ecce fructū meæ diſputationu. Guibertus iſt ins Lexicum geiagt.

CAPVT XIX.

De Græciſſatione Libauii.

VTINAM ſciuiſſem Lotharingice aut Gallice, ſiue enim Latine ſiue Græce loquar, Guiberto non placeo. Lotharingice ſcribendum fuiſſe teor, vt hic balneator, *in cuius loco nihil eſt laudabilium ſtudiorum,* me potuiſſet intelligere. Ecquid rei eſt? An Nicolaus Guibertus medicinæ Doctor, oppugnator & expugnator Alchymiæ, Hermeticæ, & Sophiſticæ, Patria Lotharus in angulo Galliæ, ignorat latine & græce. Neſcio. Ipſe ſcribit *nihil laudabilium ſtudiorum ibi inueniri.* An autem vult græce? Non: Non: Non: Pereant Græci. Non poſſunt in patria Guiberti intelligi, quia *ibi nihil eſt laudabilium ſtudiorum,* & credo ſi quis Græcus ad Guibertum accederet ſtipem petiturus, ne teruncium quidem acciperet. Libauius tertio quoque verbo audet græcizare. Itane? Quot habet paginas defenſio? Numero 308. Quot verba? Non eſt mihi otium numerare. Quot Græciſſitates? Neque has auſim percenſere. Multa enim Græcia intulit in Latium, quæ ab ipſo ciuitate ſunt donata, eſtque inter præcepta poetica græco fonte parce detortis vocabulis poſſe ditari latinam linguam, quin & noua rerum nomina proferri. Veruntamen & alia Græca immiſcui. Recenſe: pag. 32. ἀμέσως. Pag. 39. aphoriſmus Hippocratis ponitur: Pag. 41. bis græca ſunt. Pag. 45. Μεταβολὴ. Ita pag. 50. de numeris, & pag. 51. Rurſus bis pag. 63. Item 63. 78. 82. Κάμπαι & μεταβολὴ. Pag. 89. ex Theophraſto bis: Ita 90. quinquies, pag. 93. ſemel. p. 99. ſemel, atque iterum. 110. ſemel. 111. ſemel. 121. ſemel. 123. ſemel. 169. ſemel. 183. ſemel. 197. bis. 199. ſemel. 203. ſemel. 204. ſemel. 239. ſemel. 257. ſemel. 266. ſemel. 277. bis. 286. ſemel. Ecce hæ ſunt meæ græciſſationes. Quæ latinis literis ſunt ſcripta vocabula, in ſcholis eruditorum ſunt notiſſima. Quî ego potui ſcire cum tam craſſo BEANO mihi rem fore? Addidi & germanica. Cur non & de his conqueritur? O fatuum & bliteum caput. Tune ſis inter eos qui aliqua eruditione valent? Dixi ex te: Tu 40. annos carbones perdidiſti, & poſtea in eum locum veniſti, *vbi nihil eſt laudabilium ſtudiorum.* Si tam fungus es, cur ad diſputationem Palæſtricam acceſſiſti? Quem tu bonum autorem, aut artem intellexeris ſine græcæ linguæ notitia? Dum autem in me inueheris ob intermixta græca verba, non animaduertis te in mendacium illabi. *Tertio quoque verbo ſcribis me græcizare,* id quod per ſe quidem eſt falſum: Sed hoc mendacio non contentus poſt vndecim verſus, ſeu lineas ais *me in hoc & aliis meis ſcriptis cuilibet prope latinæ voci græcam annectere, vt reddar obſcurior.* An nihil pudet? Sane ignoſcendum tibi eſt. Totus enim ater es factus carbonibus 40. annorum, quibus & frontem adeo perfricuiſti, vt nihil in ea ſit ruboris. Nota vero ſi ſic ſcripſiſſem vt mentitis, me iuſtitiæ præceptum obſeruaſſe. Nam ſanctum non eſt dandum canibus, & porci ſunt arcendi à margaritis obiectu ſeptorum diſciplinæ. Deſine calamum ſumere, & de rebus Chymicis iudicare, ſi latina ſunt vltra captum tuum, & græca non potes ferre. Noſtra ſacra non aliter conſtant.

CAPVT XX.

Num liceat in diſputatione de aliqua arte vti Græcis.

NON erat de hoc quærendum. Iam enim vſus eruditorum obtinuit, vt non tantum liceat, ſed & cum elegantia orationis coniunctum ſit, ſi quis temperamentum nouerit. Non raro neceſſitas cogit nos vocabulum ex Græcia accommodare, præſertim ea in re, quæ latinis propriis eſt deſtituta, cuiuſmodi præ cæteris eſt Alchymia. *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Muſa loqui*, inquit Horatius, qui & in arte præceptum condit:

Et noua fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi Græco fonte cadant parce detorta. Ego cur acquirere pauca. ſi poſſum inuideor, cum lingua Catonis & Ennii ſermonem patrium ditauerit, & noua rerum nomina protulerit? Licuit ſemperque licebit, ſignatum præſente nota producere nomen. Ita in epiſt. 2. lib. 2. *Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum, quæ priſcis memorata Catonibus atque Cethegis: Aſciſcet noua, quæ genitor produxerit vſus. Fundet opes, Latiumque beabit diuite lingua, &c.* Quintilianus lib. 1 Inſtit. cap. 1 Græca enim prius latinis vult proponi puero, quia diſciplinis græcis prius ſit inſtituendus. Verum in re liquida, atque etiam ſcholaſticis non opus eſt virorum clarorum ſententiis. Guibertus quo magis Græciæ renititur, & ſe laudato iſti mori opponit, eo ſe rudiorem, imperitiorem, ſtultioremque declarat. Vtitur autem argumentis his: 1. *Legentium animos miſerabiliter torquet, qui græca latinis addit.* R. Ne torqueantur, diſcant græce.

Qui non græca ſimul iungit documenta latinis,
Is vere docti nomen habere nequit.

Rudes, ſtipites fungi torquentur miſerabiliter, non docti, quibus grata eſt & iucunda iſta temperatura. Ne torqueantur, abſtineant ſacris Chymicis, & cum ſuibus ſuis in hara grunniant, atque eodem ſe conferat etiam Guibertus iſte ἀναλφάβητος. Non debuiſti adoriri Chymica, ſi eras tam pecus. 2. *Tenebrio palam facit quam ſit intelligens Græcæ linguæ.* R. Et hæc laus eſt. Sol noctuis, & felibus, & veſpertilionibus luce ſua tenebras offundit. Voca & ſolem tenebrionem. In te ſunt iſtæ tenebræ, Guiberte. Quicquid ego ſcripſi, lumen eſt peritis. Deterge ruditatis nebulam, & nullæ tibi erunt in meis ſcriptis tenebræ. Nihil autem à tua calumniandi libidine alienum facis, dum putas me animo oſtentandi ſcientiam linguæ id feciſſe. Rerum difficultas me traxit, ſuntque ſæpe cum de Peripateticis diſputatio eſt termini græci longe euidentiores latinis. Rude tu inter tuos aſinos, & eruditis relinque eruditam diſſertationem. 3. *Alibi admiſſa flagitia vult tegere.* R. Mendacium. 4. *Reddit ſe obſcuriorem.* R. Imo lucidiorem. 5. *Fallit legentes vanitate & pompa miſtæ orationis.* R. Volo ergo lectores doctos, & non ſcybala arida. Vide diligenter ne in græcum aliquem autorem incidas, aut latinum cum græcis terminis. Vanus enim fies. Miror autem qua fiducia medicinæ Doctorem te appelles, cum adeo ſis ſtupidus, & græcæ linguæ infenſus. Quod dicis me *ſpe magnarum rerum paſcere legentes*, verum eſt. Non enim ſunt paruæ res in Chymicis. Quod ais *fallere*, falſum tuo more canis. Neque enim falluntur ſi veritatis notitia diſcedunt inſtructiores. 6. *Ea ſcribendi ratio imperitis animis magnas tenebras offundit.* R. Recte. Iuſtum enim eſt ſtolidos diſciplinæ more arcere. Putabam me cum perito linguæ certare. Si tuam imperitiam ſciuiſſem, conduxiſſem pædagogum, qui tibi ſingula Lotharingice expoſuiſſet. Aliter agimus cum imperitis, aliter cum aduerſariis auſis nobiſcum in certamen deſcendere. Hic ſi feriris, tuæ ruditati imputa. Das pœnas audaciæ. 7. *Reprehenditur à bonis autoribus.* R. Erras. Contrarium eſt verum. 8. *Authoritate Ciceronis reprehenditur.* Quo modo? *Quia is ideo in latinum ſermonem traduxit tot græcorum philoſophantium ſermones.* R. Ridiculum. Ideone græca noluit legi? Imo vt græca legerentur eo auidius id fecit. Cur non ſtuduiſti Cicero eſſe, aut eius exemplum ſequi? Quadraginta annorum Paracelſia vetuit, quod tamen & ipſum mirum. Paracelſici enim alias iactare ſolent πολυγλωττίαν. 9. *Cicero Græcæ linguæ intelligentiſſimus à Græcis verbis temperauit dum loqueretur apud latinos, licet ſciret plurimorum verborum ſenſus græce elatos magis percipi poſſe, &c.* R. Recte. Ego quoque loquor germanice apud mere Germanos. Cum Doctore medico, & grandi Chymiæ expugnatore mihi erat negotium. Nefas fuiſſet ſi mere latina protuliſſem, & tuam dignitatem læſiſſem. Putaſſent enim lectores te nihil græci ſermonis ſcire, & tantum Lotharingicum ruſticum eſſe. Ecce tuum honorem non intelligis. Ego volui te facere magnum quantum, non magnum malum, piſcem. Ad Ciceronem quod attinet primum nihil ſcripſit Chymice. Itaq; ab illo verba mutuo accipere non potui. Deinde conſtat cum ipſi ſermo fuit de artificioſis, delectatum in primis fuiſſe græcis terminis, quin & epiſtolis græca aliquando inſeruiſſe, & alias apud peritos linguæ ab eis non abſtinuiſſe. An non meminiſti? Fors audiuiſti in triuiali ſchola epiſtolas. Eſt autem alia cauſa Ciceronis quam noſtra. Ille enim græcam ſapientiam ſtuduit in latinas literas transferre. Ideo in 1. Tuſc. ait: *Dicam ſi potero latine. Scis enim me græce loqui in latino ſermone non plus ſolere quam in græco latine.* Hæc ibi, vbi tamen græcis non abſtinet, vt cum Leucothoen nominat, myſteria, phyſica, harmoniam, elogia, νεκυίαν, νεκρομαντείαν, quæ etiam græcis literis ſunt exaratæ. In 3. Tuſc. Ægritudinem Chryſippus λύπην q. λύσιν appellatã putat. In 3. de finib. ait: Equidem ſoleo etiã quod vno Græci, ſi aliter nõ poſſum idem verbis pluribus exponere, & tamen puto *concedi nobis oportere, vt Græco verbo vtamur, ſi quando minus occurrat latinum, &c.* In veſtibulo eius libri hæc eſt ſententia: *Nobis verba parienda ſunt, imponendaque noua nouis rebus nomina: quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris, communisque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, cum conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte verſentur. Itaque & Dialectici, & Phyſici verbis vtuntur his, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt, &c.* Item: *Ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis*

vterentur

In angulo Guiberti Virtutes ſunt Vitia. Ad lanam miſer.

vtertntur incognitis, vſitatis ſibi, &c. Lege totum illum locum, & diſce erubeſcere. Tune virtutes in vitia tranſmutare auſis, ſicut te ex viro in vetulam rabioſam transformaſti, & contra tranſmutationem metallorum longe faciliorem adeo inſanias? Tune reprehendas meam latinitatem, & vſum Græcorum terminorum in arte Chymica, Phyſica, Logica, & velis defendere nomen eruditi medici? Quin omiſſis verbis ad rem reſpondes? Dum circa verba hæres, detrahis tibi rerum ſcientiam. Quis contra Libauium diſputet? Latinitate quadam vtitur & ſtylo ſuo, admiſcetque Græca. At tu confer te ad ſubſellia ſcholarum, & ibi diſce Græce & Latine priuſquam ad certamen venias.

Neſciens ad res reſpondere verborum pugnas captat, quaſi in ſchola triuiali pueros doceret.

X. Porro negas etiam alio argumento me vti debuiſſe Græco ſermone: *Si bene conuerſa habeantur,* inquis pag. 55. *quorſum tot verba Græca? Aut enim interpretes errarunt, aut non. Si hoc, non vtendum Græcis, ſed Latinis: ſi illud ad nonendum erat:* quod cum à me non ſit factum, vocas me ardelionem, & puerilem oſtentationem putas eſſe Græca citare. Sed quid opus reſponſione? Aſylum ruditati tuæ, & imperitiæ tibi paras, & vituperas quod laude dignum erat. Primum pauca ſunt à me citata ex Theophraſto, Hippocrate, & Ariſtotele, quos autores tu in propria lingua debuiſti diſcere, ſi Phyſicus & Medicus egregius eſſe voluiſti. Si didiciſſes, adeo non moleſta fuiſſet Græca citatio, vt etiam vltro expetiuiſſes. Deinde aut conuerſa ſunt quæ tranſtuli, aut non. Si hoc, cauſam iuſtæ citationis vides, vt & ſi cui non ad manum eſt verſio latina aut græca expeditior. Mihi neque Galenus latine loquens eſt, neque Theophraſtus. Græcos oportet adire ſi volo ſermonis commercium habere. Si illud, conqueri non potes niſi de ignauia tua. Quæ enim ego græce adduxi, tu poteras latine legere. Noſti ad lexicon confugere in ſignificatione PERIPATI. Cur idem non faciebas in aliis græcis? Sed tu tamen prius diſce latine, & noli ardelionem vocare oſtentatorem: noli carpere quod ſcripſeram *APOLOGIAE male ſarta, & praua,* quaſi non congruat coniunctio horum verborum, vt pag. 53. garris.

Guibertus ne latine quidem recte loquitur.

Non ſcripſi *mala,* vt tu mentiris, ſed *male,* ſicut ſi te male conciliatum, male latinis & græcis literis inſtructum dicerem. Male ſartum autem & prauum qui non congruant? Video tibi caput eſſe male ſartum, & prauum, & infelix. XI. Perge argumentari: *Tribus caſibus,* inquis, *licet Græca miſcere libris:* (adeo rudis es, vt non poſſis recte latine dicere) 1. *Cum latina non habentur.* 2. *Vbi lis eſt in lectione, dictione, ſenſu.* 3. *Vbi res adeo grauis eſt, vt vereamur ne quis interpretatione maiorem emphaſin addiderit. In aliis ſi quis faciat, inepta ac puerili ambitione id feciſſe haud dubium eſt.* Ita tu. Facis intelligendo vt nihil intelligas. Pone iſtas tres cauſas. Iuſtum fuit me vti Græcis. Neque enim in Chymicis ſuppetunt termini Latini, meliusque eſt vti Græcis quam Lotharingicis. Os enim rotundum eſt Graiis. Deinde veritus ſum ne tu, mala merx, in latinis cauillum quæreres. Oportuit ergo ea nota producere nomen, qua vſi erant autores ipſi. Tertio vt tuum pudorem & metum anteuerterem, cum Theophraſti verſio non adeſſet, Græca transſcripſi, putans te ſaltem coruo Auguſti parem in græcis literis eſſe. Tu ſi tam tractaſſes græcos autores, eorumque interpretes, quam carbones iſtis 40. annis, quos inter impoſtores tuos conſumſiſti, ſcires in diſputationibus ſeriis interpretes minime interdum ſatisfacere, & ſic cogi nos propria autorum verba adducere. Eſt vbi neceſſitas græca exigit; eſt vbi euidentia græcarum vocum, & corruptela interpretum: nonnunquam elegantiæ quid dandum eſt.

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Tu ea excuſatione vteris qua pigri, rudes, & imperiti, qui tamen laudem ex literarum cognitione venantur. Quis te malus genius in publicum produxit, ſi græca ignoras? Cur non ſcripſiſti Lotharingice, vt ruſtici quoque artem tuam ſcirent? XII. Nondum detonuiſti. Græca mea tibi ſtomachum adeo concitarunt, vt finem vomendi inuenire nequeas. *Metamorphoſin* mihi aſcribis frequentem. Ecce: Culpas in me vſum vocum græcarum, & tu ipſe græciſſas? An non poteris in Calepino tranſmutationem legere? Volebas ſtyli, linguæque variationem & mutationem dicere: Et dicis Metamorphoſin. O te hominem catum. Cur autem diſplicet illa Metamorphoſis? *Quia eſt currenti obiectus lapis, qui ſiſtit mentem, & interturbat in quæſtionem intentam; atque ita orationem Libauianam ſatis per ſe implicitam, reddit inextricabilem.* Hem flagitium. Oportuit ergo te ſcire vtramque linguam, & tranſcurriſſes ocyus, & volaſſes quaſi ventus per ſumma ſegetis intactæ. Tuæ tarditati & ruditati imputa, ſi in legendo hæres. Si vſus fuiſſem ea lingua, quam non debuiſſes ſcire, ſicut tu Gallicam chartis tuis illeuiſti, cuius ego peritus non ſum, conqueri iuſte poſſes. At tu medicus phyſicus digladiator in arena apparens ſcire græce debuiſti, & armis his inſtructus eſſe, quæ ad rem facerent, quæque pugnæ genus requirit. Tuam turpitudinem & probrum allegas diſputando contra Græciſſationes meas, quæ tamen tam mirificæ, obſcuræ, copioſæque non ſunt, vt te offendere debeant. Conduc tibi aliquem ſcholaſticum, qui interpretis munere fungatur, ſi tu es tam bardus. Oratio mea latina obſcura eſt obſcuris. Mira audacia. Neque latina mea oratio tibi eſt expedita, neque græca cognita. Cur ergo non quieuiſti? Quid putas de te ſenſuros eſſe doctos tuos Lotharingos? Quid de te iudicabunt Galli, commendatores & verſifices tui? An non dicent ſe turpiter deceptos tribuiſſe tibi plura iuſto, & me inique damnaſſe?

Guibertus & latina & græca Libauiana horret.

Nondum finis. XIII. Ruditatis aſylum ſequitur. *Omnes fere Alchymiæ dediti ſunt rudes Græcarum litterarum, quibus tamen maxime ſcribitur de Alchymia.* Ergo non magnum eis affert adiumentum græca locutio. Stultum inquam & hoc eſt.

Metuens fumum incidit in flammam.

Aut enim ſapienti, ſcientique artem ſcribitur, aut neſcienti. Ille etiam ænigmata & hieroglyphias, Cabaliſticumque, & magicum ſermonem intelligit: hic cum lingua diſcit rem ipſam, & ſimul myſteriis Chymicis initiatur. Rectius autẽ doceo artem latinis & græcis verbis, quam Arabicis & myſticis illis, quæ paſſim inueniuntur in libris Chymicorum, Latinorum & Teutonicorum. Quis vero perſuaſit tibi me ſcripſiſſe Alchymiſtis tuis rudibus, potius quam ſtudioſis medicis, phyſicis, & cæteris arcanorum naturæ ſcrutatoribus? Ego me arbitror etiam Theologis conſuluiſſe ad mirificam Dei ſapientiam & potentiam in naturæ libro celebrandam. Si in Lotharingia non intelligor, non mea, ſed veſtra eſt culpa, qui non curatis apud vos inueniri ſtudia laudabilia vt tu ſcribis. Alchymiſtæ, cum quibus tu prunas perdidiſti per an-

nos 40. ſolent ſibi arrogare omnium linguarum ſcientiam exemplo Paracelſi, & Thurneiſeri. Miror, quod eos tam ſtipites facias. Si in ſchola triuiali non didiciſti græce, potuiſſes apud caminum habere Doctores. Tua ignauia & tarditas eſt accuſanda. XIV. *Pauciſſimi ſunt hoc noſtro ſeculo, qui Libauium latinam linguam loquentem, nedum græcam, ſatis intelligant.* Eia vero. Parce inſaniendum eſt. Tune tam ſcabioſe ſentias, & ſcribas de eruditiſſimo noſtro ſeculo? Quid dicent Lotharingi tui, quorum ingenia & monumenta pag. 61. & 62. eximie prædicas, adeo vt etiam meum nomen obſcuraturos miniteris? A quibus autem didiciſti pauciſſimos eſſe? Tune omnia loca literatorum, omnesque capſulas es ſcrutatus? Sed tu ſcribere ſine ignominia patriæ tuæ non potes. Non eſt mirum, quod totius ſeculi doctos tui ſimiles facias, ne ſcilicet ſolus delirare videaris. Cur autem docti non intelligunt nec latinum, nec græcum ſermonem Libauii? *Quia amauit nouitates vocum, & obſcuritatem, eaque genera dicendi amplexus eſt, quæ lucem eripere orationi, tenebrasque offundere poſſe viderentur, non paucis terminis minime vſitatis admixtis.* Hæc tu: quibus indicas te Alchymiæ minime eſſe gnarum, cumque quadraginta annis adieceris alios decem, quibus potuiſti meam defenſionem etiam memoriæ mandare, & totam in Lotharingicum idioma conuertere, tamen nondum tantum profeciſti, vt artis terminos intelligeres. In Chymica diſceptatione vt rebus, ita & verbis debui propriis vti, & ſicubi commoda deeſſent verba, ex græco fonte petere. Sunt multi præclari viri, qui mihi laudem perſpicuitatis in ea arte tribuunt. Qualis tu es, qui obſcuritatem obiicis? Quid iudicabis de Hermete, Paracelſo, quem es admiratus, Quercetano, & ſimilibus? In teipſo ſunt tenebræ. Non putaram te adeo fungum eſſe, & tam nihil eruditionis in vtraque lingua, præſertim Chymica, habere. Locum Ciceronis ex 3. de finibus ſupra produxi. Hunc tu diligenter lege, & rumina: quin inſpice, vt videas quam peruerſus ſis virtutum æſtimator. Citarem aliquid etiam ex Ariſtotele, & artificibus ſcientificæ methodi, ſi apud te, bœoticam ſuem, aliquid proficere poſſe ſperarem. Non aliene, ſed proprie loquendum eſt, cum de arte diſſeritur. Tandem immenſum Oceanum ineptiarum & abſurditatum mihi affingis. Hoc argumento patet te eſſe hominem effrene maledicum, inuidumque aut inſanabili cacoethe, furiisque correptum. Quare pro deplorato es relinquendus. Si tam facile demonſtrare poſſes, quam mentiri & calumniari, nemo te eſſet doctior. Ego non ſoleo culinaria latinitate vti, ſed ſtudeo elegantiæ, quæ tibi ruſtico Lotharingico eſt barbaries.

Guibertus rudis Alchymiæ.

Caput XXI.

De obiecto criminis in Lotharingica arma.

Guibertus nec latina, nec græca Libauiana intelligit, & tamen ex iis fingit crimina.

CVM non habeas quæ ad rem ipſam reſpondeas, vbi campum inueniſti, ad amentiam vſque es ſuperfluus, & garritu immodeſto exundans. Quam prolixo ſermone, & quantis cum conuitiis reprehendiſti Libauianæ orationis latinæ & græcæ obſcuritatem, adeo vt paucos doctos noſtri ſeculi eſſe putes, qui latine loquentem me intelligant? Quis te tam rudem aſinum in quæſtione de Lotharingis fecit adeo ſapidulum? Scilicet cum ſcripſi: *Parum erat publicam in politia pacem diſruptam eſſe armis Lotharingicis, ni turbarentur etiam literæ ſtudio gentis eiuſdem:* Optime intelligebas, & laureolam in muſtaceo inueniebas. Pacem publicam tunc temporis ruptam fuiſſe tune ignoras, aut negas? Loquantur annales Argentinenſes. Quibus autem armis tunc fuit actum? Num falſum ſcripſi? Si pax non fuit rupta, quid opus fuit bello rem gerere, & hoc compoſito pacem reducere? Literarum quoque Chymicarum otium fuiſſe te autore turbatum, probat tuus contra Alchymiam furor. Cæteris ſilentibus, tu vnus eras, qui bellum tanta cum fiducia inſtauraret, vt crederes ita expugnatum iri Alchymiam tranſmutatoriam Hermetis, vt nunquam deinceps ſe erigere valeret. Tu rabioſiſſime damnabas omnes priſcos, recentesque artifices cum ipſorum libris: mendacii accuſabas viros integerrimos in re veriſſima, atque adeo ſine more inſaniebas. An non hoc eſt turbare pacem literariam? Doles inuentum eſſe qui turbationi tuæ occurreret, & armis fortioribus tua arma retunderet. Doloris indicia non tantum pag. 2. & 3. prodis, verum etiam pag. 57. ea de re fuſiſſime declamas, *& ex muſca minima ingentem facis elephantum*, quantum in te eſt bellum epiſcopale pridem ſopitum reſuſcitaturus, ſi non in Alſatia, ſaltem in Franconia, & ſi non in vulgus promiſcuum, ſaltem in meam perſonam. Idem in literis conaris, vt omnibus doctis me inuiſum reddas. Sed bene ſperandum. Quam parum valuiſti in Chymicis, tam parum in hac quoque diabolica declamatione proficies. Videamus quid monſtrorum parturias.

I. Accuſatur Libauius inſaniæ in *nationem Lotharingorum*, quaſi in patriam Guiberti & inſontes impetum faciat. Non eſt ita mi homo. De Lotharingicis armis ſcripſi id, quod iſto tempore in Alſatia fiebat. Num tua patria id bellum gerebat? Non mirum eſt te patriam & nationem tuam totam culpæ ream facere, atque ita calumnia quadam ipſam inſontem polluere. Artificem enim te maledicendi & calumniandi eſſe, apologia tua conuincit. Quod ſi tua tibi patria tam curæ eſt, an putas meam me negligere debere? Non tamen de tua patria ſcripſi nihil laudabilium ſtudiorum in ea inueniri. Bellicoſam feci. Tu ἄμυσον. Vter plus dedecoris ei intulit?

II. *Me male animatum eſſe in Lotharingos, & eorum principes,* non potes ex mea ſcriptione docere: Et ſi eſſem, quid illi me curarent? Tu mala beſtia, & ex ore draconis, beſtiæque Apocal. 16. rana, hoc eſt, ſpiritus immundus dæmoniorum ſanguinem ſitis & procedis ad prælium excitandum, vt hac via ſaltem noceas, quando rerum victoria excidiſti. Noſti bene duo hæc eſſe diaboli, nempe calumniari, & homicidia procurare. Iſtius ſpiritus te filium eſſe deſideriis tuis comprobas.

III. *Me*

3. *Me abblandiri voluiſſe illuſtriſſimo Principi Wirtembergiæ,* qui dudum in beatis, mendacium tuũ eſt, neque is credo meum librum, cuius celſitudini, quia Alchymiæ hermeticæ ferebatur perquam eſſe [illegible] dioſa eum inſcripſi quidem, ſed non obtuli, propter interueniens impedimentum vidit.

4. *Me ſeditioſiſſime id ſcripſiſſe quaſi inter Wirtembergenſem, & Lotharingum velle diſſidium parere,* item eſt mendacium tuum, & calumnia. Falſi teſtis pœnæ es reus. Recte faceret princeps tuus ſi & linguã, & manum tibi adimeret, vt qui mihi cupis vitæ periculum mendaciter ſcribendo conciliare. [illegible] us deprimis vires, & fortitudinem, ſapientiamque Lotharingicam ſi putas me poſſe ipſi pariculum verbis iſtis.

Addis *me odia vetera, vlcera cicatrice obducta, animorum ſopitas curas velle ignibus excitare.* Facerem ſi ſimilis eſſem. Mihi vero de odiis iſtis veteribus & vlceribus vix quicquam conſtat, neque agebatur de irruptione in poſſeſſionẽ Wirtembergicam, ſed certabatur de Epiſcopatu Argẽtinenſi infeſtis armis. Tu virulentiſſimo quodam contra me odio, iſtum ignem fodicas, an poſſis vim in me vertere: Tribuis vtrique genti odia vetera ſi ego id ſcripſiſſem, quas cruces mihi deſtinaſſes? Præmium Midæ tibi debet princeps tuus. Verum eſt illud in ſacris: *Incidit in foueam quam alteri fecerat,* ſicut ſanguinarius Haman in eo patibulo mori cogebatur in quod agere Mardochæum ſtuduerat. Rideo rabiem tuam anilem, & verboſam de principe Wirtembergico [illegible] defuncto. Poſteri eius, qui iam rerum potiuntur, Illuſtriſſimi & pientiſſimi principes, ſi [illegible] t tuam ſathanicam apologiam an non putas ipſos tibi crucem, & coruos deſtinaturos eſſe? [illegible] non arbitror vllum ex plebe honeſtum virum probare poſſe crimina, & maledicta, quæ vltra [illegible] es tu Aſino beſtia validior, comportaſti, vti ſcribis ipſe, nedum generoſiſſimi animi principes in excelſo loco conſtitutos. 6. Meam defenſionem vocas *famoſum libellum.* Vah iſtud eſt [illegible] uerſarium vincere. Erras mentis cæcitate. Vt tu chymicos hermeticos ſalutaſti, ita tibi ſunt gràtiæ actæ. Conferat autem vir prudens tuam apologiam cum mea. Tu ipſe dicis te plura in me ingeſſiſſe maledicta, nempe ex Diabolico Gretſeri ſpiritu, & cordis tui peſſimo peſtilentiſſimoque theſauro, quam ASINVS poſſit portare. Egone tanta in te, idq; ſine tua culpa? Minime vero.

7. Pag. 59. De principibus Lotharingicis ſcribis quod nunquam tranquillitatem publicam turbarint, adeo vt inter inimicos quoque pacem conciliare tentarint. Sit ita vt dicis. Neque enim ego nego, aut principes accuſo. Tu vero quid ſcribis de eis pag. 61. minaciſſimo tuo, & laqueo digno calamo: verba hæc ſunt tua: *Equidem fatalia puto Lotharingorum arma, Nam conſueuerunt debellare ſuperbos, perditos, Deo & angelis eius exoſos.* Ecce tibi. Ex ore tuo te iudico. *Capitalia Guiberti de Lotharingo.*

Lotharingorum arma conſueuerunt debellare ſuperbos, perditos, Deo & angelis eius exoſos. Lotharingorum arma in Comitatum illuſtriſſimi principis Wirtembergiæ impetum fecerũt, & Argentinenſi bello tam Brandemburgicis principibus ſe oppoſuerunt, quam Reipublicæ Argentinenſi. Quid inde conſequens? An non ſubditos Mompelgardenſes cum ſuo principe, & Brandemburgicos proceres, Rempublicamq; Argentinenſem cum ſuis eſſe ſuperbos, perditos, Deo, & angelis eius exoſos? Hoc ne eſt dicere ea quæ ad honorem & pacem pertinent? Hoc ne eſt Lotharingos principes pacis & tranquillitatis publicæ ſtudioſos eſſe? Quæ vero erant illa odia vetera quoque de quibus dicebas? Ex te iſta crudelia ſunt profecta. Tu de principibus tuis iſta imperii paci inſidioſa publice diuulgaſti. Huc ſpectant & illa tua ex pag. 59. *Bene verum eſt, inquis, quod quoties oportuit fregerunt audaciam hoſtium, fregerunt conſilia perditorum.* Qui tibi ſunt illi hoſtes, & perditi? An non hi qui reformata religione ex babylonicæ Romæ captiuitate exierunt? Sed nolo plura de re inuidioſa ad neutrum noſtrum ſpectante. Niſi deſperatiſſimam haberes cauſam ad iſtã periculoſam declamationem non eſſes digreſſus, quæ vide ne tibi ſit capitalis.

CAPVT XXII.

De literis Lotharingicis.

SCribis me conuitium feciſſe genti Lotharingicæ de turbatione literarum. Vocas Calumniam: At tu ipſe es turbator, ex te exemplum cape. Non eſt calumnia ſi quis verum dicit de eo qui publice id ipſum quod dicitur commiſit. Ecce iam ſecundum procedis, turbaſq; excitas poſt ſilentium decennale, intra quod tempus nemo noſtrum ſciuit iiſſesne ad generum Cereris, an ſuperſtes fores nec vllus erat qui auderet hermeticæ tranſmutatoriæ bellũ indicere publicum: pacifici erant omnes. Tu Lotharingus es: Et literis tuis bis pacem literatam rupiſti. Si ergo quis dicat ſcribatque literis Lotharingicis literatam pacem fractam eſſe, verum dicit, ſcribitque nec calumniatur. Habes autem eius facinoris tui etiam ſocios. Etenim *Claudii Conderii* pronepotem in aciem tecum educis. Educis & *Stephanum Regnardum* medicum Tullenſem. Incitas in me proceres tuos: In prima acie oſtentat ſe *Cachetus, & Mamburgus* cum *Gretſero Ghesuita* impio. Et adhuc audes negare id quod in oculos omnium publice ingeſſiſti? 2. Confidenter & glorioſe ſcribis *regnum literarum hoc tempore parari, & conſeruari gentis Lotharingicæ ſtudio.* Crederem, niſi tu ipſe contrarium ſcriberes. Proferantur verba pag. 31. Quænam? Iſta capitalia ingratiſſimi in patriam & nidum ſuum cuculi, Ecquæ vero? *Cum librum Libauii (inquit) diu expectaſſem auide, conſtitutus in angulo Galliæ, vbi præter infeliciſſimos Sacculos litigantium, & ſordidulos contractus NIHIL INVENIAS LAVDABILIVM STVDIORVM: vbi ſumma virtus in cenſu, gloria in alienas opes invaſio, & occupatio.* Ecce tibi. Quale, & quod illud regnum literarum eſt vbi nihil laudabilium ſtudiorum, vbi ſumma virtus cenſus, & gloria inuaſio in alienas opes? Dicite vos omnes Lotharingi, *Nota literarium regnũ Guibertinũ.*

 quis

quis vnquam patriam veſtram fœdius & maculauit, & criminatus eſt? Secundo ſupra pluribus verbis egit de mea latinitate, & Græca lingua, ſcripſitque paucos doctos eſſe qui me latine loquentem intelligant. Id neque de Germanis, neque Gallis, neque Italis poteſt verum eſſe. Num ergo de Lotharingis? Hæc mea ſententia eſt: *In Lotharingia eſſe multos viros eruditione ſummos, qui & latinitatē mecum, & Græcas literas poßint intelligere.* Verū hoc intereſt: alius alio ſtudio delectatur, & quiſq; ſuo addictus eſt. Sicut iureconſultorū terminos non intelligunt medici, & chymici, ita nec illi viciſſim horum. At ideo non ſunt indocti. Guibertum oportuit & medicam & chymicā, & phyſicam tā Latinam quam Græcam linguā intelligere, & de rebus ipſis iudicare, & reſpondere poſſe. Cū autē nō poſſit, ne ſolus ſit infamis, cæteros ſecum trahit. Tertio: Si in Lotharingia literarū bonarum regnū eſſet (Ignoſcite mihi viri doctiſſimi. Ego proteſtor me ex hypotheſi Guiberti loqui ſaluo honore veſtro) in cauſa propria id ipſum Guibertus demonſtraſſet. At qui vir iſte? Res fugit: linguam latinam, & Græcam carpit: Priſcianum tam ſæpe verberat vt etiam totum eius caput tuber reddiderit plagis. Guiberte, à te incipere debueras, & tuo exemplo regnum literarum probare. Quarto: medici, phyſici, chymici exemplum habemus. De Theologis agere nihil attinet: neque de ſcholaſticis: De iureconſultis quid Guibertus? *Infelices ſacculos litigantium habent* (ignoſcite: Ego de vobis optime ſentio: ſed veſter ille quem quidam laudaſtis ita delirat) *& ſordidulos contractus, rabularumq; cautelas.* Ecce. Vos ornaſtis hominem Encomiis veſtris, in Libauium, honori veſtro non obſtantem, inuecti. Quam refertis mercedem? Ignominiam. Quinto: Si regnum apud vos literarum eſſet, qui poſſent in Libauium ſcribere pharmacopolæ, quos adeo non læſit Libauius, vt magno eorum commodo Therapeuticam chymiam ter ediderit? Si regnum literarum eſſet, qui poſſet regnare licētia iſta Satyrica, & ſcelerata in Libauium? Num impune Tullenſis typographus excuderet tantam molem conuitiorum, & maledictorum quantā aſinus non poſſit portare? Eſtne hoc regnum vbi licet quoduis in quemuis? Quo meo merito in me inſanitis quæſo vos pharmacopolæ, medici, iuriſperiti? Quare vos offendi? Adeone cuculi veſtri vox vobis placet? Audite ergo ex iſto cuculo *vos nihil laudabilium ſtudiorum habere.* Interim mihi ego de vobis pollicebor iſta magnifica quæ ampullator veſter inflata vtraq; bucca prædicat: *Ornatur noſtris temporibus Lotharingia INGENTI literarum numero.* (Sed non Guibertino, qui eſt putidus fungus, & nux, axungiaque rancida) *Habet vniuerſitatem Muſſipontanam mira eruditione & varia doctrina profeſſorum celebrem* (Credo libenter: Sed eos non oportet eſſe Guiberti ſimiles qui eſt rudiū rudiſſimus, & inter aſinos aſinus maximus, qui poſſit tot conuitia comportare) *qui profeſſores ſpi ula Libauiana non metuunt* (neque ego eos peto. Abſit à me tantum facinus. Tu vero Goliath cur metuis? Cur fugis?) vel *tirunculi qui primis labris bonas literas deguſtarunt*, (Inter tot mendacia hoc ſaltem verum quaſi obiter tibi excidit. Cur enim metuant me Tirunculi? Ego eos inuito liberaliter. Adeſte boni pueri, adoleſcentes, iuuenes. Ego vos docebo latinam, & Græcam linguam, quam Guibertus negat ſe intelligere. Ego docebo vos res præclaras, quas nunquam potuit capere carbonarius ille veſter è lingua miles vetula.) Præterea inquit pag. 61. *Scire te velim Libaui eſſe ex Lotharingis qui mod ſtiſſima prudentia, ſummo iudicio, maximis operibus ea moliuntur quæ præſentis ſeculi fidem, poſteritatis omnem ſuperent expectationem. Lotharingorum monumentorum vita Libauii nominis mors quandoq; futura eſt.* Hæc ille, videtis hominem incontinentis ſtultitiæ. Vult laudare ſuos Lotharingos, & valde vituperat. Ego adeo non inuideo, neque ſuccenſeo, vt optem iſta mundi miracula me viuo in lucem prodire. Spero enim ex illis proficere, & ex tenuitate illa, quam dicis omnibus Tirunculis notam eſſe, emergere. Quos nominatim citas *Serarios Ghesuitas, Piſones, Mouſinos, Remigios, Gregorios Barclayos, Carpenterios*, & reliquos, qui nihil me læſerūt, neque ego illos, eos omnes ſino ſuo loco, & honore eſſe, optoq; vt ſicut à te extolluntur, ita etiam ſint in precio apud Deum. Tu vero cum quo mihi lis eſt, ſi illi ſunt tanti, non dignus es vt ex eorū capillis ſquamulas tollas. Si illi ſunt ſummi: tu es imus: ſi illi ſunt aurum: tu excrementum: ſi illi Minerua, tu ſus lutulenta. Illi ornamentum ſuæ patriæ: tu carcinoma, dedecus, ignominia, immodicus vituperio, immodicus laudibus tam mali luti miſtura peſſima es, quod tua apologia conteſtatur. Cæterum de illis viris ſummis nulla mihi tecum lis eſt. Itaque impuram tuam linguam compeſce.

3. *Lotharingi edunt pauca: Sed edunt ſua.* Reſp. Credo. Libauius quoque ſua edit: Edit & aliena non edita vel omnino, vel non ita. Gratulor mihi ſi non mea edidi. Ita enim tu non in me ſolum inſanus fuiſti. Conſidera vero illud Eccleſiaſtæ: Nihil ſub ſole nouum &c. Item illud vulgatum: Nihil poteſt dici quod non dictum ſit prius.

4. *Lotharingi quæ edunt in nonum annum premunt &c.* Tu eos exemplo tuo refutas. Nam decem integros annos incubuiſti ouis tuis. Quid excluſiſti? Meras viperas, ſcorpiones, baſiliſcos, quanquam fatuos omnes. Iſtud eſt in nonum annum premere ſcripta, apologiam tandem pluſquam Diabolicam parere, & ſuam patriam adeo conſpurcare, vt nihil ſupra: Tot etiam maledicta conuehere quot aſinus non portauerit. Ecce hæc tua eſt modeſta ſcribendi ratio *Catholicis populis* (vt

Ita pag. 60. mentiris) communis, deliberantibus diu quod ſemel eſt ſtatuendum. Tu ergo diu deliberaſti in me conuitia tanta ſcribere, quanta aſinus non portauerit? Si ſecutus Galeni conſilium prudentibus tua exhibuiſſes quorum iudicio perdantur mala, tu cum tuo libro ab omni doctorum ſocietate exulares, & periſſes: Neque enim vllus prudens ſiuiſſet te cum aſino imparibus conuitiis in dedecus tuæ gentis in publicum prodire. 5. *Si Libauius iudicio alieno ſubiiceret, ſubiecisſetque ſua, ſtaret regnum literarum*, inquis. Ergone euerſum eſt literis meis, meique ſimilium? Debile & caducum regnum ſit ſi tam leui negotio ſubrui, & expugnari poteſt. Tuum eſt iſtud facinus oppugnare, & expugnare quantum in te eſt, optimas artes. Meum eſt eas defendere, & ſtabilire, condereq;. Loquantur hic opera ipſa. Tu vix quicquam potes quam vtilibus laboribus detrahere, & mendaciis, calumniiſq; eos opprimere.

In Lotharingia eſt regnū literarum, quod tamen ſtare negatur

6 Quies

6. *Quies publica cum tot bonorum calamitate minime fuiſſet turbata.*) Antiqua hæc eſt lupi de ouibus accuſatio. Vbi Chriſtus recte prædicatur, Antichriſtus ſe opponit, & perſecutiones excitat, quod pridem ipſe Chriſtus monuit non vno in loco vt Matth. 10. & 24. Luc. 12. Ioh. 16. &c. Si tuis conatibus pernicioſis non fuiſſet itum obuium, nullam credo pluſquam aſininam ex conuitiis, & maledictis ſarcinam corraſiſſes, male ſcilicet te habet inuentum eſſe qui pro veritate certaret.

Vide pag. 71. quam impudenter & mendaciter accuſet reformatam religionem iſte Diaboli & Antichriſti nepos.

7. Inter cætera quæ loquaciſſime de literis Lotharingicis, quæ nihil ad præſens negotium faciunt, narras, ſtolidiſſime, pag. 64. ſcribis, *te acerbe prouocatum non reſtiturum, niſi te magnum rei literariæ fructum hac contentione afferre poſſe conſideres.* Scilicet ex te tam malo pecore, apologiam plus quam Diabolicam ſcribente poſſit præclarus fructus exiſtere? Egregius eſt ille fructus: *quo patriæ tuæ laudabilia ſtudia omnia, omnemq; veram virtutem & gloriam ademiſti.* Quis autem te prouocabat cum Alchymiam expugnatum ires? Occurſum tuæ violentiæ eſt ſine prouocatione. Finge etiam te eſſe prouocatum. Ad res chymicas prouocatus fuiſſes, & ad reſpondendum ad obiecta, non ad inuectiuam atrociſſimam conſarcinandam. Sed vt ſæpe dixi, in veſanam anum ex viro te transfiguraſti. Ideo verbis contumelioſis in arena certas.

8. *Si acerbioribus verbis vtar aliquanto*, inquis pag. 65. *quam purgatæ aures ferre ſoleant: ſciant lectores hæc ludum, iocumque eſſe præ iis quæ in ſuum librum contra me editum conuexit maledictus &c.* Ego quidem non congeſſi tantum maledictorum pondus quantum Aſinus non portauerit, vt tu de te ſcribis & Gretſero: Itaque longe impar erit numerus ſi quis collationem inſtituere velit. Veruntamen id quod ſcripſi ex tuo merito ſcripſi, qui prior in ſummos viros, & me ipſum eras dementer inuectus. *Tuæ ſunt iſtæ virtutes quas protuli.* Cur eas odiſti? Si non vis audire malus, cur eſſe pergis? Nicolaus Guibertus improbus eſt conuitiator, & temerarius nugator. At non vult hoc de ſe dici, qui tamē multos viros excellentiſſimos cum eorum ſcriptis fœdiſſime commaculauit. Hoc autem notent lectores me nihil ſine argumento de Guiberto ſcripſiſſe, qui in me nudis verbis tantum inſanit. Ita ſe habet literarum Lotharingicarum declamatio. Sequitur de pontifice Romano, Gheſuitis, & ſimilibus, quæ res, quia nihil ad diſceptationem de chymicis ſpectat, indigna eſt relatu. Optauerim veram eſſe declamationem de Gheſuitis: Sed ſi vera eſſet, mendax ille homo Guibertus eam totam redderet ſuſpectam. Hactenus enim patriam ſuam non tantum turpiter deformauit, detrahens ei veram virtutem, & gloriam cum laudabilibus ſtudiis, verum etiam virtutes ſolidas in crimina tranſmutauit, & aliena de alienis fabulando verboſiſſime ſe ſtultum & inſanum eſſe demonſtrauit. Pag. 76. poſtquam de Gheſuitis ſuis prolixam valde fabulam recitauit, inſtituit alium ſermonem de calumniis quibuſdam, quaſi Diabolica & ſcelerata apologia nihil haberet calumniarum & criminationum. Sed ita extra oleas ſaltare oportet & vagari hominem nugaciſſimum cum non habeat quod ad rem reſpondere poſſit.

Male habet ſe ulam iſtā quod tractata ſit ex virtutibus. Meretriculæ nolunt audire id quod ſunt.

CAPVT XXIII.

De nugis Guiberti circa vocem Alchymia.

PAG. 1. meæ defenſionis ita ſcripſeram: *Alchymiam vocat calliditatem, falſamque impoſturam, vt quæ* TOTA *inuenta ſit fallaciis ad quæſtum, vel errorem &c.* Intelligit autem tranſmutatoriam quæ in totius Alchymiæ complexu vix aliqua eſt magiſteriorum particula. Quæ veſania eſt mentem in particulam quandam artis defixam habere, verbis autem totam traducere, ideoque negare artem, vel ſcientiam eſſe? &c. Ob hæc verba mihi ille Diaboli nepos impingit calumniam, meq; ſcurrā ſuo nomine vocat. An non egregie inſanit? Scribere voluit de tranſmutatoria metallorū, & TOTAM allatrat. Caſtigare tam audax, & improuidum facinus volui, admonereque debuiſſe adiici declaratoriam. Cum enim noſtris temporibus in ſcholis eruditorū Alchymia honeſtius dignius, & amplius vocabulum ſit, quam apud vulgus, quod Alchymiſtas vocat nebulones illos & impoſtores, quales per annos 40. ſecutus eſt Guibertus ipſe ſociis ſuis ſimilis: Diſtinctio non debuit omitti. Addidi quod ſentiat: Quid loqui debuerit, monui, En calumniam. Audiamus autem defenſionem pulchram. 1. Pag. 78. ait *ſe in ſuo libello non ſemel declaraſſe verba facere de ea duntaxat Alchymia, quæ circa metallorum tranſmutationem verſaretur.* Bene, ſic ego quoque vocem interpretabar. Verum vt de mea inſcriptione garriebas, Guiberte, debere eam totam rem ita complecti, vti vnico intuitu pateret quid in libro eſſet, an hoc tibi non fuit obſeruandum? An deèrat tibi atramentū aut charta in quam diſtinctionem referres? *Imbubinationes* impuras potuiſti titulo immiſcere, at non Alchymiæ vocem ex generali ſignificatu ad ſpecialem addita determinatione deducere. Si fateris, & ſcis vocabulum plura, eaque bona, pulchra, & ſalutaria, vt ſcribis pag. 79. cōprehendere, agnoſcis delictum tuum in titulo libri. Quanquam enim in libro ipſo id explicaſti, non tamen ideo culpa vacas, quia tituli in primis inſpiciuntur, & in catalogos coniiciuntur, non libri integri.

En latinitatem.

2. *Vulgus*, inquis, *eos tantum vocat Alchymiſtas qui circa tranſmutationem metallorum verſantur.* Reſp. omitte quid vulgus vocet: dic quid vocare debeat. Non rixabaris cum vulgo, neque contra, aut pro vulgo ſcribebas ex propoſito, ſed pro tua opinione contra veritatem, & ſummos artifices. An tu litem inſtituiſti in multitudine imperita, non autem in cœtu artificum ſapientum?

3. *Alchymia antonomaſtice apud omnes fere ſcriptores prædicatur de ea vanitate quæ circa metallificium verſatur.* R. Duplex mendacium cōmittis. Primum falſum eſt quod antonomaſtice apud omnes fere: Deinde q; de vanitate. Conſule Auicennā, imperitiſſime omniū, & Meſuen, & Bulcaſim cū cæteris quos in commentariis adduxi, & quos Anelungius recenſuit. Videbis qua de re vſurpent terminū.

Sim-

Si inſpicis etiam ea quæ noſtris temporibus Riolanus contra Alchymiam effudit, idem reperies. Crollius, Quercetanus & alii quidam Alchymiam dictam putant quaſi ſalis fundendi artem, vt intelligatur Halchymia quæ circa eſſentias medicas conficiendas verſatur, Et veteres qui de Elixyre conficiendo Commentarios ediderunt, reſpexerunt itidem medicinam duplicis, aut triplicis vſus. Nam adhibendam cenſuerunt tum ad corporis ſanitatem defendendam, tum labefactatã reparandam, tum metalla perficienda, quæ natura vel in materia, vel inchoata quidem, ſed imperfecta reliquerat. Non eſt ſimpliciter tranſmutatoria apud hos quoque. Diſce Guiberte, veriora, & non recalcitra ſtimulo etiamſi capularis iam ſis, & quinquaginta annos in chymicis verſatus. Qui legit tuam oppugnationem, & diſtinctionem ignorat, is pariter putat à te accuſari Auicennam, Meſuen Rhaſin, Bulcaſim, omneſque veteres, & nouos vno cumulo, ſiue de tranſmutatoria ſcripſerint, ſiue de aliis artificiis. Quod autem perfectiuam metallorum voces vanitatem, improbæ tuæ linguæ crimen eſt.

Suidas de Chemia.

4. *Suidas nihil aliud eo nomine intelligit,* Reſp. Suidæ verba ſunt: *eodem tempore veterum ſcripta de fuſione auri, & argenti* (ita interpres) *conquiſita combuſſit* χημείαν *vocat* παρὰ τὸ χέειν *quod ſit auri & argenti præparatio fuſoria.* Comprehendit itaque etiam excoctoriam, ſeu conflatoriam, & ſegregatoriã, eamque non falſam, & impoſtoriam, quam Pantheus hoc nomine damnauit, ſed veram, quam is alio nomine *archymiam, & Sophiam* appellat, reiecto polluto vulgi vſurpatione, & iudiciis, vocabulo *Alchimia*, qui tamen in titulo libri nihilominus Artem & Theoriam tranſmutationis metallorũ proponit, & in libro paſſim de metamorphoſi argenti viui animati dilucide ſe differere autumat. Sed detur tibi Suidã intellexiſſe ſolam tranſmutatoriam, cum ſcires vocem hodie apud doctos in vſu ampliore eſſe, cur tacebas, alias nugator verboſiſſimus, & anus loquaciſſima?

5. Libauii autoritatem etiam producis homo Diabolica inſania pleniſſime. Quorſum vero tibi autoritas eius hominis quem noſti multa opera de Alchymia edidiſſe, & cum Riolano de eadem, Palmarioque & aliis pugnaſſe? Vis me ſexcenties vſurpare vocem particulariter. Nempe tuum eſt vltra omnem modum ſcurrilem & mendacem eſſe. Vbi ſunt illa loca ſexcenta? Iamne didiciſti meam latinitatem & Græcam dictionem? ſupra eras infans, iam adeo ſapis, vt etiam quæ nõ ſunt in meis ſcriptis videas. Producitur pag. 267. Commentationis in Raimundi clauiculam, vbi non definitur Alchymia, ſed tantum de artificibus ibi memoratis dicitur quod quærant tranſmutationem hydrargyri, & imperfectorum metallorum in aurum, & argentum. Ea pag. 269. in margine vocatur chymia μετασχηματιστική: Et pag. 258. explicatur vocabulum: vocem Alchymiæ Lullius vſurpat de lapidis opere, ſpecialius nimirum per Synecdochen ſpeciei, quo modo, & definitio Rogeriana, & plerique è vulgo. Declaratur Auguſtini Panthei acceptione. Hæc tu calumniator cum aliis pluribus non vidiſti. *Iohannes Beguinus* nuper ita definiuit: *Chymia eſt ars corpora naturalia miſta ſoluendi, & ſoluta coagulandi ad medicamenta gratiora, ſalubriora & tutiora concinnanda. Alchymiam ſi quis nuncupauerit, Arabum more præſtantiam eius inſinuet:* Et ſequente folio: *vnde apparet quam grauiter illi hallucinentur, qui audito Alchymiſtæ nomine, ſtatim ſibi hominem imaginantur qui nihil tractet aliud quam metallorum* μεταμορφώσεις *&c. Petrus Amelungius* ex meis commentariis ſcribit eſſe artem perficiendi magiſteria, & eſſentias putas è miſtis ſeparato corpore extrahendi: Ita ille qui & antiquitatem eius altius ab Adamo vſque repetit. Vide Pancirolli lib. 2. tit. 7. & ſcholia Henrici Salmuth. Fateor ego me in Alchymiæ informatione, & commentationibus non ſemper vno modo accepiſſe vocem, ſed hoc argumento tu tuum à te vitium non depuleris, qui TOTAM in quæſtionem vocas.

6. Pag. 79. Narras artem ſublimandi, deſtillandi, & rationem purum ab impuro ex medicamentis eliciendi, ac alia artificia poſteriores chymiſtas modo quodam loquendi improprio, & abuſiuo Alchymiæ ambitu comprehendiſſe &c. Rident te hic chymicorum lixæ. Tune quadraginta annos verſatus es in carbonaria impoſtores Alchymiſtas quærendo, & ex eis diſcendo, nec dum didiciſti quæ artificia ſint Alchymiæ? Sublimare, & deſtillare, & alia quæ tu ſupra numerabas an nõ ſoliti ſunt illi impoſtores? Imo ſoliti, ſed alterante & ſcientia, & arte. Iiſdem operationibus vſi ſunt, ſed perperam accõmodatis, vt etiam Bernhardi hiſtoria teſtatur. Si igitur poſteriores à prioribus acceperunt operationes, & priores ſublimarunt, deſtillarunt & cætera peregerunt, vt eſt in Gebro & aliis antiquis, tandemque iſta pertinent ad eſſentiam Alchymiæ, diſcere potuiſti & antiquam eſſe artem, & non ſolum metallis fundendis accommodatam quod Meſue, Bulcaſis, Geber & alii abunde comprobant. Si præterea tanti facis iſtam Alchymiã, quæ te intemperiæ aliæ præter Sathanam ad tam virulentam aduerſus me apologiam commouerunt? Eamne mihi gratiam refers ingratiſſime cucule? Sed tu patriæ tuæ non peperciſti.

CAPVT XXIV.

De vltra menſuram tinctura.

FAbulator ille anilis nihil ad rem poteſt reſpondere: in minutiis quibuſdam externis rabulam agit egregie ſtultum. Lib. 1. cap. 2. ſui tractatus Thema controuerſum indicat. *Duo ſunt,* inquit, *quæ potiſſimum in Alchymia quæruntur: Alterum, vtrum natura, arte miniſtrante, poſſit metallum vnum, puta plumbum, mutare in aliud, puta in aurum: alterum, ſi mutare poſſit: num vltra menſuram, ſic, vt tinctura, verbi gratia, ex vncia auri extracta, libram alterius metalli in aurum vertat. Chymiſtæ vtrumque fieri poſſe aſſerunt &c.* Hæc & ſimilia iſte bruto, rudi, indocto, imperitoque modo, tametſi totos 40. annos in furnulis tranſmutatoriis ſit verſatus. Quid mirum? Cum veris artificibus non fuit, nec phraſium ex libris eorum meminit, vt didicit, ſic loquitur: imo ne iam quidem fatuam linguam correxit. Notabam ego in defenſione aliquot deliramenta. Neſcire hominem quid nugetur, forma quæſtionis tam

Gram-

tam Grammatice, quam chymice indicat. *Grammatice: vtrum*, ait: Et tamen vnā tantum quæſtionis partem exprimit, cum illa vox ſit relata, & problematicam propoſitionem comprehendentem vtramque partem contradictionis deſignet. Adeo paratus acceſſit ad certamen. *Chymice*: Non quæritur potiſſimum id quod ponit, nempe poſſitne natura, ſi ei ars miniſtret, metallum vnū mutare in aliud. Deus hanc vim naturæ indidit vt metalla etiamnum hodie generentur, qua in re arte mineris poterat ſuccurri, matutando, figendo, & aliis ſicut fit extra fodinas per ingenia conflatorum, ſegregatorum, variaque medicamina. Quidam opinati ſunt artem chymicorum eſſe tale quiddam quale conflatorum, qui aurichalcum, argyrochalcum, ſtannum, æs caldarium & alia colliquando, confundendoque certis temperamentis faciunt. Inuenti ſunt ſophiſtæ qui artificioſiſſime id aſſequerentur, quale exemplum recitat Ariſtoteles, & Nehemias: Item Albertus Magnus Suchthenius & alii, extantque multæ deſcriptiones in variis libris. Chymici veri reſponderunt ſimile quid perfectis ſic fieri poſſe, ſed non eſſentia perfecta. Redarguuntur enim iſta opera examinibus acribus perfectorum: Si quis velit conficere, eum oportere ſyncere, & ſine dolo agere, confiteri nimirum ſuum opus eſſe apparens, & ſophiſticum tantum, nec pro vero diſtrahere. Hac quæſtione relicta, altera emerſit, *num via Hermetica eſſentiale aurum, & argentum, omnibus examinibus naturalium iuſtum & probum fieri queat, ſiue cum, ſiue ſine lucro.* Reſponſum eſt naturam dare argentum viuum, ſeu mercurium omnibus metallis communem, in quem etiam metalla reduci poſſint omnia. Hunc ergo poni primam eorum materiam, quod primum ſit generatione, quod vltimum corruptione determinata: Mercurium illum in via perfectionis varie affici: Inde naſci imperfecta metalla, & perfecta: Illa, ſi motus naturæ non perficiatur propter accidens: Hæc, ſi ad finem perueniat: Poſſe autem ſublatis accidentibus reuocari naturæ motum, & per ſulphur perfectorum materiam perfici: Sicut enim per ſulphur vitriolatum æris ferrum mutatur in cuprum: & per ſulphur plumbi regulus ſtibii in plumbum: Ita & argentum viuum cum imperfectis metallis per ſulphur ſeu animam auri in aurum. Naturane ſola, an arte, an vtraque? Reſponſum eſt neutra ſola: Sed ſocia vtraque. Natura enim dedit præparata iam principia. Ars ea ex natura ſumit, & elaborat, exaltatque vt determinatum ſubiectum, quod ſua natura eſt transmutabile, poſſit perficere: Prout autem elaborationis gradus eſt: Ita lucroſe vel damnoſe opus procedit. Hæc ipſa non ſunt dicta tantum, ſed & per experientiam comprobata.

Summa artis transmutatoriæ.

Aliter de his diſſerit vulgus, & manipulus impoſtorum, quos ſequitur Guibertus. Vulgo audimus magnos, mediocres, paruos ſiti, fameque auri concitatos quærere num id poſſit aliquis facere, ſiue natura, ſiue arte, ſiue vtraque. Non enim de hoc ſoliciti ſunt, modo adipiſcantur & capiant id quod deſiderant, & venantur. Hic reſpondetur, poſſe fieri ab his qui & Hermeticam artem teneant, & cum Dei benedictione ſapienter, prudenterque in ea continuanda verſentur: Non poſſe, ſi quis deflectat à via naturali, & comprobata per experientiam Hermetis, & aliorum artis principum.

Guibertus præciſe negat omnem modum artis & naturæ, ſeu ſeorſim, ſeu coniunctim. Hoc poſito, ſuperuacaneum eſt quærere qua menſura & copia poſſit. Quæſtio prima negata, euertit ſecundam. Si autem detur poſſe, locus eſt ſecundæ. Ille vero impoſſibilem tranſmutationem eſſe vult euincere. Hæc ergo ſola quæſtio relinquitur. Non vult capere Guibertus ſe in themate proponendo deliraſſe.

Scopus Guiberti.

Relicto nucleo, circa corticem debacchatur, & arripit quæſtionem ſecundam quaſi à me calumnioſe notatam. Sed perpendamus argumenta litis. *Num recte quærit Guibertus aurum ne ex plumbo poſſit fieri vltra menſuram, an non.* Nego ego recte quærere. Cui enim propoſita eſt impoſſibilitatis ſimpliciter euictio, is fruſtra ſolicitus eſt cum, vel ſine menſura fiat tranſmutatio. Ipſo enim iudice omnino non fit. Deſtructo ſubiecto, deſtruuntur adiuncta. Deinde reprehendo hominis improuidam locutionem. Non enim quærere tantum de metallis debuit, imo ne de metallis quidem, ſi recte iudicare volumus, ſed de argento viuo ſiue crudo, ſiue cocto. Præterea doceo indefinitam eſſe quæſtionem de menſura. Habet enim duplicem ſenſum. Primus eſt, num ex auri vncia tinctura ſimplici modo extracta poſſit tranſmutare æquiualens plumbum, an amplius, veluti libralem maſſam. Oſtendo artifices non promittere maius pondus diſpoſiti ſubiecti, vt mercurii argento fixo animati. Itaque ſi aurum fuit vnciale, vnciale redibit ex tranſmutatione. Alter ſenſus eſt, ſi exaltetur, & multiplicetur Elixyr, quod aliqui etiam tincturam, & animam &c. auri vocant, quid tunc poſſit.

Controuerſiæ ſtatus.

Reſpondeo agenti analogo analogum patiens iungi: Et vtrobique eſſe determinatam menſuram: Ideo in neutro horum operum debere menſuram negari. Deus omnia certis menſuris expendit. Quid iam contra hæc veſana illa anus Guibertus?

1. *Sua verba ait deprauari, vt paſſim vbique.* Reſpond. Nugaris, & aperte mentitis. Quo modo ego deprauo paſſim vbique tua verba? Deinde an non ſcripſiſti, quæri, *ſi mutare natura arte miniſtrante poſſit plumbum in aurum, num id vltra menſuram*, hoc eſt, *vltra vnciam plumbi ſi tinctura fuit ex auri vncia, adeo vt libra exeat.* An non hæc eſt tua mens, vt eam verba produnt? Dicis temere & falſo, & verba, & ſententiam inuerti. Qui ſic ô nugatrix anus? Quid ſenſiſti? *Falſum,* inquis eſt, *& malitioſe cogitatum, me ſcripſiſſe vltra menſuram poſſe fieri aurum.* Suauiter inſanis, & carebas perſpiciliis cum mea verba legeres.

Primū ſcripſi, ſuperuacaneā eſſe quæſtionē hanc, quia prima ſublata hæc tollitur. Secundo dixi, nullum chymicū affirmaſſe vltra menſurā poſſe fieri aurum, vt inde ſequatur ſic quoq; vane quæri de eo quod nemo affirmauit. Omnes periti artis aut de ſimplici tinctura loquūtur: aut de exaltata.

Hic latinitas Libauii eſt vltra captum Lotharingicū.

De illa

De illa iam dictum eſt menſuram corporis corpori reſpondere: de hac monent analogum eſſe agens patienti. Si bene laboraſti multum tinges & feliciter: ſi non, etiam plane potes ſpe decidere. Ita ſunt gradus elaborandi Elixyr. Quoddam tingit 10. quoddam 20. quoddam 100. quoddam 1000. partes, vbique principii virtus quanta eſt, tantum valet. Si ergo omnium verorum artificum eadem eſt ſententia, quæ amentia te impellit, vt eā velis in dubium vocare? Quidam in infinitum aiunt vim extendi: ſed id de augmento eſt, vt de numeris, non de quanto magnitudinis. Mentiris calumnioſe quod tibi tribuerim aſſertionem poſſe vltra menſuram fieri.

2 Scribis me falſo aſſerere iſtam tuam phraſim non eſſe chymicam. Diſce Grammatice, logiceque loqui: Negarem iſtam tuam phraſin eſſe chymicam. Sed quam quæſo? Tu producis verba hæc: *Num vltra menſuram, ſic vt tinctura exempli gratia, ex vncia auri extracta libram alterius metalli in aurum vertat*, ô he Guiberte. ſiccine impingis mihi deprauationes, cum tu ſis deprauator calumnioſiſſimus? verba quibus nihil σολοικότερον eſſe ſcripſi non ſunt illa, ſed hæc: *Tantum abeſt vt res aliqua in natura detur, quæ ad eam poſſit naturam adduci, vt eius drachma explere valeat efficaciam multarum librarum auri, ſi cuiquam metallo adhibeatur, quod metalli vnius in aliud tranſmutationem dari in natura inficiemur.* (Pag. 5.)

(*Ad ferulam.*) Hic notabo primum Grammaticam tuam. Ferulam tibi debent ſcholaſtici, quia non tantum hoc in loco, ſed & aliis pluribus ponis *QVOD*, pro *VT*, quæ particula ſequi debebat poſt TANTVM, ſicut & tu ipſe prius locutus fueras: *Tantum abeſt vt*: Cur ergo & non poſterius eodem modo? Deinde inſpicio, & iudico axioma quod ex comparatis formam quandam connexam habet, & comprehendit argumentum cum quæſtione. Senſus eſt: *Adeo non datur res in natura, quæ ad eam excellentiam virtutis arte poſſit perduci vt drachma vna multarum librarum auri vim obtineat, vt inficiemur vnius metalli in aliud tranſmutationem in natura dari.* Quæſtio eſt: Num eſt res naturalis quæ arte ſic exaltari poſſit, vt multas auri libras vna drachma queat efficere ex imperfecto metallo. Negatur, Argumento: *Quia inficiamur dari in natura vnius metalli in alterum tranſmutationem.* Hoc inquam argumentum non offendit theſin. Nam & tu negare potes tranſmutationē metallorum in natura eſſe poſſibilē, & nihilominus dari in natura res poteſt quæ ad gradum tantum virtutis arte perducatur, vt eius proiectione drachmali ex mercurio fiat multum aurum, vel argentum. Tua negatio ne vitioſæ quidem nucis aut ambuſti pili æſtimatur. Diſce rectius argumentari homo ἄλογε. *Si nec natura ſola, nec arte coniuncta natura poſſibile eſt tranſmutationem vnius metalli in aliud fieri, neque medicina parari poterit per quam tranſmutatio procuretur.*

Nos aſſumimus antecedens affirmate: tu negate. Circa hanc rem lis eſt. Poſtea tu peccabas etiam in hoc quod vtrumque ſimpliciter negabas, & poſtea alterum pro alterius argumento adhibeas. *Non datur natura in medicina tranſmutans. Ergo nulla eſt tranſmutatio.* Imo contra: Nulla eſt omnino tranſmutatio: ergo neque per medicinam. Tertio monſtranda tibi eſt etiam inepta imperitaque tua locutio, quam adhuc iam quinquagenarius aſinus nondum agnoſcis.

(*Solœciſmi Guiberti.*) 1 Nullus chymicus artis orgiis initiatus ſic loquitur: *Non datur res aliqua in natura quæ poſſit ad eam naturam adduci &c.* Chymici nulli rei naturali naturam inferunt: Sed omnes dicunt impoſſibile eſſe arti naturas, & diſpoſitiones facere. Itaque quicquid aſſumunt, id iam ſuam naturam, quæ eſt inſitum cuique naturali principium, à Deo habet. Hoc principium cum actum quidem habeat, ſed eum impeditum, & occupatum accidentibus, atque veluti oppreſſum elementari tarditate, induſtria ſua expediunt, cumque natura reliquerit id tardum, materiale, & coagulatum, ipſi reddunt formale, & ſpirituale adeo vt reſpectu naturalis perfectionis pluſquam perfectum poſſit dici. Datur res in natura quæ induſtria chymica ad eum gradum virtutis, ſubtilitatis, & perfectionis queat perduci, vt principii validiſſimi inſtar multum mercurialis corporis poſſit conuertere in id cuius naturæ quaſi ſeminarium principium fuerat. *Simile enim procreat ſimile ſecundum naturam collato principio in quo eſt potentia motus ad faciendum tale quale ipſum: Alteratum ſequitur naturam alterantis: Simile gaudet ſimili: Agentis naturalis finis eſt ſimilitudo paſſi. Natura naturam retinet, immutat, & in ea acquieſcit.* Ita correctus eſt primus tuus in eo paragrapho ſolœciſmus.

Secundus eſt cum ais: *Vt eius drachma explere valeat efficaciam multarum librarum auri* Hoc monſtroſe dictum ſimul eſt. Si aliquot milliones auri caperes, tamen omnes tantum non poſſent efficere quantum vnum granum medicinæ. Hoc enim analogum mercurium mutaret in aurum, quod non poſſet efficere omne aurum. Diſce hic loqui: *Vt eius proiecta ſuper mercurium* (ſiue ſolutum, ſiue coagulatum imperfecte quanquam liquatum &c.) *drachma multa libra illius in verum, naturale, & omni examinari reſpondens aurum tranſmutentur.*

Tertius ſolœciſmus eſt: *Si cuiquam metallo adhibeatur.* In quo furnulo chymico ſic loqui didiciſti? Proiectio facienda eſt, non adhibitio. Ea vero ſuis præceptis conſtat, & fit tum ſuper mercurium vt fiat medicina, tum iterum atque iterum ſuper eum, & imperfecta in fluxu, vel ignitione ſi eam patiuntur (vbi etiam extinctio valet ſi medicina eſt in oleum ſoluta) vt fiat aurum, vel argentum pro natura medicinæ.

Tu ablegas me ad Chymiſtam quendam bene doctum, qui ſimiliter tibi ſit locutus. Inſpexi locum monſtratum. Inueni *Cornelium Agrippam* ſic loquentem: *Ex auro argentoque Alchymiſtæ ſpiritum nituntur ſecernere quem rite ſegregatum, & extractum, ſi poſtea illum, cuiuis eiuſdem generis materia, hoc eſt, cuiuis metallorum adhibuerint, aurum ſtatim, argentum conficiunt, & nos illud facere nouimus, & aliquando vidimus. Sed non plus auri fabricare potuimus, niſi quantum illud erat auri pondus de quo ſpiritum extraximus. Nam cum ſit ille ſpiritus forma extenſa, & non intenſa, non poteſt vltra ſuam menſuram imperfectum corpus in perfectum mutare.* Hæc ille. Præclaro ſcilicet vſus es Doctore, qui cap. 10. eiuſdem libri à te ipſo vocatur mendax magus & artibus Diabolicis irretitus, qui etiam rudis, & inexpertus accinxerit ſe ad (*Chymiſta bene doctus Agrippa videquomodo ornetur.*)

ſcri-

ſcribendum de occulta Philoſophia in qua iſtud aſſerat:qui tandem palinodiam cecinerit, &c. Illud ipſum eſt quod in te reprehendo. Non artifices ſecutus es per 40. annos ſed impoſtores, homines rudes,& imperitos. Ideo & eorum lingua loqueris. Quem autem ita vituperas, qua fronte appellas bene doctum? Idem tranſmutauit metalla. Producis & meam autoritatem ex c.22.lib.2. Arnoldini Roſarii. At in eo capite nihil tale extat. Deprehenderis ergo in manifeſto mendacio. Tandem ſolœciſmum etiam excuſas, prolatis nugis de ſignificatione termini *Menſura*. Sed rideo tuam fatuitatem. De alliis accuſatus reſpondes non de cepis, ſed de ouis,& rixaris temere de lana caprina. Sane licuit tibi non chymice loqui. Sed tunc abiice fumoſam illam quadragenarii chymici gloriam. Si loqui recte,& proprie in artis argumento non potes, quis credat te artem intelligere,& iuſte refutare poſſe? Ne ſine Diabolico fœtore apologiæ hanc partem verboſiſſimam claudas, crimen falſæ citationis committis. Hanc n. locutionem, quam rudem, nec ſatis Grammaticam vocas, mihi tribuis: *Se in contentionibus Philoſophicis verſantem non tam ſtudere verbis argutis: quam aduerſantium opiniones veritati vim facientes conuellere & turbare, quam rerum ipſarum luce oppoſita tenebras diſcutere,&c.* Calumniator improbus vt Grammaticum vitium mihi impingat, inſerit particulā QVAM verba mea hæc ſunt: *me in contentionibus Philoſophicis verſantem non tam ſtudere verbis argutis* (hic poſuit colon Typographus ſuo, non meo vitio) *aduerſantium opiniones, veritati vim facientes, conuellere, & turbare, quam rerum ipſarum luce oppoſita tenebras diſcutere, &c.* Hoc crimine falſi gaudeat Guibertus, & poſtea ſibi gratuletur de ſolidis reſponſionibus. Adieceram: *Quid facilius eſt quam verbis labefactare aliorum placita, tantumq; negare, quantum ipſi affirmauerint, & ſententias ſi non euertere, impellere tamen, & dubias reddere, præſertim cum abſoluta illa iudicandi ratio in nullo huius ſeculi homine ſit abſoluta.* Hæc verba pro ſe contra me citat, quaſi ſimplici negatione vſus contra ipſius affirmationem, mihi ipſi detraxerim iudicii abſolutionem. Quod ad hanc attinet, noui meam tenuitatem, & video me ſeneſcere ſemper aliquid addiſcentem. Ideo abſolutum & perfectum iudicium cum cognitione differo in alteram vitam beatam, quam Chriſtus ſola ſua iuſtitia, per fidem mihi apprehendendam peperit. Interim non eſt conſequens me falſitates Guiberti in Phyſica, & chymia non poſſe iudicare. Deinde falſum eſt me id negaſſe ſimplici modo, quod ipſe affirmauit. Longe differunt meæ increpationes ab ipſius maledictis. In hominem rudem peritus iure ſuo ſumit autoritatem. Ego rationibus addidi caſtigationes, non ſum tumultuatus temere; volui hominem docere meliora, & ſpongia acriore eluere maculas: volui à mendaciis conuertere ad veritatem, & ex Diaboli faucibus eripere, Chriſtoq; tradere. Sed laterem laui. Dum etiam ſibi quædam placita tribuit, norit, nondum eſſe eius autoritatis, vt ſententias poſſit alicuius momenti ponere. Stultum, inſanum, & rerum de quibus diſputare præſumſit, imperitum hactenus deprehendimus. In apologia vero etiam qualibet rabioſa anu, cui ne Diabolus quidem velit conuerſari, virulentiorem, & maledictis copioſiorem vidimus. Recipe ad te, homo veſane, calumnias tuas, vituperia, ignominias, conuitia, mendacia, & ſimilia plus quam Diabolica ſcelera, & ſi vnus aſinus ponderi non ſufficit, alterum atq; etiam tertium adde, ſicq; in tuum cœlum Gehennam, aut purgatorium perge. Inuenies qui aſinos tuos exonerent.

Crimen falſæ citationis Guiberti.

Retorſio.

Finis reſponſionis ad Diabolicam iſtam apologiam.

Q DE

D. O. M. A.

DE TRANSMVTATORIÆ METALLORVM HERMETICÆ VERITATE CONTRA INTERITVM EIVS A NICOLAO Guiberto temere aſſertum.

ANTIGVIBERTINA SECVNDA.

De Titulo tractatuum Nicolai Guiberti Lotharingi.

DEo ſit gratia & gloria quod eluctati ſimus tandem ex horribili, maximeq; fœtido conuitiorum, & maledicentiæ Guibertinæ cœno. *D*ebuerat Guibertus ſuas rationes contra hermeticam tranſmutatoriam metallorum defendere: Sed ille non auſus rem aggredi modo latinitatis difficultate, modo intermiſtos Græcos terminos, modo minutias quaſdam vocabulorum, interdum tricas, apinasque ſeu non magni momenti quæſtiones momordit: maximam partem impetus conuertit in caſtigationes ſuæ temeritatis & fatuitatis rationum productarum, quas plus quam aſinini ponderis maledictis putauit ſe repellere poſſe, non animaduertens quo magis id faceret eo magis ſe à reipſa diſcedere, ſeq; ex viro in dementem anum conuertere, tanto propiorem *D*iabolicis deſideriis, quo maiore cumulo mendacia effunderet, & ſanguinem noſtrum per gladios, cruceſque etiam aduocato impuro conuitiatore *Greiſero* Gheſuita ſitiret. Nunc à *D*iabolice ſuriente ad argumentantem accedimus, & primum TITVLVM tractatuum incerti numeri, (Nam Typographus indicat ſupereſſe plures an. 1614. vernis nundinis editis) perpendimus, ita docti à *G*uiberto ipſo, qui volebat inſcriptionem operis debere vnico intuitu totam rem libro comprehenſam offerre, & clare proponere. Ita habet Titulus: *De interitu Alchymiæ metallorum transmutatoriæ, tractatus aliquot multiplici eruditione referti.*

De titulo.

Alchemia tranſmutatoria Vita.

Mirabilis titulus. *Cuius rei proponitur interitus, eam neceſſe eſt vixiſſe, aut viuere.* Habitus enim prior eſt priuatione, ſeu vt communiter loquuntur, priuatio præſupponit habitum: & eſt mors, ſeu interitus vitæ priuatio. Quæcunque ergo ſit ratio nominis, proprie improprie, vſurpati, aliquem vitæ modum Alchymiæ tranſmutatoriæ Hermeticæ titulus concernit. Quod ſi vixit aliquando, viguitque & valuit, temerarius eſt omnis conatus Guiberti, quo euincere annititur impoſſibilem eſſe naturæ & arti. Non enim poteſt efficere vt id quod vixit non vixerit, & quod aliquando fuit poſſibile, actuque floruit, ſimpliciter ſit impoſſibile, nec actum habuerit.

Triplex tranſmutatio: Naturalis, artificialis, quæ duæ ſunt vera, & tertia apparens.

Metalla ſunt tranſmutabilia.

Non tantum in alia ſed & in mutua.

Hoc primum eſt. Secundo iterum notamus, cum triplex ſit tranſmutatoria, vna, qua metalla, generabilium & corruptibilium claſſe contenta (vnde & 1. Petr. 1. aurum, & argentum appellantur φθαρτὰ, caduca & corruptioni obnoxia) ſunt ſua natura tranſmutabilia: altera, qua idem procuratur arte per naturę adminicula: tertia apparens, & ſophiſtica, minime dilucidum eſſe titulum, cumq; in progreſſu ſine diſtinctione & naturæ, & arti impoſſibilem eſſe tranſmutationem profiteatur diſputator, eum circa indeterminatum thema vagari, non ſine iniuria in *D*eum naturæ, & naturam, artemque naturæ imitatricem, & correctricem. Si *D*eus metalla talia creauit vt tranſmutari, generarique, & corrumpi poſſint, quæ dementia eſt verbis docere velle interitum tranſmutatoriæ metallorum? Num in genus cœleſte, quod tamen & ipſum tranſitorium eſt, ſunt translata? Si non exemta ſunt generabilibus, & corruptibilibus: *G*eneratio vero & corruptio ſunt μεταβολαὶ: qua confidentia negantur poſſe tranſmutari? Si ſunt tranſmutabilia, quid ni aliquando in mutua cum eiuſdem ſint materiæ, & ſymbolum habeant?

Tertio Guibertus cap. 1. & aliis nonnullis lib. 2. oppugnat ę Alchymiæ vanam, & temerariam rationem eſſe ponebat, quæ experimentis infallibilibus refutaretur. Atqui tranſmutatoriæ

ſunt

ſunt infallibilia experimenta. Eſt in India metallum ex genere ſtanni, Calaëm vocant. Id in Europam deuectum cum ignibus exploraremus tranſmutabatur in ſpeciem quandam cæruſſæ, qualis fit ex plumbo, & ſtanno noſtrate, (album Hiſpanicum nominant) imo & ardebat inſtar arſenici & ſulphuris, inque tenuem telam ex parte reſoluebatur. Idem conſtat publice de omnibus imperfectis metallis, & ſemimetallis, etiam argento. Sunt ergo corruptibilia. Nihil autem corruptibile eſt, quia & generabile. Ex mutuis quoque fieri nulla ſophiſtica poteſt negari. Nam plumbum in lapidem tranſmutatur, & inde reducitur. In argentum viuum ſoluuntur omnia metallica. Id autem vel principium metallorum vocant ſapientes, vel etiam metallum. Ex ferro fieri chalybem & æs, irrefragabile eſt, quicquid inſulſis ſuis ratiunculis reclamet Guibertus. Cum item ante hac contentioſiſſime de eodem argumento ſit actum, aduerſarii compulſi ſunt concedere inferiorum metallorum tranſmutationem, tantumque circa aurum & argentum hæſerunt; Imo & tandem coacti ſunt in auro acquieſcere, verum abſque lucro, quod videre multiplicationis, & exaltationis modum non poſſent. Sic ergo ante conflictum cauſam ſuam perdit Guibertus, nec difficile erit verbis, quæ temere effutit, occurrere. Nihil enim ad rem facit nugari, vbi experientia euidens dictis contrarium demonſtrat. Solet obiicere vir callidus, ſuam ſententiam vel non intelligi, vel deprauari: Statum enim controuerſiæ eſſe, metalla in mutua eſſe intranſmutabilia, quanquam alias corruptibilia eſſe non ignoret. Nos reſpondemus, ſi ita ſit, non negandam eſſe tranſmutatoriam ſimpliciter; Deinde non tantum in alia verti, ſed & in ſe mutua propter materiæ communionem, quæ mutationes perfectiuas incidente tali principio admittit. Circa hæc ergo deinceps quoque lis hærebit.

Ad caput I. Tractatus I.

ARgumentum capitis pluribus exponitur. Thema eſt: *Metallificium vanum eſt, fabuloſum, & imaginarium figmentum.* (Adeo copioſus eſt in vituperando hoc Dei opere.) Argumentum: *Quia fundatur in virtute ſeminali metallorum, quam in creatione Deus lapidibus, & metallis indidit nullam.*

Syllog. *Si in lapidibus & metallis nulla eſt vis procreatrix, & ſeminalis, metallificium in ea fundatum eſt figmentum. Eſt autem prius: Ergo & poſterius.*

Aſſumtionem ſuſcipit probandam Guibertus ex Geneſi per primas 10. pagellas. Alia forma: *Quod fundatur in virtute ſeminali metallorum, eſt vanum figmentum.*

Metallificium Alchymiæ à quibuſdam Alchymiæ fautoribus fundatur in vi procreatrice & ſeminali metallorum. Metallificium ergo Alchymiæ eſt figmentum vanum.

Propoſitio probatur: quia ea in metallis à creatore facta eſt nulla. Eodem autem res redit ſiue connexa forma vtaris ſiue ſimplici. Nam & in ſimplici proſyllogiſmus petitur ex Geneſi. Videamus primum de ratiocinatione; poſtea proſyllogiſmum examinabimus. Vos Muſſipontani, & Tullenſes Medici, Philoſophi, Chymici adeſte. Guibertus homo nauci eſt, & ad hoc certamen inutilis, vtpote qui proteſtabatur quaſi ſupra in Diabolica apologia, meam latinitatem, & Græcam linguam non poſſe à ſe expedite intelligi. Vos, licet ille quaſi fungos inſipidos fecerit, dum *nihil laudabilium ſtudiorum in angulo illo Galliæ inueniri ſcripſit*, tamen etiam eximie laudauit, egoq; potius laudi veſtræ accedo quam vituperio, & cupio certamini intereſſe.

In connexo ad aſſumtum; in ſimplici ſyllogiſmo ad propoſitionem reſpondeo per diſtinctionẽ virtutis procreatricis, & ſeminalis. Naturale eſt ſimile gigni à ſimili ſibi ſecundum ſpeciem. Generatio eſt motus profectus à generante cuius vi ex non ente Ens naſcitur ſimile illi à quo eſt motus. Nihil autem generat qua eſt, ſed qua vim generatiuam habet, quæ maxime eſt formæ. Hanc deprehendimus in vniuocis, & æquiuocis. In vniuocis tam ſimplicibus, quam miſtis: In ſimplicibus: Vt: calor calorem gignit, frigus frigus, ignis ignem ex determinata materia. Neget quis hoc? Ecce tibi: Parua ignis ſcintilla in ſtuppa & aliis cremiis ingentem ignem parit, non ex nihilo, ſed aliquo: non diſſimile ſibi, ſed ſimile quantum poteſt per diſpoſitionem materiæ, & externa. Habet ergo ignis procreatricem ſui ſimilis vniuocam. Habet & æquiuocam pro gradu & determinatione. Id videre eſt in ordinariis & extraordinariis naturæ operibus, vbi nihil naſcitur ſine calore, & tamen calor non dat ſubſtantiam, ſed eſt tantum principalis agentis inſtrumentum. Refer huc illa Ariſt. ex 2. Gen. an. cap. 3. ſolis calor & animalium non modo διὰ τοῦ σπέρματος, ἀλλὰ κἄν τι περίττωμα τύχῃ τῆς φύσεως ὂν ἕτερον, ὅμως ἔχει καὶ τοῦτο ζωτικὴν ἀρχήν. Vide & 3. Gen. an. cap. vlt. de calore comprehenſo in æquiuocis.

Miſtorum claſſes ſunt duæ. Quædam perfecte, quædam imperfecte ſunt miſta. Perfecte miſtorum tria ſunt genera; Minerale, vegetabile, animale. Quidam mineralia inter imperfecta habent; ſed falluntur ſi id καθόλου aſſerunt. Nam & hic perfecta ſunt, quanquam & in elementorum genere & mineralium varia, eaque ſæpe fortuita confuſione multa eueniant. Hic iam non tantum de procreatrice quæritur, ſed & de ſeminaria propagatrice. Procreatricem illis ineſſe, quia elemẽta agentia naturaliter inſunt, & ignis ignem generat, nemo neget. De ſeminaria dubium eſt. Diſtinguo: Sunt perfecte miſta mineralia: Sunt plantæ: Inter vtrumq; genus interiectum eſt ambigens inter minerale & plantam, ſicut & inter ſimplicia elementa, & perfecta mineralia intercedunt ea quæ vtriq; generi ſunt vicina. Poſt plantas ſequuntur animalia, & inter vtrumq; genus interpoſita Zoophyta. Sicut ergo genera generibus gradatim ſuccedunt, ita & virtutes virtutibus. Demus vniuocam generatiuam plantis & animalibus ordinariis: at danda iiſdem eſt & æquiuoca. Mineralibus tribuimus non eam quæ plantis ineſt ſed ſui generis, quam ſi comparate volumus loqui, analogam vocamus, cumq; mineralia vicina ſint elementis, habeantq; in ſe vim igneam, quæ eſt ſui ſimilis *Natura non facit ſaltu*

Q 2 milis

milis iuxta ſpeciem determinatam procreatiua, dicimus talem ineſſe mineralibus, ordinariis potiſſimum, ſeu conſtantibus naturæ in mineris operibus, & hanc aliquando libere in mineris ſpirituum vehiculo vagari, & inſinuari, recipique in materia diſpoſita, quæ ſi mercurialis eſt illa ſulphurea & ignea exiſtente, prout determinata eſt. (Calor enim non eſt indeterminatus, ſed certo genere definitus) fieri metallum vel ſemimetallum: aliquando captam, coagulatam, & conclusam eſſe in ſuis corporib. ex quib. tamen arte poteſt liberari, & fieri fixum volatile, iterumq; volatile fixum; ſolutum coagulari, & coagulatū ſolui, & ad vires altiores perduci. Hæc qui nondum intelligit, attentus ſit ad ſequentia & naturā diſcat exactius contēplari. Summa eſt: Seminalis aut eſt æquiuoca, aut analoga, aut ex toto vniuoca. Si ita vultis, demus plantis, & animalib. per ſe vniuocā, ex accidente æquiuocā, ſeu potius ortum æquiuocum, vt Philoſophus appellat: At mineralibus perfectis ineſt analoga, eaq; vel volatilis, & ſoluta, vel fixa & coagulata. Hac diſtinctione tollitur quæſtio ex parte. Nam falſum fit quod metallificium Alchymiæ ſit figmentum vanum, cum ſeminali analoga fundetur, & inſuper etiam ex accidente æquiuoca quadā ſui generis. Nihil aliud habet Ariſtotelica generatio foſſilium, & metallorum ex mineralib. vaporibus, halitib. horumq; miſtura, quæ neceſſe eſt ad certā formā eſſe determinata, vt ſui ſimile in diſpoſita materia procreare poſſint, ſimulq;, quia ſiue materia determinata non ſunt, ei accedere. Iam de probatione Guiberti. Fundatum in virtute ſeminali metallorum figmentum eſſe, probare conatur, quia nulla ſit talis in metallis. Hoc rurſus probatur hoc argumento: *Si Deus in Geneſi, vbi creatio rerum deſcribitur, tantum legitur plantis & animalibus vim procreatricem & ſeminalem indidiſſe, non etiam lapidibus & metallis.*

Antecedens eſt: Ergo & conſequens.

Hæc excerpſimus ex pag. 6. 7. & 9. Aſſumtio eſt manifeſtæ literæ. Connexio probatur his verbis pag. 8. *Videtur per incluſionem plantarum & animalium Sanctiſſimus Dei ſpiritus nobis voluiſſe interpretari ipſum* (pro ſe) *excluſiſſe lapides & metalla à productiuo illo ſpiritu, & virtute ſeminali quam plantis & animalibus ſuppeditare voluit. Incluſio enim vnius, eſt excluſio alterius;* (Vt ſic) *arbitreris in curioſitatem Alchymiſtarum reſpexiſſe, atque hac idcirco Deum feciſſe, nec in tota mundi creatione vllam feciſſe foſſilium ſiue mineralium mentionem, ne, ſi foſſilia ab illa virtute ſeminali per incluſionem ſtirpium ac animalium, minime excluſiſſet, occaſionem errandi hominibus nimium curioſis & ſtolidis ſuppeteret, exiſtimantibus vitalem facultatem ac vim procreatricem lapidibus ac metallis non ſecus ac plantis, & animalibus ineſſe.* Hæc ſunt quæ pagellis 10. ad rem pertinentia continentur; cætera ſunt nugæ fatuæ.

Reſponſio: Nego connexum. Quædam enim in ſacris extant explicite, quædam implicite. Explicite nihil eſt de creatione angelorum, flammæ, aeris (Spiritum enim aliter interpretantur) lapidum, gemmarum, metallorum, ſemimetallorum, ſuccorum, & omnino omnium mineralium miſtorum in 1. Geneſeos; at neceſſe eſt implicite eſſe. Si enim non eſt: eximuntur iſta claſſe creaturarum à Deo intentarum, ita vt cum ſint, neceſſe ſit vel ab alio creatore extitiſſe, vt Manichæi ſenſerunt: vel præter Dei intentionem caſu, quod eſt Epicureorum. Atqui hoc totum eſt abſurdum, & alienum ab articulo creationis. Ergo & illud.

Ad probationem connexionis in argumento Guiberti dico, quod petat principium, & elenchum ignoret. Primum enim tollitur per NON VIDETVR. Secundo: Non ſi gemmis & metallis vniuoca generatiua cum plantis & animalibus non ineſt, plane nulla ineſt. Nam & æquiuoca poteſt ineſſe, & analoga, ſicut & plantis, animalibus, & zoophytis, quæ in genere ſuo (Nota: In genere, non in quauis ſpecie) ortum & æquiuocum, & vniuocum, & analogum habent. Tertio: Spiritus Sanctus in hiſtoria creationis contentus fuit principalia nominaſſe, & ſub iis etiam comprehendiſſe minus principalia, vt de ſimilibus ſit ſimile iudicium. Dicimus ergo ſicut ſub deſcriptione productionis animalium continetur & creatio zoophytorum: ita ſub vegetabilium ortus gemmarum, & metallorum, cum affinibus quæ ſunt inter elementa & plantas interiecta? Tacuit Deus vim lucis à qua procreatur lux & lumen in diſpoſitis: Tacuit generationem ignis & caloris, & ſpirituum: Tacuit qua vi caro ex ſanguine carnem procreet, os oſſa, & ſic de cæteris. Num ergo his omnibus detrahenda eſt vis propagatrix, & procreatrix ſui ſimilis? Sunt & multa potentia tenus tantum creata, quæ poſtea ſuis temporibus exoriuntur, nec ſunt inter illa quæ actu dicente Deo extiterunt. At ideo non negantur à Deo vim exoriendi, naſcendi, generandique accepiſſe.

In nutritione ſimul eſt tranſmutatio & procreatio ſimilis.

Quarto: ad axioma quod attinet de incluſione reſpondemus: Si Spiritus ſanctus dixiſſet Germinet terra herbam virentem TANTVM (non etiam aquæ: Herbas autem etiam in aquis naſci notum eſt) & facientem ſemen TANTVM (vel vt Guibertus exponit, in ſe habentem vim procreatricem ſeminalem.) Item de piſcibus & auibus: Creſcite vos TANTVM & multiplicamini; Et ad homines: Creſcite TANTVM, &c. quod non legitur de beſtiis terreſtribus: tunc incluſis his, pateret excluſa eſſe mineralia, ignem, & lucem. At non dixit. Ergo hæc non ſunt excluſa. Quinto: *Si tantum illa habent vim procreatricem in ſe quibus Spiritus ſanctus expreſſe eam tribuit, beſtiæ terreſtres non habent.* Nihil enim de his legitur explicite, & euidenter. *At conſequens non eſt: Neque ergo antecedens.* Ita abſolutus eſt Guibertus, qui ſibi videtur eximium ſapere in interpretatione ſcripturarum, quas tamen vtpote laicus, prohibetur legere niſi ſpeciali priuilegio Papæ, multo magis interpretari ad ſuum ſenſum.

Vbi expreſſa eſt excluſiua ibi incluſio vnius eſt excluſio alterius ſemper: vbi non eſt expreſſa, non ſemper.

Oppoſitus Syllogiſmus.

O*Mnia creata, quam naturam poſterius per ſe habere cognoſcuntur, eam acceperunt in prima creatione ſiue* actu, ſiue potentia, & ſiue expreſſe eorum fiat mentio in hiſtoria creationis, ſiue implicite.

Metalla

Metalla & gemmæ ſunt creaturæ, quæ cognitæ ſunt naturam habere inter elementa (ſimplicia vel confuſa) & vegetabilia interiectam, atque adeo analoga procreandi ſui ſimilis potentia inſtructam. *Metalla ergo & gemmæ hanc ſuam naturam in prima creatione acceperunt*, atque ideo, ſi non explicite, attamen implicite intelliguntur hiſtoria creationis comprehenſa. Nullus autem locus eſt in toto primo Geneſeos ad quem poſſint aptius referri quam ad vegetabilium productionem, id quod indicant etiam multa naturæ conuenientis indicia. Sic enim venę ſub terris pronaſcuntur, vt arbores videantur eſſe. In multis lapidibus cernuntur plantarum effigies: Et quia vegetabilis communis eſt etiam animalibus; ideo in mineris terræ etiam imagines animalium, vt piſcium, cōcharum, &c. Item partium, vt linguarum, dentium, cornuum, crurum, &c. inueniuntur, quibus principium vegetabile ad certam formam tendens non poteſt denegari. In arte chymica vis talis in ſalibus deprehenditur, qua de re vide Ph. Müllerum, Quercetanum & alios. Aſſumtionem probant tum naturales hiſtoriæ, tum per artem ſpectata experimenta, tum communis Eccleſiæ conſenſus.

Communiter enim omnes ſtatuimus non ab æterno eſſe metalla, ſed creata in tempore: Deinde non ſimul omnia ſic creata eſſe vt ingenerabilia eſſent deinceps, & incorruptibilia, ſed generabilia, & corruptibilia cum diuinis oraculis natura & experientia comprobat. Si generantur, neceſſe eſt vt vel confuſaneo modo fiant, ſicut ex aqua, & terra lutum, indeque per conglutinationem gleba & lapis; quod non eſt, vel ordinario alicuius determinati agentis in materia diſpoſita motu. Hoc ex cœlo petunt multi, & ſoli principaliter aſcribunt procreationem ad aurum tendentem primum, quod ſi aſſequi non poteſt propter accidens, ſubſiſtere aiunt citra, & ſic naſci metalla imperfecta, & ſemimetalla; Gemmas quoque & ſemigemmas, quæ ſunt gemmarum rudimenta, tanquam gemmæ nothæ. Nota: Vena biſmuthi vacua argento, poſt aliquot annos argentum genuit in vaſculis: Adamantes, rubini, &c. renaſcuntur in ſuis matricibus & gradatim maturelcunt. Vt & perlæ. Dic qua virtute? Sed arte perſpectum eſt, in terris ineſſe vim procreatricem in qua tanquam matrice adminiculis conuenientibus inſtructa, ſunt ſpiritus motiui, & virtutes metallificæ, gemmificæque cum materia determinata, quæ dum fiunt naturaliter, & natura eſt principium inſitum, neceſſe eſt in ipſis quæ generantur eſſe, & motum accipere à ſimili determinato quod actum habeat, &c. Ita & ignis ignem generat, & quæ igneam vim habent certum genus, ad quod ſunt determinata, in apta materia cum & quando poſſunt procreant, multis interim inordinate euenientibus propter accidentia, quod & Ariſtoteli de monſtris, & erratis naturæ à his fuit cognitum. Vide 2. de ortu cap. latinis 4. & in 3. Gen. an. cap. 11. Nihil virtute propria agit vltra propriam ſpeciem. Si calor ſiue terræ ſiue ſolis gignit in terra gemmas & metalla, neceſſe eſt eum determinari & regi virtute naturæ alicuius quæ iam habet ſpeciem, niſi fortuitus eſt ortus. Matheſius quem pluris facimus centum Guibertis, in Sarepta concione III. Sicut Deus herbis virtutem ſeminalem indidit, ita varia metalla mineris verbo inſeuit, & vna creauit vim ſeminariam in venis pendentibus & ſparſis, vt in iis tanquam vera metallorum matrice collecta in metallum perficeretur, &c. Non ſolus Ficinus Philoſophus, ſed & gnati rerum metallicarum id affirmant.

Vide Agricolam lib. 5. de ortu ſubterran. c. 1. & Matheſium de orig. metall. concione 3. Item Anſhelmi Boetii à Bood Gemmarium li. 1. cap. 8.

Deliramenta Guiberti in Cap. I. tract. 1.

I. NOlebat Guibertus in inſana ſua apologia Theologice diſputare, & tricis metallicis diuina miſcere. At in hoc capite adeo Theologus eſt vt pag. 2. velit *doctrinas & artes humanas eatenus eſſe amplectendas & probandas, quatenus ſacris ſcripturis conſenſerint.* Ideo & vult Ariſtotelis, & aliorum Ethnicorum axiomata ad amuſſim ſacrarum ſcripturarum examinari &c. Eſt in hac ſententia valde prolixus, & importunus. Quia Gheſuitis ſe addictum eſſe copioſiſſima narratione apologiæ oſtendit. Suggero Gheſuitis, velintne concedere huic ſuo pullo, vt omnia ad amuſſim ſcripturarum exigenda eſſe ſtatuendum ſit. Quid de Eccleſiæ iudicio? De traditionibus? de conciliis & patrum, papæque decretis? An falſum eſt, ſi quid non poteſt probari ſcripturis, habet autem ex iure Canonico autoritatem? Articulos fidei Chriſtianę neceſſe eſt extare in ſcripturis. Cæteris ſi non aduerſatur, probatis ratione, & experientia, ſatis eſt.

Nos poma natamus.

2. Pag. 2. Ingens quiddam molitur, ſibique videtur vltra omnes antichymicos ſapere, cum nemo ſit ſtultior: *Rem difficilem aggredior*, inquit, *& quæ non ex iis, qui contra Chymiſtas ante me ſcripſerunt, ſed ex MEO SENSV depromtæ ſunt.*

O acutos & ſubtiles ſenſus.

Regnum literarum in Lotharingia Guberti.

Audiris Gigantem quendam, qui cœlum ſit expugnaturus. Sane rem difficilem & tuis viribus adeo imparem aggrederis, vt ſtatim in prima aggreſſione procubueris, vt bos cæſus humi. Stulte: Cur non abſtines à myſteriis, cum ſis nullius iudicii, nec experientię vllius ſolidæ? *Ex TVO vero SENSV?* At is eſt ſtupidus, iners, infelix. Tunc ſacras literas ex tuo ſenſu interpreteris contra illud 2. Pet. 1. ℣. 20. Si tui Gheſuitulæ hoc legerint, ſcribent tibi dicam. Non enim tuos ſenſus, ſed Eccleſiæ te ſequi volent.

3. Pag. 3. & 4. *Multa latere ſcribit quæ fere ſub oculos cadant, quod Deus noluerit reuelare nobis arcana naturæ, & omnium operum Dei homo nullam poſſit inuenire rationem, &c.* Deprauate primum citat Eccleſiaſten. Ea enim ſententia non eſt de libro naturæ præciſe, ſed de Dei actionibus in regimine ſecundum prouidentiam, vt & Eſa. 47. & alibi ſcriptum eſt. Interim Deus, quæ videntur, etiam futura, aperit ſuis Prophetis Amos 3. ℣. 7. Quod ſi nulla ratio etiam in naturæ operibus reddi poteſt, & Deus hic quoq; arcana non vult reuelare, qua confidentia in chymicos ex ſacris inſurgit Guibertus? Num in ſecretum Dei conſilium irrepſit, & in tertio cœlo audiuit myſteria? *Solum hoc inuent,*

Eccl. c. 8. ℣. 17. Vt et in his operibus Dei quæ fiunt ſub ſole, quod eſt de rectoris prouidentiæ actionibus. Eſa c. 7 ℣. 31. Rom. 11. ℣. 33. 34. Eſa. 40. 13. 1. Cor. 2. 16. Iob. 36. 23. Sap. 9. 13.

uni, inquit Salomon, *quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Vide cap. 1. & aliis multa in natura certa, quæ & affirmate ſunt enunciata. Rom. 1. 19 20. S. Paulus ait quod *Deus etiam gentibus* τὸ γνωςὸν ἀυτȣ̃ *in creaturis manifeſtauerit.* ὁ γὰρ θεὸς ἀυτοῖς ἐφανέρωσε τὰ γὰρ ἀόρατα, &c. hoc eſt, vt Guiberto inſeruiamus cui Græca ſunt græca. *Deus enim illis patefecit. Nam inuiſibilia in è creatione mundi* ἀπὸ κτίσεως κόσμȣ) *per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur & intelliguntur* (τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα καθορᾶται) *Sempiterna quoq; diuinitas & potentia, vt ſint inexcuſabiles, &c.*

Ex quo loco pulcrum nobis argumētum eſt contra Guibertum. Nam ſi inuiſibilia Dei ex creaturis, tanquam ex poſteriore, innoteſcunt, neceſſe eſt metalla per Dei potentiam, & ſapientiam ita in principio facta eſſe, vt per totum naturæ curſum eſſe cognoſcuntur, nimirum generabilia & corruptibilia, adeoq; tranſmutabilia, tum in alia, tum in mutua. Sed & hoc ſequitur: non omnem cōtemplationem gentilium in naturalib. eſſe reiiciendam, etiamſi ſacris literis non ſit expreſſa. Liber naturæ à Deo ſic eſt collectus, vt etiam ſua habeat principia. Quidam philoſophorum (vt eſt lib. 8. tripart. c. 1.) iuſtum Antonium interrogauit, qui ſufficeret codicum conſolatione priuatus. Ei reſpondit Antonius: *Meus codex* NATVRA CREATVRARVM *eſt, & adeſt cum volucro, verbaq; mihi relegit Dei.* Diſce, Guiberte, Philoſophiam naturalem, ſicubi lumen eſt à ſpiritu Sancto, hoc illuſtrare: ſicubi non eſt, ex manifeſtatis in natura ſecundum rationem, & experientiam conſtantem ſapientum iudicare.

Huc tendit ſocietatis de roſea cruce inſtitutum.

4. Scripſerat Ariſtot. in 1. Meteor. 1. Phyſicos de meteororum igneorum, aereorum, aqueorum & terreorum natura inordinatiore partim dubitare, partim quædam attingere: (ἐν ὅις τὰ μὲν ἀπορȣ̃μεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθά πινα τρόπον.) Addit Guibertus, doctiſſimos viros INNVMERIS *argumentis aperte demonſtraſſe, eum in Meteorologia circa res multas eſſe hallucinatum.* Inde ſic argumentatur: *Si in rebus non adeo abſtruſis, ſed quæ fere ſub oculos cadunt maximi nominis Philoſophi cæcutiunt, multo magis bardi, & ignauiſſimi Alchymiſtæ in tam abſtruſis. Prius eſt: Ergo & poſterius.*

Ariſtotelis circa meteora errores.

Guiberto non credo ſtolidiorem hominem eſſe in tota Lotharingia. Effutit iſta animo hermeticos chymiſtas confundendi. At bardus, bliteus, & cæcus ille, imo fungus, & plumbum, non videt nihil offendi Hermeticos. Concedimus enim totum de truncis iſtis qui neſciunt diſcernere Lepram à lepra (quaſi Guibertus poſſit) & qui vulgo quoq; obuia non capiunt, multumq; diſcrepant à ſacris ſcripturis. Tales ſunt illi à quibus per annos 40. & amplius didicit: non ſapientes hermetici. Quod ſi omnes chymicos eodem notat crimine mendacium committit, ſunt chymici nomine tantum: ſunt re & nomine, qui plura noſcendi naturam inſtrumenta habent, quam communes Philoſophi ſcholarum. Nos contrarium ponimus: *Si ſapientes hermetici per Dei gratiam, longa experientia, & ratione non tantum ſimplici, ſed & cum Philoſophorum ſcholaſticorum rationibus collata, plurima & inuenerunt, quæ latuerunt Ariſtotelem totumq; peripatum, & verius explicarunt in omni genere naturalium, præſertim mineralium, de quibus perpauca habet Ariſtoteles, Guibertus iniuſte in eos inuehitur, eisq; laudem ſcientia & experientiæ detrahit.*

Stultitia Guiberti in regno literario Lotharingiæ.

Pro ſapientibus Hermeticis.

Eſt autem antecedens, vt iam conſtat publice. Ergo & conſequens.

Calumnia eſt quod ait pag. 5. Chymicos inter ipſum, & ſacras literas diſſidium eſſe velle. Imo contrarium quidam moliuntur. Ego ſæpe miror audaciam, qua omnia ſua ex Cantico canticorū, & aliis libris ſacris volunt deducere. Cibinenſis etiam in Miſſam papalem transformauit opus lapidis: alii in paſſionem Chriſti, & ſymbolum Apoſtolorum, &c. quæ mihi neutiquam probantur.

Calumnia Guiberti.

5. *Libauius vera lucis expers, & perſuaſione recta carens difficilis eſt perſuaſu Alchymiam tranſmutatoriam eſſe diſſentaneam locis ſacræ ſcripturæ.* Argumento: *quia prauis opinionibus imbutus nihil poſtea rectum putat, quod non earum (opinionum) vndequaq; oleat naturam.* Hæc illa anus loquaciſſima.

Contra Libauium.

Inuerto argumentum: *Qui prauis opinionibus imbutus nihil rectum putat niſi quod cum iſtis conſentit, ei perſuaderi non poteſt metallificam chymiam ſacris ſcripturis eſſe conſentaneam.* Ratio eſt, quia ſcripturæ principia vera, recta, iuſta, nihil ſunt aliud quam veritates, quibus vim faciunt opiniones prauæ.

Inuerſio contra Guibertum.

Aſſumo: *Nicolaus Guibertus, Lotharingicum illud nefas, & dedecus literarum patriæ ſuæ, prauis opinionibus imbutus, &c. Ergo.*

Minoris declarationem in antecedente probo apologia Sathanica ipſius, & crimine in propriam patriam. Quod autem ſit præoccupatus & imbutus prauis opinionibus, demonſtrat tota hæc diſceptatio, & in præſente puncto ſtolidiſſima reprehenſio ſententiæ *Marſilij Ficini*, cuius eruditio, & ſapientia iam pridem per omnem mundum literarium fuit admirabilis: at iam temere conuellitur à tenebrione nauci, & nihili.

Contra Marſilium Ficinum.

6. Pag. 7. Ficini ſententia *de ſeminaria virtute & ſpiritu metallorum ex diſpoſita materia ſimile ei metallo efficiente vnius naturam habet ipſe, non minus eſt falſa, inepta, abſurda, ridicula, quam pythagorica metempſychoſis.* Ratio eſt: *In viſceribus terræ nullum aurum gignitur ex alio auro, nec metallum ex alio metallo. Neque ergo extra terræ viſcera. 2. Ea ſententia prorſus eſt diſſentanea ſcripturæ, nec poteſt affirmari abſq; graui in Deum contumelia.* Hæc ille grandis Theologus Guibertus.

Primum nego illam abſurditatem ob ignorationem Elenchi parium, quo fœdiſſime & ſtolidiſſime in Ficinum fertur Guibertus. Secundo argumentum dico petere principium. Vnde enim ſcit ille fatuus in matricibus terræ id non fieri, cum ſaltem in ſuperficie terræ inter impoſtores Paracelſicos per 40. annos impoſtoriam didicerit, nec in puteos metallorum deſcenderit? Ego argumentum inuerto: *Si extra mineram naturalem in vaſis artificialibus, quibus adhibentur adminicula competentia, Spiritus metallificus ex metallo natiuo extractus, mercurium diſpoſitum poteſt in ſui generis metallum tranſmutare, etiam in natura vaſis poteſt.*

Rationem reddit Ariſtoteles lib. 4. Met. cap. 3. ȣ̓θὲν διαφέρει ἐν ὀργάνοις τεχνικοῖς ἢ φυσικοῖς ἐὰν γίγνηται διὰ τὴν ἀυτὴν γὰρ ἀιτίαν πάντα ἔςαι.

Prius

Prius eſt: Probo: Si enim animam ex plumbo extractam cæmento iuſto iunxeris regulo antimonii, plumbum fit, quod & Dioſcorides fatetur: Et ſi ſpiritum æris in chalcantho, ferro debita arte ſociaueris, in æs tranſit, ſuntq; hæc exempla irrefragabilia.

Ergo eſt & poſterius.

Dabo duo pulcra corollaria Guiberto: Ita eſt in 4. Met. cap. 1.

In plantis, animalibus, & partibus ipſorum inſunt virtutes qualitatum actiuarum & paſſiuarum quibus ipſæ operantur, & ſimplicem naturalemque generationem, quæ eſt tranſmutatio ab illis virtutibus efficiunt cum habeant (ὅταν ἔχωσι) *rationem ex ſubiecta materia vnicuique natura* (λόγον ἐκ τῆς ὑποκειμένοις ὕλης ἑκάστῃ φύσει.) Argumentũ ex Ariſt.

Si hoc fit in plantis & animalibus, in quibus diuinior ratio eſt, & longe difficilior, magis fiet in mineralibus, in quibus illæ qualitates dominium habent expeditius & materiam obſequentiorem. Et ſane ipſe Ariſtoteles de foſſilibus & metallicis in fine tertii Meteor. ſic diſſerit: *Facit metallica omnia exhalatio vaporoſa cum includitur, & maxime in lapidibus propter ſiccitatem in vnum coarctatur, & concreſcit cum excreta fuerit inſtar roris, aut pruinæ, quæ antequam fiant concreta exhalatione iam ſingula horum ſunt.* Propoſitio.

Aſſumo: Fit autem iſtud in plantis, & animalibus, &c. multo ergo magis in mineralibus. Hic etiam alia ratio eſt ex ſymbolo mutuo, & alia ex vicinitate elementari. Aſſumtio.

Verum huc quoque reſpice Guiberte. In 2. Gen. an. 1. hæc habentur: *Dura, mollia, lenta, rigida* (γλίσχρα καὶ κραῦρα) *& quicunque alij affectus* (πάθη) *partibus inſunt animatis, à caliditate, & frigiditate effici poßint:* τὸν δὲ λόγον ᾧ ἤδη τὸ μὲν σάρξ, τὸ δὲ ὀστοῦν, οὐκ ἔτι (ποιήσειεν ἂν effecerint) ἀλλ' ἡ κίνησις ἡ ἀπὸ τοῦ γεννήσαντος τοῦ ἐντελεχείᾳ ὄντος ὅ ἐστι δυνάμει ἡ ἐξ οὗ γίνεται Loquitur de membris & integris vniuocis, & quærit vnde fiat vt homo gignat hominem, & in eo naſcatur caro, os, cartilago, &c. Num qualitates actiuæ elementorum id efficere queant? Non. Tantum enim ab his ſunt primæ & ſecundæ qualitates rei genitæ. Vnde autem eſt forma interna, fitq; os qua os, caro qua caro, homo qua homo? Reſpondetur cauſam eius eſſe motum materiæ ſemineæ. Vnde hic? A generante quod actu habet formam in materia, & ex potentia ſimili facit ſimile actu per ſemen. In æquiuocis iſta ſimiliter ſe habent. Cum enim in terra, & aqua ſponte oriuntur plantæ, & animalia, calor & frigus externas, elementatesque affectiones conferre poſſunt, at rationem ſubſtantiæ non poſſunt. Æquiuocorum ortus.

Hæc enim eſt à motu procreantis ex ſeminio æquiuoco, quod Ariſtoteles ex calore temporis, & ſpiritu prolifico per vniuerſum diffuſo concipi ait; Sacræ literæ terræ, & aquis eam vim ex prima creatione reſiduam eſſe indicant. Cum in terra fiunt oſſa, linguæ, dentes, crania, &c. quoddam rudimentum ſimilis principii ſtatuere cogeris, niſi fortunam appellare velis. Albertus lib. 2. de metallicis tract. 3. cap. 2. ex conſtellationibus cauſam petit; ſed hæ nihil poſſunt vbi non eſt vis & diſpoſitio in materia, ſeu inſitum principium vnde & ſunt naturalia. Ideo lib. 3. de Met. cap. 5. virtutem formatiuam non tantum in ſtellis & à cœlo influentem, quæ calidum digerens materiam metalli ad ſpeciem dirigat, agnoſcit, ſed & in materia. Vide & cap. 6. De ſtellis vulgarem ſequitur opinionem, de qua alibi. Ex dictis ſic argumentor: *Si a qualitatibus primis diſpoſitiones affectionesque externæ proficiſci poſſunt, non autem rationes internæ quibus vnumquodque eſt id quod eſt, neque videtur quicquam conſtitui denſis, humidis, ſiccis*, vt eſt cap. 3. lib. 2. Gen. an. *ratio qua aurum eſt aurum, & æs æs, ferrum ferrum, &c. item non poteſt vi illarum qualitatum exiſtere.* Sit enim aliter; Ergo mentitus eſt Ariſtot. rationes, quibus quodque eſt id quod eſt, prodire ex virtutibus elementarium qualitatum, cui tamen tota natura aſtipulatur, cum certum ſit nihil agere virtute propria vltra propriam ſpeciem.

Eſt autem antecedens: Ergo & conſequens.

Iam quære quodnam ſit illud principium ſpecierum mineralium procreatiuum. Aut enim aliunde accedere oportet vt in generatione ſpontaneorum, aut mineris inſitum eſſe. Nihil audis, Guiberte, alienum à diuina Philoſophia ſcripturarum. Autoritatem Marſilii confirmat Anshelmus à Bood lib. 1. Gemmarii c. 8. & Albertus lib. 1. de rebus metal. c. 4. cum aliis multis naturæ, artis, & experientiæ præſidiis munitis, quibus collatus tu cum tuis plane es fungus putridus.

7. Suauiter delirat Guibertus pag. 8. vbi putat Deum ideo in expreſſa litera non feciſſe mentionem virtutis ſeminatiæ mineralium (incluſionem vocat) eamque tantum vegetabilibus & animalibus aſſcripſiſſe, *ne ſuppeteret occaſionem errandi hominibus ſtolidis exiſtimantibus vitalem facultatem, & procreatricem vim lapidibus quoque & metallis non ſecus ac plantis & animalibus ineſſe*; quod tamen poſtea factum vidit Guibertus ab inſanis Alchymiſtis, &c. O te malum Theologum Guiberte. Num Deus non viderit id quod futurum erat? An etiam alchymiſtæ aliquid poſſint contra Dei voluntatem, & potentiam? Si voluit cauere Deus ne tale quid fieret, an non potenter cauerit? Auſis tu aliquid, quod Deus ab initio ne fieret, cauit, nimirum in his, quibus conditionem nullam appendit, nec liberum arbitrium dedit? Sed cur etiam calumniaris? *Vitalem facultatem & vim procreatricem non ſecus ac plantis & animalibus ineſſe, quis hermeticorum chymicorum tuo ſenſu dixit?* Talis fuiſſe dicitur Morio ille qui ſeminauit aureos nummos, eosque conſpectis floribus herbæ, quæ dens Leonis vocatur, putauit creſcere. Quicunque hermetici ſic locuti ſunt æquiuocam & analogicam procreationem intellexerunt, vt & vitam metaphoricam Cardanus cum aliis, quos vos ſtolidi nugatores putatis abſq; modificatione ſeu tropo loqui. Attende vero ad tuam rationem. Si Deus tacendo cauit ne affirmaretur, cauit etiam ne negaretur, atq; ita etiam tibi obſtitit. Deinde ſi cauere voluiſſet, non manifeſtaſſet ſingularium naturã, nec hominibus dediſſet obſeruationis inſtrumẽta. Fruſtra cælatur id cuius & copia datur, & ars examinandi.

Q 4 8. Pag.

8. Pag. 9. *Ab vno omnia alia eſſe temere & falſo affirmarunt.* Homine imperito nihil iniuſtius. Apophthegma chymicum eſt: *Omnia ab vno, omnia ad vnum.* Senſus eſt Theologicus de principio & fine omnium: Eſt & hieroglyphicus chymicus. Elixyr ex vno per vnum in vnum tendit, atque ita omnia eius ſunt vnum quid. Ad metalla quod attinet, omnia ſunt ex mercurio, & in eum reſoluuntur. Poteſt contingere per imprudentiam artificis, vt dum aurum inſtituit aliquod fiat ex imperfectis. Cæterum affines ſententiæ ſunt apud Eccleſiaſten c. 1. ℣. 7. & c. 4. ℣. 20. omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta ſunt, in terram reuertuntur. Idem dicunt qui de prima materia, communi tranſmutationum ſubiecto loquuntur. Guibertus præ ſtultitia, aut calumniandi ferитate videre id non poteſt quod omnes ſapientes. Ablegemus eum ad Crollium, & fraternitatem de roſea cruce, vel potius ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores, vt dicat quotnam principia rerum abſoluta ſtatuat.

9. Eadem pagella delirat in Phyſica communi, cum inquit: *Semper deinceps* (à prima creatione *) certum ex certo ſecundum genus ſeu ſpeciem ſuam produci ipſo aëre beneficio ſolis, & lucis promouente vim genitalem, terræ inſitam à Deo in prima creatione.*

Non vnum eſt delirium. 1. Non cogitat de æquiuocis, & analogis generationibus vbi non ſimile procreat ſimile ſecundum ſpeciem. 2. Ridiculum eſt effatum de aere. Quæ intra animalium matrices fiunt, aerem externum non admittunt, niſi, qua maternis ſpiritibus iungitur, & id ſine luce ſolis. 3. Non luci, ſed calori id opus inſtrumentale Phyſici aſcribunt. Is eſt ſolis, ſeminum, atque etiam excrementitiæ materiæ iuxta Ariſtotelem. Adde matricis calorem tum proprium, tum aduentitium. 4. Vim genitalem terræ inſitam agnoſcit. Et tamen ante non niſi plantis & animalibus datam eſſe potuit concedere. Nauiga Anticyras Guiberte, vt corrigas tuum de patria tua dictum: *In tuo loco nihil eſſe laudabilium ſtudiorum*, quanquam ſimul confirmes tuo exemplo illud Prouerb. 26. ℣. 16. *Sapientior ſibi ſtultus videtur ſeptem viris loquentibus ſententias*: Et: cap. 27. ℣. 22. *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.* 5. Vim genitalem inſitam terræ particularem reſpectu generationis omnium eſſe non cogitabas. Quid dicendum de his quæ non in terra procreantur, ſed in animalium matricibus? Item de his quæ in aqua, & nonnunquam in nubibus & aere? Cur principium inſitum ſeminibus, aut foris acceptum omiſiſti?

Cap. II. Tract. I.

Vbi agitur contra eos qui metallificium probare conantur argumento differentiæ accidentalis metallorum.

THema ſic formatur: Alchymia metallorum perfectiua eſt vana, fabuloſa, imaginaria. Argumento: Quia metalla non ſolum accidentibus, ſed & ſpecie differunt.

Syllogiſmus:

Si metalla non ſolum accidentibus, ſed & ſpecie differunt, Alchymia, quæ circa metallorum perfectionem verſatur eſt vana, fabuloſa, imaginaria.

Prius eſt. Ergo & poſterius.

Aſſumtio declaratur pag. 11. & 14. vbi proponitur 1. triplex modus generationis metallorum, nempe per ſeminariam virtutem: per modum cum tranſmutatione & tempore, & per alterationem, ſeu accidentium perfectionem, quando videantur aliquibus metalla non differre ſpecie, ſed tantum accidentibus, quæ ſententia verboſe adducitur. 2. Adduntur duo argumenta tertiæ opinionis. 3. Negatur iſta differentia, atque ita ad probationem aſſumtionis, dicitur metalla non accidentibus tantum, ſed & ſpecie differre.

Proſyllogiſmus aſſumti: pag. 12.

Aut perfectus mundus à Deo conditus eſt, aut imperfectus. Non imperfectus. Perfectus ergo.

Aſſumtio probatur: Si imperfectus eſſet conditus, Deus non fuit ſapiens & omnipotens.

2. Mundus eſt perfectus conditus. Ergo non imperfectus.

(Eſt reciproca argumentatio qua quæſtio tranſit in argumentum.) Antecedens probatur: Quia vidit Deus omnia quæ fecerat; Et ecce erant valde bona, id eſt, perfecta; Geneſ. 1. 31. Eccleſ. 39. 21. Marci 7. 37. Notatur ibi ſignum *Omnia, Cuncta, Vniuerſa*; quod indicat nihil excipi; Et ſic etiam metalla comprehendi.

Probatur 2. Deuteron. 32. ℣. 4. Dei (petræ) perfecta ſunt opera.

Probatur 3. Eccleſiaſtæ c. 3. 14. Didici quod omnia Dei opera perſeuerent in perpetuum. Non poſſumus eis quicquam addere, nec auferre quæ fecit Deus.

Probatur 4. Sicut Deus homines, & animalia perfecta condidit, ita & flores, fructus, metalla: non condidit *oua*, vt ex eis fierent aues.

(In hoc ſingularis vis eſt: Ariſtoteles putat in terrigenarum ortu aut vermem, aut ouum præexiſtere debuiſſe. Non ouum: Ergo vermem. 3. Gen. anim. vlt. Guibertus innuit; Si metalla eſſent imperfecta condita, vt per accidentium mutationem poſtea debuerint perfici, eſſe perinde, ac

ſi Deus

ſi Deus non beſtias perfectas, ſed vermes, vel oua condidiſſet. Hoc non eſt. Neque ergo illud.)

Probatur 5. tempore creationis quod *autumnum* fuiſſe coniicit Guibertus, quia eo omnia ſunt perfecta.

Iam *ſi omnes mundi ſpecies perfectionem ſuam habuerunt in principio creationis, etiam metalla. Illud eſt: Et hoc ergo.* Conſequenter:

Quæ perfectiones ſuas habuerunt in creatione prima, non differunt ſolis accidentibus, ſed etiam eſſentialibus & propriis differentiis.

Metalla habuerunt ſuas perfectiones, &c. Ergo.

Propoſitio roborari poteſt: Sit enim non: Ergo: In prima creatione aliquid fuit imperfecti; quod abſurdum; vt patuit.

Inde reſumitur propoſitio: Putat enim Guibertus, *ſi metalla perfecta ſpecierum differentia ſunt condita, falſam eſſe diſtinctionem accidentalem, & ex conſequente ſic non perfici, vt ex rudi prouehantur in vnam ſpeciem abſolutam quæ eſt auri.* (Si ſuam perfectionem vnumquodque in principio accepit, in ea tanquam fine eſſentiali acquieſcit, nec mouetur vlterius, nec alterum alteri tanquam perfecto imperfectum eſt ſubordinatum. Si hæc non eſt: Cadit opinio qua putant quidam metalla imperfecta auro ſubordinari.)

Probatur ſexto: *Si Deus metalla rudia & inchoata non autem perfecta creauit, cauſa afferenda eſt, cur nō condiderit perfecta*: Item cur natura non abſoluat inchoata opera quæ tamen iuſſa ſit abſoluere.

Atqui nulla apparet cauſſa. Ergo.

Hoc argumentum etiam per ſe arguit thema: *Si enim metalla ex rudibus per accidentarias mutationes perfici poſſent, talem naturam à Deo accepiſſent, & inſito motu ex imperfectis tenderent ad perfecta. At hoc non eſt.* A nullo n. eſt viſum, nec hiſtoria cognitum. Item: Si ex rudibus perficerentur, potius ille modus eſſet qui fit *per tranſmutationem cum tempore.* (Sicut naſcuntur poma.) At Alchymiſtæ in momento (proiectionis) perfectionem promittunt. Hic campum inuenit Guibertus. Acriter n. inuehitur in eos qui dicunt arte perfici in momento quod natura non poſſit niſi lōgiſſimo tempore. Fit nouum Thema: Momentanea perfectio eſt temeraria, impia, ab omni ratione aliena: Argumento: quia ei reclamat ſacra ſcriptura. 2. Eſt impoſſibilis. 3. Nullo modo congruit Alchymiſtarum traditionibus Moſaica Philoſophia. Hæc eſt res capitis Secundi. *Nouum Thema.*

NOTA. Lib. 1. expugnationis cap. 12. & 13. eadem opinio quorundam chymicorum diſcutitur, & naturalibus argumentis refutatur, quanquam tota moles argumentationum capitis 12. exeat in VIDENTVR. Libuit Guiberto *eandem theſin denuo* diſceptare argumēto, vt putat, ſcripturæ ſacræ. Cum autē ea ſententia ſit non ſimpliciter chymicorum, ſed quorundam tantum, conatus ſolummodo erit particularis. *Non enim ſi hoc modo non fit tranſmutatio, nullo modo fit.* Deinde aduertendum eſt quoſdam exponere theſin hanc ſuam per analogiam, & ſimilitudinem, non per vniuocationem & eſſentiam, non ſentientes ita plane eſſe, ſed ſimilem affectionem, & habitudinem eſſe. Ita enim facile & procliuiter tranſmutantur, vt non niſi accidentibus differre videantur. Tertio ſiue accidentalis ſit differentia, ſiue eſſentialis, tranſmutatio nihilominus obtinet. In cœlo ſunt ſtellæ & æther: Stellas vocant denſiores partes ſuorum orbium, quaſi tantum denſitate & raritate differrent. In elementis ſemper ſuperius reſpectu inferioris ſe habet vt forma ad materiam, cumque differant ſpecie; tamen ſic facile permutantur, vt non niſi raritate & denſitate, primiſque qualitatibus diſtincta videantur. Id manifeſtum eſt in aqua, vapore, aere: miſtis halabilibus, halitu, ſpiritu ignis. Hæc enim vltro, citroque commeant. Hinc veterum ſententia de congregatione & diſgregatione, quæ 1. Metaph. 3. tribuitur Anaxagoræ. Vide 3. de cœlo, c. 7. & lib. 1. de ortu c. 2. tex. 10. &c. Ariſtotelici ſpecies differre vt numeros tradunt. Facile mutantur adiecto, detractione aliquo. In miſtis ſic differunt ſpecies chalcanthi, quarum vna in alteram etiam ſponte naturæ mutatur: Et eſt chalcanthum vnum ex principiis ſulphureis, ſeu actiuis metallorum. Ita ſulphura commutantur & ſales. Argentum viuum modo ſolutum eſt, & ſuæ naturę, modo coagulatum & fixum in corpus metallicum, vel minerale, vt minium, ex quo ruſſus reducitur. Gemmæ paulatim perficiuntur, ſuntque aliæ ſpecies in forma imperfectionis, aliæ cum ſunt perfectæ, vt in amethyſtis, & carbunculis videre eſt, vnde & arte ſunt tranſmutabiles. In vegetabilium, & animalium genere habes tranſmutationes tam in generatione, quam nutritione admirabiles; Et ſunt in omnibus ſpecies diſtinctæ; ſed quæ nihilominus ſunt ſubordinatæ & tranſmutabiles. Ita n. iuſſerat Deus ferre fructum creſcere, multiplicari, nutriri; quæ ſine tranſmutatione fieri non poſſunt. Nos dicis cauſa Guiberti rationes examinabimus non curantes ſiue accidentibus differre dicas metalla, ſiue ſpeciebus, ſaltem hoc notando, quod hæc duo non ſint diſſentanea omnino. Nam accidentia differunt. Quædā enim ſunt eiuſmodi vt ſimul ſpeciem diſtinguant, qua ratione Ariſt. ſua elementa confecit: Quædam non ſunt diſtinctiua ſpecierum. Si illa reſpicimus, perinde fuerit, accidentaliter, an ſpecie differre dicas. Sed ad Guibertina.

Vide Albertum lib. 3. de metallis c. 7. & 9. tract. 1. & lib. 3. tract. 2. c. 6. Vbi generationem metallorum dicit eſſe circularem ad ſe inuicem.

Nihil intereſt ad metallorum tranſmutationem ſiue ea ſpecie ſiue accidentibus differre dicas.

Reſponſio ad argumentationes.

IN ſyllogiſmo negatur connexum. Differant enim & ſpecie, & accidentibus ſpecificis, & aliis non tollitur ſententia perfectionis ex ſpeciebus ſubordinatis quæ ſunt ſpecies imperfectionis, & rudes quodammodo. Hinc opponimus ſyllogiſmum talem:

Si accidentibus ſpecificis tranſmutatis fit tranſmutatio ſpecierum inter ſe determinatarum, non eſt vana, temeraria, & imaginaria opinio de transformatione metallorum mutua per accidentium imperfectionis in perfectionem progreſſum. Illud eſt: Et hoc ergo.

Propo-

Propoſitionem probo: quia metalla accidentibus ſpecifitis differunt, ſicut & elementa, & metallorum principia ſulphur chalcanthoſum, ſales minerales, & argentum viuum, quæ eliciuntur ex reſolutis.

Aſſumtio certa eſt. Tranſmutatis enim ſpecificis, ſpeciem tranſmutari neceſſe eſt, vt in elementis, & cæteris dictis. Ita *proprio ſublato deſtrui naturam*, phyſicorum & logicorum axioma eſt, quod & definitionibus probatur.

Quid ergo iam profecit Guibertus operoſis ſuis ad aſſumtum argumentis? Quid enim tum poſtea? Sint metalla ſecundum ſpecies & condita perfecta, & poſt creationem. Talia ſunt creata qualia poſtea in natura inuenta, exceptis his quæ per maledictum acceſſerunt. Sunt autē tranſmutabilia, vtpote generabilia, & corruptibilia.

Hæc proprietas includitur perfectioni eorum. Eſt enim pars naturæ. Sic conditæ ſunt plantæ, & beſtiæ omnes nimirum tranſmutabiles, generabiles, & corruptibiles, non obſtante diſcrimine ſpecifico. Hinc veteres materiale principium ſtatuerunt quod viderent tranſmutationes fieri manente materia prima, quod etiam in ſacris dicitur. Si accidentia à ſpecie inſeparabilia tranſmutantur, neceſſe eſt ſpeciem ipſam tranſmutari. Siue ergo dicas tranſmutationem fieri tranſmutatis accidentibus, ſiue ſpecie, eodem res redit. Si ſanus fuiſſet Guibertus oleum & operam in quæſtione hac non tam temere perdidiſſet. Prodit autem ſuam fatuitatem dum putat ſe ſingulare quid & magnum dixiſſe, cum tantum ſit nugatus temere.

Quædam conſideratu digna in cap. 2. tract. 1.

Quomodo ſpecies in ſpeciem non tranſmutetur & tamē ſpecies permutentur.

1. PAg. 10. ait: Axioma, *ſpecies in ſpeciem non tranſmutatur*, ab omnibus recte philoſophantibus citra aliquam controuerſiam eſt receptum. Sed ſciendum non ſine determinatione receptū eſſe, & in ſua oppugnatione Guibertus ipſe modos quoſdam determinatiuos propoſuit. Phyſici & chymici dicunt non fieri ſpeciei in ſpeciem tranſmutationem, niſi fiat reductio in primam materiam, quę omnium ſpecierum eſt ſuſceptiua. Prima materia aut eſt ſimpliciter omnium tranſmutabilium prima, vt terra omnium hominum & beſtiarum, & plantarum, &c. aut cuiuſque generis. Ita prima metallorum eſt mercurius. Metallum non tranſmutatur, niſi in communi hac materia. At nihilominus ſpecies in ſpeciem non tranſit hoc ſenſu: Cum ex ſanguine fit caro, os, vel aliud membrum, id vnde ſpecies ſunt perire neceſſe eſt, manente ſubiecto quod eodem motu aliam ſpeciem ſuſcipit, vt ſit vnius corruptio generatio alterius. Forma ſanguinis non mutatur in formam oſſis, ſed illa pereunte hæc emergit. Quia vero non ſola forma ſpeciem conſtituit: Formæ enim corporeæ ſine corpore non ſunt: Sed vna materia quoque ſingularis, efficitur vt vtrumque dicatur tum vt aliqua ſpecies in ſpeciem non tranſeat, tum ſpecies in ſe mutuo ſint tranſmutabiles, fiatque ex aqua aer, ex olere & aqua chylus, ex chylo ſanguis, &c. Compendio: non formaliter ſpecies in ſpeciem tranſit ſed materialiter ob principii materialis genericam communionem. Vide Albertum lib. 1. tract. 1. c. 9. de rebus metallicis.

2. Pag. 11. tres modos tranſmutationis diſtinguit, ſed hi coincidere poſſunt. Nam modus generationis cum tranſmutatione & tempore principium motus accipit naturaliter à ſeminali virtute vniuoca, vel æquiuoca: Deinde per imperfectionis formas fit progreſſio, mutanturque ſimul ſpecificæ proprietates, quibus mutatis conſequenter pronunciatur ſpeciem eſſe mutatam.

Perfectio mundi.

3. Pag. 12. Grande argumentum meditatur Guibertus, negans *mundum à Deo imperfectum conditum eſſe, ſed perfectum, &c.* Non offendit hoc chymicos. Deus etiam elementa perfecta creauit, & tamen ea accidentibus ſpecificis diſtinguunt phyſici, ſuntque ipſa tranſmutabilia. Notandum quædam non actu perfecta condita eſſe, ſed potentia tantum, ratione principiorum in natura quorum vi ſuo tempore prodeant, vt omnes poſteri protoplaſtorum, omnes plantæ & beſtiæ poſteriores. Ita & de mineralibus ſtatui poteſt. Deinde à prima perfectione ad ſtatum maledicti non valet conſequentia. Ab initio natura non erat vanitati ſubiecta, nullum ibi monſtrum, aut erratum. At hæc poſt peccatum euenerunt vi maledicti. Rom. 8. ℣. 20. & ſeq. Ita perfectio prima talis eſt vt poſſit imperfectio appellari reſpectu futuri ſtatus 1. Cor. 15. 42. & ſeq. c. 15. 10. Aliud eſt relate dicere, aliud abſolute. Qui fit quod ciuitas Dei in Apocal. tantum auro & gemmis conſtare ſcribatur, non autem argento, ferro, ære, &c.

Apoc. 21. 18.

4. Eadem pag. valde ſimplex eſt citatio ſententiæ Salomonis ex Eccleſ. 3. *Rebus à Deo creatis nihil poteſt addi, nihil detrahi. Ergo chymici metalla à Deo creata non poſſunt acceſſu alicuius perficere.* Concilium Valentinum ſecundum ſententiam expoſuit de immutabilitate præſcientiæ & prædeſtinationis Dei. Hieronymus intellexit de agnitione Dei ex operibus, quæ ab initio vſque ad finem mundi conſeruantur. Homo nullum poteſt adiicere ad naturam; Et tamen Deus naturalia tranſmutabilia ſic creauit vt cum numero non poſſint perpetua eſſe, ſaltem ſint ſpecie, & ideo generationes inſtituit. Dedit & artem hominibus qua multa naturalia imitantur, multa faciunt meliora: neque tamen hoc eſt addere aliquid Dei operibus, quia Deus ita creauerat ea, vt poſſent corrigi ſi quæ in via generationis per aliquod accidens deceſſiſſent, quanquam in perfectionibus nō omnis exorbitatio ſit emendabilis. Ita nihil poteſt detrahi operibus Dei. Nam quæ etiam patiuntur detractionem, talia ſunt à Deo facta, vt in corruptionibus videre eſt, & in his in quibus peccatum eſt exceſſu. Non additur quid operibus Dei cum ex plumbo artis ope fit ſtannum, & ex ligno lectica, neque detrahitur, cum argentum corrumpitur in ſcoriam. Non enim homo diſpoſitiones tales dedit,

dedit, ſed Deus. Adde quod multa talia in natura ſine hominis ope fiant. Num ergo & natura Deo aduerſa eſt? Conſidera & artem agricolarum, & aliorum plurium opificum, vt piſtorum, pellionum, & ſimilium, quia natura rudem materiam acceptam perficiunt artis induſtria. Tranſi Guiberte, in culinam, & pharmacopœam. Inuenies multas perfectiones homini conceſſas Deo potentiam talem rebus conferente. Quid de medicina dixeris? Natus quidam eſt ſine cuticula, alii non perforati, alii abundantes. Addere & ſubtrahere hic & licitum fuit, & non ſine Deo. Non diſputatione ſed vexatione eludendus eſt fatuus. Detractis teſticulis ex viris fiunt ſpadones. An hoc impoſſibile? Auari addunt pecuniis, detrahunt prodigi. Lupi minuunt numerum gregis &c. Dicet fatuus; Ego non hoc volui. Quid ergo aliud ſtulte? Cur generaliter loqueris? Diſce Mathematicã, Phyſicam, Logicam & alias artes rectius.

5. Iterum eadem pag. *Deus protoplaſtos non creauit infantes, ſed firmæ ætatis homines: Sic & beſtias & flores, fructusq́ꝫ &c.* Non attendis quid garrias Guiberte. Protoplaſtos quidem Deus fecit perfectos, ſed non eorum poſteros. Et hominem quidem fecerat inexterminabilem, at non cætera materiata. Quis autem fuit cauſa imperfectionis poſt paradiſum? An non peccatum & maledictum? Beſtię exterminabiles ſunt creatæ, licet perfecta natura. In floribus es ridiculus. Flos non eſt vltimę perfectionis, ſed eam antecedens diſpoſitio. Tunc n. perfecta planta eſt quando generauit id vnde ſimilis poteſt naſci, eſtq; ſtatus in ſemine, non in flore. Id patet verbis Moſis Gen. 1. ℣. 11. & 12. plantæ iubentur ſemen ſuum, vel fructum producere, iuxta ſpeciem ſuam. Sic fecerit Deus plumbum, ſtannum, ferrum, æs, argentum, aurum perfecta quæ tunc erant: at noſtra in materiæ potentia reliquit, & artem perficiendi ex lapidib. conceſſit. Hoc adeo non tollit generationis ex materia potẽtiam, & tranſmutationem vt etiam ſtatuat. Vnde n. alerentur viuentia ſi perfectiua creatio obſtaret tranſmutationi? Vnde generationis & corruptionis viciſſitudo ẽt in mineralib. Quorum primordia ſunt tranſmutabilia, ipſa quoq; tranſmutantur, & ſi poſſunt fieri diuerſarum ſpecierum vnius generis principia materialia, quæ ſtoliditas eſt negare tranſitionem ex vna ſpecie in aliã determinatam? Ita Deus multa fecit putreſcibilia. Ex his putrefactis cum ſegregatur animale principium, & concoquitur ſubiecta materia fit beſtia tam natura ſola, quam arte adiuuante. Negas Deum creaſſe ouum: nimirum actu: At potentia ẽt creator ouorũ eſt ex quibus poſtea gignuntur pulli. Deus fecit reptilia perfecta. At quã multa mutant ſpeciem? Aliqua & genus aliud aſciſcunt, vt cũ ex vermibus fiunt aues non ſolum muſcæ, ſed & anates, & anſeres, vt in Scotico mari multis teſtibus. Supra dictum eſt generationem ex verme Ariſtot. non viſam eſſe abſurdam. Inde argumentum: *Si hoc contingit in nobiliore genere animalium, multo magis in ignobiliore mineralium quod eſt vicinum elementis.*

6. Pag. 13. Metalla diſtinguuntur eſſentialiter, & propriis differentiis, *quæ diuerſas, & inter ſe incommunicabiles formas efficiunt.* Pueriliter garris. Si etiam materię eſſent incommunicabiles, & formę incorruptibiles, aliquid diceres. Eſt in metallis principium, quod formam alterius metalli ex materia expellere poteſt, & illam formam ingenerare cuius illud erat principium. Sicut ignis in diſpoſita materia ignem procreat.

7. Pag. 14. *Alchymiſtæ à ſacris oraculis deſciſcunt.* Hoc mendacium eſt hominis calumnioſi. Si autẽ illi nebulones hoc fecerunt in quorum ſocietate Guibertus fuit 40. an. diſtinguere debuit.

8. Pag. 15. *Si metalla ex rudibus poſſent perfici, natura id intra vel extra venas tentaret. At non tentat. Ergo.*

Reſp. Guibertus & rationis & experientiæ ſe rudem eſſe in aſſumto demonſtrat. Ratio ipſa dictat, ſi naſcuntur metalla, ea ex imperfectis, & rudibus paulatim progredi vſque ad perfectionem, vbi neceſſe eſt aliquod mouens ſpecificum exiſtere, idque materiæ ipſi inſitum. Si naturale eſt. Deinde ſi experientiam conſulimus, audiamus Mattheſium conteſtantem venam bismuthi in ſuis vaſis creſcere, & quandam nihil argenti continentem poſt annos aliquot argentum multum fudiſſe. Ita eſt de plumbi, & ferri mineris; Ita de ære ex ferro. Halonitrum recreſcere in cumulis vulgo notum eſt. Verum de his alibi. Stultus putat ſenſibiliter debere ex argento viuo per plumbum & reliqua media in aurum mutari, aut ſic mutata eſſe cognoſci. Sed errat in modo artis, & naturæ. Non fornaculæ carbonariæ Guiberti, nec plumulæ molles, aut vmbraticæ phantaſiæ ea de re ſunt conſulendæ, ſed metallici peritiſſimi, qui etiam in immaturas venas non raro incidunt. Vide lib. 3. metall. Alberti c. 6. tract. 2.

9. *Libauij effrenata audacia eo progreſſa eſt vt audeat profiteri in ictu oculi & momento temporis poſſe effici aurum &c.* Deliras miſer, & neſcis quid garrias. In momento & inſtante proiectionis tranſmutationem fieri, & ratio & experientia docet. Ratio: quia ſi diſpoſita eſt materia principium poteſtate maximum mole minimum, cito effectum præſtat. De experientia: Num tu ignoras vim fulminis in metalla, & res alias? Num ignis & pyrii pulueris? Affunde aquam cauſticam ſtibio. In momento efferueſcet. Ita ſi ſolutionem auri & oleum tartari confuderis, cuius rei exempla ſunt plurima. Si aceto incoxeris lithargyrum, affuderisq; liquori claro aquam cum particula ſalis, momento in corpus redit, ſicut & cum plumbi oleo addis ſpiritum ſalis, vel alium ſimilem, vide vim ſalis Gorgonei vel olei Zuingeri, & medicinæ eius qua aurum ſoluitur in mercurium. Momentanea iſta mutatio pluribus exemplis in natura, & arte eſt certa; Et tamen imperitiſſimus rerum Guibertus audet id vocare impium, à ratione alienum, temerarium? Quid ſi vidiſſet Kellæum ex auro argentum viuum puncto efficere? Si ex ſublimati liquore mirabilia? Et eſt ſane argentum viuum exaltatum agens validiſſimum, nec habet validius in tota mineralium claſſe; ſi cum ſale nitri, vel amoniaco, & chalcantho præparetur. Quidam proferunt illa: Omnis motus fit ſucceſſiue, & in tẽpore: Nihil ſimul fit, & factum eſt, &c.

Proiectio in inſtanti mutans.

Sed

Sed hæc de naturali ex principio inſito paulatim procedente dicuntur, non de violentis mouentibus. Deinde contingunt etiam in naturalibus, vbi ſunt agendi & patiendi diſpoſitiones in proxima, caque procliui potentia. Hic abſoluitur actus in inſtanti. Omnis perfectio vltima eſt in momento. Chymici ſuum agens longo tempore præparant. Præparatum vim habet ſubitaneam in materiam propinque paſſiuam. Magnes agit naturaliter. At is momento vel rapit, vel proflat ferrum. Quod tribuunt baſiliſco, eſt baſiliſci hieroglyphici apud chymicos. In ſympathiis, & antipathiis occurrunt exempla etiam ſtupenda, quæ non cadunt ſub iſtas phyſicorum regulas, omnino luminis, ignium, & ſpirituum eſt velox effectus. Niſi fatuus eſſet Guibertus, & in tota Alchymia, naturaque hoſpes, tam turpiter non deliraret.

De cap. 3. tractatus 1: cuius Thema eſt Alchymiam tranſmutatoriam metallorum eſſe vanam, imaginariam, fabuloſam, arti, & naturæ prorſus impoßibilem.

Ad Lora & virgas eum qui propter diſſenſionem phyſicam viros doctos cruci addicit.

HOc capite adeo inſanit Guibertus vt etiam in crucem adigat Libauium. Ego vero rideo hominis maniacam amentiam, putoque non elleboro, ſed loris acribus, & virgis compeſcendam. Res ipſa hæc eſt: Thema in ſumma capituli enunciatur verbis quæ præmiſi. In ipſo capitulo pag. 16. ita proponitur: *Quidam concedunt ſpecie differre metalla, at nihilominus ea tranſmutari poſſe admittunt.* Contra: *Tranſmutationes Alchymiſtarum adeo excedunt naturalem ac humanam potentiam, vt procul omni dubio ſint in eorum numero, quas Deus poſuit in ſua poteſtate, & quas ſpeculationibus inacceſſas, minimeque peruias eſſe voluit.*

Pag. 21. ita: Trânsformationes, quas moliuntur chymiſtæ eſſe nullas, vanas, impoſſibiles, & debere numerari inter res quæ non ſunt, nunquam fuerunt, nec poſthac eſſe poſſunt, vt ſomnia, & chimæræ. Non curemus quid inſanus homo declamitet. Thema eſt ad diſputationem accommodatum:

Pag. 17.

Tranſmutatio metallorum chymiæ hermeticæ impoßibilis eſt naturæ, humanæ potentiæ, atque etiam angelis.

Argumentum: Quia eſt ex numero eorum quæ Deus in ſua ſolius potentia poſuit, & noluit humanis ſpeculationibus eſſe peruia, hoc eſt, eſt miraculum.

Syllogiſmus:

Syllog. principalis.

Miracula ſunt ſolius potentiæ diuinæ & creaturis, naturæ, homini, angelis, impoßibilia.

Tranſmutatio metallorum chymicæ hermeticæ eſt miraculum.

Tranſmutatio ergo metallorum chymiæ hermeticæ eſt impoßibilis naturæ, arti, (imo &) *angelis.*

Propoſitio probatur otioſe ſpecialibus miraculis multis, vt his quæ per Moſen Deus fecit, ſtatua vxoris Loth, oleo Eliſæi: panibus multiplicatis, &c. Item filii Dei miraculis in nouo teſtamento: Probatur & teſtimonio Diaboli, qui probaturus num Chriſtus eſſet filius Dei, lapides iuſſit in panes mutare: quia probe nouerit nec bonos, nec malos dæmones, neque etiam naturam poſſe perficere tranſmutationes rerum corporalium in rei veritate, ſed ſolum Deum.

Bonus teſtis. Pag. 18.

Probat tertio Ethnicorum teſtimonio, vt Homeri, Ouidii, aliorum.

Probat quarto commentatoris metaphyſici ſententia:

Impoßibile eſt vt formæ ſeparatæ tranſmutent materiam.

Probat quinto: *Non eſt minoris potentiæ rem vnam in aliam transferre quam de nouo creare. Hoc eſt Dei ſolius. Ergo & illud.*

Nouum argumentum, quod II.

Eſt autem hoc etiam ſingulare argumentum:

Subſtantias in alias transferre eſt eiuſdem cuius eſt & denuo creare.

Non enim eſt potentiæ minoris.

Tranſmutare metalla per chymiam hermeticam eſt Subſtantias transferre in alias. *Ergo*: Ex conſequente: cum de nouo creare ſubſtantias ſit Dei ſolius, etiam tranſmutare metalla per chymiam hermeticam erit ſolius Dei: Igitur nec naturæ, nec potentiæ humanæ, nec angelorum.

Creatio duplex.

Illuſtratur diſtinctione creationis. Eſt enim duplex. 1. ex nihilo aliquid facere. 2. aliquid ex aliquo facere ſine præcedente diſpoſitione, quæ alterationibus, & corruptionibus perficitur. Aliud:

Arg. III.

Si tranſmutatio metallorum chymica poßibilis eſt, aut fit cum tranſmutatione & tempore, aut per creationis ſpeciem.

Neutro modo eſt poßibilis. Simpliciter ergo eſt impoßibilis.

Diſiunctio probatur, quia genera eorum quæ fiunt ne fingi quidem plura poſſunt. Aut generatione, aut creatione fiunt ſubſtantiæ.

Arg. IV.

Eadem forma aliter tantum proponitur.

Si aut generatione aut creatione neceſſe eſt mutari metalla, impoßibilis eſt eorum tranſmutatio.

Prius eſt: Ergo & poſterius.

Probatur connexio: quia nec generatione fieri poteſt, nec creatione.

Probatur 1. de generatione: Si fieret generatione.

I. Sup-

I. Supponenda eſt virtus ſeminalis in metallis. 2. Cætera metalla non eſſent ſpecie ab auro diſtincta; quia ſimile generatur à ſimili, non à diſſimili. 3. Generatio fit cum tranſmutatione, & tempore, non in ictu oculi. Plane ergo non fit per generationem.

II. Non creatione: quia deberet fieri ex aliquo in oculi ictu. At hoc pertinet ad ſolum Deum.

Aliud: *Ethnici negarunt ſpeciei vnius in alteram tranſmutationem.* *Arg. V.*

Metalla ſunt diuerſæ ſpecies. Ergo.

Propoſitio probatur Galeni opinione, qui ne Deum quidem putauit poſſe continuo hominem ex lapide facere: tametſi hoc ſit impie dictum.

Aliud: Pag. 21. *Si alchymiſtæ materiam & formam nouam creare poſſent, & vnam ſubſtantiam in aliam tranſmutare, præſertim continuo, & immediate: potentia Deum æquarent.* *Arg. VI.*

At hoc non eſt: Ergo nec illud.

Minor probatur: quia certare cum Deo eſt impium. 2. Nec boni, nec mali dæmones id poſſunt. Quod non poſſint probatur: quia ne mediate quidem per applicationem naturalium agentium poſſunt ita celeriter animalia imperfecta ex putredine producere.

Concluſio.

Si Libauius plures rationes poſcit inuerecunde, verendum eſt ne conſeneſcat in pertinacia conſueta.

Abeat ergo in magnam malam rem nugator Guibertus, qui nulla ratione, nulloque probabili argumento aduerſus ſolem Libauii loquitur.

Reſponſio.

Nego aſſumtionem ſyllogiſmi principalis de artificioſa tranſmutatione, & naturali intellectam. Deinde ridendum & comedendum propino Guibertum omnium ſcholarum phyſicarum, & theologicarum pueris. Quid enim opus erat laborioſe probare Dei ſolius eſſe miracula edere, cum id expreſſe ſcriptum ſit Pſal. 86 Ebræis ℣. 10. & Pſal. 72. ℣. 18. Item Pſ. 136. ℣. 4. nec vllus neget?

Oppoſitum.

Chymicam metallorum tranſmutationem non eſſe miraculoſam ſic probo:

Quod fit arte mediante natura non eſt miraculoſum. *Tranſmutatio chymica non eſt miraculoſa.*

Chymica metallorum tranſmutatio fit arte mediante natura.

Chymica ergo metallorum tranſmutatio non eſt miraculoſa.

Propoſitio patet. Minorem probo: Fit n. vel generatione, vel corruptione diſpoſitorum, idque agente aliquo naturali applicato patienti materiæ naturaliter determinatæ, ſicut ignis agit in arida ligna, ſtramina, petroleum, &c. De mutatione per corruptionem ſi neget Guibertus, adeat conflatores metallorum, & aurifices docimaſtas. Audiat Petrum, qui aurum & argentum vocat φθαρτά: Audiat Deum Eſa. 1. ℣. 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Si corruptio vnius eſt alterius generatio, ſimul probatum eſt, & de generatione. Atqui hæc & ſolius naturæ opus eſt. Ideo non miraculum. Pag. 9. Guibertus fatetur *Deum tribuiſſe metallis modum naſcendi.* *Geneſ.* 2. ℣. 11. iuxta tranſlationem Hieron. *in terra Heuilath naſcitur aurum.* A naſcendo metallis tribuitur φύσις natura; Et id hiſtoriæ mineralium abunde conteſtantur. *Quod naſcitur, ex non ente in ens tranſmutatur principio naturali inſito, Metalla naſcuntur. Ergo.* Iam ades Guiberte, & vide tu ne an ego cruce digni ſimus.

Reſponſio ad Argum. II.

Diſtinguo propoſitionem: Aut n. illa tranſlatio fit ſine præcedente materiæ potentia per miraculum, aut præcedente diſpoſitione naturali, vel artificioſa mediāte natura. Miraculoſe ſubſtantias tranſmutare eſt eiuſdem potentiæ quæ & nouas creat. At naturaliter, & artificioſe ex vno alterum facere, Deus & naturæ & homini conceſſit ingenitis ſeu per creationem collatis potentiis ſine miraculo; veluti cum coquæ aquam mutant in aerem, & ligna in cineres mediante igni.

Oppoſitum:

Mediante natura, & arte tranſmutare tranſmutabilia nec naturæ, nec homini, nec angelis eſt impoſſibile.

Metalla chymice tranſmutare eſt mediante natura & arte tranſmutabilia tranſmutare. Ergo. Propoſitio eſt manifeſtæ veritatis. Aſſumtionem probat res ipſa. Omnes enim chymici operantur naturaliter, & ſuum opus natura declarant. Wer den meiſterlichen Stein wil bawen / der muß der Natur Anfang ſchawen. Primordium naturæ intueri oportet, qui artificioſum lapidem velit efficere. Inde Hermes: Sic mundus eſt conditus.

Reſponſio ad Argum. III.

Diſiunctio in connexi conſequente deficit. Nam eſt & alius modus per medicamentum, ſeu principium mole minimum poteſtate maximum, arte ex natura extractum & exaltatum, vt ſit inſtar ignis fortiſſimi, & ſpiritus potentiſſimi in natura. Minorem nego. Nam tranſmutatio cum tempore naturæ poſſibilis eſt. Si naturæ ſubeſt, quæ cadit aliqua ſub potentiam, & regimen artis, vt cum metallici ſoli exponunt cumulos & pluuiis ſinunt macerari, vt in vena biſmuthi, ſtibii, recrementis metallicis, &c. Ergo & aliqua ſubiacet arti.

Oppoſitum:

Si tranſmutatio metallorum poteſt fieri cum tempore in natura mineris, atque etiam extra in venarum cumulis (ne dicam de plumbo, ære, &c.) item ſi fieri poteſt per principium à natura per artem ſumtum, & elaboratum, non eſt impoſſibilis.

Prius eſt: Vt iam ſæpe dictum.

Ergo & poſterius.

R *Reſponſio*

Reſp.ad Argum.IV.

NEgo connexum,& dico ad probationem primam quod c. 1. demonſtratum ſit eam ineſſe ſecundum analogiam,vel æquiuocationem,licet non vniuocationem:ad ſecundam,quod nihil offendat Theſin.Sint enim ſpecie diſtincta : ſicut ex vno elemento corrupto fit aliud ; ita & ex vno metallo.Sint non diſtincta ſpecie,ſed accidentibus, multo facilius fiet vnum ex altero peralterationem.Quod autem dicitur ſimile debere fieri à ſimili,& non à diſſimili, verum eſt in vniuocis generationibus;non in æquiuocis, vbi aſinus equæ admiſſus gignit non aſinum ſed mulam: Et pardus ex leæna Leopardum. De tertio iam reſponſum eſt, quod falſum ſit non poſſe fieri in momento proiectionis,cum tinctura validæ poteſtatis procliuem materiam repente mutare poſſit, vt ignis ſubito puluerem pytium in flammam,& fumum vertere.Sal orionius, qui & Gorgonius, ſtatim ex oleo facit liquamen.Ignis naphtham momento tranſmutat in flammam. Ex argento viuo ſublimato & aquila exaltata pręparata medicina, ſtatim vertit aurum in mercurium. Sunt & alii modi vbi quidem non ſtatim fit conuerſio, ſed tamen citius quam in mineris naturæ lapideis, vt cum ex ferro fit ęs aquis fortibus chalcanthoſis.

Oppoſitum.

Si & generatione & creatione poſſunt tranſmutari metalla,poſſibilis eſt chymica tranſmutatio.
Eſt autem prius. Ergo & poſterius.

Aſſumtum probo de creatione per Dei potentiam;De generatione probo primum vi naturæ quod nullus ſapiens,& peritus negare poteſt:poſtea probo de arte per naturalia medicamina, idque cum mora,vel ſine mora,vti dictum eſt.

Reſp.ad Argum.V.

REſp.ad propoſitionem quod erret elencho à dicto ſecundum quid. Ethnici non negarunt neque naturales,neq; artificiales μεταβολάς.Generationes enim & corruptiones ſtatuerunt.Speciem autem hoc eſt,formam in ſpeciem,ſeu formam tranſmutari recte negarunt, at non formæ eiectæ,ſeu per priuationem ſublatę aliquo agente immitti in materiam communem formam aliam eamq; deinceps eſſe natam,ſeu vi,ſeu natura. Probatio ex Galeno homine Chriſtiano indigna eſt. Non pudet Guibertum etiam ex media impietate petere probationes ; quaſi chymici Galeni autoritatem tanti æſtimarent ſi is maxime repugnaret. Quis autem erat ille Guibertus qui Alchymiæ inuentionem,& aſſertionem referebat ad Ethnicos,Idololatras, vt Hermetem, Auicennam, Gebrum,&c.An hi non erant Ethnici?

Oppoſitum.

Ethnici & confeſſi ſunt, & demonſtrarunt ſubſtantias in ſubſtantias per generationem & corruptionem mutari. Poſſibilis ergo eſt eorum iudicio tranſmutatio. Mutabilia eſſe ſublunaria nullus non dixit ſapiens.Quanquam enim Zeno motum negauit, tamen negare non potuit ex ſemine naſci plantam, & ex hac combuſta fieri cinerem.Quicquid mutatur ex aliquo in aliquod tranſit. Naturaliter enim nihil in nihilum recidere poteſt nec ex nihilo quicquam fieri. Quod aliquando non fuit, potentiam inſeparabilem habet per quam euenire poteſt, vt aliquando non ſit ſiue generatione, ſiue corruptione. Multi gentiles tam facilem tranſmutationem eſſe dixerunt, vt viderentur res ſaltem congregatione,& diſgregatione mutari. Aliqui nihil ſtabile eſſe dixerunt. Ars tranſmutatoria metallorum eſt Hermetis & Gebri gentilium.

Reſp.ad VI.

PRopoſitio diſtinguitur. Aut mediate,aut immediate fit tranſmutatio : Et vtroq; modo vel diſpoſitionibus naturalibus præcedentibus,vel non præcedentibus,aut pręcedentibus quidem, ſed adeo remote,vt dictum factum nequeant in actum produci. Si mediata tranſmutatione cum diſpoſitione materiæ,& agente proportionato validæ virtutis vtuntur, non ſtatim conſequens eſt quod Deum exæquent,niſi quis hyperbola velit vti,quo modo Medicus ab Hippocrate dictus eſt ἰσόθεος,& Homero heroes ἀντίθεοι θεῷ ἴκελοι. Et Myrepſus aliquot antidotos appellauit ἰσοθέους. Si chymici hoc modo dicerentur æquare Deum,quia vtuntur diuino munere,ſeu facultate à Deo accepta,non id foret impium,ſicut nec impium eſt cum iudices Dii dicuntur Pſal. 82. ℣. 1. & 6. Ioh. 10.℣.34.& Moſes Deus Aaronis Exod.4 ℣.16. Alia reſp. Connexum ſophiſticum eſt elencho plurium interrogationum.Nam etſi ſequeretur ad hoc, ſi Alchymiſtæ nouam formam & materiam, cuius prius nulla ſimilis extaret in natura,non ſicut lecticam,ſed ſicut roſam condere poſſent,Deū æquarent,ſeu potius Deus eſſent : tamen non ſequitur ad partem alteram de mutatione ſubſtantiæ vnius in alteram.Guibertus ipſe quotidie cibum vertit in chylum, ſanguinem, carnem,oſſa,& cętera ſua membra : ſed inde non efficitur Deo par. Sic plantę & beſtiæ tranſmutant ſuos cibos. Natura mineralis ex non entibus, facit entia, generatione naturali, idq; ars imitatur adhibitis induſtrie & perite naturalibus inſtrumentis. Spiritus non poſſe mediate celeriter ex materia diſpoſita producere ranas pluuiatiles & ſimilia, Guiberto non crederet Auguſtinus, cum alicubi guttæ pluuiales in puluerem incidentes breui in ranas pluuiales abeant etiam ſola vi naturæ.

Oppoſitum.

Si chymicus potentia diuinitus communicata per media naturalia etiam ſubitaneas poteſt facere tranſmutationes ſubſtantiarum,neque impoſſibilis eſt tranſmutatio,neque ipſe ideo Deo par fit poteſtate.
Eſt autem prius. Ergo & poſterius.

Aſſumtum

Aſſumtum probo, quia per ignem ex naphtha ſubito poteſt ignem facere; Et ex lapide duro ad chalybem alliſo, vel pyrite rotæ chalybeæ bombardarum affricto ſubito flammam producere cum prius neque in lapide, neque in chalybe ignis actu eſſet. Sicut autem flamma elementaris ſubito poteſt ex oleo igneo ſubtiliſſimo vel aqua inflammatili pura, quam ſpiritum vocant, ſui ſimilem flammam procreare: ita & lapis Philoſophorum ſui generis metallum in materia mercuriali diſpoſita.

Turpitudines & flagitia cap. 3. tract. 1.

1. ΣΟφὸς εἶναι φάσκων ἐμωράνθη dum ex ſacris literis probare annititur metallorum tranſmutationem chymicam excedere naturalem & humanam potentiam; cum ne verbulum quidē ea de re in ſacris extet, & certum ſit Deum talem naturam mineralem condidiſſe, qualis iam eſt, excepta vanitate qua inuexit peccatum, quod tamen ſubſtantias non mutauit, nec generationes & corruptiones ſublunarium, naturalesque potentias aboleuit.

2. Pag. 17. *Tranſmutationem chymicam ſpeculationibus humanis eximit*: Et tamen tam loquax eſt de illis vt ſingularem inde gloriam captet. Quæ dementia eſt negare peruiam ſpeculationibus, & tamen tam pertinaciter contendere non eſſe? Quod non eſt ſubiectum humanis contemplationibus, de eo per eas ſine reuelatione non poteſt conſtare, ſit an non ſit, nec quale ſit. Nugator vero iſte adeo furioſe negat vt etiam damnet & cruci addicat ſecus ſentientes. Mirum poſtea id ſcribere Galenicum hominem, qui miſtiones conficit ex elementis, & temperamenta in numerato habet, item nouit mineralibus poſt elementa nihil eſſe mutabilius. Si tranſmutationes non ſunt humanæ contemplationi ſubiectæ, neq; corruptiones erunt. Sunt enim tranſmutationes. At quis de his dubitet tot obuiis experimentis etiam cum iactura rei familiaris?

3. Mutat Theſin frequenter. Ante dixit *tranſmutationes quas Alchymiſtæ moliuntur inacceſſas eſſe humanis ſpeculationibus*: paulo poſt ait, *transformationem vnius perfectæ ſpeciei in aliam formam alterius, vel angelis ipſis eſſe impoſsibilem*. Iam Alchymiſtæ hermetici non tranſmutant perfectas metallorum ſpecies, ſed *imperfectas*. Contendunt enim arte ad generationem nobilioris, nec mutant ſpeciem vnius in formam alterius, ſed deſtructa forma priori, in materiam introducunt alteram determinatam per agens diſpoſitum. Hoc ſi non curant angeli, ſaltem homini non eſt denegatum.

4. Pueriliter delirat dum ſibi perſuadet, *ſe luce clarius demonſtrare tranſmutationem ſubſtantiarum ad vnius Dei infinitam potentiam pertinere, atque ideo etiam metallicam artis, quia Deus miracula potiſsimum ea in re exercuerit*. Scire debuit à Deo quidem originem eſſe creaturarum omnium, & potentias earum; ſed ipſum ſic ordinaſſe ſeculum hoc, vt omnia ſublunaria ſint tranſmutabilia, & quadamtenus hominum vſibus permiſſa. Pſal. 115. verſ. 16. Terram dedit filiis hominum, Geneſ. 1. 28. Itaque cum in generationibus, nutritionibus, & variis tum artificiis, tum caſibus fiunt tranſmutationes, eæ à Dei ordine proficiſcuntur, commiſſæ naturæ, & hominum arbitrio. Minime vero ad miracula illa pertinent, quæ vniuoce ſic appellantur.

5. Ridiculum eſt quod pag. 18. etiam *Diaboli teſtimonio* vtatur, quem tamen in narrationibus ſæpe luſiſſe impoſtores Paracelſicos indicat. An Diabolus neſciat ex aere aquam fieri? Illo ipſo exemplo quod de lapidibus in panes mutandis adducitur eſt tranſmutationis confeſſio. Panes enim in nutrimentum, & corporis ſubſtantiam cedere ſuppoſuit, idque ſine miraculo.

6. Poſt Diabolum in auxilium accerſit Ethnicos *Homerum, Ouidium, Galenum, &c.* vbi mireris homini pudorem adeo deeſſe vt *Ouidium & Galenum* citare auſit quaſi agat cum his hominibus qui neutrius ſcripta legerint, & ſaltitaret inter bubulcorum famulas reſtim ductitans. Diis ſuis aſſcribit Ouidius tranſmutationes. Quid de capite Meduſæ dicendum? Num & hoc Deus? Circe Diabolica magia vtebatur. Num Diabolo poſſibiles tranſmutationes? Quid de exemplis libri 15. Metamorphoſeon? Apes ex cadauere bubulo: preſſus humo bellator equus crabronis origo eſt, &c. vide de ſcorpio ex cancro, de bombycibus in papiliones, de ranis ex limo, de angui ex ſpinali medulla hominis, &c. Galenus cum Plinio negat Deum poſſe quicquam vltra naturam. Stoici fato eum alligant. En præclara teſtimonia.

Mire ſibi ſapit Lotharus quaſi in aliis terris nullum eſſet σοφόν.

7. Citat ſcholiaſten Ariſtotelis ſcribentem *formas ſeparatas non poſſe materiam tranſmutare*. Riſu digna citatio. Naturaliter ille loquitur. In naturalibus id quod tranſmutat corpus, neceſſe eſt habere formam in materia. Tangere enim debet, & mutuo agere, patique quod non conuenit formis ſeparatis phyſice. Hyperphyſice, & mediante natura multum poſſe angelos, & dæmones notum eſt. Ars chymica alio naturali modo vtitur, & ex aqua agricolæ poſſunt vinum quoque facere, mediante vite & cæteris adminiculis.

8. Conuerſio vnius ſubſtantiæ in aliā, inquit, eſt ſpecies creationis. Iam duæ ponuntur à Guiberto, vna ex nihilo; altera ex eo, in quo vel nulla eſt diſpoſitio, vel remotiſſima, ita vt ſubito dictū factum emergat. Cum ventriculus epar & cætera membra mutant panem in ſanguinem carnes, oſſa, &c. neutra eſt illarum creationum. Ita in cæteris. Creare interdum eſt procreare, vel facere, poſſibile naturæ, arti, & voluntati.

9. *Simile non gignitur à diſsimili.* Sane ſi rem per ſe æſtimes. Naturale enim eſt ſimile gigni à ſimili. Quid dices de accidente, & vi artis? Diſſimile gignit etiam diſſimile æquiuoca generatione.

10. *Tranſmutatio in oculi ictu eſt ſolius creatoris.* Bene ſi originaliter loquaris, immediate, & de prouidentia: non autem, ſi de communicata hominibus, & cæteris naturis facultate mediataque ſentias, vti de ignis effectis dictum eſt. Cœlū cœli Domino, terrā autē dedit filiis hominum. Pſ. 115.

11. Pag. 20. Scabiem iſtam ſuam (gallicam pene dixiſſem) & *deliramenta non eſſe animaduerſa à Libauio occæcato vehementer miratur.* Ridiculum. Si cæcus eſt, tuam lucem videre non poteſt. Cæcum non videre nihil habet admirationis. Libauius ideo non animaduertit, quia quæ diſputas ſunt non entia. Non entis nulla ſunt accidentia. Contemſit potius, & indigua verbis iudicauit, ſi poſuiſti. Si non poſuiſti, non arbitratus eſt ad rem pertinere, aut quicquam poſſe.

12. Galenus producitur pag. 20. ſtultiſſime. Quam enim ille tranſmutationes naturales, & artificiales multas agnoſcit? Vide lib. 9. ſimpl. de metallicis ὧν ἡ γένεσις ἐν τοῖς μετάλλοις ἐστὶν ἤτοι γε αὐτοφυὴς, ἢ διὰ καμίνου γινομένη, καὶ τρίτον γε πρὸς αὐτοῖς ἐστιν ὅσα πάλιν ἐκ τούτων αὐτῶν οἱ ἄνθρωποι σκευάζουσιν. Lege & reliqua vbi modus generationis explicatur.

Sed quid deliramenta Guiberti perſequor? Si totum delirum dixeris non multum erraueris.

Cap. IV. Tractatus 1.

INſtituitur verboſa refutatio argumentorum quæ pro aurificio ex ſacris petuntur: eſtque hoc caput nihil aliud quam efferata inſania ſtolidiſſimi hominis in Libauium & Robertum Vallenſem, productis tantum tribus locis, quorum refutatione putat homo ille anilis dementiæ ſe magnum quid effeciſſe, atque ideo vt carnifex aduerſarios in crucem agit. Res eſt huiuſmodi:

Eſt locus in Apocrypho libro 4. Eſdræ cap. 8. verſ. 2. qui ſic habet: *Hoc ſeculum fecit altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos:* Et mox: *Quoniam dabit terram multam magis vnde fiat fictile; paucum autem puluerem vnde fit aurum: Sic & actus huius ſeculi. Multi quidem creati ſunt: pauci vero ſaluabuntur.*

Hunc locum pro ſe citare poſſunt hæretici prædeſtinariani, contra expreſſos ſcripturæ textus; *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, &c.* 1. Tim. 2. 4. *Robertus Vallenſis* in libello de veritate & antiquitate artis chemicę ſimpliciter citat dictum ſine explicatione & accommodatione. Guiberto videtur ſic argumentari:

Paucus ille puluis eſt Elixyr Philoſophorum, quo in terram (Sic mercurium tanquam materiam, & matrem metallorum vocant) *proiecto fit aurum*, vt eſt apud Eſdram: *Atqui hoc opus eſt Alchymiæ proprium.*

Alchymiæ ergo veritas & antiquitas autoritatem habet in ſacris literis.

(Aliter: cuius mentio eſt in vetere teſtamento ſub perſona Angeli ad Eſdram loquentis, eaque affirmata & poſitiua, id verum & antiquum eſſe neceſſe eſt. Alchymiæ aurificæ fit mentio &c. Ergo. Aſſumtum probatur loco citato.)

Guibertus antichriſtica impietatis pullus fingit crimen impietatis de pio.

Negat Guibertus ibi de Alchymia agi. Itaque furit in Alchymiſtas locum de aurificio chymico citantes, per quinque pagellas (tam loquax anus eſt in re nihili) & nominatim Libauium accuſat impietatis & falſitatis, qui tamen nequaquam chymice vnquam vel intellexit, vel accommodauit locum. Sed argumentetur:

Si locus Eſdræ eſt de terra ex qua aurum excoquitur (pag. 24.) *vel naturali auri ex puluere terræ productione, vbi puluis genuinam habet ſignificationem terræ minutæ, & aridæ, (vt Horat. puluis & vmbra ſumus: Et Gen. 3. Puluis es, &c. Pſal. 102. Puluis ſumus, &c.) vel de puluiſculis aurum continentibus, quos multi fluuii voluunt, hoc eſt, arenis* (pag. 25.) *vel de materia ex qua aurum fit, non de efficiente auri: non poteſt ſignificari Elixir illud per quod aurum volunt efficere Alchymiſtæ. Prius eſt. Ergo & poſterius.*

Pag. 26.

Dignum ſane argumentum quo cerebrum frangat Guibertus, & quinque pagellas polluat. Ego quidem non vtor illo, neque vnquam ſum vſus, & fieri poteſt vt vel naturale opus auri ex puluere naſcentis intellexerit, vel artificiale conflatorium, aut myſticum lapidis: Veruntamen Guiberti maledicentiæ occurrendum eſt ſimili arte:

I. Qui incertus eſt quid per puluerem paucum vnde aurum conflatur apud Eſdram ſignificetur, atque ideo per varias ſententias oberrat nihil contra chymicorum interpretationem demonſtrat. Hæc enim æque probabilis eſt ac illæ; Et quacunq; ex propoſitis viaris ſaluus eſt ſenſus angeli. Nam ſi chymicum puluerem paucum accipis, verum eſt quod per paucum, & ex pauco exiſtat aurum: Sin illos Guiberti naturales, etiam ſalua ſententia eſt.

Guibertus eſt incertus, &c. Ergo.

II. Quæ interpretatio proprior eſt textus veritati, ea cæteris præferenda.

Chymicorum interpretatio propior eſt textus veritati.

Chymicorum ergo interpretatio cæteris eſt præferenda. Probo aſſumtum: Conferuntur pauci homines ſaluandi in mundo cum pauco puluere. Ex illis fiunt electi alterius vitæ beatæ poſſeſſores; Ex hoc fit aurum vndiquaq; probatiſſimum ἄφθαρτον quaſi, cui comparatur ciuitas Dei ex auro pellucido: cui congruit etiam ſententia Paulina 1. Cor. 15. v. 42 & ſeq. verſ. 48. qualis terrenus tales terreni; qualis cœleſtis tales & cœleſtes; Et Petrus in comparationem ſeminis illius quo naſcuntur electi non admittit aurum & argētum corruptibile, qui proculdubio ſi ſententiā dicere debuiſſet ſemen immortale verbi diuini comparaſſet elixiri Philoſophico. Sicut enim per auri elixyr ex mercurio & imperfectis metallis proiectione fit aurum optimum quod gradu exuperat naturale; ita ſparſione ſeminis verbi diuini ex hominibus peccato pollutis, atq; adeo imperfectis naſcuntur electi, qui ſynceriſſimo argento & auro cōparantur. Inde duplex emergit cōparatio: vt ſe habet puluis ad aurum quod inde fit: ita ſe habent in mundo homines ad electos alterius vitæ. Puluis aurificus eſt paucus; aurum per eum & ex eo eſt excellentiſſimum. Ergo & pauci

Apoc. 21. verſ. 18.

1. Pet. 1. 18.

homi-

homines à mundo electi fiunt gloria eminentiſſimi. 2. Quæ eſt ratio pulueris aurifici tanquam ſeminalis principii auri ad aurum ex materia mercuriali imperfecta efficiendum; ea eſt ſeminis ſpiritualis, verbi ſcilicet diuini, tanquam principii generatiui, ad efficiendos electos ex pœnitentibus huius mundi peccatoribus in ſtatu imperfectionis verſantibus. Ibi fit aurum excellentiſſimum dignum Electorum Dei ſimilitudine: Hic naſcuntur Electi gloria & honore ornatiſſimi. Ibi aurum ſplendidiſſimum: hic fides probatiſſima, quam Petrus 1. Petr. 1. verſ. 7. non veritus eſt, quanquam in maiore, cum auro probato comparâre, quale ſuadet filius Dei angelo Eccleſiæ Laodicenſis ſibi emere, vtpote ab ipſo accipiendum ignitum, probatum &c.

Si ergo iam chymicorum accommodatio longe illuſtrior eſt quam Guibertina, quantum facinus fuerit angeli ad Eſdram verba chymice accepiſſe? Deinde ſi Spiritus Sanctus, vbi aurum fidei puræ & electis comparat, non de naturali auro loquitur, ſed de eo quod per artem eſt elaboratum; artificia autem artificiis ſunt affiniora, & par eſt vt apodoſi excellentiſſimæ accommodetur protaſis non ſordida, & illaborata, ſed ſynceriſſima, & plurimum reſpondens, rurſus eſt conſequens chymicorum interpretationem eſſe Guibertina meliorem. Quid autem tandem quæſo conſecuti ſumus, probabile argumentum probabiliter accommodando? Robertus voluit probare chryſopœan eſſe antiquam, & veram, ſi quidem angelus eam intellexit. Guibertus furit, & negat intellectam. Quid tum poſtea? At ſunt & veritatis & vetuſtatis firmiora argumenta quam libri apocryphi. Si etiam de autoritate quæras qui nam interpres ſit dignior fide, Guibertus mendaciſſimus ſcurra, & vaniſſimus conuitiator, hoſtis veræ artis chymicæ, an Robertus cuius nulla eiuſmodi crimina extant, facile pro Roberto reſpondeas, præſertim cum res ipſa per ſe ſit vera, & comparatio valde apta.

Locus II. furoris Guibertini ſuper hiſtoria ſacra, & Ariſtotelica de ære Indico.

ESDRÆ 1. cap. 8. verſ. 26. & 27. *Argentum & vaſa argentea, aurum & crateres ex auro, prætereaque duo vaſa æris fulgentis optimi, pulchra vt aurum* dicuntur ex Babylone Hieroſolymas perlata eſſe, & tradita ſacerdotibus, donaria nimirum regis Perſarum Artaxerxis Principum, Conſiliariorum, & Iſraelitarum. Septuagin‑ta vocant σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος ἀγαθοῦ, διάφορα, ἐπιθυμητὰ ἐν χρυσίῳ, vel ὡς χρυσίον. Ex Ebræo, vaſa duo cuprea, aureo colore micãtia, ſeu infecta tinctura aurea (Murzhab, quæ vox ſignificat aurea tinctura, ſeu colore tinctum) bona, deſiderabilia & precioſa (Chamudoth, quod eſt deſiderata, optata, à radice Chamad quæ ſignificat optare, appetere, deſiderare) inſtar auri. Quæ materia fuerit iſtorum vaſorum in tanta auri Babylonici, & Perſici cõpia, quantam Artaxerxes, & Darius poſſederunt (videatur conuiuium Ahaſueri, qui Darius Hiſtaſpis creditur, in quo ingens vis aureorum poculorum, & aliorum vaſorum) quantamque poſtea Alexander inuenit, tam precioſa, vt non tantum inter aurea κειμήλια Darii locum inuenerint, ſed & precioſa, & deſiderabilia appellata ſint ex ea facta vaſa, quæritur. Cum commentationes ſcriberem in Alchymiam, problema proferebam, an non videretur iſtud æs ex ære publico, ſeu naturali per aurificam medicinam factum? Argumenta ſunt huiuſmodi:

1. In Chaldæa, & Ægypto ars aurifica floruit. 2. Attributa apud Eſdram non ſinunt æs putum putum eſſe; quia 1. inter donaria ſunt regis opulentiſſimi, non pauperi homini collata, ſed templo Dei Optimi Maximi. 2. Duo tantum, non multa. Prodigus & ſtultus donat quæ ſpernit & odit. Si vili materia fuiſſent ex abundantia regia plura fuiſſent data. Numerus paruus à tanto rege pro fano totius orientis celeberrimo commendat precium. 3. Tinctura aurea infecta fuerunt adeo vt ſplenduerint inſtar auri (natiui, & excocti.) 4. Deſiderabilia dicuntur, quod Epitheton ibi auro non tribuitur, tanquam vili æſtimato ad æs babylonicum.

Inde argumentum: *Aut aurum natiuum arte elaboratum fuit poculorum iſtorum materia, aut electrum, aut orichalcum foſſile, aut factitium, aut metallum ſui generis.* Natiuum non fuit. Liquidum enim hoc eſt ex textu. Non electrum, quanquam & hoc precioſum. Æs enim vocatur. Electrum vero eſt miſtura ex auro & quinta argenti portione, ex quo Helena in templo Rhodiorum Lindo calicem mammæ ſuæ menſura dicitur ſacraſſe: (Plin. lib. 33. cap. 4.) Orichalcum nec foſſile, nec factitium. Neutrum enim auro præfertur, & Plinius lib. 34. cap. 2. aurichalcum foſſile non auro, ſed æri cyprio prælatum ait: Eius bonitatem imitatum fuiſſe æs marianum ſorpta cadmia. Relinquitur metallum ſui generis. *Id ſi foſſile eſt, quia ſpecies ſunt mundo æquæuæ, debet ſequentibus temporibus non deſiiſſe.* At nulla eius diſerta mentio extat apud autores memorabiles. Relinquitur vt arte factum videatur. Hoc autem probabiliter tantum à me per quæſtionem proponitur, nullibi vero affirmatur. Ita enim verba habent: *An non æs in aurum verſum arte chymica fuit?* Fit autem hoc tripliciter: 1. Sophiſtico magiſterio plus minus fixo per medicamina, de quo apud Gebrum: 2. per artem particularem, qualis extat apud Suchthenium, Baſilium Valentinum monachum, & alios: 3. per vniuerſalem tincturam. Oportet non vulgare artificium fuiſſe quod in tanti Regis Theſauro locum inuenit. Lib. 1. parte 2. cap. 9. comment. Alchymiæ æris accenſui, & Babylonicum vocaui, colore, teneritate, & tinctura in profundo ab auro indiſcretum. Cap. 8 eiuſdem lib. ex Calaëmo fieri æs aureum nobile indicaui, ſi cupro illiquetur vt decet. & ſimiliter quæſiui: An æs

R 3 Babyloni-

babylonicum? Lib. 1. partis 1. cap. 3. ex Pantheo chymicum inuentum eſſe orichalcum innui, ſi id ferat Plinius Quod ſi & Plinii orichalcum fuit chymicum, & vaſa illa Perſica apud Eſdram & Ariſtotelem, artis antiquitatem & excellentiam inde oſtendi ſcripſi. Quia vero Ariſtoteles Eſdræ conſonat, & Darianis Theſauris eadem vaſa aſcribit, non putaui me præter rem facere, ſi & Ariſtotelem producerem. Is æs Indicum vocat, & ſic deſcribit: φασὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν οὕτως εἶναι λαμπρὸν, καὶ καθαρὸν, καὶ ἀνίωτον ὡς μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσόν: ἀλλ' ἐν τοῖς Δαρείου ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείους, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι πότερόν εἰσι, χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. Hæc Ariſtoteles. Duo proponit ſpecimina eius metalli, vnum quod videtur foſſile eſſe colore indiſtinctum ab auro, conueniens etiam ſplendore, puritate, & integritate qua non ſit obnoxium ærugini: alterum ex quo Darius plura pocula conflari curauit, quod odore duntaxat diſcerni ab auro potuit, ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι: alio argumento non poterat diſcerni. Iam quis neget Chaldæis, Babyloniis, Perſis, & Ægyptiis notam fuiſſe artem auri veri probandi? Alchymia in Perſia floruit adeo, vt tempore Auicennæ iam præceptis fuerit comprehenſa. Artem præceptis inſtruere, longam experientiam requirit. Si itaque prius æs Indicum dictum fuerit natiuum orichalcum, pocula Darii non fuiſſe eiuſdem materiæ argumento eſt omne diſcrimen negatum excepto ſolo (igniti) odore. Æthiopes ſolent auri ſabulum miſcere orichalci ſcobe, ſeu limatura. At impoſtura facile patefit ærugine, & pallore, ſi diutius aſſeruetur. Quid de poculis dicendum? Quam facile orichalcea vaſa aquis acutis, ſaltis, ſuccis acerbis, ſale ammoniaco ſoluto & ſimilibus redarguuntur? At pocula Darii omne argumentum, præter odorem, auri habuerunt. Nec poteſt dici orichalcum auro miſtum, & colliquatum fuiſſe. Fragile enim inde efficitur, & malleum non ſuſtinet, ſicut æs caldarium, & ferrum argento viuo vaporatum. His rationibus apud peritum, & non calumnioſum, maleuolumque iudicem non dubitem quin probabilem coniecturam poſſim obtinere, præſertim cum eodem in loco dubitanter ſcripſerim *as babylonicum fortaſſis alterutrum duplicis orichalci eſſe; Et quid ſi aurum arte factum?*

Ariſtotelis æs Indicum.

Orichalcum foſſile pluribus notis potuit ab auro diſcerni, æs babylonicum tantum vnō.

Sed Guibertus in furorem totus verſus à nullo gradu calumniæ, & maledicentiæ abſtinere poteſt. Perpendamus argumenta eius:

Inſania Guiberti in hominem probabiliter & verisimiliter argumentantem.

Pag. 27. *Vult temere & falſo ex loco Eſdræ colligi duo vaſa babylonici æris opere chymico fuiſſe conflata, & ex ære factum aurum artificioſum.*

Hæc quæſtio eſt: Argumenta. 1. Neſcitur qua probabili ratione. 2. Locus ille nihil iuuat ad veritatem tranſmutationis Alchymiſticæ; Et Deum ſuper hoc adiurat. 3. Præter bardum, & inſanum Libauium nemo ex illis verbis Eſdræ colliget illa duo vaſa fuiſſe conflata ex ære in aurum verſo. 4. Eſdras non dixiſſet: Vt aurum: quæ eſt nota comparationis in ſimili colore. Simile alteri non eſt idem. 5. Senſus verborum Eſdræ eſt, illa vaſa non ex ære in aurum opere chymico mutato, ſed ex ære ad colorem auri ita accedente, vt aurum ipſum colore referret. 6. Tale erat orichalcum olim teſte Plinio lib. 34. cap. 2. in maximo precio habitum, quam bonitatem admirationemque diu obtinuit. Pag. 29. ex Seruio dicit olim fuiſſe metallis precioſius, citato Pſeudulo Plauti. 7. Fuit æs Indicum Ariſtotelis adeo lucidum, & purum vt colore ab auro non diſtaret. Itaque & cadi Dariani quidam non alio pacto, quam odore, ærei, an aurei ſint diſcernendi. Ex conſequente nec veritas, nec vetuſtas chymicæ artis ex eo loco poteſt argui, cum non chymicæ artis opus, ſed foſſile orichalcum fuerit.

Obiectio: At in India nullum fuit foſſile: Reſpondet: 1. pluribus in locis effoſſum fuiſſe tradit Plinius. 2. apud Indos reperiri ex Ariſtotele ipſe tenebrio Libauius tradit.

Obiectio II. At Plinius negat in India æs & plumbum inueniri: Reſp. Plinius non negat in India inueniri orichalcum, ſed æs.

III. Obiectio: At æs & orichalcum ſunt idem. Reſp. Negatur. Sic enim inter ſe differunt vt ſtannum & plumbum, ſeu non ſecus differunt, vt loquitur; ex quo patet Guibertum orichalcum peculiare metallum facere, vt numeranda ſint plura quam ſex ſimplicia. Deinde ſi negaret Plinius orichalcum in India inueniri, opponeretur ei teſtis Ariſtoteles in mirabilibus, & Diodorus Siculus qui lib. 3. Bibliothecæ in India orichalcum naſci ſcribit. Inſuper adhuc hodie apud Indos Orientales effoditur orichalci genus lucidiſſimum colore ab auro minime diſtans, ex quo annulum nugator ille Lotharingicus viderit Neapoli apud Lopes quendam Luſitanum; Item habeat garrulam cymbalam ſphæricam ſoni ſuauiſſimi, artificii miri. Adhæc in Fundaribus inter Mexicum & Dariem effodi orichalcum narrat. Vnde patet inter aurum & æs medium à natura eſſe conſtitutum.

Aliud argumentum quod eſt 9. numero: Sit orichalcum arte factum ex ære purgato quali vſus Salomon, & orichalco natiuo vel artificiali; At non confirmat tranſmutatoriam cæterorum metallorum in aurum, nec probat eius antiquitatem. Hæc tam multa demens illa & furioſa anus de quæſtione ſaltem coniecturali, magiſque negata, quam affirmata, cum & ipſe inclinem in ſententiam certi generis æris, ſiue naturalis, ſiue factitii. Puto autem meam ſententiam & autoritatem Lotharingicæ minime cedere.

Reſponſio ad argumenta.

PRimum argumentum iam in explicatione refutatum eſt, cumq; rationes additæ ſint hiſtoriæ in ipſo libro ſtupidam oportet fuiſſe vetulam iſtam rabioſam Guibertum, cum legeret. Si enim fuit æs cadmia tinctum, quia arte fuſoria factum, quæ chymia, vel chemia appellatur, conſtat ex effectu de cauſa, & ex opere de principio, quod & vera ſit chemia, & antiqua. Si fuit aurum ex ære per medicinam aurificam, iterum patet quod quæſitum eſt. Sin naturæ ſolius partus, metallurgia fuſoria

Chemia antiquitas inuicta.

fuſoria & docimaſtica iam & materia, & arte fit conſpicua. Vnde enim quæſo cognitum eſt ęs eſſe, & non aurum purum putum in ipſa ſua ſubſtantia niſi per artificia, ſi nullum aliud argumentum, pro ære iudicando affuit quam odor, qui non eſſentialiter, ſed accidentaliter tantum arguit? Probationem autem iſtiuſmodi eſſe Alchemiæ, pridem docuit Geberus. Temperamenta iſta in natura contingere poſſunt: Si natura non dedit, arti aſſcribi debent, & vtrumq; arte iudicandum. Iudicii principia ſunt artis, ratione, & experientia vtentis.

Secundum iam item eſt dilutum. Siue enim opus artis fuit, ſiue examinis materia, artem fuiſſe neceſſe eſt, & eam antiquiorem iſtis poculis. Tranſmutatoria vero inde non niſi ex hypotheſi deducitur, ſi quidem ex ære per auri tincturam metallum illud ſit factum. Quod ſi liberet petere ex eodem libello Ariſt. tranſmutatoriæ exemplum, contra Guibertum negantem naturæ, & arti poſſibilem eſſe tranſmutatoriam producere poteramus narrationem *de metallis Lydiæ iuxta Pergamum obſtructis, in quibus tandem cadauera hominum & inſtrumenta in lapides fuerunt verſa.* Id factum ſponte naturæ. Quid arti tribuendum?

Tranſmutatoria exemplum ex Ariſtot.

Argumentum tertium conuitium & maledictum *vetulæ inſanientis eſt*, non ratio argumentantis. Bardi & veſani eſt non poſſe intelligere explicationem additam: deprauare vero ſententiam & rationem *calumniatoris malicioſi*, qualem ſe abunde declarat Guibertus in iſto ſuo *diabolico potius quã humano* tractatu.

Quartum ſumtum eſt ex dictionis modo. *Caſſabab inſtar auri*, ſeu *vt aurum*, ſcribitur. Hoc per meram ſimilitudinem externam interpretatur Guibertus. Sed nihil obſtat quin etiam poſſit de cęteris, atq; adeo *internis auri argumentis* exponi, cum Ariſtoteles dicat *nulla alia nota præter odorem* fuiſſe diſcretum ab auro. Fuit ergo par auro colore, pondere, teneritate, dilatatione, fixitate, puritate ſubſtantiæ, familiaritate cum argento viuo, duratione in aquis & medicaminibus acutis, & cæteris probationibus. *Odor ſolus æs prodidit.* Si ergo artificiale aurum conferatur cum naturali, cur non dicendum ſit omnia argumenta habere ſimiliter vel pariter auro natiuo? Cur non eſſe plane vt aurum natiuum, & habere ea quæ ineſſe debent ſolido?

Ad quintum. Riſu digna interpretatio. Cui quæſo potior fides vetulæ ſtultę & imperitæ Guiberto, an argumentis rei, & narrationi Ariſtotelicæ non improbandæ? Si eſt ſenſus verborum iſte quem anus delira Guibertus profert, Darii aurifices cum ipſo Dario, & proceribus, imo & Iudæis delirarunt tanti æſtimando æs citrinum, aut flauum vt inter precioſa κειμήλια haberent, & templum Dei Optimi Maximi tam vili materia honorandum putarent. Plura fuerunt Dario vaſa iſtiuſmodi. Ex pluribus tantum duo ſunt donata. Patet æſtimationis magnæ fuiſſe. Æs flauum longe ignobilius eſt rubro cyprio: Et æs coronarium, quo non aliud magis aurum colore, ſplendore, puritateque repræſentauit, longe infra auri precia poſitum. Id miſtum olim fuit ex pari ſulphure, & argento addita tertia parte æris cyprii tenuiſſimi, vt Plinius habet lib. 33. cap. 9. lib. 34. cap. 8. *In cyprio coronarium, & regulare eſt*, inquit; *vtrumque ductile. Coronarium tenuatur in laminas, taurorumque ſelle tinctum ſpeciem auri in coronis hiſtrionum prabet, idemque in vncias additis auri ſcrupulis ſenis, prætenui Pyropi bractea igneſcit.*

Æſtimatio poculorum confundit Guibertum.

Triplex habes coronarium, ex quo tertium precioſius, ſi argumentum coloris reſpexiſſet tantum Eſdras, & Darius cum ſuis, quam puerili nota fuiſſent deluſi? Tales bracteas hodie multas videmus in coronis puellarum, & aliis operibus.

Æs coronarium Plinii triplex: vbi nota qua arte ſulphur miſceri potuerit argento vt aureum fieret.

At nemo tam veſanus eſt vt coloris indicio tanti ęſtimet, ſicut & menſarum vtenſilia, ſalina, cochlearia, &c. aſpectu ab auro indiſcreta, neque tamen ex orichalco. Agricola ait lib. 8. foſſ. cap. 9. *Aes aureo & argenteo colore tingitur à chymiſtis ita vt auri & argenti ſpeciem exprimat, &c. Malleo poteſt dilatari, & in tenues bracteas duci. Ita vero ductum, & taurorum ſelle tinctum, quia ſpeciem auri in coronis hiſtrionum prabet, coronarium vocatur.* Hinc argumentamur: *Si æs illud babylonicum tantum colore fuit vt aurum*, ſicut vult Guibertus, *non autem chemico artificio ſeu in aurum verſum, ſeu ita tinctum vt pluribus notis aurum æquaret, nulla fuit memorabilis gloria vaſorum Darianorum, & donariorum templo Hieroſolymitano dignorum. Atqui hoc non eſt*, vt facile colligi poteſt tum ex regis Perſici Majeſtate, & omnium artium potiſſimum metallicę in Perſia & Chaldæa ſtudio, tum Ariſtotelis auditione. *Ergo nec illud.* Vnde patet Guiberti interpretis ſtulti fatuitas.

An non chymica?

Ad ſextum. Qui verum poteſt eſſe, ſi tantum colore retulit aurum? Quia vero *Plinius* citatur & *Seruius* cum *Plauto*, de his operæ precium eſt videre. Eſt autem coniectura, illud æs Indicum precioſius auro fuiſſe; argumento quia in Dariano Theſauro, vbi auri ingens copia fuit, & inde prolata duo tantum pocula, cum veri auri magnum pondus conferretur. Iam audiatur Plinius. *Hæri* (inquit lib. 34. cap. 1.) *proximum* (argento de quo lib. 33. cap. 12.) *eſt precium, imo vero ante argentum, ac pene etiam ante aurum Corinthio.* Hic Corinthio æri in æſtimatione palmam tribuit.

Plinius de orichalco.

Hoc quale ſit videndum. *Fortunæ ſeu caſus primum fuiſſe, poſtea artis opus ex eodem patet.* Quondam æs confuſe auro, argentoque miſcebatur, & tamen ars precioſior erat, quam poſtea quæſtus cauſa exoleuiſſe ſcribit cum inquit; *adeo exoleuit precioſi æris fundendi ratio vt iam diu ne fortuna quidem in ære ius artis habeat. Ex illa antiqua gloria Corinthium maxime laudatur, quod caſus miſcuit. Vnum fuit candidum argento nitore quam proxime accedens in quo illa mixtura* (argenti) *prævaluit: alterum in quo auri fulua natura* (vbi aurum excelluit, & ſicut illud fuit argentum æratum, ita hoc aurum ære miſtum quod ſit fuluum) *tertium in quo æqualis omnium temperies fuit.* Additur quartum *Epatizon* colore ſuo precioſum, ſed procul à Corinthio. Hæc & ſimilia genera alia ex caſu ars tranſtulit fuſoria, cumque ars precioſior eſſet materia, accidentario argumento non omnino æs Corinthium prælatum fuit auro, ſed PENE prælatum. Sit iam æs poculorum Darij Corinthiaca miſtura,

Æs Corinthium.

aurum ſane fuit, idque opus fuſoriæ artis, quæ chymia. At non fuiſſe, vel Guibertus ipſe, tametſi fatuus conceſſerit.

Fueritne orichalcum illud æs Indicum.

Ex orichalci ſpeciebus fuiſſe contendit, ideoque maximi olim precii eodem Plinio teſte. *Aut naturale fuit aut artificiale. Neutrum aurum antecelluit.* Plinius enim lib. 34. cap. 2. de ære agens Cyprium primæ notæ ab antiquo facit: ſed quod poſtea viluerit, inuento in aliis terris præſtantiore, maxime *Aurichalco*; quod præcipuam bonitatem admiratione diu obtinuerit, quodque iam longo tempore effœta tellure non ſit repertum. Inde mentionem facit *Liuiani, & Mariani*, cadmiam ſorbentium, & bonitatem aurichalci imitantium. Rationem miſturę ponit, vt æs cadmiæ ſit in cyprii, æris ſeſtertiis, dupondiariisque. Quæritur iam aurone prælatum, aut ſaltem æquatum velit orichalcum ſeu naturæ, ſeu artis, Plinius? Negatur. Ratio eſt, quia inter æris genera tantum præcipuam bonitatem habuiſſe ſcribit, idque admiratione accidentaria potius quam materiæ nobilitate. Audiamus & *Agricolam*, ad quem collatus Guibertus ne lixa quidem eſt, aut cacula. Ita ille lib. 9. foſſ. cap. 1. *Natura tingit metalla alieno colore. Cum enim æs ſuo modo rubeat id, etſi raro, gignitur fuluum, quod Græci ὀρείχαλκον appellant. Interdum candidum quod ψευδάργυρον. Hoc argenti ſpeciem exprimit; illud auri. Æs fuluum præcipuam bonitatem, admirationemque diu obtinuiſſe Plinius ſcribit; Candidum factum fuiſſe in Teuthrania circa Anderam, & in Lydia iuxta Tmolum montem, Strabo narrat. Naturam ars imitata,* (Eam chymicam vocat) *æs vtroque colore tingit.* Vnde & lib. 8. cap. 9. lib. 1. cap. 21. ait, *orichalcum an vnquam aliquod fuerit foſſile & natiuum nec ne, certo non poſſumus ſcire. Non enim nobis extare nouimus aliud quam illud factitium, quod ex ære conſtat tincto cadmiæ foſſilis* (vel etiam caminariæ Goslarienſis) *colore. Attamen ſi vllum foſſile eſt, propriæ formæ fuit metallum, vt etiam æs nigrum & candidum & rubro ſpecie videntur differre.* Hæc Agricola.

Firmum itaque eſt argumentum noſtrum: *Si æs illud Babylonicum Eſdræ & Darii apud Ariſtotelem precioſius auro aut ſaltem æque precioſum fuit, non fuit neque Plinij orichalcum, neque Agricolæ.*

At fuiſſe colligere eſt ex narrationibus.

Ergo neque Plinii orichalcum fuit, neque Agricolæ.

In mirabilibus.

Locus Plauti, Seruii, Virgilii.

Quid iam Guiberte, anicula rabida, fuit? Ariſtoteli notum fuit orichalcum cum mentionem faciat ſtatuarum Herculis in Pheneo, quæ dictæ fuerint ὀρείχαλκοι. Si putaſſet Dariana pocula fuiſſe orichalcea, vtique nominaſſet. Sed ad *Plautum*, & *Seruium*. Virgilius lib. 12. Æneid. Turno loricam tribuit ſquallentem auro, *alboque orichalco.* Seruius explicat his verbis: *Apud maiores orichalcum precioſius metallis omnibus fuit. Namque ſicut Lucretius dicit, cum primum homines ſyluas incendiſſent, nullarum adhuc rerum periti, terra caſu fertilis omnium ex incendij calore deſudauit metalla inter quæ orichalcum precioſius viſum eſt, quod & ſplendorem auri, & æris duritiem poſſideret. Nam primum de auro ſecuris facta diſplicuit, cauſa mollities: ſimili ratione & argenti contemptus eſt vſus. Mox orichalcum placuit, donec veniretur ad ferrum. Vnde etiam ſecula ita dicuntur diuiſa. Orichalcum fuiſſe precioſum etiam Plautus docet qui ait in milite glorioſo: Ego iſtos mores orichalco contra comparem. Albo orichalco dixit auri comparatione. Nam album non eſt.* Hæc Seruius. Leuior eſt autoritas Grammatici & Poetæ quam vt artificibus chymicis comparari poſſit: Et hominum imperitorum, rudiumque cenſura non poteſt æquari peritiſſimorum iudicio prudenti. Itaque laterem lauit Guibertus ſcrinia Grammatica & poetica ſcrutando. Sed videamus tamen quid rei ſit.

Prior pars fabulę ſimilis eſt; Et ſi vera ſit Lucretii narratio, auro argentoque prælatum orichalcum eſt imperitia naturæ, tantumque argumento vſus externi in ſecuribus, quod argumentum in ære Dariano non valet. Ita & ſimplices Indi in Peruana, & Æthiopes ferrum prætulerunt olim; ſed nunc non amplius. Si ætates diſcretæ ſunt auro, argento, orichalco, & ferro, quaſi ferrum precio ſit excellentiſſimum, qui fit vt aureum, argenteumque ſeculum longis paſſibus anteponantur, & tertium non orichalco, ſed æri comparetur? In Homericis æris inſtrumenta ſæpius leguntur; & in ſacris literis æris, ferrique mentio in arte conflatoria Tubalcainis eſt prima.

De albo orichalco ridiculus eſt Seruius. Color orichalci in comparatione cum auri colore eſt idem, niſi diuerſitas miſturæ, quæ & in auro varia eſt, aliud exhibeat. Itaque album orichalcum in ea lorica cuius vna pars erat aurum, pro argento poſitum eſt, aut illa miſtura æris Corinthii in qua excelluit argentum, niſi velis argyrochalcum foſſile intelligere. Plauti locus nihil euincit. Sicut ex ære olim cuſi ſunt nummi, ita & ex orichalco. Itaque orichalco contra perinde dictum eſt ac ſi nummis, vel pecuniæ dixiſſes. Ita & in Pſeudolo. Vide annotata Petri Gualtheri Chabotii in Epiſt. 3. lib. 2. Horat. ſeu artem poeticam de tibia orichalco vincta, vbi ex Heſiodo ocreas vulcanias ex orichalco φαεινῷ producit, & Scholiaſten citat, qui definit ὀρείχαλκον τὸ λευκὸν χάλκωμα. Nam in montibus inuenitur. Alii affirmant eſſe materiam metallicam ære precioſiorem. Apollonii interpres dixit εἶδος χαλκοῦ. Lege & reliqua. Quid ergo iam iuuat Guibertum Plautus? Ita argumentor ex Seruio: Si precium metallorum ſtatuendum eſt iudicio veterum qui vſum ad ſecures reſpexerunt, non orichalcum ſed ferrum auro eſt præferendum. Ratio eſt manifeſta. At hoc ſimpliciter nemo fecerit. Non ergo precium veterum iudicio ſtatuendum. Orichalcum iam Heſiodi temporibus, & Herculis, & Ariſtotelis notum erat populariter. At Æs Indicum Darianum adeo fuit precioſum. & à vulgi vſu remotum vt inter Theſauros ſummi monarchæ eſſet, minimeque orichalci ſpecies. Nummos ex orichalco fuiſſe factos, non plus commendat materiam quam nummi ex ære, aut Indici illi ex plumbo & cupro. Cicero in 3. off. ait: *Si quis aurum vendat putans ſe orichalcum vendere, indicetne vir bonus?* Hinc patet orichalcum minime fuiſſe ſeu precioſius, ſeu æque precioſum auro, ſed longe vilius. Quod ſi de precio auri quærere per teſtes volumus, cur non

Moſen

Moſen audimus Gen.2 ℣.11.12.de auro & non orichalco Indico? Cur non Dauidis, & Salomonis iudicium, imo populi Iudaici, argentum præ auri multitudine vile habentis, non autem orichalcum præferentis, reſpicimus? An minus antiquus Seruio, Plauto, Lucretio &c. eſt Moſes, Dauid, Salomon, ſpiritus S. Eat iam in malam rem anus illa inſana & garrula Guibertus, & Æs Indicum in orichalcum vulgare mutet.

Ad Argum. VII.

HOc confunditur anicula ipſa, & confundit alios. Ariſtot. *duplex æs Indicum* auditione accepit; vnum colore indiſtinctum, quod potuit eſſe orichalcum factitium, quale ex *calaemo*, & *cupro* conflauimus: Alterum nullo alio argumento dignoſci potuit quam odore. Id neceſſe eſt excellentis artificis fuiſſe. Cuius niſi Chemici? Eius enim eſt metallorum fuſoria, & tinctura. Qua vero arte poſſit aliquis id conſequi niſi excellentioribus magiſteriis fixionum, exaltationum, transmutationum?

De obiectione prima. Reſponſio prima eſt mendacium dignum Guiberto. Neque enim id Plinius docet adeo vt Agricola etiam de foſſili dubitet. Finge etiam orichalcum pluribus in locis natiuum effodi, num ideo in India tempore Darii, vt inde fierent pocula quæ vix vno argumento ab auro diſtarent? Si ſciret ſtultus aurichalcum nigreſcere ignibus, non autem aurum, & acutis rebus facile redargui tam delire non fuiſſet nugatus.

Reſponſio ſecunda ex Libauii citatione contra Libauium nihil aſſeuerantem, ſed tantum coniectantem blitea eſt, & inſulſa. Deinde cum Libauio ſint orichalci factitii ſpecies plures, & in eis etiam magiſteria valde excellentia, Guibertus ad coruos ablegandus eſt cũ ſua de orichalco phantaſia. *Si enim aliqua ſpecies chymici magiſterii fuit illud æs Indicum, conſtat chymiæ vetuſtatem & veritatem inde probari poſſe.* Si de tranſmutatoria negat conceſſo magiſterio colorationis, diſcat Libauium coniectari potius quam aſſeuerare; Deinde apud Ariſt. legat lib.1. de ortu tex. 20. tranſmutationes eſſe duplices, ſecundum ſubſtantiam, & accidentia: Ideoq; non eſſe negandam omnino tranſmutationem, etiamſi non fiat intus in eſſentia præſertim cum in metaphyſicis ſpecies acceſſione & ſubtractione mutentur vt numeri. Quod ſi apud Indos, aut Babylonios & Perſas orichalcum arte factum eſt, an non ſit coniectura argumentis auri natiui factum eſſe? An non ſpe imitationis veterum artificum? Sic enim varia magiſteria prodierunt.

Ad obiectum 2. Negabat Plinius in India inueniri æs. Si hoc concedimus, nec æs montanum auri ſimile in ea inuentum fuerit. Itaq; delirat anus ſtulta Guibertus cum ait, *Plinium non negare orichalcum in India inueniri, licet æs neget.* Qui enim genus negat, negat etiam ſpeciem. Vbi vero aſſerit Plinius orichalcum indicum? Dixi me ex ære cyprio, & ſtanno indico pulcrum orichalcum conflaſſe. Si æs Darianum fuit huius generis, accedente potiſſimum exaltatione, & fixione, orichalcum præclarum in India, Babylonia, Perſia &c. confecerunt ſiue natiuo ſuo, ſiue illato ære fuerint vſi conflatores. Nauigationes noſtrorum temporum varia metalla inſulis aſcribunt, & præter vulgo nota etiam ſingulare ſtanni genus Indis Calaëm dictum. Sed & inuehuntur multa ex ære, ſtanno Europæo, ferro, & orichalco quod didicerunt Æthiopes lima terere, & aureis arenis miſcere, impoſtura oculis indiſcreta, ni aquam fortem tecum habeas, aut ſal aliquod acre veluti ammoniacum, gemmæum, & ſimilia. Fuerit Dario regnante orichalcum quoque in Babylone: an id neſciuerint diſtinguere artifices ab ære indico?

Ad obiectum 3. Mirum eſt anum iſtam carboniperdam negare orichalcum & æs eſſe idem, cum Plinius & cæteri omnes pro ære habeant, idque indicet etiam altera pars compoſitionis χαλκός. Si non ſint idem numero, ſint ſpecie, vel genere. Qui orichalcum habet æs habet, at non qui æs, ſemper etiam orichalcum. Ariſtoteles nullibi dicit in India naſci orichalcum. F. de Guibertina hoc ſcribit anus iſta Lotharingica, hoc eſt mendaciter, vt fide Punica. *Diodorus Siculus* lib.3. cap.5. in India eſſe ſcribit auri, argenti, ferri, æris, lapidum præterea pretioſorum, cæterarumque rerum, quæ ad delicias atque opes ſpectant ſummam copiam; Et hæc quo tempore *Semiramis* Indis bellum intulit. Cap.10. ait: *Terra* (Indię) *& domeſticis fructibus opulenta eſt, & variis multiplicibusque metallis fœcunda. Naſcitur in ea ingens argenti, aurique vis: non parum quoque æris, ferrique & orichalci.* Terminat autem Indiam ab occaſu fluuio *Indo*, ad ortum, & meridiem Oceano, ad Septẽtrionem *Hemodo* monte verſus *Sacas* Scytharum gentem.

Orichalcum ſonat latine ex pede Montanum æs.

Crederemus hæc *Diodoro* niſi *Volaterranus* in præfatione ſcriberet priores ſex libros Fabuloſa geſta continere. Mirum quod hodie tot luſtratores Indiæ non faciant mentionem iſtius natiui orichalci, neque reportent id inter alias merces.

Plinius poſterior *Diodoro* fidem habet pleniorem. Accepit tamen *Ariſtoteles* auditione apud Indos eſſe vnum ęs colore ſaltem indiſtinctum ab auro; alterum nec alio argumento diſcernendum præter odorem. At non audiuit naſcaturne ibi, an ex importato fiat. Credamus Plinio importatum & permutatum olim eſſe. Experientia noſtrorum temporum Indiæ æs non detrahit, vt nec plumbum. Nec abſurdum putamus dicere ibi effodi orichalcum, & conflari, & importari. Sed quid illud ad Darianum? In eo, quod citaui, capite narrat Plinius Galliæ inuento ex ſtanno, & ære fieri incoctilia, adeo vt vix diſcerni queant ab argento. Quid ni talia incoctilia facta ſint etiam in India ad imitationem auri? Sic orichalcum Indiæ erit incoctile aureum, ψευδόχρυσος. At non illud æs Indicum Ariſtotelis. Vnicum argumentum pono. Lib.34.c.17.

Scribit *Anus loquax Guibertus* ſe habere cymbalam tinnientem, hoc eſt, crepitaculum ſphæricum ex orichalco Indico ſibi à Lopeſio donatum, cuius ſonum commendat mira ſuauitate, &

facilita-

facilitate, quali etiam conflant campanulas albas ex ære, & ſtanno ſeu plumbo albo. *Si tinnit iſtud crepitaculum, non poteſt eſſe Indicum æs illud, quod fuit materia poculorum Darij & Eſdræ.*

Ratio eſt: *quia aurum purum eſt ſurdum, nec vtile tinnitibus.* Si tinniit, iam non ſolo odore ab auro potuit diſtingui. Admones me prouerbii in hominem Garrulum: Archytæ crepitaculum, cuius explicationem tibi conuenientiſſimam lege in chiliadibus Eraſmi. In poſterum prouerbii loco dicemus: Lotharingicum crepitaculum. Audi anicula loquax & hoc vulgare: *Aurum purum*, Indicum præſertim, Arabicum, Vngaricum, &c. *in nummu mollicie probamus*, atque ideo in bracteis poculorum facile diſcernimus ab ære, & orichalco. Adeone fuerint imperiti Darii artifices vt hoc ſaltem iudicio non potuerint inter orichalcum, & aurum internoſcere? Quales fingimus aurifices Indos, qui alias ſubtilitate ingenii ſunt celebres? An ne iam quoque tibi perſuaderi patieris Æs iſtud Darianum non fuiſſe orichalcum? Eduardus Lopeſius Africanis prouinciis Congo, Sundi, & aliis tribuit varia metalla in quibus forte & orichalcum: Sed quod ab auro facile queat diſcerni. * Fortaſſis tuus Lopeſius inde ſuum crepitaculum aſportauit. Verum hunc non moror. Quod de *Funduribus* dicis, ſtultitiæ tuæ argumentum eſt inſigne. Quid enim *America Peruana ad Indiam* circa Indum fluuium? Quid ad ęs Indicum, & pocula Eſdræ, aut Darii? Num & illud Funduricum indiſcretum ab auro? Audi Scaligerum: *Scito in Funduribus*, inquit exercit. 88. *qui tractus eſt inter Mexicum, & Dariem, fodinas eſſe orichalci, quod nullo igni, nullis Hiſpanicis artibus hactenus liqueſcere potuit.* Hęc ille.

* *Cardanus lib. 17. de var. orichalcum ab auro diſcernit. 1. pondere quia aurum in pari maſſa longe grauius. 2. Sono. Nam aurum ſurdum eſt ad orichalcum. 3. colore, quia orichalci ſplendor non ita eſt viuax vt auri: & orichalcum auro affrictum colorem amittit nigratq; affrictu. 4. Eſt aſperius auro. 5. nõ flectitur facile (nec ſic dilatatur.) 6. aurum diu geſtatum non colorat; orichalcum colorat. 7. Ignis probat, qui orichalcum abſumit &c.*

An non ſit ferrum ære ruffo miſtum? Num adhuc perges Darianum metallum tuo orichalco æquiparare? *Alexander Sardus* in lib. 2. de rerum inuentoribus, orichalcum vult in India viſum, vel in fornacibus lapide ære mixto ab *Orio* quodam eſſe, vnde orichalcum ab hoc *Orio*, & non à monte, ὄρος, vt *Chabotius* & alii volunt, qui quaſi æs montanum diceres pronunciatum volunt. Sirach. cap. 47. verſ. 20. ſcribit Salomonem aurum collegiſſe ὡς κασσίτερον. Id latina verſio exponit: vt aurichalcum. Si hoc eſt, tempore Salomonis orichalcum fuit vulgare metallum, & non illud precioſum Darii.

Ad IX. Argumentum. Dato, æs illud cadorum *Darij* indiſcretum ab auro præter vnius odoris notam (æs enim halabile eſt, aurum non item) & poculorum *Eſdræ*; item æs Indicum colore aurum referens, orichalcum tenerum factitium ex ære & ſtanno Indico conflatum (noſtri ex cadmia caminaria, vel foſſili, & ære coquunt, cui ſi ſtannum adiiceres, campanarium egregie tinniens, cuiuſmodi forte fuit illud Lopeſii, redderes) fuiſſe, non nihil id iuuerit Alchymiam tranſmutatoriam aliorum metallorum in aurum. Ratio eſt, quia, Guiberto iudice, *orichalcum eſt metallum ſui generis*, ita ab ære diſtinctum vt ſtannum à plumbo, vt ſtatuendum ſit, Plinii ſententia in India æs quidem non naſci, veruntamen orichalcum foſſile produci. Hinc tranſmutatoria molliter ſequitur. *Si enim orichalcum factitium eſt diuerſa metalli ſpecies ab ære, idque conflatum ex ære, neceſſe eſt tranſmutatoriæ veritatem & antiquitatem à temporibus Monarchiæ Perſicæ ab anno mundi circiter 3500. ſeu temporibus Danielis, Eſdræ, Nehemiæ, Darij, Ariſtotelis, &c. comprobari.* Tranſmutatio enim eſt ſi vno deſtructo naſcitur aliud nobilius. *Eſt autem antecedens, vi dati. Ergo & conſequens.* At quæritur de aurifica. Attende. Aurum aut eſt vniuocum, aut æquiuocum, ſicut & generatio eſt, vel ſimplex, vel ſecundum quid. *Si cæteris omnibus notis æs Darianum excepto ſolo odore conuenit cum auro, aurum vniuocum fuit.* Neque enim tanti eſt odor, vt ſubſtantiam poſſit negare. Quod habet auri eſſentialia, id aurum eſt. Odor non eſt de eſſentia auri. Non itaque iudicium auri labefactat. Si vero orichalcum fuit adeo lucidum, tenerum, & aurea tinctura ſpectabile vt viſu non potuerit diſcerni, aurum fuit æquiuocum: vtrumque nimirum artis aurificæ argumentum excellens. Verum, ne contentioſi ſimus, iſta relinquantur.

Ex Guiberti ſententia tranſmutatoria probatur. Aurifica.

De loco ex ſacris tertio.

S. Ioannes Euangeliſta chymicus.

Robertus Vallenſis arripuit proſam *Adami à ſancto Victore* cantari ſolitam in Eccleſia Romana, in qua *S. Iohannes Euangeliſta dicitur gemmas fractas ſolidaſſe, & de virgis feciſſe aurum, atque ita pauperes ſubleuaſſe.* Eam ad aurificium chemicum applicauit non ſuo iudicio, ſed *Auicennæ* in lib. de anima, & *Vincentii* in ſpeculo naturali, ſcribentium *Euangeliſtam fuiſſe inter Chriſtianos artem chymicam exercentes.*

Lotharingica refutatio: Eſt mendacium: I in malam crucem. Si ita refutandum eſt, chymici inuertunt modum & de Guiberto ſic dicunt.

Quid ad hoc anus Lotharingica, ſeu *Lotharingicum crepitaculum Guibertus*? Negat vmbram veritatis eſſe in hoc figmento, & ſpeciem probabilitatis in mendacio: indeque inuehitur in Alchymiſtas, eosque vocat *ſycophantas, qui mendacia ſenſui communi obuia non vereantur ſpargere.* Tandem iubet ire in malam crucem. Hoc ſcilicet eſt refutare obiecta, dicere mendacium eſt. Atqui proſa illa dicit *gemmarum fragmenta fuiſſe ſolidata, & ex virgis factum aurum.* Quæritur qua arte, aut virtute? Adſunt duo teſtes quibus videtur chymica. Guibertus reſpondet; Eſt mendacium: Abeat Libauius cum Roberto in malam crucem. Egregius mos refutandi. At tu Lotharingicum crepitaculum, & anus veſana cum tuis næniis abi quod digna es.

Nos reſpondemus. 1. Ille locus non pertinet ad literas ſacras de quibus proponebat crepitaculum illud Lotharingicum.

2. Nihil is ad Libauium, qui non ſolet diuina eloquia temere miſcere diſputationibus Philoſophicis, præſertimque chymicis, quod tamen ſolenne eſt Paracelſiſtis, ſociis Guiberti per annos 40. & monachis ex papatu.

3. Diſtinguenda erat proſa. Aut enim chymia illa fuit naturalis, ſeu humanæ artis ſecundum naturam,

naturam, aut miraculoſa ex potentia diuina, ſi quidem hiſtoria eſt vera. Conſentaneum eſt Iohannem Euangeliſtam miraculoſe compegiſſe gemmas, & ex virgultis aurum feciſſe. Refert *Maiolus* tomo 1. canicularium colloq. 19. *Bonifacium Florentinum* Epiſcopum nepoti ſuo aurum ſubtraxiſſe clam, & dediſſe pauperibus. Id poſtea cum nepos requireret, in baſilica D. Virginis è cœlo recuperaſſe delapſum in veſtem expanſam: Idem feciſſe D. Benedictum: S. Iohannem quendam ære alieno oppreſſum iuſſiſſe ſtipulas colligere, quas oratione, & crucis ſigno in aurum vertetit. Miraculoſa eſt hæc Alchymia. Inde reſponſio peti debebat ad Roberti teſtes, & argumentum; non dicendum: Mendacium eſt: *Abi in rem malam*. In ignem Gehennæ tu ibis, Guiberte, cum mendaciis tuis, & homicidiis ſathanicis niſi conuerſus pœnitentiam egeris. Cæterum & alia loca produxit ex ſacris Robertus, ſuntque monachi ea in re frequentiſſimi cum Paracelſiſtis. Non ita pridem *Aſſyluanus* religioſe ſe perſuadere id nobis putabat: Henricus Künrath forma ſymboli complexus eſt artem. Quid hęc ad Libauium, qui polluere diuina eloquia humanis commentis ſemper abhorruit? Franciſcus Valleſius de ſacra Philoloph. cap. 49. explicans locum Iobi cap. 28. non tam naturalem æris ortum ibi deſcribi putat quam chymicum. Si hoc Libanius dixiſſet, ad quas cruces non amandaretur?

Deliramenta Guiberti ex cap. 4. tractatus 1.

1. PAg. 23. *Libauium vocat coryphæum patronorum impiorum, & temerariorum, non verentium Alchymiæ antiquitatem & veritatem ſacrarum literarum monumentis comprobare.* Anus futiolæ crepitaculum auditis. Quando ſcientiam ex vetuſtate inquirimus, aut materialiter id facimus, aut materialiter & formaliter ſimul. Nam vt Logici elenchi & analytica Ariſtotelis ante ipſum non extabant formaliter, ſed tantum exemplariter in autorum ſcriptis, ex quibus ars ipſa poterat colligi, ſicut ſi quis ſutoriæ præcepta conderet non conſcriptis ſutorum regulis, ſed inſpectis calceis affabre conſutis: ita fit & in Alchymia. Quicquid ei eſſentiale extat apud priſcos, cur id non colligatur, & in artem cogatur? Ita repetiuit Libauius artem chemicam, ſeu fuſoriam à *Tubalcaino*, de quo in ſacris extat quod fuerit *faber ærarius & ferrarius*, qui ſine fuſoria artificioſa eſſe non potuit. Pertinere vero ad eſſentiam Alchymiæ *fuſoriam*, hoc eſt chemiam Geberus docet, & ars ipſa fundendi, excoquendi, conflandi, miſcendi, probandique metalla ingenioſior ſemper fuit chymicorum, quanquam prima rudimenta extiterint tenuia, & opifices mechanici accepta à chymicis inſtructione eam craſſa mineruа exercuerint, & adhuc aliquibus in locis exerceant.

Nullibi tamen Libauius chryſopœam ſacris ſic immiſcuit vt Paracelſici, & monachi ſolent. De poculis Eſdræ diſſeruit coniecturaliter. In cæteris contentus fuit non poſſe ex oraculis, aut hiſtoriis ſacris contrarium chymiæ demonſtrari. Et tamen rabida illa beſtia Guibertus audet Libauio coryphæatum in impietate, & temeritate monaſtica, & Paracelſica tribuere? Hem impudentiam.

2. Eadem pag. *Veritatem Alchymiæ vocat vanitatem* homo vaniſſimus. Hoc nobis argumentum eſt artis verę, quia eam vanam vocant vaniſſimi.

3. Alchymiſtas ſcribit contendere Eſdram per paucum puluerem Alchymiæ meminiſſe, & ob id in eos furit. Non ſi vnus, aut alter id facit, omnes faciunt. Cur inſanis in omnes Nebulo? Deinde ſit ille puluis ex quo aurum naſcitur, non chymicus ſed naturalis; non nullam tranſmutationem probat. Generationem enim naturalem auri declarat, & ex conſequente artem confirmat. Nam ea imitari naturam poteſt. Si itaque chymici adhiberent locum ad artificii ſui autoritatem, non delirarent.

4. Quam mirifice vero luctatur Guibertus in pulueris ſignificatione declaranda? Pag. 24. *Eſt terra pauca auri collectoribus obuia, ex qua aurum excoquatur.* Hic neceſſe eſt aliud terram eſſe, vtpote materiam ex qua, aliud aurum ex terra per artem excoctoriam confectum.

Puluis Eſdræ ſcandalum Guiberti.

Alias ſi terra iam actu eſt aurum, non fit ex ea aurum. Quod iam eſt, non fit. Idem dicitur pag. 25. vbi naturalis auri ex terræ puluere productio, & genuina ſignificatio pulueris, qualis eſt apud Horat. *Puluis ſumus*; Et in ſacris; *Puluis es, & in puluerem reuerteris, &c.*

Hoc intereſt quod pag. 24. artificialis excoctio ponatur, ſed pag. 25. naturalis generatio, quæ eſt *ex non ente ad ens motus*. Vtrobique eſt tranſmutatio. Verum illud *Lotharingicum crepitaculum* non ſemper crepat idem. Nam paucis lineis interiectis puluerem explicat *de puluiſculis fluuiorum aurum continentibus*. At ô mirifice diſputator, iſta non eſt genuina ſignificatio pulueris, nec nos aut facti, aut ſumus ex tali puluere. Quid hic opus productione naturali, aut excoctione? Tu ipſe dicis ſeparare collectores, eluere, & in fuſoria fornace colliquare.

Ridiculum eſt ſic aurum & argentum nihil aliud quam puluerem dici, quaſi nulla alia forma inueniretur quam pulueris. At tu lege *Maiolij caniculares* tom. 1. colloq. 19. Et *Iobum* cap. 28. Aurum, & argentum in lib. ſapientiæ arenæ, & luto comparantur ad ſapientiam, ſed non ideo ſunt lutum & arena in ſua natura. Et eſt ſane vtrumq; corruptibile, & talia habet primordia. Vide Ezech. 7. ℣. 19. Iac. 5. ℣. 3.

Rurſus pag. 26. modo puluis Eſdræ eſt aurum in fluuiis vel fodinis inuentum quaſi puluis: modo eſt materia ex qua aurum fit. Eſt aurum, non eſt aurum. Ita calidum & frigidum ex hoc tintinnabulo adulterini orichalci ſimul proflatur. Quid tandem erit puluis ille Angeli? Fruſtra petimus reſponſum à Guiberto qui in eo angulo Galliæ ſe habitare dicit *vbi nihil eſt laudabilium ſtudiorum. Hæreat ergo in illaudabili luto.*

5. Genuina

5. *Genuina ſignificatio pulueris apud Grammaticos, tum apud omnes doctos ſignificat terram minutam & aridam*, inquit pag. 25. Colligo hinc: *At aliquoties Guibertus ſcribit in eodem diſcurſu ſignificare puluerem aureum, ſeu aurum forma pulueris. Aurum non eſt terra. Eſdras ergo nec doctus eſt, nec Grammaticus.* An vero non eſt genuina ſignificatio cum dico puluis pyrius, puluis alcool in pharmacopolíis, puluis Haly, puluis Epilepticus, &c. Sane ex puluere Deus fecit corpus Adami, qui & terra dicitur. Sed non is ſolus eſt puluis.

Medicina chymica, de qua blaterat ſtultus ſibi ignota, formalior quidem eſt, ſed interim etiam aliqua pars materiæ.

6. Argumentum magni ingenii eſt pag. 26. Puluis Eſdræ non eſt puluis aurificus chymiſtarum: Argumento, quia Eſdræ puluis eſt materia ex qua; Alchymiſtarum eſt cauſa efficiens. Reſpondeat Ariſtoteles 1. de part. an. 1. *Semen bifariam accipitur, ex quo, & cuius.* Nam & à quo deceſſit eius ſemen eſt, & eius quod ex illo futurum eſt, &c. Elixyr Philoſophorum & pars materiæ eſt, & cauſa efficiens ſimul.

Mendacium euidens Guiberti.

7. Pag. 27. *Libauio tribuit quod ex loco Eſdræ de duobus vaſis Darianis collegerit abſque dubio illa fuiſſe opere chymico conflata, & ex ære aurum factum. Aliquoties etiam dicit id contendere Libauium.* Sed homo impudens turpiter in publico mentiri non erubeſcit. Ego enim nihil affirmate dixi, ſed tantum dubitatiue per figuram communicationis. Inſpiciatur locus ipſe. An autem temere ſaltem dubitauerim, argumenta ſuperius adducta patefaciunt.

8. Eſdræ verba pag. 27. ita exponit, quaſi dixiſſet: *Vaſa ad ſimilitudinem auri quo ad colorem acceſſiſſe. Ita & pag. 28.* Egregium ſane interpretem. Verba Eſdræ: *Vaſa æris fulgentis optimi duo pulchra vt aurum.*

Vide ſupra ex Ebræo, & Græco textu adducta. Non facit mentionem coloris aurei Eſdras. Cum autem Ariſtoteles de cadis Darianis ſcripſerit nullo argumento præter odorem ab auro diſtuliſſe, patet non de ſolo colore loqui Eſdran, cuius ſermo non eſt de aliis poculis, conueniente rege *Dario*, re ipſa, & tempore. Diſcat ignauus Guibertus cum tota caterua ſtultorum antichymicorum Eſdram non ſic SENSVISSE: (Ita loquitur pag. 27.) Non certe foret res magnæ admirationis, ſi tantum colore ad aurum acceſſiſſet, cæteris notis diſſentiens. Quid enim habuiſſet à vulgari, ſeu plebeio orichalco diuerſum, quod vetuſtati fuit notiſſimum? Plato quidem in Critia de Atlantica inſula fabulatur ὅτι ἐκεῖ ὑπὸ μεταλλείας ὀρυττόμενα στερεὰ καὶ ὅσα τηκτὰ γίγνεται. καὶ τὸ νῦν ὀνομαζόμενον τότε δὲ πλέον ὀνομαστὸν ἦν τὸ γένος ἐκ γῆς ὀρυττόμενον ὀρειχάλκον κατὰ τόπους πολλοὺς τῆς νήσου πλὴν χρυσοῦ τιμιώτατον ἐν τοῖς τότε ὄν, &c. Orichalcum foſſile, cuius ſuo tempore tantum nomen reliquum fuerit, precioſiſſimum, excepto auro metallorum fuiſſe dicit; vnde fortaſſe Plinius commendationem ſui orichalci natiui ſumſit. In Timæo proximum auro æs (χαλκός) ponitur, diciturque id plures habere ſpecies, eo nomine argentum, & omnia imperfecta metalla complectendo.

Ad ferulam grammaticã.

Antiquum fuiſſe orichalcum apparet etiam ex *Argonauticis Apollonij, & Plauto*: quod proculdubio artificiale fuit. *Valleſius* cap. 49. Philoſ. ſacræ aurichalcum vocat æs miſtura quarundam rerum tinctum, quod quidam Platonici Veneri aſſcripſerint. *Bodinus* in Theatri naturæ lib. 2. cuprum flauum, æris nimirum, & calaminæ luteæ miſturam, adiecto vitreo puluere appellat.

Ariſtoteles ab ære Indico ſeiungit. *Interpres Siracidis* Paleſtinæ valde vile, & multum eſſe putauit, & eſt ſane hodieque in India Orichalcum admodum copioſum, & parui precii.

Itaque & aurum eo adulterant, tanquam longe viliore; quod & *Ciceroni* non fuit ignotum. Si ergo cum *Atlantica inſula* orichalcum iſtud, quod *Plato* poſt aurum precioſiſſimum credidit, periit, nec in *Mexico* aliud inuenitur niſi quod *Scaliger* & *Guibertus Funduribus* effodi tradunt, nihil memorabile *Eſdras* in templum Solymitanum ex *Babylonia & Perſia* intulit, ſi pocula ex orichalco tantum colore affinia auro aſportauit. Atqui vt rem magni precii deſcribit.

Guiberto defuerunt perſpicilia, cum *Ariſtotelis* textum, & *Libauii* explicationem legit. Ego non ad prius æs Indicum reſpexi, ſed ad poſterius Darianum. Iiſdem oculis Plinium intuitus eſt de pluribus locis effoſſi orichalci. Cardanus lib. 6. ſub. ex Cælio notat Ariſtotelem in lib. de arcanis dixiſſe orichalcum nuſquam effodi. Sæpe chymicos nominat *occæcatos*, ipſe Thamyra cæcior præ mera inſcitia & rabie: chymici veri ſunt oculatiſſimi.

Orichalcum nobile.

9. *Æs & orichalcum non ſunt idem*, inquit pag. 29. *ſed non ſecus diſtinguuntur quam ſtannum & plumbum.* Et pag. 30. natura voluit *orichalcum conſtituere inter æs & aurum tanquam extrema*: argumento eſt crepitaculum Lotharingicum ex fodinis Indiæ Orientalis, niſi *mentitur tam Guibertus quam Lopes.* Committo hominem fatuum cum *Bodino & Valleſio.* Addo *Cardanum*, qui antiquum eſſe, & arte fieri tradit. Nobiliſſimum, & auro par pulcritudine docet *conflare ex lapide calaminari* (magneſiam vocat) *argento, cupro, vel ære addito ſæpius vitro, vt & magneſia.* Aliud habet *ex albo plumbo, cadmia* (caminaria) *& ære vulgari.* Plebeium tantum conſtat quatuor partibus æris, & quinta lapidis calaminaris, ſeu cadmiæ foſſilis, aut caminariæ. Opponerem Guiberto etiam *Agricolam* de foſſili orichalco, non autem de factitio, niſi is dubitaret an vnquam fuiſſet lib. 1. de nat. foſſ. cap. 21. *Bruno Seidelius* lib. 2. Philoſ. nat. cap. 6. Orichalcum eiuſdem cum ære naturæ facit, tantum differens maiori coctione caloris. Addit *æs cyprium colatum, & purificatum vocari orichalcum*: alios ſic vocare miſtum metallum *ex ære & auro* naturali concretione, admiſta parte argenti (tales fiunt aurei nummi, cum auro rubrum, & album, id eſt, æs & argentum adduntur, ſed hi nummi ideo non ſunt precioſiores, aut æque precioſi puro auro.) De *Matheſio* & aliis pluribus nihil dicam.

Aliud orichalcum.

Crepitaculo Lotharingico, & anui loquaciſſimæ iuxta ac ſtolidiſſimæ Guib. nihil aliud dico, quam

chymicos

hymicos non curare, ſiue orichalcum velit differre eſſentia, ſiue accidentibus à cœteris metallis. Notum enim eſt ipſis quod facile mutentur medicaminibus tranſmutenturque & reducantur, etiã poſtquam in fauillam, lapidem, vitrum, & aquam ſunt redacta, licet non æqualiter. Quæſtio num orichalcum & æs ſic differant vt plumbum nigrum & candidum, ita vt æs ſit cuprum rubrum, ſeu puniceum (ſanguineum, fuluum, nigrum, aliqua etiam aureum) ſed orichalcum æs citrinum, flauum, croceum &c. Item vt ex duobus extremis, ære, & auro, per commiſtionem factum ſit tertium, ſcilicet orichalcum foſſile, longe eſt vltra caprum vetulæ iſtius ſtupidæ, & crepitaculi Lotharingici Guiberti. Plura ſunt vtrobique conſideranda quam color externus. Ludamus pauliſper quaſi *par impar*. Primum, *ſic differunt æs & orichalcum vt ſtannum, & plumbum.* Si hoc verum eſt, genere æris vtrumque continetur. cumque Plinius ſcribat ſuo tempore æs Indiæ foris afferri, non naſci in ea, conſequens erit nec orichalcum in ea effoſſum priſcis temporibus eſſe, atque ita æs Indicum *Darii* non potuiſſe æs patrium, & orichalcum natiuum eſſe, ſed aliunde importatum, aut ex importato ære orichalcum per artem factum, quod tamen *crepitaculum Lotharingicum* negat. Secundo, non different accidentibus, ſed eſſentia ipſa ſicut ſtannum, & plumbum: aut ſi accidentibus illa, etiam hæc. Tertio, erunt tranſmutabilia ſicut ſtannum & plumbum, atque ideo non erit naturæ, & arti impoſſibilis metaſchematiſtice. Sicut etiam ſola lotione chymica poteſt ex plumbo fieri ſtannum: ita ex ære orichalcum. Sed non ſecemus omnia ad viuum.

Differentia æris & orichalci.

Luditur vetula Guibertus.

Secundo: Si aurum & æs ſunt duo extrema orichalci, temeraria eſt diſputatio de ſtanno, & plumbo. Nam *orichalcum* altera parte erit perfectum, altera imperfectum, quod experientia refutat in eo quod orichalcum dicimus.

Num Sol & Venus ſint partes miſtionis orichalci

2. Imo ne orichalcum quidem erit. Si enim dominatur, aut par eſt aurum, dicitur aurum æratum: Plinio æs Corinthium primæ notæ: Si excellit æs, vocatur æs auratum.

3. Aqua cauſtica, & cementa acria non totum conſument orichalcum, ſed aurum relinquent vt factum in factitio æquiuoco auro apud *Suchthenium*. Omnino quo modo verum erit Ariſtotelis ἄκυτμα, *quod nulla nota diſtingui poſſit ab auro niſi ſolo odore*? Quæ etiam fit miſtura ex plumbi nigri & candidi paribus, aut quacunque alia proportione, ea fiet ex auro, & ære miſto. Verum, vt Ariſtot. loquitur, puerile eſt ad fatua multa dicere.

TRACT. I. CAP. V. & VI.

CApite quinto cum laruis luctatur, & multum crepitum inanem facit crepitaculum Lotharingicum Guibertus. Ecquæ res eſt? Inter Sibyllinos verſus leguntur quidam quos *Cardanus* lib. 10. de varietate, recenſet: ἐννέα γράμματ' ἔχω &c. Res deſcribitur cabala nouem literarum Græcarum, ſyllabarum quatuor quarum tres priores ſingulæ habeant literas duas: quarta tres, ita vt quinque ſint mutæ (ἄφωνα: Ita dicuntur π, κ, τ, β, γ, δ, φ, χ, θ. Conſonantes in genere alii accipiunt) Ex literis debet colligi numerus neſcio quis. Cardanus ponit 370. Sed verba requirunt ἑκατοντάδες δὶς ὀκτώ, καὶ τρεῖς, τρεῖς δεκάδες σὺν ἑπτά: Sedecim centenarii & tres, cum tribus decadibus, & ſeptem, ſi diſtinctio eſt iuſta, faciunt 1937. *Auratus Gallus* 1692. elicuit pro ſeptem duo legens. Verum nos non laborabimus in iſta perplexitate. Illuſtris *Emarus Ranconetus* præſes Lutetianus voluit deſignari ἀρσενικόν. Hoc enim putauit eſſe lapidis ſapientum materiam. Contra huius *Ranconeti* Computum arma ridicule ſumit *Guibertus*, negans *Arſenicum, aut lapidem philoſophorum à Sibylla deſignari*. Arbitratur autem eſſe oraculum Dei ad *Noam* (Eius vxorem aliqui Sibyllis accenſent) ad ſignificandum, nomen ſuum admirabile in myſteriis iſtorum verſuum latitare. Hæc eſt materia pugnæ à parte Guiberti caniculæ tam rabioſæ, quaſi certamen eſſet de bono animæ, & corporis. Alii verſus:

De cabaliſtico exemplo in quo Guibertus non magis ſapit quã Aſinus in Lyra.

Guiberti ſagacitas in oraculis.

Eſt genus Entis quod conſtat ſex Elementis
Cui P ſi addideris, S in M bene vertere ſi ſcis.
Hoc æs eſt noſtrum, conſtanſque aqua philoſophorum.

Eſt genu' mirum Entis &c. vel Artus eſt hominis quem ſex tenuere figuræ &c.

Dicas Lumbus: mutatione quæſita fit plumbum. Id philoſophorum eſt Magneſia, & Antimoniũ. Si hoc audiret crepitaculum Lotharingicum Guibertus, capitalẽ dicam ſcriberet. Sed finite inſanire anum iſtam, quæ quadraginta annos cum impoſtoribus conſumſit, nec dum ſapere didicit. *Priſcianum* pag 35. numero *trecentorum ſeptuagintorum* fœde vulnerat, vbi etiã Græcis literã latinã C aſſcribit pro κ (adeo neſcit Græce) pag. 37. quidam varia Dei nomina in digitos miſerunt, at REPERIERVNT quæ cum literarum ratione conſentirent, à numero vero diſcreparent. pag. 40. *Ranconetus* coactus eſt necem ſibi CONSCIVERE, contra *Cardani* Genethliacum: Et ſic bene confutauimus Alchymiſtas. ô hominem virgis ſcholaſticis dignum.

Guibertus in Græcis, & Latinis pudende peccat.

TRACT. I. CAP. VI.

IN hoc furit (ſeu, vt Cymbalæ verba reſpondeant Tinnit, crepitatque) contra eos qui negant artem ex libris diſci poſſe, ſed reuelatione diuina opus eſſe contendunt. Itaque ſe opponit *Gebro* ſcribenti *Alchymiæ ſcientiam non eſſe niſi perfectam inſpirationem diuinam, & arcanum Dei glorioſi, qui eam largitur, & ſubtrahit cui vult.* Qui aliter lapidem ſe inuenturum confidit, eum egregie inſanire tradunt ſapientes. Argumenta *Guiberti* aduerſantia.

An ars poſſit ex libris diſci vel reuelatione diuina.

1. *Quæ ad dæmonum impoſturas referenda ſunt, non ſunt tribuenda diuinæ reuelationi. Ars chymica,* quam vocat dogmata vana, & impia, *referenda eſt ad impoſturas dæmonum. Ergo.* Minor probatur: *Reimundus* enim, *Rupeſciſſa*, & alii decepti fuerunt à Diabolo: Et ſic de libris iudicat pag. 45. quod non niſi à Dæmone patre mendaciorum ſint inſufflati.

Contra diuinam reuelationem.

2. *Ne homine quidem inuentore digna eſt Alchymia: multo minus Deo.* Antecedens probatur: qui vana, falſa, ridicula, repugnans diuinis literis, & principiis omnium verarum doctrinarum.

Adferulam. 3. *Si alchymia non eſt niſi inſpiratio diuina, fruſtra tot libri ſunt editi à chymiſtis. Prius eſt. Ergo & poſteri us.* Connexum probatur: quia nemo *AVDERIT* aſſerere certam, & determinatam fuiſſe intentionem ſcribentium, niſi actu iam illam habeat, aut iuxta ſit: Item tempus periit: temere ænigmata tot ſunt conficta quæ ignorantiæ potius, quam notitiæ ſunt argumenta. Repetitur pag. 44. Deus enim etiam ſine libris poteſt reuelare: quos negat intelligi ne quidem à ſuis ſcriptoribus &c. Vide & pag. 45. quam inſaniat in libros chymicos.

4. *Si per reuelationem cognoſceretur, omnes qui ſibi artem arrogant, eam à Deo accepiſſent. At hoc impoſſibile*: *Quia omnes fere ſunt pagani*, idololatræ, Saraceni, Mahometiſtæ, Magi, Necromantici, & *Diabolici viri*: nec credibile eſt ab iſtis impuriſſimis ad nos Chriſtianos Dei filios manaſſe. Ergo. Obiectio: At *Hoghelandæus eis aliquam pietatem tribuit* Reſp. Sunt prodigioſa ineptiſſimarum blaſphemiarum mendacia. Nam iſti non potuerunt colere pietatem, quæ eſt penes membra Chriſti, non vaſa Diaboli.

5. Pag. 48. *Deliria ſunt hominum. Ergo non reuelationes diuinæ.* Antecedens probat librorum perplexitate, additque neminem, niſi tardiſſimum, id non intelligere.

6. *Si Alchymia ex reuelatione eſt, etiam aliæ ſcientiæ. At hæ ingenio poſteriorum ſunt excogitatæ, & conſummatæ ſtudio.* pag. 46. Ergo.

7. *Deus fruſtra reuelaſſet*: Quia voluit propagationis metallorum modum iſtum eſſe occultum, & impoſſibilis eſt iſtius modi cognitio. *At Deus, & natura nihil fruſtra faciunt.* Ergo.

Ita finitur tractatus primus.

Reſponſio.

AD thema de Reuelatione diuina quod attinet, ſciendum eſt, eam eſſe duplicem, *immediatam & mediatam.* Sunt qui precentur ſibi per angelos, aut modo aliquo prophetico manifeſtari artem, vt in libro qui Arbatel inſcribitur, eſt videre. Hos contra Dei voluntatē precari nullum eſt dubium. Deus enim hominibus bona confert modo ordinario, ſi ſunt ex eo genere, quod ad ſecularem vitam pertinet. Ordinarii vero modi ſunt imploratio auxilii diuini, & ſapientiæ rogatio ad exemplum Salomonis, quod iubemur etiā mandato diuino facere. Iacobi 1. verſ. 5. Luc. 11. v. 9. 10. 13. Hoc primum. Deinde ſuccedunt in ſcientiis *naturæ aptitudo, diſciplina per Magiſtros* ſiue vocales, ſiue mutos, & alia adminicula quæ Deus petentibus ſummittit. Eſt autem etiam laborandū iuxta illud: εὐχῇ καὶ πόνῳ. Deus labore hominib. vendit bona, & meditatio opus præcedere debet. *Quærendum primum regnum Dei*, & cœtera adiiciuntur, ſi ſecundum Dei voluntatē petantur. Multi ſunt qui putant Magiſterium lapidis philoſophici eſſe quoddā opificium, quod miſcere & exercere quilibet Carbonarius poſſit. Non ita. *Acutiſſimi ſolertiſſimiq́ꝫ naturæ contemplatoris eſt, qui etiā in ipſa aggreſſione operis ſit attentus, & circumſpectus.* Nam propter materiæ mutabilitatem facile euenire poteſt erratum. Itaq; & qui ſemel feliciter opus conſummarunt non omnes id ſecundo, tertiove potuerunt perficere. *Vbi cauſæ plures ſunt neceſſario coniunctæ, temerarium eſt ſolitarias aſſumere.* Poſſet Deus quidem reuelare artem, & promouere quam facillime: Sed nullibi promiſſionem ſecundum voluntatem habemus. Cui eam vult concedere, eius mentem aperit, vt ſcripta intelligat, aut Magiſtris, artificibusq; ipſum iungit, à quibus oculari intuitu, & manuum operatione diſcat. Alios docet naturæ poteſtatem per ſedulam contemplationem, & cognitionem naturæ, tractationiſque metallorum. Inde euenit vt quidam dū in mineralibus ſe exercerent, & in eorum naturā inquirerent, agentiaq; patientibus debita debitis applicarent, in artē inciderent, qua naturam imitari, aut etiam corrigere didicerunt. Alii viua voce, & magiſterio ſunt docti, alii ſtudio, labore, & libris ſunt adiuti. Dei reuelatio poteſt fieri per varia. His præmiſſis facile eſt reſpondere ad Guiberti obiecta.

Reuelatio diuina.

Ordinaria diſciplina.

Ad 1. Aſſumtio eſt falſa. Quæ de arte dicuntur, contumeliæ ſunt, non argumenta. Dogmata enim Alchemiæ hermeticæ homogenea, omnia ſunt naturæ ſtatuta, & rationis, experientiæq; decreta. Opus autem hic eſt diligente heterogeneorum ab homogeneis ſeparatione, quam qui inſtituere nequit, is ab arte abſtineto. Proſyllogiſmus minoris calumnia eſt & conuitium tum in artifices, tum libros. Hos à Diabolo inſufflatos, ſi veri ſint philoſophi (Delectus enim eſt habendus, & impoſtorii à genuinis diſcernendi) non eſſe, patet, quia Dei honorem, & amorem proximi, publicamq; ſalutem ſibi propoſita habent: Deinde naturæ principiis artificia declarant, firmantq; quæ non ſunt opera Diaboli. Docent præterea quibus argumentis iuſta opera ſint probanda, & monēt ne falſis proceſſib. adulterinis medicaminibus & prauis opinionibus decipiamur, vt videre eſt in Gebri, Bernhardi & ſimilium ſcriptis. Qui non faciunt opera & deſideria Diaboli, non ſunt Diabolici. Philoſophi chymici veri nō faciunt &c. Ergo &c. Ad 2. Antecedens eſt falſum. Probatio eius eſt Calumnia Diabolica, non argumentum. Crepitaculum iſtud Lotharingicum pro ſuo furore quiduis effutit, & ſicubi ſuccurrit verbum maledicum id ſine fronte, & iudicio ingerit. *Diuinis literis minime aduerſatur chymia hermetica, quæ pro fundamento vtitur diuina veritate in natura*: *neq́ꝫ principiis verarum doctrinarum repugnat, ſed tum ſubalterna eſt Logicæ & phyſicæ, tum ſua habet principia ex natura elementorum & miſtorum petita*, vt in præmiſſis indicauimus.

Ad 3. Aſſumtio peccat elencho diuiſorum, & coniunctorum, item æquiuocationis. Non ſola Dei reuelatione conſtat diſciplina in modo ordinario. Vult Deus vt media licita, & præordinata non cōtemnātur. Quam etiam inſpirationē intelligimus & ſtatuimus, non eſt talis, qui ſe ipſe à Sa-

à Sathana accipit, dum conuitiatur, calumniatur mentitur &c. Sed eſt *directio quædam & benedictio diuina qua nos Deus ſedulo rogatus ducit per præcepta, & rationes, operaque vera, noſtroque labori benedicit.* De libris inſaniam ſpumat. Qui genuini ſunt, ſuum dicendi morem obſeruant, ſicut & aliæ diſciplinæ. Hunc Guibertus non intelligit, quia donum intelligentiæ à Deo non habet. Cur miſcuerint autores multa heterogenea, non deſunt certæ rationes. Si poſſet ille homogenea capere, & naturæ operibus, conſtantiaque æſtimare, facile ſegregaret aliena. Sed crepitaculum iſtud non aliter tinnit. Fruſtra fiunt verba ſtulto. Ridiculum eſt Dei potentiam ſolam adducere. Hoc argumento quid non poſſit dici? *Voluntatem quoque adeſſe neceſſe eſt.* Ita potuiſſet Deus Guibertum vel per ſomnum docere artem, ſed noluit eam indigno cani, & porco obiicere, cumq; verſaretur cum impoſtoribus, nec vera via incederet, quadraginta annis temere perditis, tandẽ in rabiem contra artẽ cum fiuit prolabi, datum in reprobum ſenſum, donec menſura impleta pœnam attrahat.

Libri chymici.

Dei potentia.

Finis ſtudiorum chym. Guiberti rabies.

Ad 4. Aſſumtio eſt falſa. Probationis loco horribilis calumnia ponitur. Si omnes fere ſunt *viri Diabolici*, quo referendi ſunt tot *Monachi ſanctiſſimi* qui artem profeſſi ſunt, & in ſuis cœnobiis exercuerunt, atque etiam deſcripſerunt? Deinde *non ſi alieni fuerunt aliqui à populo Dei, per eos Deus nihil boni eſt operatus, qui cum ſolem ſuum mittat bonis & malis, huiusq; vitæ commodis etiam impios donet, artẽ hanc quibus voluit non inuidit.* Eſt autẽ hoc argumentum ſatis puerile, & pridem ferulis ex ſcholis exactũ. Quid enim dicemus de philoſophis, poetis, oratoribuſque Ethnicis? Quid de ſtupendorum operum architectis mechanicis? Quid de muſicis, Geometris, Arithmeticis, Aſtronomis &c. Crepitaculum Iudicum habet Guibertus. Id fors Diaboli in India cultor conflauit. Num ideo ars ipſa Diabolica? Incredibile putat Deum Chriſtianis benefacere per impuras gentes: Et tamen fecit, & adhuc facit. Num etiam id non eſt credendum quod in oculis eſt omnium? Iudam proditorem Chriſtus vocabat Sathanam. At per eum prædicabat, & mira faciebat. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. 8. verſ. 28. Ierem. 29. verſ. 7. orate pro ciuitate ad quam tranſmigrare vos feci: Quia in pace illius erit pax vobis.

Anchymiſtæ Diabolici viri.

Matth. 5. verſ. 45.

Ioh. 6. 71. Ex vobis vnus Diabolus eſt.

Ad obiectionem ex Hoghelandæo quod attinet, conſulat ſuum Gretſerum de vi Legis naturæ, an non putet aliquos extra Eccleſiam pios, bonoſque viros fuiſſe, & per legem naturæ ſaluatos. Si legimus ſcripta Geberi, & aliorum verorum artificum, eos ad Deum referre ſapientiam, & artem videmus, idque aliter non habet. Nam *omne bonum perfectum eſt à patre luminum, qui dat omnibus ſimpliciter, & ſine improperio.* Ita loquitur & Plato, qui *Dei famam in artibus ſparſam* eſſe agnouit. præcipuamque in vita virtutem putauit *Sanctimoniam, Iuſtitiam, Sapientiam, Veritatem &c.* quibus Dei amici poſſimus euadere. Inde *S. Paulus* non timuit etiam gentium ſententias citare. De Auicenna ex Sorſano: Fuit Auicenna vir religioſiſſimus, miſericors, iuſtus, iucundus, & timens Deũ, gratias illi in omnibus ſemper agendo, & eius auxilium continuo implorando &c. Mihi quidem cum Papiſtarum opinione de gentibus extra Eccleſiam nõ conuenit: Guiberto videndum eſt quo modo ſe à ſuis Gheſuitulis expediat: Veruntamen quid de Ethnicorum heroicis, & politicis virtutibus ſentiendum ſit, placeantne Deo, & quatenus, & num ab eodem aliquã remunerationem accipiant in hac vita, anus Lotharingica Guibertus diſcere poterat ex commentariis Theologorum, & Ethnicorum, niſi quauis beſtia eſſet ſtupidior, & vel fucis ignauior.

Ad 5. Antecedens eſt hominis delirantis, Deus reuelat multis hominibus ſua bona ordinariis modis, & per ea benefacit nobis. Qui ea hominibus principaliter aſſcribit, & deliria vocat, is ſapientiam Dei in ſtultitiam vertit. Væ tali. Probatio antecedentis eſt hominis ſtulti, qui quod nõ intelligit, vituperat. Libri philoſophici ſunt ſcripti in myſterio his qui ſunt initiati ſacris chymicis, & quorum mentem Deus aperit vt intelligant. Guibertum non intelligere magiſtrorum ſapientum libros non eſt mirum. Quadraginta enim annos conſumſit inter impoſtores. Deinde Libauii neq; latinitatem, neq; Græcas literas intelligit, quæ tamen minime ſunt perplexæ. Tertio in eo loco dixit ſe eſſe *in quo nihil eſt laudabilium ſtudiorum.* Ablegetur ergo ad haram Circes, & cum porcis ſuis grunniat, cumque pecore Arcadico rudat, cum latrantibus latret &c. Quid canis in ſacro?

Ad 6. Aſſumtio fallit à dicto ſecundum quid Elencho. Deus dat hominibus bona ſua per media ordinaria. An vero putat iſte impius quod ingenium, induſtria, felicitas laboris, & ſimilia non ſint Dei dona? Tales libros ſcribere quales ipſe, ſane longe abeſt à diuina ſuggeſtione. Sapiunt enim patrem homicidiorum, & mendaciorum Diabolum. At tales non ſcripſerunt ſapientes chymicorum diuinæ bonitatis radio illuſtres.

Regni literarii in Lotharingia ſpecimen eſt Guiberti ſcriptio.

Ad 7. *Si impoſſibilis eſt cognitio metallificii, & Deus voluit occultum eſſe modum propagationis metallorum, non reuelauit.* Si enim reuelaſſet, fruſtra reuelaſſet, quod Deo non eſt tribuendum. *Prius eſt. Ergo & poſterius.* Reſp. Nihil ſtultius eſt hac anili inſipientia. Vnde probare poteſt ille fatuus Deum occultam velle tranſmutationis rationem, cum ipſe metalla talia fecerit, & hominum arti ſubiecerit? Quo argumento docebit impoſſibilem eſſe cum facili arte ex ferro æs fiat? An non ſunt generabilia, & corruptibilia metalla? Si Deus releuaſſet, hoc ipſo, quia reuelaſſet, nec fruſtra feciſſet quid, nec occultam voluiſſet eſſe propagationem. Audiamus ſaltem quaſdam hiſtorias propagationis. Ita ſcribit Martyr Decad. 3. lib. 8. *In Hiſpaniola prouincia Cotoy ex montium fiſſuris enaſcitur arbor aurea ſtemmate, & ramis. Inter venas montium naſcitur aurum purum vt arbor fiſſilis in medio ſecundum medullam &c.* Idem reponit Maiolius Colloq. 19. Tom. 1. canicul. Confirmatur hiſtoria Pannonica. *In Pannonia ad vrbem Firmicum iuxta vites capreoli vere aurei ſurgunt, ex iisq; ibi cauſa moneta egregia eſt* Oculatos teſtes adducit *Fulgoſus* lib. 1. cap. 6. *Fabricius* ex 4. Genialium dierum *Alexandri Neapolitani*: *Certis & fide dignis autoribus comperit ille Alexander in citeriore Germania intra Danubium vites exiſtere, quæ claniculos, & plerumque candicantia folia ex auro puro germinant, quæ regibus, & ſummis ducibus dono ſunt data &c.* Ariſt.

Hiſtoriæ propagationis metallorum.

Conſaluus Ferdinandus de imperfecto aur. Card lib. 6. ſubtil.

in mirabilibus in Macedonia aurum defoſſum creuiſſe indicat: Item: in Macedonia metalla ſunt, *quorum fruſta augeri, aurumq; producere aiunt re omnibus perſpicua. Ferrum renaſci in Inſula Palmoſa circa oram Tuſciæ, & in Sardinia Maiolius* annotauit, idemque in Lygiis fieri ſcribunt. *Plinius* lib. 34. cap. 4. *in Cappadocia dubitari ait aquæ an terræ debeatur. Kentmannus* tradit ex ferri recrementis in cumulos diuiſis, ſeu aggeribus antiquis denuo excoqui ferrum: (auß alten Sinder hallen) *Agricola* lib. 5. de ortu ſubterran. cap. 1. *Metalla fieri, ferrum* eſt indicio, quod in *Ilua* metallis renaſci probatiſſimi ſcriptores memoriæ prodiderunt: eadem vero quodammodo augeri *plumbum*. Nam ad ipſum in humido loco poſitum fit acceſſio, cuius rei teſtis eſt *Galenus*. Plumbeas certe regulas, quibus magnificas ædes tegi videmus multo grauiores aliquot poſt annis inueniunt ii qui prius pondus notarunt, atque adeo quidem vt eas perſæpe propter nimiam grauitatem æneis permutare neceſſe ſit. *Mathesius* concione 3. Sareptana proponit & deducit tria. 1. *Metalla etiamnum hodie* in ſubterraneis venis, atque etiam fodinis *naſci*. 2. *Mineram vnam* tempore *tranſmutari in aliam meliorem*. 3. *Metallum perfectum niſi effodiatur à ſubterraneis halitibus & æſtu conſumi.* Experientia comprobat ſaxa creſcere, & eum modum etiam mineralibus competere. Recitat hiſtoriam *liquoris ex pendente ſpecus parte delapſi in iacentem, ex quo argentum ſit natum*, idemque factum in Vallibus in fodina Diui Laurentii: *Bismuthum* metallo carens ex ſpecu extractum proiectum eſſe in cumulos, ex quo poſt aliquot annos argentum excoctum ſit: Idem factum in Cadmia foſſili, quam Cobaltum vocant: Curbachii Weſtphaliæ cumulos exhauſtorum metallorum quaternis annis denuo excoqui, & aurum conflari, quod ipſum accidit etiam halinitri, & aluminis recrementis: Id autem fieri ex certo nutrimento: Certum eſſe per fontem *Cepuſii ferrum mutari in cuprum*: Idem effici lixiuio pyritoſo atramento. Vide ibi plura. Si in ſaxum tranſmutantur vegetalia, & animalia, magis tranſmutabilia ſunt mineralia in mineralia, & ſymbolica in ſymbolica. Illud eſt: Et hoc ergo. Aſſumtio probata eſt innumeris experimentis. Conuictus eſt Guibertus metallicorum peritiſſimorum contententibus teſtimoniis, ratione & experientia Naſci metalla, tranſmutarique, & hoc Deum reuelaſſe in natura, ita vt *qui impoſſibilem eſſe metamorphoſin dicit, is reclamet Deo & naturæ.*

Vide Cardanum lib. 10. Item Clauæũ & quos ſuo loco adtecimus autores graues.

Tantum de tractatu primo, cui adeo confiſum eſt crepitaculum iſtud Lotharingicum, vt putauerit ſe omnes Libauii rationes in defenſione, abundanter refellere, & lectoribus plene ſatisfacere poſſe, quod ille quidem conatus eſt ſcelerata calumniandi, maledicendi, conuitiandique malitia, ſed à ratione, & experimentis omnibus turpiter excidit.

TRACT. II. CAP. I.

REM huius capitis hoc ſyllogiſmo comprehendere poſſumus: *Si tranſmutatoria metallorum Alchymia eſſet vera, antiquitatis autoritate & ſuffragiis comprobaretur. Atqui non poteſt ab antiquitate commendari. Ergo non eſt vera.* In aſſumtione demonſtranda contra ſapientes magni perfectique magiſterii profeſſores, Philoſophosque verboſe admodum, & nugaciter laborat Guibertus, vt Lotharingicum crepitaculum agnoſcas, & vetulam iuxta crepitum eius ſaltitantem, & puluerem facientem, quod prouerbio dicimus.

Argum. 1. eſt: *Nemo eſt venerandæ antiquitatis qui de metallificio aliquam fecerit mentionem*, aut literatum monumentis reliquerit teſtatum, quod ad Alchymiam trãnſmutatoriam chymiſtarum pertineat. Hoc argumentum per multiplicem, nugaciſſimamque tautologiam pag. 51. tractat prolixe.

Arg. 2. *Ante ſexcentos annos nemo repertus eſt qui ſcripſerit quando inuenta fuerit Alchymia*, vel vbi vixerit qui primo per artem chymicam aurum argentumve produxerit.

Arg. 3. *Nec ars iſta, nec autor tam infamis & Diabolici figmenti digni fuerunt* qui per hominum ora volarent.

Argum. 4. *Hæc vanitatum vanitas, cauſam præbuit* tot malorum quot hodie videmus, & ſuperiora ſecula.

Arg. 5. *Nullus ex Græcis, Latinis, Arabibus, ante annos ſexcentos, nullus ex Hebræis extitit qui aliquid quod ad metallificium chymicum pertineret ſcripſerit.* Si innotuiſſet antiquis ſtudium tranſmutationis metallicæ, quiſpiam ex tot ſcriptoribus non ſiluiſſet, cum alias omnia in cœlo, terra &c. penetrauerint: Alii ex aliis quid ſubnotaſſent.

Arg. 6. *Si tam expetendam, tamq; admirandam rem nos celaſſent, male de nobis eſſent meriti.* Potuiſſet anteferri omnibus cæteris inuentis: inquit pag. 52.

Siue antiqua ſit, ſiue noua chymia, ſimpliciter falſa eſt Guiberto.

Arg. 7. *Demus inualuiſſe hanc vanitatem etiam à primis temporibus: at hoc nihil ad veritatem tranſmutationis metallicæ aſſerendam*: Quia nulla eſt præſcriptio temporis aduerſus veritatem. Vetuſtas ſine veritate eſt inueteratus error.

Obiectio: *At Iulius Firmicus, Plinius, Suidas*, & alii plurimi ſunt quorum teſtimonio comprobatur, & nomen Alchymiæ, & metallificium eſſe antiquiſſimum. Reſpondet anus: *Non ſunt audiendi.* Ita confectum eſt bellum hoc congreſſu, ſi abſit antagoniſta.

Reſponſio.

NOn opus eſt vt moneamus argumentũ à teſtimonio humano eſſe imbecillũ, præſertim ea de re quæ omnib. temporib. in ſecretis interiorib. philoſophorũ circa mineralia occupatorũ fuit reten-

retenta, & ſtudioſe occultata, ne ad indignorum manus veniret, vnioneſque porcis & ſanctum canibus daretur, cum conſtaret quanta eſſet fames, ſitiſque auri & argenti apud immoderatos, quod ſatis declarant nauigationes populorum ad exteras gentes non aliâ ob cauſam, quâ vt alienæ opes, aurum, argentum, gemmæ, veſtes, mercimoniaq; alia pretio multo diſtrahenda inuehantur, vnde auctus opibus alter alteri dominari poſſit. Scribit *Eduardus Lopeſius* in Regno *Congo* metalla auri argentique exiſtere, de quibus cum rex Portugalliæ fuiſſet admonitus, miſit qui ſcrutarentur, & conſtarent, viderentq; quodnam eſſet in re operæ precium. Sed interim Rex Congo â quodam ex intimis cognouit *de fame auri regum Europæ*, & hanc fore vnicam cauſam totius regni amittendi, & intellexit, & ſapienter perpendit. Cum itaque adeſſent Luſitani metallici, ad loca ſterilia eos duxit, prætéritis fodinis veris. Vnde effectum vt & ſitis Luſitana luderetur, & Congenſis ſuum regnum retineret. Eodem conſilio Rex *Zeilanicus* vetuit aperiri in ſuo regno fodinas quas habet ditiſſimas. *Georgius Agricola*, vir alioquin doctiſſimus & mineralium peritiſſimus, audet etiam ſuum affectum literis illinere, quaſi *ſi ars vera eſſet, iam oporteret immenſam vim auri argentique effectam eſſe*, eiuſdemque appetitus eſt etiam *Guibertus*, quaſi vero mortalium auaritiæ vlla copia eſſet ſatis. Neque enim *Salomonium* aurum & argentum, nec *Crœſi Pythiique* talenta, nec *Perſicæ Gazæ*, nec *Philippi* metalla ſatiarunt olim homines: Et noſtris temporibus quantum auri argentique aductum eſt ex *America*, *India*, *Æthiopia*, & aliis terris? Quantum etiam ex tot puteis *Pannoniæ*, *Bohemiæ*, *Miſniæ* aliarumque terrarum erutum? Et tamen egemus, & cum non reſpondeat moles appetitui, *precium nummorum augemus*, & adhuc pene quotannis plumbum, ſtannum, æs, argentum viuum, ferrum & alia, quæ forent tranſmutanda creſcunt precio. Mira eſt fraternitatis de Roſea cruce policitatio inabſumptorum theſaurorum per artem chymicam & auri pluris quam vtriuſque Indiæ vectigalia præbeant. Infinita enim eſt cupiditas. Vnde ſuppeteret quæſo tantum materiæ, vt, ſi etiam tam vulgaris ars eſſet quam eſt ſutoria, ſufficeret cupiditati omnium? Idcirco *Deus noluit tam publicari artem, noluerunt etiam ſapientes*. Ideo ænigmatice deſcripta eſt, & libri de ea in commentariis, ſecretiſque aſſeruati, cumque caſu protracti eſſent in lucem, â pauciſſimis tamen intellecti ſunt, quorum aliqui contenti ſola notitia noluerunt laborandi moleſtiam ſuſtinere, & *qui ad laborandum ſine intellectu aduolarunt, illi pepererunt hos quos tu, Guiberte, totos quadraginta annos cum maxima ſtudiorum tuorum iactura es ſecutus*, quique omni hominum generi inuiſi pœnas dant artis temere attentatæ, & iactatæ, cum ea non ſit niſi phyſicorum acutiſſimorum & qui mineralium magnam notitiam, experientiamq; habeant, prætereaque cœteras quoq; partes chymicæ philoſophiæ excoluerint, quorum cum ſint pauciſſimi, qui & ſcire ſimul & manus operi admouere velint, euenit vt ars præſtantiſſima publice non exerceatur. Imo ſi qui ſint, qui in publicum prodire velint, eos abſterrent inſidiæ, & pericula, quæ nouimus magnis viris obueniſſe. Quod lateant artifices, & libri ſint editi ſtylo arti proprio, immoderatorum hominum vitium eſt. *Qui in luce ſe paſſim oſtentant gloriabundi, quando tandem vobis perſuadebimus eos eſſe impoſtores, qui nunquam quicquam de arte intellexerunt*? Quando tandem ceſſabitis merito impoſtoriæ, & crimine deceptorum damnare artem ipſius naturæ documentis roboratam, & â non nullis celebratam, experientiaque confirmatam? Ecce me homuncionem. *Rationibus optimis declaraui ſcientiam, & tua argumenta contra eam penitus confutaui, ita vt ne hiſcere quidem contra poſſis, tantumque pugnes maledictis & conuitiis*. Quid profeci? Inſanabile caput es. Quo magis confunderis, eo virulentius, & maledicentius oblatras, nec vllum autorem curas adeo vt etiam publicum opus ferri in æs tranſmutandi ſcelerate calumnieris, & hos mentiri impudenter ſcribas, qui id aſſeruerunt.

Sitis auri cauſa eſt vt Theſauri naturæ & artis occultentur.

Expertus eſt Michael Sedinuogius: Kellaus & alii.

Sed cum tu ſis datus â Deo in reprobum ſenſum, factuſque ſtultus qui tibi ſapere videris, artis cauſa, & veritatis amatorum non eſt intermittendum patrocinium, & arma contra tuam veſaniam ſumenda.

Ad arg. 1. Argumentum falſum ſumitur. Nam *metallorum tranſmutatoria* licet non ſub nomine tituloque chymiæ, aut alchemiæ, vel etiam tranſmutatoriæ, tamen *in tota Phyſica rerum generabilium, & corruptibilium fundamenta ſua habet, & Theoremata ab antiquo*. Tam vetus eſt, ſi materiam & principia ſpectes, quam vetus contemplatio phyſica. Cum enim metalla, & cœtera mineralia ſint inter generabilia, & corruptibilia, & naturaliter *nihil fiat ex nihilo, nec in nihilum recidat*, neceſſe eſt vt & ipſa ſint tranſmutabilia, & ex hoc in hoc, quod ſit determinatum, poſſint transformari: qua in re Platonica diſciplina etiam exceſſu peccans, cauſam præbuit Heracliti, & Pyrrhoniorum, contra certitudinem aſſeuerandi, opinionibus, quæ ſane ſunt ſatis antiquæ. Deinde ſi *naturalia ſunt perpetua*, & hodiernæ obſeruationes circa metallorum tranſmutationes tam in fodinis, quam extra eas ſunt adeo dilucidæ, & apertæ, vt dementem eſſe neceſſe ſit, qui neget, conſequens eſt perantiquas eſſe. Si aliqui ſunt ex veneranda antiquitate qui de *ſublunarium mutabilitate* ſcripſerunt, ſunt etiam qui de metallorũ, quæ neceſſe eſt *vel in mutua tranſmutari, vel in alia ſi ſunt*: Si autem nondum ſunt, ſed fiunt, neceſſe eſt vt ex materia determinata procreentur modo generationis naturalis.

Naturalia ſunt perpetua. Tranſm: ſunt naturales. Ergo. Sublunaria ſunt mutabilia Metalla ſunt ſubl. Ergo.

Poſtea producuntur plurimi ex antiquiſſimis autoribus, quorum nomina ne repetam, ablego ſtudioſos, ad *Hermolaum Barbarum*, *Georgium Agricolam* in Epiſtola dedicatoria, duodecim Librorum de re metallica (vbi hæc verba: Quo minus multi ſunt qui de re metallica ſcripſerunt, eo magis mihi mirum videtur *tot chymiſtas extitiſſe, qui compoſuerint artificium de metallis aliis in alia mutandis*. Multos *Hermolaus Barbarus* homo dignitate generis, & gradus ac omni doctrina ornatus nominatim protulit: *ego plures* proferam ſed inſigniores tantum &c. Item: *Tot ſcriptores omni nobis aſſeueratione affirmant ſe eo perueniſſe quo curſum ſuum dirigebant, iis fides eſſe videtur adhibenda*: *&c.* Hæc Agricola qui non audet decernere, facere poſſint nec ne, quæ profitentur) *Picum Mirandulanum*

Si perantiqua eſt chymia Spagirica, & tpote totum, etiam pars eius de metallis.

lanum, *Petrum Amelungium* & alios. Tertio: Certum eſt metallicam chymiam eſſe partem eſſentialem magni magiſterii ſapientum. Atqui conſtat chymiam extractoriam, ſeparatoriamque pro medicamentis, & aliis operibus eſſe antiquiſſimam, & habere ſuos autores profeſſoreſque, & ſcriptores vetuſtos, à quibus etiam nomen *Alchymia* ex parte eſt pronunciatum: Vt videre eſt apud *Sorſanum*, *Auicennam*, *Meſuem*, *Bulcaſim*, *Gebrum*, & alios. Ita extat *Hermetis* tabula, & *Suidæ* aliorumque teſtimonium. Conſequens eſt etiam metallorum tranſmutatoriam eſſe perantiquam, & ſuos autores habere, quanquam non omnes eam partem exotericis libris commiſerint certis de cauſis. Quis autem his argumentis opponitur? *Anus calumnioſa, & mendax Guibertus*, cui nulla autoritas ſatis eſt. Sed quis ipſi mendaciſſimo homini credat? Quo iure obſtringemur vt neganti ſimpliciter fidem habeamus, contra tot ſummos philoſophos, & ſapientes artifices, rerumque naturæ peritiſſimos aſſertores? Quæ cauſa iſtam vetulam in chymiã incitauit? Deſperatio. Cum nebulonib. 40. annos conſumſit fruſtra, & non cum veris artificibus. Quia ergo Deum & naturam aduerſam ſibi expertus eſt, quod non potuit conſequi vituperat cum artificibus & magiſtris, omnibus furiarum argumentis conquiſitis. Quæ ergo tali homini fides?

Ad 2. Hoc argumentum refutatur Alchymia *Hermetis triſmegiſti in tabula Smaragdina*. Fuiſſe is circa *Moſis* tempora perhibetur. Deinde opponitur *Sorſanus* apud *Auicennam*, & *Auicennæ* ipſius metallica artificia, aliaque paſſim in eius libris: Item *Bulcaſis*, *Meſues* de oleo philoſophorum, *Geber &c.* qui omnes ſexcentis annis ſunt vetuſtiores, vt alibi indicatur. Quærit ſcriptores ante ſexcentos annos. Quid illi ſcribere debuerunt? *Quando inuenta ſit chymia, & vbi vixerit inuentor.* At ſcripſit *Hermes Ægyptiorum ter maximus*: Scripſit *Geber*, cuius temporibus non tantum ſophiſtæ arti inſidiati ſunt, ſed & fuerunt aduerſarii quorum argumenta in ſumma perfectionis iudicat, quod eſt indicio artem longe priorem Gebri ætate fuiſſe. Auicenna ante ſexcentos annos vixit, & teſte Sorſano abbreuiationes, ſeu compendium Alchymiæ ſcripſit, cui etiam quæſtiones duas addidit à veteribus prætermiſſas. Neceſſe eſt Alchymiam longe prius in Perſia, Chaldæa, Ægypto in literis fuiſſe. Circa ann. Chr. 294. in *Ægypto* floruit teſte *Suida*, quem Guibertus nunquam poterit mendacii conuincere. Quis enim veteri probato ſcriptori non crederet potius quam calumnioſiſſimo Guiberto Diaboli nepoti furioſiſſimo? *Hieron. in vita Pauli Eremitæ* mentionem facit ſpeluncæ antiquiſſimæ in qua inuenta eſt ſupellex monetaria. Credibile eſt chymicos, non auſos ſe periculis vulgi exponere, eo in loco laboraſſe, quanquam Morienes Monachus regem Ægypti ſuam artem docuerit etiam in aula: quem regem oportet animo philoſophico fuiſſe. *Iulius Firmicus* circa annum Chr. 320. in cœlo locum Alchymiſtis aſſignauit. Id qui fieri poſſit ſine longa experientia rei iam adeo notæ vt eius fata ex cœlo peterentur? Sed videantur quæ in commentariis Alchymiæ connotaui, iudicentque viri prudentes num aniculæ ſtultiſſimæ, calumnioſiſſimæque quam nullius mendacii pudet, pigetque, vt Apologia eius Sathanica teſtatur, Guiberto potius credendum putent, quam viris fide digniſſimis. Ego ipſe, qui ex mendaciis compendia non quæro, *teſtor me vidiſſe librum in Germania ſcriptum circa annum* 1028. *Chr.* quem non tunc confictum eſſe exiſtimare licet. Neque enim experimenta ſunt anni vnius, ſed per manus multas longa retro ſerie accepta. Quod ſcriptum eſt ante ann. 587. continens experimenta priſca, indicio eſt artem longe eſſe vetuſtiorẽ ann. 600.

Ad 3. Impuriſſimum, maximeque Diabolicum & impudentiſſimum mendacium eſt. An non in omnium ore, *Hermes cum Alchymia*? Qui poteſt figmentum Diabolicum cum naturæ & experientiæ documentis conuenire? Qui poteſt cũ ratione? Diabolus circa religiones decepit multos, idque à prima Paradiſo. Religiones enim à ſenſu ſunt remotiores, & myſteriis plenæ. At chymia ſenſui patet, & metallurgiæ adeo eſſentialis, vt eius fundamenta pateant foſſoribus, & excoctoribus metallorum. Non poteſt tam conſtans fuiſſe, ſi figmentum Diabolicum: quia à præſtigiis Diabolicis magorum, & impoſturis ſceleratorum hominum ſemper fuerunt qui eã potuerunt diſcernere, quod & *Comes Bernardus* indicat, & Geber præſtitit, debuitque peritus ille *Guibertus* idẽ poſſe, & non verum cum falſo eiuſdem criminis accuſare, & damnare.

Ad 4. Conuitium & mendacium eſt abnorme, vtinam mores mundi peſſimi, non cumularent mala. Quis Alchymiſta protoplaſtos ſeduxit, & maledictum intulit? Qui erant illi de quibus Gen 6. Deus teſtatur quod omne figmentũ cordis eorum ſit malum? Quod in poſteros chymici infortunium crearunt, id in ipſorum capita recidit. *Guibertus*, Satelles ille Diaboli, ſi veris philoſophis cruces & tormenta parare poſſet, nullum non lapidem moueret, vti & aliquoties crucem decernit. Sed ille coruis tartareis dignus eſt, niſi reſipiſcat. *Vera chymia non eſt vanitas vanitatum, ſed donum Dei per naturam, multa gratiarum actione, & gloria dignum.*

Ad 5. Mendacium & hoc eſt: Vide ante poſita in ſolutione arg. 1. & 1. *Guibertus* excæcatus inſcitia, ſtultitia, & reprehendendi calumniandique libidine nihil ſani nec videt, nec loquitur. Quid autem ille ἀναλφάβητος, ferula Grammatica dignus, qui nec latine ſcit, ſi ſit vltra culinam, nec Græce, tantum abeſt vt de Græcis, & Arabibus aliquid nouerit, garrit? Ades homo rudiſſime omnium, & te docebo meam latinitatem, & Græcam linguam. Has vbi didiceris tunc vide an myſticos commentarios philoſophorum chymicorum aggredi & iudicare poſſis. Illi vero ſapientibus ſcripſerunt, nec tacuerunt. Inſipienti Guiberto nihil nec ſcriptum eſt, nec ſubnotatum. Nempe debuit *Hippocr. Galenus*, *Theophraſtus* & alii repetere arcana ſapientum, eaque contra iuramentum tunc temporis diuulgare? Hippocrates his verbis ſibi obligauit ſuos diſcipulos: *Iuro me præceptorem, qui me hanc edocuit artẽ parentum loco habiturum, vitam cõmunicaturum, eaq; quibus opus habuerit, impertiturum: eos item qui ex eo nati fuerint pro fratrib. maſculis iudicaturũ, artemq; hanc ſi diſcere voluerint, abſq; mercede & pacto edocturum. præceptionũ, ac auditionum, reliquaeq; totius diſciplinæ participes facturũ tum meos tũ præceptoris mei filios, & diſcipulos qui mihi ſcripto cauerint, & medico iureiurãdo addicti fuerint, aliis præter hos nulli.*

Veteres Sapientes myſteria ſua non vulgaſſe.

Hæc

Hæc de ſua arte Hippocrates. De Pythagoræ ἐχεμυθείᾳ non eſt vt referamus. Soliti ſunt antiqui artium excellentium præcepta tanquam myſteria domi ſeruare. Quæ eſt ergo tua impudens impudentia, Guiberte, vt artem exigas ex libris exotericis Latinorum, Græcorum, Arabum, Ebræorum? Quî vero tam amens & cœcus es, vt Chymiæ veſtigia non videas apud Hippocratem? *Tales hodie ſunt fratres de Roſea Cruce.*

Ad 6. De te peſſimo pullo non potuerunt bene mereri. Araneus enim es, & ſerpens virulentus ex optimis peſſima faciens. Bene de te meriti ſunt quod tibi auariſſimo non reuelarunt artem. Debes Deo & illis gratiam pro cælata. Alias in magnum malum imprudens incurriſſes, fuiſſesque faber tuæ infelicitatis. Hoc non potes agnoſcere. Interim præſtantium medicinarum confectione omnia ſua, & poſt ſe ſecula bearunt, quod dum non agnoſcis, & eorum ſcientiā inſuper miris modis calumniaris, bipedum omnium, quantum eſt, es nequiſſimus & ingratiſſimus. Mira vero ſtultitia eſt, artem faciendi auri anteferri potuiſſe omnibus aliis inuentis. Si vnquam vllos habes aut habuiſti tuæ ſtultitiæ aſſertores in hac quæſtione ne fingere quidem tibi debes vllos. Abi ad nondum ſpoliatos vtroſque Indos homo vaniſſime, & apud eos quære ſitne auri copia cæteris inuentis de vita Deo digna, politica, œconomica, literata, &c. præferenda. A fuſtibus reſponſum accipies. Supra ex Seruio locum de ferro prælato proponebas, eoque animo ſcribuntur fuiſſe, & eſſe Indi vtrique. Quin ergo ferrariam Tubalcanicam anteponis aurificio? S. Petrus tibi dicet: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Act. 8. v. 20. Vide & quæ de ſapientia Spiritus S. dictat Prouerb. 8. v. 18. & ſeq. Iob. 28. 14. & ſeq. Prouerb. 16. v. 16. Sap. 7. v. 9. *Sapientia gratus offert ſua munera.* Prou. 1. & 2. & 9. Eſ. 55. I iam homo auariſſime omnium & Chryſopœiam antefer omnibus cæteris inuentis. Quantum video tu triginta argenteos caperes, & Dominum cum ſua lege proderes. *An ars aurifica omnibus anteferenda.*

Ad 7. Riſu dignum τερέτισμα. Siue veteres producas, ſiue non producas, Guibertus nulli argumento credit. Quorſum ergo exegiſti autoritatem vetuſtatis, ſi tibi hoc argumento non poteſt ſatisfieri? An non es *Marcolfus*, cui nulla arbor ad ſuſpendium placebat? Exigis teſtes. Datos improbas. Cur? *Quia etiam antiquitas non habet contra errores præſcriptionem.* Et tamen in ſequentibus valde tibi places vetuſtatis autoritate, citasque verba *Platonis.* Quis vnquam tam inſanum hominem in publico vidit?

Reſponſio ad obiectionem ridicula eſt. Si ea valet, dicamus viciſſim: *Guibertus cum omnibus ſuis picu, poetaſtris, medicaſtris, &c. non eſt audiendus.* Ita compoſitum bellum eſto.

TRACT. II. CAP. II.

De vellere aureo.

NVgator Libauius cum aliis ad confirmandam antiquitatem tranſmutatoriæ dicitur proferre fabulam *de expeditione nautica ad aufferendum vellus aureum*, hoc eſt, *membranam arietinam elaboratam, in qua deſcripta fuerit ars aurificii*, circa an. m. 2714. vt ita vetuſtior eſſet bis mille octingentis ſeptuaginta annis, ſi currens annus 1615. ſit mundi 5585. (aliqui plures numerant, aliqui pauciores.) Vſus eſt Libauius autoritate & teſtimonio *Suidæ*, cui tot ſapientiſſimi viri acquieuerunt ſine vlla contradictione, vt pudere debeat nouitium homuncionem aliquid diuerſum pronunciare. Inuentus eſt Guibertus, Lotharingicum crepitaculum, anus inſana, conuitiator maledicentiſſimus, qui 40. annos conſumſit cum ſuſpendioſis nebulonibus, & quia Deo & natura aduerſante artis non potuit fieri capax, in eam arma malitioſiſſima ſtrinxit, omnesque eius & autores, & rationes, & experientias communi calamitate inuoluit, & damnare eſt auſus. Videamus quibus machinis. Thema eſt: *Falſum eſt vellus aureum Colchidis, ad quod rapiendum totius Græciæ Heroes naui ſingulari fabrefacta ſunt profecti, fuiſſe librum de auro per artem faciendo.*

Arg. 1. Ætate Argonautarum non ita nota fuit Alchemia tranſmutatoria, vt de ad eam pertinentibus poetæ fabularentur.

Arg. 2. *Suidas fabuloſus eſt.* Ergo ei nihil fidei.

Arg. 3. Multi illam expeditionem deſcripſerunt, ſed nullus interpretatus eſt vellus aureum de libro Chryſopœiæ.

Hoc probatur. 1. Quidam dicunt fuiſſe *pellem arietis*, ſuper quo vecta ſit *Helle Phryxi ſoror*: quæ pellis *Ioui* vel *Marti* fuit dedicata, & à *Iaſone* ope *Medeæ* ablata. Citatur *Iuſtinus* hiſtoricus, & *Apollonius Rhodius*, *Valerius Flaccus*; *Achilles Statius*: *Ouidius*, *Palephatus*, qui omnes de arietis fabuloſi pellē villoſa accipiant. 2. Quidam ex antiquis aliter exponunt. Nam *Herodotus Heracleotes* tradit fuiſſe auream phialam in cuius medio agnus ſculptus. *Dalechampius Thyeſtem* facit furem, qui agnum aurei velleris ſurripuerit *Atreo* fratri. *Varro* propter caritatem pecudes habuiſſe aureas pelles dixit, ad quas regii Argonautæ fuerint profecti. *Cicero* pellem inauratam voluit. *Strabo* putauit ſignificari vellus Chryſoplyſiarum, quod & *Agricola* (adde *Matheſium*) agnouit. *Euſtathio* iudice capræ vellera geſtarunt. Ergo fabuloſo *Suidæ* de Libro aſſerenti nihil credendum. Hic eſt proſyllogiſmus primus. *Vna opinio. Opiniones aliæ.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Proſyllog. 2. *Opinio Suidæ improbabilis eſt & falſiſſima*: Ratio: Quia qui ante *Suidam* ſcripſerunt, quiduis potius de eo dixerunt, quam eſſe *librum Alchemiæ*. Rationis ratio: His potius eſt credendum quam *Suidæ*. Cur? Quia *quo propius aberant à tempore Argonautarum, eo melius quæ vera erant cernebant.* 2. Quia *perfrictæ frontis fuerit aſſerere, omnes & ſingulos illos antiquiſſimos falſa prædidiſſe*, poſteriorem *Suidam* vera dixiſſe. 3. *Omnium doctorum iudicio antiquioribus ſcriptoribus maior fides eſt adhibenda.* Hæc eſt res capitis ſecundi. *Pag. 58. Pro antiquis.*

Reſponſio.

Vide argonautica Orphei, qui interfuit nauigationi, & cogita de fide narratorum.

QVOD pro fundamento artis non ponitur, de eo non multum laborandum. Poetas antiquo Philoſophos, & Deorum interpretes, ſacerdotesq; fuiſſe, qui fabulis vera inuoluerent, atqu ita à ſacrario Philoſophiæ indignos arcerent, dignis autem ſua figmenta interpretarentur, apuc *Strabonem* legimus. Cum itaque iidem etiam de argonautica expeditione multa confinxiſſent, ne omnibus de interpretamento legitimo conſtaret, diuerſæ plurium opiniones de ſignification emerſerunt. Inter eas *probabilior eſt quæ veritati ſiue in naturalibus, ſiue moralibus, ſiue diuinis, aut etiam do meſticis eſt magis conſentanea.* In omnibus ſi circumſpicias, aliquid hiſtoricum in fabula argonautic agnoſcas. Conſueuerunt enim olim Heroes vbiuis terrarum virtutis exercendæ argumentun quærere, & oppreſſos per vim à tyrannorum iniuria liberare. Cantores autem facta iſta in conui uiis recitaſſe non ſine fabularum admiſtione ex Platone conſtat, ſicut & Germanorum res geſta olim ſunt decantatæ. Veriſimile eſt idem hic factum fuiſſe, præſertim data occaſione per fugan Phryxi. Verum cum hiſtoria coincidere etiam aliquid vrgentius poteſt. Cum *Phryxus Athamanti filius ſocia Helle ſorore in Pontum fugeret, ſecum detulit artem auri elaborandi,* h. e. tum ex natura colligen di, purgandi, conflandi, probandique, & quæ ſolent in auri metallis alia peragi: tum conficiend ſtudio perfecti, magnique magiſterii. Ars ea deſcripta erat in membrana ex pelle arietina, quan *Oeta* rex acceptam in templum Martis intulit, vt ibi ab inſidiis tutior eſſet, quanquam etiam diffi cultate diſciplinæ myſticæ non cuiuis eſſet obuia. Ita enim deſcripta ars erat, vt in ea mentio fiere *draconis* cuiuſdam, & *taurorum ignivomorum*, item *exercitus ex dentibus draconis* occiſi exurgentis, & vim minantis. Dicebatur incluſa *adytis* templi Martis, quod muro valido eſſet circundatum: ne minem poſſe eius fieri participem, niſi medicaminibus ſopito interfectoque dracone, & tauri domitis, exercituque confecto, quod ope & conſilio *Medeæ* tandem à *Iaſone* peractum, raptusqu liber artis *Corinthum* delatus eſt. Hæc omnia pulcre conſentiunt cum Chryſopœiæ diſciplina. Vn de *Suidas* non vane coniecit nihil aliud ſignificari quam illam ipſam in membrana deſcriptam. Suidæ ſententiæ tanquam probabiliori, nos accedimus ita argumentantes:

Artis aurificæ deſcriptio magica.

Id quod eſſentialibus veteris figmenti de aureo vellere propius reſpondet, magisq; conuenit, veriſimile eſt figmente ſignificari. Reſpondet autem, conuenitque magis Chryſopœia Philoſophorum. Hanc ergo figmento aurei velleris ſignificari, veriſimile eſt.

Materia artis aurificæ.

Aſſumtio probatur. Nam in artis deſcriptione inueniuntur Draco, Mars, ignes proflati, cuſtodia per murum, & ſimilia. Cætera quoque quam appoſitiſſime congruunt. *Draco* eſt materia quam vocamus mercurium Philoſophorum. Huic aurum cuſtodiendum commendatur, eſtq; optimum ei negotio id quod puriſſimum in Chryſopliſiis inuenitur, nec vim ſeminalem ignibus perdidit, quale Phaſis in Colchide detulit. Materia hæc includitur templo Martis ignei, vitro nimirum ſuo in Athannore philoſophico. Alii cuſtodes ſunt tauri ſpirantes ignem, hoc eſt, quatuor caloris gradus, quibus artificioſe adhibitis internus calor in actum vocatur, & tandem arte Medeæ Iaſon draconem ſopit, interficitque. Nam ex virulentiſſimo baſiliſco ſeu mercurio fit placida medicina. Mercurialis draco valde vigil medicamine Medeæ eſt ſopiendus, h. e. & figendus, & virulentia ſpoliandus. Modus in arte eſt deſcriptus. Tauri, ſeu ignis inſtrumentalis, incantamentis, ſeu arte domantur: Ignis autem tum internus, tum externus. Dentes draconis venenati in exercitum euadunt, qui ſe mutuis vulneribus conficit, quod fit dum materia intra vitrum per elementa, eorumque qualitates mouetur, & quaſi colluctatur ſecum donec omnia, quæ prius ſurſum deorſum ferebantur, ad vnitatem redacta conquieſcant. Sic explicatur aſſumtio. Contra:

Quæ interpretatio vel non, vel minus apta eſt figmento, eam recipere non tenemur. Quæ extra metallurgicam illam proponuntur interpretationes vel non, vel minus ſunt aptæ figmento. Has ergo recipere non tenemur.

Aſſumtionem iam probabimus reſponſione ad argumenta Guiberti, & ſane varietate ſua ſe deſtruunt.

Ad arg. 1. Petitur principium. Nos dicimus notam fuiſſe, argumento rei, quæ iſta fabula continetur, cui addimus Hermeticæ apud Ægyptios, & in Chaldæa, Perſiaque profeſſionis antiquitatem.

Ad arg. 2. Ignoratur Elenchus. *Suidam* in hac expoſitione fabuloſum eſſe, probandum eſt: Imo Guibertus calumnioſus. Pro *Suida* militat rerum ipſarum congruentia.

Ad arg. 3. Satis eſt vnus *Suidas* veridicus. In fabulis exponendis multi multa dicere poſſunt, ſed is potiorem meretur fidem, cuius explicationi res ipſa, & omnes partes fabulæ magis reſpondent.

Eſt autem ridicula Guiberti contra Suidam ex varietate ſententiarum ratiocinatio. *Varietas enim expoſitionis incertitudinis & mendacij ſignum eſt, non veritatis.* Si multi multa diuerſa dicunt, eaque aliena ab artificioſa fictione, hoc ipſum ſuſpicionem falſitatis gignit.

De ſententia 1. Non eſt veriſimile quinquaginta duos *Heroas* duce *Hercule* pro naturali arietis pelle tanta pericula adiiſſe, & non potius *Oetam* riſiſſe qui tanti æſtimaret vellus arietis.

De ſententia 2. Non eſt credibile pro aurea phiala ſuſceptam expeditionem eſſe.

De 3. Minus veriſimile eſt *furtum Thyeſtis*, quod Græci Heroes vindicarent pro rapta pellicula tantum onus ſuſcipiendo.

De 4. Fabuloſa eſt *Varronis* opinio. Quis putet pro velleribus aut lana auricolore Græciam inuaſuram alienam prouinciam? Vbi vero huiuſmodi arietes?

Cap. 3. huius tractatus pag. 6. producuntur qui *aurea Heſperidum poma* interpretati ſint de lanificio, ex quo aurum & alia commoda. Mirum ſit ſi Græci Heroes fuerint prædones & piratæ, qui auaritia ducti, & non virtute alienum regnum cum tantis periculis petiuerint.

De 5.

De 5. Quis ille vero conatus *inaurandi vellera*? An id Græcia non poterat?

De 6. Chryſoplyſiæ ſi fuerunt, cur ad vellera vel tabulas rapiendas potius ſunt profecti, quam ad occupandam regionem totam? Quid iuuiſſet Iaſonem pellis arietina, vel tabula rapta? Ille non occupauit *Colchidem*, nec *Oetum* regno exuit, ſed aſſumpto libro cum *Medea* ſe *Corinthum* contulit. Erat autem *Medea* artis iſtius gnara. Ideo eidem tribuitur etiam *ſanatio & depulſio ſenectutis per tincturam iſtam, ſeu medicinam Philoſophicam*, quam Poetæ in herbas transformarunt. Ita & cætera circa *Medeam* congrue exponi poſſunt.

De 7. Ridicula ſunt & caprarum vellera. Ecce tibi. Iſtis fabulamentis, quæ ſunt ipſa fabula fabuloſiora, plus tribuit *Guibertus* quam *Suidæ* longe veriſimiliora proferenti. Legatur *Diodorus Siculus* lib. 5. rerum antiquarum cap. 3. vbi etiam aliæ opiniones recenſentur, & quidem *Politica* quoque nugis *Guiberti* longe probabiliores.

Nihil nugacius & magis friuolum eſt, quam quod contra *Suidam* aſſertur. Non enim ideo mendax *Suidas* eſt, quia plures diuerſas de vellere iſto opiniones habuerunt: Sed contrarium ſequitur. *Quia enim horum diſſenſio & varietas mendacium arguit Suidæ explicatio cum re conſentiens vera cenſetur.* Quæ afferũtur de tempore Argonautis viciniore & antiquitate maiore, ſupra ab ipſo *Guiberto* ſunt confutata, vbi dicebat *vetuſtatem non habere contra veritatem præſcriptionem*, poteſtque fieri, vt qui eodem tempore viuit magis mentiatur quam qui remoto, vt de Orpheo conſtat. Præterea ſtultum iudicium eſt, quo vult nos magis credere vetuſtioribus quam *Suidæ*, cum illi ſua varietate argumentum fidei perdant: *Suidas* autem rei probabilitate nitatur. Cui quæſo opinioni ex vetuſtis eſt credendum? Vni, an omnibus ſimul? Ita fatuus homo garrit temere quicquid in buccam venit. Si item maior fides debetur antiquioribus, cur denegas fidem Chymicis priſcis? *Antiquitas iam probata, ſupra abiecta.*

Volebam ſingulis capitibus tractatus ſecundi adiicere oppoſita argumenta, & ad oculum demonſtrare Guiberti pluſquam anilia deliramenta: ſed cogitabam me & mihi & lectoribus moleſtiam creare. Explebunt hæc duo loca propoſitiones & reſponſiones. *Nota.*

TRACT. II. CAP. III.

De pomis Heſperidum.

NEgat *mala atlantica* ex horto *Heſperidum* ad opus tranſmutatorium metallicæ Chymiæ pertinere Guibertus. Argumenta negationis:

1. Omnes antiqui ſcriptores quiduis potius de hoc horto dixerunt, quam quod ad Alchymiam detorſerint.

2. Inſani Alchymiſtæ longe poſteriores non ſine ſcelere referre fabulam audent ad ſuam inſaniam.

3. *Plinius* & *Solinus* oleaſtro conſeuerunt hortum, & flexuoſum maris ambitum *Draconi* aſſimilarunt.

4. *Varro* mala aurea *oues* ait ſignificare (ſic Seruius lib. 4. Æn. Re vera nobiles fuerunt puellæ, quarum greges abegit Hercules occiſo eorum cuſtode. Mala ſunt μῆλα, oues.)

5. *Diodorus Siculus* de exquiſitæ pulcritudinis gregibus intellexit: *Palephatus* de magni emolumenti rebus: Vnde aurea vellera pecudibus affictа. Declaratur aurei velleris ariete Colchico, teſtibus *Varrone, Forcatulo, Cælio, Horatio, &c.* quibus precioſa ſunt aurea. Ergo longe magis delirant Alchymiſtæ fabuloſis Poetis.

6. Alchymia longe poſt fuit in vſu.

Reſponſio.

AFfigite fabuloſo & nugaci *Guiberto* auriculas *Midæ* cum crepitaculis ex India: Vt ſtultitiæ ſacerdos agnoſcatur. Reponimus:

1. *Non ſi alij aliter explicarunt fabulam, Alchymiſtarum interpretatio eſt falſa.* Dum multi, & in his alius aliud coniectat, non poſſunt omnes ſcopum verum attingere.

2. Autores citati *ne Phyſici quidem fuerunt probati, nedum Chymici*: Vti etiam videre eſt. Nam plærique de re non aliter loquuntur quam opiliones, vel mercatores lanificii, vel ruſtici, vel auari prædones. Nihil interius vident: nihil Philoſophici acuminis habent, cum tamen Poetæ fuerint abſtruſæ ſapientiæ antiſtites. Quid ergo fidei merentur producti teſtes? Nihil.

3. *Illud de fabula dicendum eſt, cui maxime congruere & reſpondere quam commodiſſime deprehenditur. At maxime congruit Chymico artificio.*

4. Illi iudicare de vera fabulæ interpretatione poſſunt, quibus notum eſt ſecretum Philoſophiæ aureæ. Id autem non Grammaticis, & eiuſmodi literatorum vulgo damus, ſed artificibus ſapientibus.

5. Fiat periculum: *Heſperides* filiæ ingenii ſunt ſummi Philoſophi *Atlantis*. Hæ hortum habent, nimirum *Roſarium Philoſophorum*, quæ eſt ſcientia Chymica poſſeſſionibus cæteris potior. Hortum cuſtodit *Draco*: *Mercurius* nimirum ille Draconinus, cuius venenum, qui rem aggredi volunt, maxime timent. *Herculeus* tamen labor, conſtans prudentia, ſcientia, ſtudio indefeſſo, & vigilante manuum operatione Draconem interficit. Interim arbor argentifera & aurifera naſcitur, fertque mala argentea & aurea, quanquam de aureis tantum ſit fabula. Hæc decerpit Hercules, non ille fabuloſus, ſed Chymicus Herculei ingenii. Heracles eſt gloria aeris Macrob. lib. 1. Saturn. c. 20. Conſecrata ea fuerunt Veneri propter vſum. *Expoſitio pomorum Heſperidum.*

Quicquid

Quicquid enim eſt pulcrum & amabile in hoc mundo, poteſt aurea arte acquiri. Ideo & *Hippomenes Atalantam* eiuſdem artis fructu ſibi deuicit, quanquam pomis ex *agro Damaſci terræ Cypriæ petitis*, ne ars ſoli Heſperiæ fuerit nota, vt Ouidius narrat, Virgilio tamen 6. Eclog. aliter ſentiente. Sed & alias, vt *Plinius* inquit, horti erant ſub tutela Veneris, ſicut apud Romanos Priapi. Vſi ſunt autem etiam poſteriores Chymici ſimilibus parabolis. Itaque expoſitio noſtra fit veriſimilior.

Ouid. lib. 10. Metam. Plin. lib. 19. cap. 4.

6. Repeto argumentum de aureo vellere: Varietas expoſitionum potius mendacii, quam veritatis argumentum eſt. *Chymici conſentiendo veritatem confirmant.*

Pliniana interpretatio.

7. Addo Plinii rationem lib. 5. cap. 1. *Lixos* vel fabuloſiſſime ab antiquis narrata. Ibi regia *Antei*, certamenque cum *Hercule*, & *Heſperidum* horti. Affunditur autem huic æſtuarium è mari flexuoſo meatu, in quo draconis cuſtodiæ inſtar fuiſſe *Nunc* interpretantur. Amplectitur intra ſe inſulam, quam ſolam è vicino tractu aliquanto excelſiore non tamen æſtus maris inundant. Extat in ea & *Ara Herculis*, nec præter *oleaſtros* aliud ex narrato illo aurifero nemore. Minus mirentur profecto *portentoſa Græciæ mendacia* de iis, de amne *Lixo* prodita, qui cogitent noſtros nuper paulo minus monſtrifica quædam de iiſdem tradidiſſe, &c. Hæc ibi. Nihil veri ſubeſſe narrationi putat *Plinius*, quod ſit portentoſum Græciæ mendacium, quanquam ſuo tempore aliqui draconem interpretati ſint de æſtuario flexuoſo. Lib. 5. cap. 1. Ignorantiæ pudore mentiri non piget, haud alio fidei proniore lapſu quam vbi falſæ rei grauis autor exiſtit. *Plinio* iudice, & res & rei interpretatio falſa eſt: Quantum ergo tribuemus interpretibus Guiberti? *Plinio* ignoranti artem non ſuccurrit Græcos longe aliud ſignificaſſe, non quod in illo loco eſſet, ſed quod comparari poſſit. Verum ad Argumenta:

Ad 1. Ignoratio Elenchi eſt. Ideo myſterium fuit, quia *inter ſapientum ſcrinia latitauit* explicatio. Quis etiam antiquorum, ſi ſciuiſſet arcanum, liquido expoſuiſſet, cum omnes *diſcipuli ad ſilentium adigantur?* Si ſcripſiſſent iſti de re metallica, & arte Chymica, fors attigiſſent ſecretum. At de aliis differentes non meminerunt.

Ad 2. arg. Conuitium eſt illiberale, nec vllum in accommodatione ſcelus. Diabolicum furorem Guiberti notes, dum *ſcelus affingit* Chymicorum declarationi, quæ *re vera eſt ſapiens*, & Philoſophis digna.

Ad 3. Plinius lib. 5. cap. 1. ſuo tempore quidem oleaſtrum tantum horto aſſcripſit*: Sed* lib. 19. cap. 4. circa finem etiam *Maluam arborem. Sed & arbor eſt Malua*, inquit, *in Mauritania Lixi oppidi æſtuario, vbi Heſperidum horti fuiſſe produntur* 200. *paſſ. ab Oceano.* Quidam *Citrum* quoq; Atlanti tribuunt, de qua Plin. lib. 5. cap. 1. & lib. 13. cap. 15. & 16. *Draconem eſſe flexuoſum æſtuarium*, non Plinii ſententia eſt, ſed aliorum ſui temporis, quos & ipſos monſtrifica tradidiſſe ſcribit. Quid autem hoc contra Chymicos? Illi putarunt draconem eſſe maris æſtuarium, quod ſuſtulerit *Hercules*. (Nam draconem peremiſſe dicitur.) Ergo Chymici errant. Illud æſtuarium non ſublatum eſt ab Hercule, ſed *Plinij* ætate reſtabat. Quomodo draco occiſus potuit eſſe? Æſtuarium intellexerunt hiſtorici & geographi, non artifices arcanorum interpretes. Quiſque dicit quod ſibi videtur in re obſcura, ſemperque reſpicit ad ſuam ſcientiam. Is melior coniector eſt, qui ſingulorum rationes poteſt reddere exactius.

Ad 4. & 5. Nugæ. Hippomenes non oues obiecit Atalantæ, ſed fructus arboris aureæ.

Ad 6. Mendacium. Hoc ipſo figmento, quo ars apte deſignatur, docemur non poſt fuiſſe in vſu, ſed longe prius inuentam, & exercitatam.

Quæ Diodorus Siculus lib. 5. c. 2. de hoc figmento: *De his pomis non idem ſcriptores ſentiunt. Aſſerunt quidam in Libya in Heſperidum hortis mala aurea à terribili dracone aſſeruari: Alii pecudum greges exquiſita pulcritudine Heſperides habuiſſe, quæ ob decorem à poetis aurea dictæ ſint, quemadmodum & Venerem, ob egregiam formam, auream appellant. Nonnulli eas pecudes colore auro ſimili fuiſſe volunt, eoque hoc appellatas nomine: Draconem vero extitiſſe paſtorum curam, qui vi corporis, fortitudineque præſtantes cuſtoditis gregibus latrocinia prohiberent. Sed hoc pro arbitrio accipiant legentes.* Hæc Diodorus, à quo diſcat furioſe diabolicus Guibertus, abſque ſcelere poſſe in fabulis variare expoſitiones. Apud *Eraſmum* adagium eſt μῆλα ἑσπερίδων δωρῆσαι, de magnificis promiſſis & donis. Hic fabula in politicum ſenſum mutatur. *Georgius Agricola* lib. 8. foſſil. cap. 2. *ad auri puri metalla* accommodat, ſicut & aureum vellus. Lib. 1. cap. 8. de veteribus & nouis metallis diuitias *Aetæ regis Colchorum* ex auri ramentis *aureum vellus* putat eſſe, eodemque capite *Atlantis regis Mauritaniæ* ditiſſimi *ex Atlante monte opes*, aureas arbores aureæ frondis & pomorum, ad quas rapiendas *Perſeus* profectus eſt, & poſt *Hercules* ad ſpoliandos *Heſperidum hortos*. Nil curat ſibi aduerſari *Palæphati* opinionem. *Agricola* quam proxime acceſſit ad Chymicos. Num & hic ſceleratus? Sed *Guibertus* à furiis in nobiliſſimam artem concitatus non poteſt aliter loqui quam furioſe.

TRACT. II. CAP. IV.

Suidæ teſtimonium.

PRoponitur diſquiſitio de teſtimonio *Suidæ*, *Oroſii*, *& Conſtantini Diaconi.* De *Suida* primum: Scripſit hic, tempore *Diocletiani* Cæſaris (qui anno ſui imperii 19. Chriſti 302. edictum propoſuit de conquirendis libris Chriſtianorum, vt & omnibus aliis, qui Deorum gentilium religioni aduerſarentur, quique pro magicis haberentur, quos qui reddebant, *TRADITORES* dicebantur: Baronius anno Chriſti 302. ſect. 16. & ſeq.) *in Aegypto Chymiæ libros combuſtos eſſe, ne eorum fiducia opibus comparatis rebellarent.* Vera ſcripſiſſe perſuaſum eſt *Cælio Rhodigino*, *Collegio Conimbricenſi*, *Libauio*, & aliis, non mediocriter eruditis viris, vt eos pag. 63. vocat. *Guibertus* in *Suidam*, & eius approbatores de hoc facto inuehitur. *Suidam* quidem ſupra fabuloſum appellauit, vt & hic pag. 63.

Approba-

Approbatores autem negat exacte diſcuſſiſſe commentum, quod vult *omnino eſſe falſum*. Argumenta:

1. Miror, nec diuinare poſſum quo modo *niſi diabolico Suidas* delatus ſit in hoc figmentum: quaſi argumentaretur: *Diabolici modi* figmentum eſt relatio *Suidæ* de combuſtis Alchemiæ libris. Ergo omnino eſt falſum.

2. *Si verum eſſet, inueniretur apud aliquem ſcriptorem vetuſtiorem, & non tantum apud Suidam ante annos 400. viuentem. At non inuenitur. Ergo.* (Nota hic ridiculum computum: Guibertus edidit nugas ſuas decennales contra Chymiam an. 1614. Ab his ſubtrahe annos 400. ante quos dicitur vixiſſe & ſcripſiſſe *Suidas*; reſtabunt anni 1214. Iam inter factum Diocletiani, & Suidam interceſſiſſe dicit annos plus 1200. (Forent tantum 927. re vera 912.) & Diocletianum factum Imperatorem an. Chr. 287. Baronius 284. ponit & demonſtrat. Colligatur iam ſumma: Agetur itaque iam annus Chriſti 1901. qui tamen re vera eſt 1614. Tam belle potuit numerare fatua illa anus præ furore, & inſania in Chymiam non videns quid ſcribat.)

3. *Suidam oportet hiſtoriam illam ab aliquo didiciſſe aut diuinaſſe. Neutrum eſt. Ergo falſum ſcripſit.* Aſſumtio firmatur: Non potuit ab aliquo didiciſſe; quia nullus probatus ſcriptor extat, qui de hac loquatur. Non diuinare: quia non poteſt diuinari id, quod hiſtoriæ priores non tradiderunt, quæque non leguntur apud vllum præter ipſum.

4. Veriſimile eſt *Suidam aut proprio ore loqui, aut referre auditum ab aliquo nugigerulo Alchymiſta*, quia nullus eſt, qui hoc ſcriptis memoriæ prodiderit.

5. *Tempore Diocletiani Alchymia ne nomine quidem nota erat*, nec reperiebantur ab illis temporibus, qui vterentur tranſmutatoria. Ratio: Hoc millies à Guiberto in ſuis libris demonſtratum eſt.

6. Quis tam bardus erit, qui non crediderit hanc *hiſtoriam excedere omnem fidem*? Ratio eſt: Quia Diocletianus non omiſiſſet tam bonam incredibilis opulentiæ occaſionem, ſed ipſe potius ſibi aurum & argentum feciſſet, *cæteriſque ſtudiis abiectis omnem mentis aciem ad tam diuinam artem conſequendam conuertiſſet, &c.*

7. Non eſt lex diuina quicquid dicit *Suidas*: ad quam anchoram tamen non opus eſt confugere.

8. Si quis rem diligenter examinet, inueniet *Suidam vel veritatem diſsimulaſſe, vel ignoranter lapſum eſſe deceptum à fabuloſo Chymiſta.*

9. Chymiſtæ ſolent omnia inuertere, & ad ſuam vanitatem comprobandam traducere.

10. Suſpicio eſt *Suidam* nefarii commenti occaſionem ſumſiſſe ex edicto Imperatoris de comburendis libris Chriſtianorum, non Chymiſtarum.

Reſponſio de Suidæ teſtimonio.

PRæter *rabularum infelices ſacculos*, ſcribebat in furioſa apologia Guibertus, *nihil inferri laudabilium ſtudiorum in locum ſeu angulum illum Galliæ vbi ſerpens iſte nutritur.* Ex iſtis didicit ad faſtidium vſque garrire, inſtar temulentarum & inſanarum vetularum. Quid opus verbis iſtis nugaciſſimis de teſtimonio, vbi ad res ipſas erat reſpondendum? Obſequamur tamen, ne nos accuſet ſilentii, & cauſæ perditæ. *Lotharingicum crepitaculum.*

Primum dicimus *Suidæ, Calij Rhodigini, Collegii Conimbricenſis, Roberti Vallenſis, Libauii*, & aliorum, quos Guibertus non mediocriter doctos appellat, longe firmiorem, plenioremque eſſe fidem, quam vt ab obſcuro iſto homuncione, quem rabies furioſa per omnia conuitia & mendacia, calumniaſque in Chymiam & Chymicos innexit, conuelli poſſit. Ex morbo ſuo & inſania mentis latrat, non ratiocinatur. Argumentum damus: Quia veriſimile eſt factum iſtud hiſtoricum, & qui id credunt, nullam cauſam iuſtam habent diſſentiendi. Item plus fidei habent quam is qui cum apoſtata factus ſit, perſequitur prius ſtudium quanta poteſt virulentia.

Secundo: Scriptum Suidæ per annos 639. autoritatem habuit. Definit enim Suidas an. Chr. 975. ſub Othone II. in morte Iohannis Zimiſcæ Imperatoris Græci. Putamusne crepitaculum iſtud Lotharingicum poſſe ei fidem detrahere? Ecquid pudet?

Tertio: Libauius & cæteri approbatores non tam reſpexerunt teſtimonium *Suidæ*, quam *antiquitatem & veritatem rei ipſius*, quodque probabile ſit, *Diocletianum arti inſidias feciſſe*, ſed cum libros non intelligeret vllus ex comitatu eius, artificesque ſe ſubduxiſſent, concremaſſe. Ægyptios autem, Perſas & Chaldæos artis gnaros fuiſſe (loquimur tantum de magiſtris, & arcanorum ſcrutatoribus) longe euidentius eſt, quam vt rabioſus calumniator incertum poſſit reddere. Ad argumenta.

Ad 1. Non *Suidæ* modus diabolicus eſt, ſed conatus *Guiberti*. Non enim diabolicum eſt rem geſtam referre, ſed ſuggeſtione diaboli à multis comprobatam veritatem ſubruere, id quod ad inſaniam vſque ex mero odio & rabie hic facit *Guibertus*.

Ad 2. Eſt Elenchus non ſequentis. Neque enim quod poſteriores narrant, id neceſſe eſt ab aliquo priore ſcriptum & traditum extare in publico. Si falſum eſt, quod poſteriores ſcribunt, liber Guiberti totus eſt falſus. Neque enim vllus priorum tantas furias euomuit. Satis eſt ad veritatem rei vel vnicus teſtis. Quanquam autem fortaſſe nemo inuenitur, qui mentionem fecerit iſtius combuſtionis præter *Suidam* (quod tamen eſt impoſſibile, præſuppoſito teſtimonium congruere cum re ipſa) tamen eius teſtificationi robur tantum accedit, quantum eſſet, ſi à multis prioribus eſſet prolata. Deinde *Guiberto* remittimus ſuum de antiquitate iudicium. Si enim hæc nullam habet præſcriptionem ad veritatem, quid prodeſſet *Suidæ* multos idem ante ſe dixiſſe? Num minus

negaturus eſſet factum rabula iſte furioſus? An vero omnes libri ſunt in illo angulo Galliæ, in quem nihil infertur laudabilium ſtudiorum? Num legit omnes Guibertus? Tertio ad primum & ſecundum argumentum ſimul ſpectat, Guibertum non conſtare mente, & non conſiderare Gheſuitulatum ſuorum fundamenta. *Aut ſcriptum aut traditum illi requirunt*, & inter hæc plus deferunt tradito, quam ſcripto. Si Suidas non habuit autoritatem ſcriptam, traditam habuit, atque ita plus fidei meretur. Veteres Cabalam vocabant. Ex traditione Cabaliſtica potuit hiſtoria eſſe.

Mendacia hiſtorica. Adiacet huic argumento mendacium duplex. Primum monſtratum eſt in errore computi. Secundum apparet in annis Suidæ, quem ante quadringentos ſcripſiſſe mentitur hoc ſenſu, vt velit non eſſe vetuſtiorem. Sane ille non tantum ante 400. annos fuit, ſed & antiquior eſt ſexcentis triginta nouem, quibus finita eſt eius relatio. Ita vero mentiendum fuit, vt verum eſſe appareret ante 600. annos non legi nomen Chymiæ, quod aliquoties affirmare non veretur blatero.

Ad 3. Nego aſſumtum, & ad probationem dico, quod Elencho diuiſionis fallat. Vt enim iam dictum eſt ex traditione accipere potuit. Sed & quis putet *Guibertum* de omnibus ſcriptoribus non mentiri, cum abſque rubore mentiri ſoleat? An vero etiam omnes legit is, qui 40. annos cum impoſtoribus conſumſit in fornaculis nebulonum? De diuinatione ridiculus eſt. Non eſt diuinatio, quod ex præſcripto transſumitur. Ideo amentis hæc vox eſt: *Non poteſt diuinari quod priores hiſtoriæ tradiderunt.* Si ſcis ex traditione, non diuinas.

Ad 4. Rideatur iterum homo ineptus. Dicam ioco. Nihil tam vere dixiſti, Guiberte, in toto tuo libro quam, *ſi locutus eſt Suidas, proprio ore locutum eſſe.* Non enim ſolemus mutuo, aut accommodato os petere, ſi ipſi loqui volumus. Quanquam autem hoc ſit veriſſimum, tam denſe tamen hactenus es calumniatus & mentitus, vt & hoc in dubium vocem. *Gretſerus* tuus volebat ſcriptionem eſſe aliquam locutionem. Verum ea calamo aut ſtylo fit, non ore. Sed locutus ſit proprio ore: An ſic loquentibus nulla fides? Imo fidem eſſe oportet aliquâ, ſi teſtibus vti poſſumus. Deinde non ſit locutus ore proprio, ſed *acceperit ab aliquo Alchymiſta.* Conſequens eſt, cum *Suidæ* ſcriptio ſit vetuſtior ſexcentis annis, Alchymiſtas antiquiores eſſe, & te ſemper mentiri cum negas eſſe vetuſtiores. *Antiquitas Alchymiæ.* Eſt autem & hoc riſu dignum. Nam & acceptum aliunde, vt calamo ſuo ſcribere, ita ore loqui potuit. Recipe te ad nebulones tuos impoſtores, cum quibus 40. annos fuiſti, & literatis literas relinque. Vide quam ſtulte ſuas rationes. Nam ex verbis tuis patet, *aut proprio ore locutum eſſe Suidam, aut ab Alchymiſta accepiſſe, aut ſuperiore ſcriptore.* Hoc tertium negas. Conſequens eſt alterutrum ex prioribus duobus eſſe. Dixi ſi non ſcriptione accepit, accipere potuiſſe traditione: Addo: Si non hauſit ex libris exotericis, ex commentariis ſecretioribus tranſtulit. Dico tertio: Non ſi noſtris temporibus non extant iſti commentarii, nunquam fuerunt. Multi enim perierunt: aliqui adhuc latitant.

Ad 5. Cuculiſmus inanis eſt mendaciſſimi, & nulla fide digni Guiberti. Fuiſſe enim iſto tempore longe fidelius Alchymiæ nomen aſſerit hiſtoria Suidæ, quam calumniæ Guiberti poſſint inficiari. Craſſum & fœdum mendacium eſt, quod id millies in ſuis libris demonſtrauerit. Detur, imputa & impudentia mendacia eſſe demonſtrationes: at vbi numerus millenarius? Inter carbones impoſtorum periit.

Philargyria Guiberti. Ad 6. Ructum pleni auaritia cordis hoc argumentum redolet. Philoſophorum ſuſtentationi hæc ſcientia inſeruit, non data eſt explendæ auaritiæ, quæ inexplebilis eſt. Philoſophi ſpectant ſalutem corporis humani magis quam diuitias: Et licet etiam ad tranſmutationem adhibeant, tamen eorum inſtitutum nunquam fuit auri montes producere. *Aut intellexit libros Chymicos Diocletianus, aut non intellexit.* Si intellexit, cognouit tantæ eſſe difficultatis, experientiæ, perſpicacitatis, conſtantiæ & ſedulitatis opus, vt de eo deſperauerit. *Si non intellexit, neque inuenire potuit magiſtros, quorum opera vteretur, quorſum ſeruaret?* Ideo quia cognouit Ægypti ſummates (neque enim res eſt plebis) fiducia per artem iſtam emergendi ad rebellionem concitari poſſe, & fors *Achilleus* circa ſe habuit Philoſophos Chymicos, conquiſitos commentarios combuſſit. Bardus eſt & ſtupidus Guibertus, qui hoc non potuit excogitare: Improbus & iniuſtus eſt, dum Romanis tantam auri, argentique ſitim aſſcribit, quorum potentia mundi opibus etiam ſine illa arte erat munita.

Quid ſi dicam inuidiſſe Romanos gloriam inuenti, & exculti magni perfectique magiſterii, ſicut Tiberius Cæſar ſcribitur temperatorem vitri è medio ſuſtuliſſe?

Ad 7. Par pari tollatur: Nec diuina lex eſt, nec humana, imo nec ratio quædam probabilis quicquid contra Alchymiam hermeticam Guibertus ſcribit. Si hoc eſt refutare teſtimonia, quod tibi licet, etiam nobis liceat. Diſce Dialecticam, furue fornacularum Paracelſicatum proſecutor.

Ad 8. Crambe eſt argumenti quarti. Quî diſſimularit veritatem, qui hiſtoriam veram ſcribere inſtituit?

Ad 9. Mendacium pro argumento audimus. Ponatur tamen aliquâ verum: Quia ergo Guiberti rationes temere in Alchymiam ſunt impactæ, inuertamus & has, dicamusque Alchymiſtarum cauſam eſſe fortiſſimam, quia nec oppugnata eſt viriliter à vetula iſta latrante, *Guiberto*, nec expugnata. Hic murus aheneus eſt. Hunc tu nunquam euerteris. Aduerſantium argumentorum vanitas roborat argumenta & cauſam Chymicorum.

Ad 10. Suſpicio vana hominis vani, *Suidas* combuſtionem librorum Chymicorum accidiſſe tradit bello Ægyptio contra *Tyrannum Achillea*, cuius Tyrannis incepit an. Chr. 289. & durauit ſexennium, intra quod expugnatæ multæ vrbes Ægypti, & captus *Achilleus* beſtiis eſt obiectus, quod factum tradunt an. 294. Perſecutio vero, in qua Chriſtianorum libri ſunt cremati, incidit in annum Chriſti 302. annum imperii Diocletiani 19. de qua legatur Baronius an. 302. ſect. 16. & ſeq. Intercederent itaq; anni circiter 12. Num veriſimile ſit hos præteriiſſe *Suidam*, & tanta diſtantia

hiſtorias

hiſtorias confudiſſe? Cur non dicis in Ægypto libris Chymicis intentatum facinus traductum eſſe ad libros Chriſtianorum, cum Chymici item non agnoſcant Deos gentilium, ſed vnum Deum cœli & terræ conditorem ſolum ponant, & fortaſſe celebratores artis tunc etiam erant Chriſtiani, in quorum poſſeſſionem poſtea tota peruenit? Audiatur *Suidas* ipſe: Sub Diocletiano (inquit) & Maximiano atrociſſima mota eſt contra Chriſtianos perſecutio. Iuſſerunt enim in ſingulis prouinciis & vrbibus Chriſtianorum Eccleſias euerti, & diuinas earum ſcripturas comburi, &c. Paulo poſt de rebus Ægypti in ſpecie: Hic Diocletianus homo vecors, & Chriſti oſor ira & furore percitus contra eos, qui in Ægypto res nouas moliti erant, non moderate poteſtate vſus eſt, &c. eodemque tempore veterum ſcripta de fuſione argenti, atque auri conquiſita combuſſit, ne ex illa arte ditati Ægyptii & pecuniæ freti copiis in poſterum rebellarent, &c. Hic confunditur Guiberti hominis nequam, nequam ſuſpicio.

Vt Guiberto præ inuidentia oculi doleant, repono hiſtoriam regis Ægyptii Calid.

C*Alid*, quem alii *Eutlid* vocant, filius *Gizid* ſecundi, rex Ægypti circa annum Chriſti 725. regnauit annos 18. Hic & Philoſophus fuit, & Philoſophorum amantiſſimus. Cum itaque *Hermes* magiſterium inueniſſet, & præceptis complexus fuiſſet, librum conſcriptum tantum diſcipulis, tanquam hæreditatem reliquit, qui auxerunt ſcientiam pluribus interpretamentis, & *intermiſcuerunt perplexitates ne inſipientes eam tanquam vulgarem arriperent.* Nihil hic profuit *Diocletiani* iniuria. Vera exemplaria vim fugerunt. Ex diſcipulis *Hermetis* fuit *Adfar Alexandrinus* homo Chriſtianus, ad quem Roma profectus eſt *Morienus Eremita Romanus*, & artem didicit. Sed mortuo magiſtro *Morienus in Eremum* circa *Solymam* conceſſit. *Calid* autem adeptus *librum Hermetis* vndiquaque ſapientes (ita ſe appellabant impoſtores tales, cum qualibus Guibertus 40. annis vixit) coegit, vt & interpretarentur ſcripta, & opere complerent. Sed *illi promiſſis largi, arte vacui pœnas capitis dederunt*, quas cum effugerit Guibertus, Deo gratias debet: prope ſuſpendium fuit. *Morienus* re audita tanquam alter *Daniel* cupiens liberare à ſententia mortis cæteros Philoſophos *ex Eremo redut in Aegyptum*, & in domo quadam ſingulari à *Calid* rege extructa artificium abſoluit. Abſoluto inſcripſit: *Omnes qui ſecum omnia habent, alieno auxilio nullatenus indigent.* Clam rege diſceſſit ad Eremum ſuam, & artem ibi exercuit, inque *omni anno multa auri & argenti pondera Hieroſolymitanis miſit.* Tandem inueſtigatus à rege Ægyptio ad eum reuerſus eſt, & arte expedita fecit videre regem *quæ ſit mira creatoris potentia*. Lege quæ in tractatu *Morieni* habentur minime fabuloſa, ſed conuenientia cum temporibus, perſonis, & re ipſa. Tranſlata iſta ſunt ex Arabico in Latinum an. Chr. 1182. die 11. Febr. Guibertus irridebit? At aliquot millionibus Guibertorum præferenda ſunt, propter rerum veritatem, & quia *Guibertus* tanquam rabioſus canis, & impoſtorum ſocius, vetulaque inſaniens, quæ inuidia artis quidquis contra eam eructat, non eſt audiendus. Toties mentiendo & calumniando effecit, vt ne verbulum quidem ei ſit credendum. *Sunt* autem in *libro Morieni & Calidis regis naturaliſſima artis fundamenta*, quæ non facile ab vllo poſſunt dirui, quæque ne audet quidem nugaciſſimus ille, & ſtolidiſſimus Guibertus aggredi. Non temere Calid iubet ſuum librum cuſtodire ſecretiſſimum: quia qui intelligit filius doctrinæ perfecturus ſit quod voluerit.

Nota Philoſophos magos, qui ſibi falſo artem arrogarunt.

Nota auri & argenti pondera arte facta.

Nota artem poſſe diſci ex libro Hermetis, Morieni, & Calidis, idque factum ante annos 889.

Iam de *Oroſio & Conſtantino* non ſum ſolicitus, vt qui non tantum ſuccenturiati aduenerunt. Contenti ſunt Chymici teſte *Suida* grauiſſimo conſpirante cum re ipſa. De eius libro. *Demetrius Chalcocondyles* hæc: *Liber hic multiplicem vtilitatem non ſtudioſis tantum adoleſcentibus, ſed & cuiuis ætati magnum & fructum, & voluptatem affert. Nec enim verba tantum hiſtoricorum, & oratorum, & quorumuis eloquentium autorum interpretatur: ſed & multas, variasq; hiſtorias, quæ non facile alibi reperiuntur, eo quod libri Græci, Romani, Ebræi, vnde hæc ſumta ſunt periere, complectitur.* Hæc ille. Audis Guiberte, ex quibus autoribus *Suidas* ſua hauſerit? Libri perierunt. Sed & ſi reſtarent, tu adeo blitum es, & fungus, vt nec latina elegantiora, nec græca, multo minus Ebraica intelligas, vt in diabolica apologia confitebaris. Tantum abes à latinitate pura QVOD (ita ſcribis pag. *66.*) in tota vix verbum intelligas. Ad ferulam Grammaticam carbonarie ſtolide: vt & in illo: Quod non poſſit imaginari verbum. Hui pecus arcadicum, quando rudere deſines? Ne nihil dicamus de Oroſio & Diacono, de quibus copioſe garrit vetula, ſciendum ita citaſſe Robertum Vallenſem, & fieri poteſt, vt pro Conſtantino legendum ſit PAVLVS, qui Oroſius vocatur cognomento Diaconus, qui lib. 7. cap. 25. hiſtoriam Diocletiani deſcribit, vt & Eutropius lib. 10. Non autem faciunt mentionem combuſtionis librorum Chymicorum, ſed tantum res cum Achilleo deſcribunt. Roberto itaq; ſatis fuit hiſtoriam belli confirmaſſe, in quo id contigit, quod Suidas annotauit.

Ad ferulam.

TRACT. II. CAP. V.

De Iulio Firmico.

COmplectitur inſaniam circa autoritatem *Iulii Firmici Materni Aſtrologi Conſtantini Imp. tempore* an. Chr. 320. & amplius. Nam & *Conſtantio, Conſtantiq;* fratribus, circa an. Chr. 337. imperio potitis librum quendam dedicauit. *Quæſtio eſt quantum eius teſtimonio ſit tribuendum.* Illud autem non eſt aliud quam Aſtrologicum ex conſequente. Qui enim Alchymiæ, & eius diſcipulis, magiſtriſve bonam vel malam conſtellationem in cœlo attribuere poteſt, eum neceſſe eſt præcognitos diu habere Alchymiſtas, & eorum artem. *Rei enim non exiſtentis, aut incognitæ nulla eſt aſſignatio.* Cum ergo

Si eludere rationes & autoritates eſt reſpondere, iam confutatus eſt Guibertus, & nihil demonſtrati apud omnes autores.

Dantur Alchymia 700 anni.

vetuſtus aſtrologus ſit *Firmicus*, & aſtrologicæ obſeruationes exurgant ex longa experientia: Conſequens eſt Alchymiam eſſe peruetuſtam. *Guibertus* eludit teſtimonium, & rationem inde ductam pluſquam ſcurriliter. Thema facit: Locus Firmici videtur aperte de falſo ſuſpectus; q.d. Falſum eſt teſtimonium ex Firmico. Argumenta:

1. Tempore Conſtantini Magni *nec res Alchymia nec nomen extitit*. Ratio de Nomine: Alchymiæ nomen eſt vox barbara, paucis ab hinc ſeculis ab Arabibus poſterioribus profecta, qui vanis artibus plus tribuerunt quam liberalibus. Id probat pag. 70. nugaciſſime. Ergo ridiculum eſt vocem Alchymia iam inde à Conſtantino Romanis familiarem fuiſſe putare.

2. Apud neminem alium ex antiquis Græcis aut Arabibus, Latinisue inuenitur, præter *Firmicum*. Nemo enim *Alchymiam* nominauit ante 600. aut ad ſummum 700. annos, nec aliquid ad Alchemiam pertinens ſcripſit.

3. Eſt ciniſſonum recens commentum omnino falſum, teſte *Caſaubono* & *Salmutho* de nouis repertis *Pancirolli*.

Purgatores librorum Pontificii.

4. Aut *Firmicus* eſt recentior ſcriptor ob nomen recens vſurpatum: aut *ſi vixit Conſtantinò imperante* opus *Matheſeos ei falſo à recentioribus tribuitur*: aut nomen *Alchymiæ* eſt additum ab aliquo recentiore. Nam *purgatores librorum* talia multa annotarunt, & quotidie animaduertunt, ſuſtuleruntq; ex multis ſcriptoribus, quæ corruptores miſcuerunt.

5. *Firmicus* eſt vanus & futilis (pag. 71.) quia ſcripſit de vanitate aſtrologiæ iudiciariæ.

6. Opus *Firmico* aſſcriptum non eſt antiquum ſaltem omni ex parte. Ratio eſt: Quia contra morem latinorum multa peregrina vocabula miſcuit ſuis ſcriptis. Item characteres aſtrologicos, planetarum, ſignorum, manſionum, &c. quæ ſunt recentiorum; quia lippis & tonſoribus notum iſta omnia ab Arabibus poſterioribus non multis ab hinc ſeculis eſſe profecta.

Iam Alchymia eſt vetus.

7. Vox *Alchymia* eſt in hoc opere, vt aliquis ſuſpicari poſſit, *inſititia*, ſuperaddita ab aliquo *Alchymiſta*. Ratio eſt, quia ſi voluiſſet eius meminiſſe, meminiſſet lib. 8. de *metallariis aurificibus*, &c. quos veriſimile eſt ſub eodem ſydere eſſe. Hactenus contra: *Iam conceditur quod Firmicus ipſe meminerit*, & fuerit in veterum animis Alchymia: At non omnes artes & inuenta veterum ſunt bona: vt magia & aſtrologia iudiciaria cum ſimilibus, quibus infectus eſt totus orbis. *Alchymiam nemo niſi INSANVS neget non exiſtere venenatam & peſtiferam.*

Hoc eſt cerbereum ſputum huius capitis, ex quo naſcetur aconitum vetulæ iſti furioſæ *Guiberto* perniciale & lethiferum.

Dicimus 1. Miſerum eſſe diſputatorem, qui ſe transformans in omnia rerum miracula iam concedendo, iam negando, modo aſſumendo aliquid, modo ſubtrahendo; & conuitiando, &c. tamen non poteſt obtinere aliud quid, quam ſui dedecus & ignominiam. Dicimus 2. Pro *Iulio Firmico* grauiores & vero, fideque digniores ſunt autores, quam ſcurra iſte furioſus, odio artis vltra dementiam delirans. Itaque non eſt vt huius rabie moueantur à ſua ſententia boni & ſapientes. Dicimus 3. Cauſa male defenſa, & quæ indiget iſtiuſmodi in omnem partem verſutiis, arguit ſeipſam temeritatis & falſitatis. Dicimus 4. Siue in cœlo ſint fata Alchymiæ, ſiue non ſint, hoc certum eſt, *Iulij Firmici* & *Conſtantini Magni* ætate publice notum fuiſſe, & artificium Chymicum, & eius profeſſores: id quod & ſuperioribus argumentis eſt liquidiſſimum.

Reſponſio ad obiecta.

Vox Alchymia:

AD 1. Falſum eſt Conſtantini M. tempore nec rem Alchymiæ, nec nomen fuiſſe, quanquam de nomine non adeo debeamus eſſe ſoliciti, ſi rem habeamus. Probo falſitatem obiecti hoc ipſo *Firmici* teſtimonio, quod longe eſt luculentius & firmius, quam vt à rabioſo *Guiberto* poſſit euerti. Idem probant libri *Hermetis triſmegiſti*, &c. Quæ de nomine *Alchymiæ* proferuntur, aniles ſunt nugæ. Falſum enim eſt nomen eſſe barbarum, cum ſit Græca tota pronunciatio excepto AL articulo. *Suidas* ſane ipſe extulit Χημεῖαν, vel Χυμεῖαν, quam Latini interpretantur fundendi artem. Quod autem dicitur ridiculum eſſe à Romanis vſurpatam tunc eſſe peregrinam vocem Alchymiam, riſu excipiendum eſt ob ſtultum iudicium. Si Romani peregrinas artes etiam prius quam Alchemiam didicerunt, cur non earum vterentur terminis? Non autem adeo familiaris vox fuit, vt populares latinæ. Mirum eſt non pudere Guibertum adeo ſcabioſa chartis illinere.

Ad 2. Sit ita vt ſcribis anus iſta malicioſa. Satis eſt apud *Firmicum* extare. Non eſt neceſſe, vt quod ego nomino, prius ab aliis ſit nominatum. Veruntamen quod ad appellationem ipſam attinet, cum ex græco fonte ſit, cur non vſurpata ſit de fuſione metallorum pridem? Num *Firmicus* eam confinxit? Quod ille Romanus ius habuit in græcam linguam? Ab aliis accepit, quod ſcripſit, idque obſeruatione diuturna. Vnde vero probat nugator ante 600. aut 700. annos vocabulum non eſſe nominatum? Num omnium commentarios legit? Mendacium impurum eſt tum non eſſe nominatum, cum *Firmicus* nominauerit, & poſt circa annum CHRISTI 660. etiam *Bulcaſis*, inde *Auicenna*, *Meſues*, & alii; tum neminem aliquid ad Alchymiam pertinens ſcripſiſſe, cum in *Aegypto*, & *Chaldæa* & *Perſia* neceſſe fuerit extitiſſe libros, quos *Auicenna* in epitomen contraxit, & ex quibus *Aegyptus* artem didicit. *Hermes* ſane etiam longe ante *Conſtantinum* ſuos commentarios diſcipulis tanquam hæreditatem commendauit, qua in re longe melior fides eſt barbatis & vetuſtis monachis, quam malitioſo & furioſo *Guiberto*, cum illi ſimplici animo candide quid rei eſſet ſcripſerint, *Guibertus* autem virulentiſſimo maximeque hoſtili, nullam aliam ob cauſam, quam quia à Deo & natura indignus fuit habitus cui ars crederetur, & totos annos 40. cum nebulonibus conuerſatus tantum bonas horas, & vitam perdidit, ideoque perſecutor ſui ordinis eſt factus.

Ad 3. Men-

Ad 3. Mendacium eſt. Ad *Salmuthum* quod attinet, is ſuam libertatem habeat in coniectando. Mihi vt & *Pancirollo* lingua ipſa Græcorum aſtipulatur. De antiquitate vero artis contra Guibertum Pancirollus ait: *Equidem hanc antiquiſſimam credo, licet poſtea intermiſſam, &c.* Refert eo *Suidæ* teſtimonium de aureo vellere, & Diocletiani conatu. *Salmuth* affert interpretationem illam, quam *Quercetanus* cum aliis nonnullis amplexus eſt, vt dicatur à *Suida* quidem χημεία, ſed ab aliis ἀλχημεία à fuſione ſalis, ſecus ac *Pancirollus* volebat ex articulo Arabico, & Græca dictione componens vocabulum. Loquitur autem *Salmuth* hypothetice, quaſi Arabica vox ſit, ſi apud eam gentem ſignificet ſalis fuſionem, cuius tamen originem ex Græcia petit. Qui vero tibi, *Guiberte*, ſi *Salmuthus* eſt ſufficiens contra Libauium autor, hæc eius verba placent: *Vltra mille octingentos viguiſſe hanc artem in Aegypto ante Diocletianam Chymicorum librorum deuaſtationem recte poteſt colligi?* Duos habes autores, qui rabiem tuam ſuo iudicio firmiore retundunt. Adde quæ de *Firmico* & *Suida* contra te ſtatuit idem *Salmuthus*. *Salmuthi ſententia.*

Ad 4. Ridicula & plane anilis diſiunctio. Quam laborat homo ineptus, vt *Firmicus* non ſit *Firmicus*, aut liber *Firmici* non *Firmici*? Quo argumento? Opinionis præconceptæ fatuæ: quia putat nomen *Alchemia* tunc temporis nondum fuiſſe in rerum natura. At fuiſſe, *Firmicus* eſt plenus teſtis. Non tantum de Aſtrologia is ſcripſit tempore Concilii Niceni, ſed & de errore profanarum religionum ad filios Conſtantini Conſtantium & Conſtantem. Non eſt recens autor, qui an. 337. ad iſtos ſcribit. Tantine ſit hominis rabioſi opinio, vt antiqua, & ab omnibus recepta monumenta ei cedere debeant? Qua fiducia? Ecce autores honeſtos. Sunt illi, qui omnia pro Papatu ſtabiliendo faciunt, & ideo qua fide, qua perfidia non dubitant libros veteres & nouos expurgare, vt ſi quid non ſit ſatis papaliter ſcriptum, id vel expungant, vel interpretentur contra mentem autoris, vel aliter mutent, id quod ipſi in *Indice expurgatorio* fatentur, de libro *Bertrami* ſic ſcribentes: *Quanquam librum iſtum magni non exiſtimemus momenti: Itaque non magnopere laboraturi ſimus, ſi vel nuſquam ſit, vel intercidat, &c.* Et paulo poſt: *In Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, extenuemus, excuſemus, excogitato commento perſæpe negemus, & commodum iis ſenſum affingamus, &c.* Hoc ſceleratum genus hominum in cauſa teſtimonii *Firmici* ſequitur *Guibertus*, ſimili ſcelere tractando etiam *Firmicum*, quaſi ab aliquo recentiore nomen Alchymia eius libro ſit adiectum. Ipſe vocat diſciplinam Ægyptiam lib. 3. Matheſ. & cap. 15. ad Mauortium Lollianum Alchymiam appellat ſcientiam. *Expurgatores ſeu adulteratores librorum.*

Ad 5. Iam argumentum vertitur in conuitium. *Vanus homo eſt Firmicus: Ergo eius teſtimonium non eſt magni momenti.* Ridiculum. Sit vanus: At eſt antiquus, & ab antiquo repetit nomen *Alchemia*, quod ideo ſuam vetuſtatem non perdit, quia à futili homine pronunciatur. Inuertatur: *Vanus homo eſt Guibertus: Vana ergo ſunt quæ contra Alchymiam nugatur.*

Ad 6. Puerile commentum. *Firmicus* licet Romanus fuerit natione, tamen quia à Græcis & Arabibus artem aſtrologicam didicit, diſciplinæ verba & phraſes debuit retinere, ſicut & *Cicero* fecit in Phænomenis *Arati*, quæ ideo non ſunt recentia, quia terminos habent aſtrologis vſitatos. *Ptolemæus* aſtrologus Coætaneus *Galeno* medico floruit circa annum Chriſti 134. & inde. Ab hoc *Firmicus* aſtrologiam didicit. Quidni vteretur eiuſdem terminis? Eius doctrinam antiquam eſſe neceſſe eſt, qui morem diſciplinæ antiquæ in terminis & phraſibus ſeruat. Qui ergo ſunt iſti *Lippi & Tonſores*, quibus Guibertus dicit notum eſſe voces aſtrologicas ab *Arabibus* poſterioribus non multis ab hinc ſeculis eſſe profectas? Num *Aratus*, *Ptolemæus*, & alii veteres tam ſunt nouitii? Ego puto omnes iſtos lippos & tonſores in malitia & rabie *Guiberti* eſſe, qui vt theſin obtineat ſumma imis miſcet, noua veteribus confundit, & ſine pudore ait, negat quiduis. *Malitia Guiberti.*

Ad 7. Crambe eſt turpiter olens ex arg. 4. Suſpicio hominis vani eſt nequam. Sciuit *Firmicus* quo in loco cuius rei deberet facere mentionem. Quo modo etiam poteſt obreptitium eſſe, cuius decretum & dogma aſtrologicum ſingulare datur? Materia, de qua eſt lex, non eſt ſubreptitia.

Ad conceſſionem. Exemplum habemus Vertumni. Iam mutat ſe in aliud prodigium. *Sit Alchymia vetus.* Bene. *At non bona.* Reſpondeo: Eſt Elenchus plurium quæſtionum. Iam non de bonitate quæritur, ſed num *Firmico* res & nomen fuerit notum, vt inde de vetuſtate ſtatuatur. Si de bonitate quoque quærendum eſt, meminerit Guibertus quam bonam fecerit Chymiam in *Diocletiano*, quem putat *artem adeo vtilem & nobilem non fuiſſe ſubuerſurum, ſi vlla ipſi innotuiſſet.* Quod autem iam dicit Alchymiam eſſe venenatam & peſtiferam, id falſum eſſe etiam de impoſtoria ſuo exemplo conuincit. Si enim tam peſtifera fuit cur non deleuit *Guibertum* 40. annos circa eam occupatum? At nos *de Hermetica bona* agimus. Quanto minus hæc erit venenata? Quanquam autem totus ſtultus ſit Guibertus, tamen agnoſcit ſe negando contra *Firmicum* nihil profeciſſe, atque ideo ſaluum eius eſſe teſtimonium. Id & ſaluum manebit. *Iam Alchymia eſt vetus.*

TRACT. II. CAP. VI.

De Lucerna perpetua.

Vid. integrum tract. Fortunij Liceti De Lucernis mortuorum. item Musæi Calceol. Veronens.

Hiſtoria eſt de monumento *Maximi Olybij* in agro *Patauino* iuxta oppidum *Ateſtam*, in quo inuentum lumen perpetuum ardentis, & annis 1500. non extinctæ lucernæ. Verſus additi indicant *Olybium* elementa graui labore digeſta incluſiſſe forma liquoris precioſi. Quidam ex Chymicis opus artis ſuæ eſſe voluerunt, & quidem magni magiſterii perfectiq; Philoſophorum. Quod ſi eſt, magnam vetuſtatem artificium habebit. Nam ante natum Chriſtum oportebit magiſterium confectum eſſe: ſicut & quod in Tulliæ F. Ciceronis ſepulcro eſt inuentum. Non quidem neceſſe

habemus vti hoc ad vetuſtatem artis comprobandam argumento: Multa enim ſunt alia, quæ ſtulte, ita temere hactenus diluere conatus eſt Guibertus: Veruntamen animi gratia contempl mur quid ſit rei.

Guibertus negat virum prudentem acquieſcere debere aſſertioni huic Alchymiſtarum ad pr bandam antiquitatem Alchymiæ. 1. Rationem affert: Quia fabula eſt. Hoc vt probet, adduc diſſenſum circa narrationem. Aliter enim dicit narrare *Hermolaum*, qui floruit anno 1493. Alit *Godofredum Torinum*, anno 1510. Aliter *Del Rio* magorum inquiſitorem anno 1558.

Arg. 2. Coniectura iſta Alchymiſtarum eſt valde futilis.

Arg. 3. Impoſſibile eſt vt lucerna ardens multa ſecula conſeruari ſub terra poſſit.

Arg. 4. *Auerrhoes* dicit leuitatis ſignum eſſe credere aliquid eſſe verum, quod ratio non pote comprehendere, nec intellectus intelligere.

Arg. 5. Aut reperta ſunt iſta, aut non reperta: Si non reperta, per ſe cadit Alchymiſtarum arg mentum. Si reperta: PROFECTO exiſtimandum eſt illos verſus vrnis inſcriptos, *ſuppoſititios* fuiſſ & doloſe defoſſos, poſteaque exemtos ad faciendam fidem vanitati iſti.

Obiectio: At ab antiquo fuerunt poſiti. Reſp. 1. Minime credo. 2. Non dubitarem ad quidu aliud ſpectaſſe autorem tenebricoſis iſtis verſibus, quam quod ad Alchymiam tranſmutatoria poſſit referri. Ratio: *Mercurius*, cuius ibi fit mentio, non eſt Chymiſtarum, ſed furum. 2. Idem n ante multa ſecula aſſignatus eſt metallis, vt & cæteri planetæ: nec ante tria aut quatuor ſecula a gentum viuum dictum eſt Mercurius, &c. qua in re valde eſt nugax & anilis, inter alia *negans cr dendum Chymiſtas ad aurum & argentum conflandum vti Mercurio.* Ratio de *Elementis*: Chymiſtæ n poſſunt coniecturis aut argumentis vllis probare ibi non 4. mundi ſimplicia elementa ſignifica ſed diuerſas illas ſubſtantias, quas ex VNOQVOQVE corpore ſeparare tentant. Ratio huius: Qu ante ſex ſecula non nouerunt illas quatuor ſubſtantias in rebus comprehenſas arte deſtillato ſeparare. 2. *Certum eſt:* Non multo ab hinc tempore Alchymiſtæ ceperunt illas *ſubſtantias vocare el menta.* 3. Non figurata, ſed propria elementa deſignari eſt veriſimilius. Ratio huius: Quia propr cuiuſque vocis ſignificatio eſt prior translatitia.

Arg. 6. Latet aliqua impoſtura. Ratio: Quia bona pars iſtorum verſuum ex *Plauto* fluxit. R cenſet verba *Plauti* ex Amphitrione ſub perſona *Mercurij*: *Vt vos in roſtris voltu mercimoniis, &c.* Ite *oculos emiſſitios* petit ex Aulularia.

Arg. 7. Nihil ſtultius, nihil ineptius eſt, quam ſcribere lucernam inextinguibilem beneficio l quoris in ampullis ex auro & argento contentis ardere: quia liquor & lucerna ſe non tangunt.

Arg. idem fere tertio. Arg. 8. pag. 79. Nemo credere poſſit virtute liquoris vel alterius rei lucernam ardere potuiſ ſupra 1500. annos in locis ſubterraneis.

Arg. 9. Si vera eſſet hæc fabula, tamen non pertineret ad probandam veritatem & antiquit tem Alchymiæ tranſmutatoriæ.

Arg. 10. Nihil impedit quin liquor iſte fuerit ex eo genere, quo litabatur, aquæ, vini, olei, ſucc quia liquor prædicatur de quouis humore.

Arg. 11. Breui diuulgabo diſputationem de lucernis ardentibus in ſubterraneis monument inuentis, facta ſuper hoc diligentiſſima inquiſitione. Hæc Guibertus de Lucerna.

Oppoſitum.

Ad ſcuticam. ANte omnia conuocandi ſunt non Chymiſtarum lixæ & calones, ſed quorumuis carbonari rum, vt huic rudiſſimo aſino ſcuticas infligant, eumq; fuſtibus probe demulſum, & dolitu reddant. Quis enim ferre poſſit ineptiſſimos iſtos ruditus?

Deinde ſic argumentamur: *Quæ res confirmata eſt teſtibus fidei hiſtoricæ ſatis ſuperque ſufficientibus, ea infirmare verbis ineptis, & ratiunculis ſtolidis velle, magna eſt dementia.*

Hiſtoria inuentæ in monumento ſubterraneo lucernæ ardentis confirmata eſt teſtibus ad fidem hiſtoricam ſa ſuperque ſufficientibus. Ergo, &c. Probo aſſumtum:

1. Ipſe Guibertus producit hiſtoricos magnæ fidei; *Petrum Appianum*, *Bartholomæum Amantiun* (de quibus dicit quod in perquirendis, deſcribendis, & publicandis veterum monumentis, ſedu lam nauarint operam) *Hermolaum Barbarum* an. 1493. id referentem: *Godofredum Torinum Biturige* an. 1510. idem narrantem: *Martinum Del Rio* lib. 1. cap. 5. quæſt. 1. magic. *Scardoneum Patauinum* antiquitatibus vrbis Patauii an. 1558. Hos ſex ipſe recenſet. 2. Nos addimus *Simeonem Ma olun* Epiſcopum tom. 1. Canicularium, qui citat *Ludouicum Viuem* cap. 6. *Auguſtin.* de ciuitate Dei ca dem narrantem hiſtoriam. Refert & *Iohannes Langius* in epiſt. 52. lib. 2. qui citat *Viuem*, *Hermol um Geſnerum*: *Pancirollus* lib. 1. rerum memorabilium, cap. de oleo incombuſtibili, narrat hiſtoria *Paulo III. Papa exiſtente* de ſepulcro filiæ *Ciceronis*, in quo fuerit lucerna etiam tunc ardens, ſed ad miſſo aere extincta: arſerit autem annos 1550. Huic atteſtatur *Salmuthus*, qui citat *Statium*, *Herm laum*, *Maturantium*, *Scardeonem*, laudatum à *Guilandino*, &c. Ex *Maturantio* dicit inueniri alicubi i ſubterraneis Italiæ monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes, qualis fuerit *Maximi Ol bij*, &c. Omnino ante furioſum Guibertum à nullo in dubium res vocata eſt.

Adiicio argumentum ſecundum: *Quæ res rationem habet, & certam materiam inextinguibilem, ſi in cendatur, certamque compoſitionem artis: non videri debet incredibilis, aut fabuloſa*: Cuiuſmodi eſt illa lu cerna. Quæ autem ſint illæ materiæ, inuenire eſt apud Maiolium, Cardanum, Scaligerum, & alio Inter Chymicos quoque recenſetur *Abbas Tritemius*, qui duorum luminum talium deſcriptioner dedit, eſtque notus lapis *Asbeſtus* ex argumento nomen adeptus, & qui de æternis Æthnæ incen diis diſſerunt materias ſemetipſas inſtaurantes ei ſubiiciunt.

Dico ter

Dico tertio: Si vna tantum eſſet lucerna in omni hiſtoria, poſſet ea in dubium vocari. At iam extant duarum certi & locupletes autores, nobis ſaltem notarum; vnius de qua *Hermolaus, Maximi Olybij*: alterius *Tulliæ Ciceronis*, de qua *Pancirollus*.

Quarto: Quod ad Chymicum artificium pertineat materia luminis, ſeu lucernæ ardentis, ſic colligo: *Si Chymiæ eſt puriſſimas, lucidiſſimasq́ miſtorum eſſentias à craſſitie elementari ſeparare, & cœleſtium corporum naturæ analogas exhibere: Si item modi locutionum & verba deſcripti artificij cum Chymicorum diſciplina conſentiunt, nec inueniuntur in alia ſcientia: opus luminis perpetui Olybiani Chymicum eſſe conſentaneum eſt. Eſt autem antecedens. Et conſequens ergo.* Aſſumtio declarabitur ſequentibus.

Quinto: Non eſt vt de Triſmoſyni compoſitionibus dicam, cum iam fama fraternitatis de roſea cruce non tantum lucernas tales proponat, verum etiam carbunculum inſtar ſolis ſplendentem.

Reſponſio ad obiecta.

AD 1. Mendacium impudens pro argumento eſt. Quod autem ad diſſentientes narrationes attinet, habet Elenchum Sophiſticum à dicto ſecundum quid. Qui autores proferuntur, agnoſcunt lucernam ardentem Olybii. Rem ergo ipſam agnoſcunt. Si non omnes addidere circumſtantias, prudentiæ eſt, non hiſtoriæ falſæ argumentum. *Torinus omiſit quædam. Ergo hiſtoria eſt falſa.* Nego ſequi. *Scardeonum citat Del Rio Gheſuitula* ille flammis dignior quam ſagæ & magi infames, nec meminit verſuum. Ergo eſt fabula. Reſp. *Gheſuitæ teſtimonium eſt nullarum virium. Id enim genus hominum mentitur, codices truncat, auget, & omnino ſceleratis factis omnem fidem perdidit.*

Ad 2. Conuitium eſt pro argumento.

Ad 3. Falſum eſt argumentum. Quidni ſit poſſibile flammas ſubterraneas continuari pabulo perpetuo vt in Æthna, & tot ignibus ſubterraneis? Mirum non cogitaſſe *Guibertum* de ſuo purgatorio & inferno, cuius ignis ἀσβεστός. Matth. 3. v. 12. Marci 9. v. 48. Luc. 13. 17. *Cardanus* lib. 10. var. c. 49 non dubitauit lampadem proponere diuturnam olei pabulo. Quod ſi hoc tale fuerit, vt igniculum alat ſine conſumtione, aut ſe reſtauret per modum deſtillationis in vaſe concluſo, vbi tamen igni ſufficiens ſit aer, nihil fiet impoſſibile. Imo & ſine flamma luces parare poſſunt Chymici, tanquam in *dactylis marinis, lampyride, carbunculo*, & ſimilibus.

Guibertus experturus eſt tandem ibi, quod hic negat, ni conuertatur.

Ad 4. Canat illam *Auerrhois* cantilenam *Maiolio* de ignium miraculis: Canat *Gheſuitulis*, qui quiduis ſuis nouitiis perſuadere norunt, etiamſi ſit contra omnem ſenſum, intellectum, experientiam, veritatem, & Deum ipſum. Ad naturalia quod attinet, multa ſunt, quæ initio incredibilia videntur, ſed mox ſe ſui euidentia probant. Non eſt contra intellectum & ſenſum lucerna perpetua, argumento luminum cœleſtium, nec ita credidit *Abbas Sponhemenſis*. Si contra intellectum Guiberti eſt, næ oportet aerem illum Lotharingicum eſſe bœotico & arcadico craſſiorem. Duæ hiſtoriæ tot teſtibus omni exceptione maioribus comprobantur: Et tamen hebes eſt intellectus *Guiberti*? O aſininum pecus quando in hominem ad exemplum *Apulei* mutaberis?

Aer Lotharingicus Guiberto non eſt ſubtilis.

Ad 5. *Proteum* hîc habemus; qui quicquid dicit, *aut eſt, aut non eſt*. Non poteſt negare repertam eſſe lucernam cum adiunctis. Refutat ergo iam omnia argumenta inficientia, & ſeipſum infamem reddit. Cur fabulam appellas, & rem impoſſibilem, ô fatue ſi credere & ponere potes iſta eſſe reperta? Sed quid tamen cauillaris? *Verſus tibi ſunt in oculo vnguis.* Imo fiant & carcinoma cordis. Si rem ipſam habemus, quid verſus curamus? Ecce leuiſſimum ſcurram. *Iurat* PROFECTO. Quid? Verſus eſſe ſuppoſititios doloſe defoſſos & refoſſos. Quaſi vero Alchymia eiuſmodi dolis opus habeat, aut veriſimile ſit monumenta iſta potuiſſe impune aperiri. Cur non extinguebatur ſtatim lumen admiſſo aere, vt factum tandem?

Sic Tireſias ad Vlyſſem: Quicquid dicam, aut erit, aut non erit.

Ad obiectionem. 1. Non refert quid tu credas aut non credas. Es enim Vertumno ipſo verſatilior, & ſtipulis aridis leuior. 2. Nugaris vltra omnem vetulam & ambubaiam, adeoque ineptis, vt tibi Mercurii caduceus ſit impingendus, aut pro eo flagella vlmea. *Qui ſunt iſti Chymici, qui Mercurium, mercatorum mentientium & fallentium Deum, mutarunt in mercurium Philoſophorum?* Nullus hermeticus, ſed tuorum nebulonum aliquis, quos ſecutus es totos 40. annos. Negas Chymicorum materiam eſſe mercurium & aurum. *Si vulgaria iſta intelligis*, quæ & vacca & aſinus videre poteſt, *recte negas: ſi Philoſophica, ſtultitiam* tuam, imperitiam & impudentiam *prodis*. Stultus ſi taceret pro ſapiente haberetur. At tu tacere non potes tuam prauitatem. De *elementis* ſimiliter deliras. Quænã ſunt illæ *quatuor ſubſtantiæ Chymicorum*, dic naſutule? Num tu etiam intelligas elementa artis aurificæ? Ad raſtra natus es, non ad myſteria Chymica. Ecce iam quinquaginta annos in Alchymia, vti putas, es verſatus, & nondum didiciſti diſcernere elementa. O te beanum ſordidiſſimum, & craſſiſſimum aſinum. Lege mea commentaria, & diſce prius quam contra hermeticos ſcribas, aut muſſites.

Ad fuſtes.

Elementa.

Ad ferulam.

Ad arg. 6. Grammatici tibi hic debent virgam ſcholaſticam. Citas duo loca ex *Plauto*, & putas inſcriptionem myſterii Olybiani ex eius comœdiis ſumtam eſſe. Sed prior locus nihil habet affine: Poſterior oculos emiſſitios producit. Quid tum poſtea? Acceperit latina verba autor ex Plauto? An hic recens ſcriptor? Deinde quid ſi ex Næuio, Liuio, aut alio vetuſto ſumſiſſet? Num impoſtura foret in re ipſa? Sic argumentor: *Guibertus latinitatem ſuam hauſit ex libris veterum latinorum, atque vtinam ſine vapulante Priſciano. Ergo latet ſub eius conatu aliqua impoſtura.* Si tuum argumentum valet, etiam hoc meum.

Ad virgam.

Ad 7. Nihil ſtultius, nihil ineptius, quam ſcribere lucernam inextinguibilem eſſe liquoris incluſi beneficio. *Iſtud autem ſcribit Guibertus.* Nemo enim hermeticorum adeo inſanit. Nihil ergo ſtultius & ineptius Guiberto. Si tibi verba videntur abſurda, cur non ſententiam inquiris? Quid

enim ſi non flamma arſiſſent iſti liquores, ſed fulgore, quali noctilucæ? Quid prohibeat etiam flammulam emicuiſſe ex vtraque ampulla intra aliam maiorem ita contenta vt aeris ſat habuerint pro ſuo igniculo?

Ad 8. Falſum pronunciatum eſt. Nam multi grauiſſimi autores crediderunt, & qui rationis ſunt compotes credere poſſunt. Norunt enim in miſtis eſſe eſſentias cœleſtibus lucibus analogas. Quin res ipſa comperta fidem ſecum habet.

Ad 9. Quis eſt iſte qui ad tranſmutatoriam adhibuit niſi tui ſocii impoſtores? Si tamen liquores iſti fuerunt auri & argenti ſolutiones, certum eſt per tranſmutatoriam fieri potuiſſe; vnde proclamatum eſt & celebre aurum, argentumque potabile, & ſales horum metallorum ſolubiles. Sed ſatis eſt parte artis antiqua, artem antiquam dicere.

Ad 10. Stulta eſt coniectura. Quis aquam, vinum & oleum vulgaria vocet latices precioſos, qui poſſint tam diu ſine corruptione durare?

Ad 11. Procedat in publicum tua diſputatio. Si nihil habebit ſapientius, egregie vapulabit, & te ignominiam & dedecus Lotharingiæ eſſe teſtabitur.

TRACTAT. II. CAP. VII.

De auro Caj P. R. ex auripigmento.

PVgna eſt circa locum hiſtoricum Plinii ex lib. naturalis hiſtoriæ 33. cap. 4. *Tribus modis* apud Romanos aurum inueniri docet. 1. *Fluminum ramentis*, ſeu Chryſoplyſiis. 2. *Puteis*, ſeu effoſſis puteorum ſcrobibus. 3. *Cuniculis & euerſis montibus*. Addit: *Auri faciendi eſt etiam vna ratio ex auripigmento, &c. Caius princeps iuſſit excoqui magnum pondus, & plane fecit aurum excellens, &c.* Quatuor ergo rationes narrat Plinius. *Prima* eſt tantum ſimplex ſeparatio. *Secunda* venæ auriferæ præparatæ excoquuntur fornacibus & catinis. *Tertia* conſtat vtroque modo. Nam *arrugia* quæſitum aurum ſtatim ſuum eſt, nec coquitur: reliquum excoqui oportet. *Quartus* modus eſt in dubio. Quidam arbitrantur *Auripigmentum* Syriæ aurum continere actu, perinde ac eſt in venis aliis, ex quibus ſeparatur & conflatur. Alii volunt eſſe tantum materiam, quæ potentia ſit aurum, fiatque aurum actu excoctione & medicaminibus. Hæc ratio generatio quædam eſſet, aut maturatio, quam & tranſmutationem voces. Generationes enim ſunt μεταβολαὶ, quibus ex potentia metallo fit metallum actu. Gigni aurum ex non auro pridem demonſtrauit *Agricola, Matheſius*, & alii rerum mineralium gnari. *Augurellus* ſcribit, eſſe *pigmentum quoddam auri, quod in Syria effoditur pro pictoribus habens in manifeſto auri colorem cum ſit lapis friabilis ſpecularis inſtar.* Hunc vult purgari, & multo igni reuerberii vri. Sic enim *obrizum* ex eo fieri poſſe, ita vt non amplius ſit pigmentum auri, ſed aurum ipſum: *non amplius colore auri ſimile, ſed eſſentia idem.* Habet Chymia auri immaturi maturandi modos quoſdã tum per ignem induſtrie adhibitum, tum medicamina, quæ res tranſmutatio quædam eſt, qualem agnoſcunt nonnulli etiam in lapidibus & terris, ſeu ſabulo aliorum metallorum, quæ non actu, ſed potentia tantum ſunt metalla. Nec eſt capitale hoc, ſed naturale documentum. Quid *Gubertus*? Semel inſtituit totis viribus Alchymiam tranſmutatoriam expugnare. Admouet ergo ſuos arietes etiam huic muro: ſed quo maiore cum inſania, eo minore cum profectu.

Primum *de Libauio mentitur, quod ſtatuerit aurum ex auripigmento fieri per tranſmutationem illam, quam Chymici artifices profitentur.* Ita ſcribit Libauius: *Arſenico affine eſt auripigmentum, ſandaraca* (Græcorum) *& realgarium, ſeu cadmiæ fornacariæ ſpecies: & videtur auripigmentum cum auro conſentire, cum eius in ſe tincturam habeat, ſicut & ſandaraca, quæ inde conficitur: ſed niſi vena auri eſt, ſicut & ammochryſos, aurum inde non fit. Tinctura quæ elicitur per artem minori, & medio operi inſeruit, eſtq; Sophiſmatis obnoxia.* Hæc Libauius. Si aurum ex auripigmento fieri debet, actu, aut potentia proxima ineſſe debet. Si ineſſet actu, breui labore ſepararetur, nempe toſtione, contritione & lauacro, adhibito argento viuo, & interdum aquis fundamentalibus. Potentia itaque ineſſe neceſſe eſt, & talem eſſe eius materiam, indicio eſt aqua cauſtica, qua auripigmentum tale ſoluitur. Sin autem nec actu, nec potentia proxima eſt aurum, ſterile eſt metallum. Exploratur aquis medicatis, cæmentatione cum cupro & aliis modis. Vt dixi ex potentia auro facere aurum actu etiam conflatores poſſunt Chymico ingenio, quod tamen non eſt id, quod perfectum magiſterium appellamus. Stultus eſt *Guibertus*, qui ne iſtam quidem tranſmutationem intelligere, & naturæ, artique concedere poteſt.

Secundo *prouolat ad pugnam*. Thema eſt pag. 80. Ad antiquitatem & veritatem Alchymiæ metallorum tranſmutatoriæ aſſerendum nihil facit locus Plinii de auro *Caj* ex auripigmento.

Arg. 1. Quia ſtolidiſſime verba Plinii detorquentes Alchymiſtæ ad ſuum metallificium referunt: nihil excogitari poteſt vanius, nihil fabuloſius.

Arg. 2. Id nunquam in mentem venit Plinio. Ratio eſt: Si reſpiciendum eſt, qua mente aliquid ab aliquo dicatur, inuenietur *Plinium* voluiſſe dicere, *Caium* iuſſiſſe excoqui, vt tantum auri extraheretur ex magno pondere auripigmenti, quantum ineſſet. (ſcilicet: ſperantem magnum ineſſe.) Non intelligit ergo aurum, factum per tranſmutationem auripigmenti in aurum, ſed per ſeparationem eius, quod inerat naturali miſtione.

Arg. 3. Præter inſanum Libauium cum ſuis occœcatis Chymiſtis nullus fuit, qui putauerit verba *Plinij* aliter intelligenda eſſe.

Ridicula anicula inſania. Arg. 4. *Anton. Pinetius* verba hæc: *Fecit aurum*: expreſſit per: *Extraxit aurum*. Ergo per ſeparationem non per tranſmutationem aurum elicuit. Ergo abire debet *in malam crucem*, qui Plinium inuertere non veretur, & commentis ita inquinare, vt alium induta mens eius habitum vix agnoſci poſſit.

Arg. 5. *Plinij* locus declarari poteſt loco *Iobi* c. 28. v. 1. & 2. *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis in æs vertitur.* Expoſitio Guiberti: *Non voluit intelli-*

luit intelligere lapidem in æs tranſmutari, ſed æs ex lapide æroſo extrahi. Teſtis adducitur *Libauius*, qui verba in vero ſuo ſenſu recitat: *Lapis ſolutus calore conflatur, & æs effundit.*

Oppoſitum.

1. FRuſtra inſanit *Guibertus*, & furit contra *Libauium*. Neque enim is locum ſua ſententia ad chryſopœian magni magiſterii detorſit, vt dictum eſt.

2. Quod autem attinet ad excoctionem auripigmenti, de ea ſic ſtatuit vt præmiſſum. Si enim aurum in auripigmento eſt actu, recte dicitur tantum ſeparari: Si autem potentia, tunc & tranſmutari, & ſeparari. Quando actu ineſt, non tantum ſeparatur lauacris, ſed & conflatura. Auripigmentum enim volaticum in fauillam vertitur, fixum in ſcoriam, aurum ſidit. Facile experimentum eſt per catillum cinereum, halonitrum, antimonium, ferrum & ſimilia. Si deprehenditur in examine totum volaticum, & tamen arte excoquitur aurum, neceſſe eſt fuiſſe in eo potentia, & per maturationes, fixiones, aliaque artificia tranſmutatoria exiiſſe.

3. *Is ſenſus genuinus eſſe autoris credendus eſt, quē litera primum reddit*, niſi abſurditas ſequitur, aut explicatio autoris euidens aliud indicat. Iam Plinii dictio eſt aperta hæc: *Auri faciendi ratio ex auripigmento quod in Syria foditur &c.* Et: *Iuſſit excoqui pondus magnum*: Et: *Fecit aurum excellens.* Verbum *Facere* efficiendi vim habet, & quod non natura, ſed arte factum ſit, reliqua oſtendunt. Verba: *Ex auripigmento*: ſignificant materiam, quæ faciendi arte tranſiit in aurum, non ex toto quanto: *nihil enim fit ex toto, ſi Ariſtoteli* credimus: Sed ex portione proxime diſpoſita, idque non iam factum: Factum enim non fit, ſed nondū factum adiumento artis: Et proculdubio ſi adhibita fuiſſent medicamina iuſta, non ſenſiſſet detrimentum. Auripigmentum quod in examine nihil habet auri facti, ſed poſt maturationem reddit, neceſſe eſt id continuiſſe potentia. Ex tali fit ſandaraca, & arſenicum factitium. Si aurum actu in eō fuiſſet, etiam ſandaraca, & arſenicum in aurum excoquerentur. Ex dictis patet naturæ & artis tranſmutatoriam apertius colligi ex verbis Plinii, quā ſimplicem ſeparationem.

4. Eundem ſenſum reddunt etiam verba Iobi & Deuteron. 8. verſ. 9. vt in reſponſionibus docebitur. Vide Quercet. in reſponſione ad Aubertum qui in margine pro tranſmutatione citat Plinii hiſtoriam.

Reſponſio ad Argumenta.

AD 1. Furioſi hominis, & maledici conuitium eſt, non argumentum. Riſu dignum eſt quod negat quicquam eſſe fabuloſius. Quid enim ſi dicam te eſſe cucurbitam, aut harpyiam?

Ad 2. Falſum eſt contingenter, *Plinio* nunquam in mentem veniſſe tranſmutationem. Etſi enim non intellexit illam, quæ eſt perfecti magiſterii, tamen alteram, quæ eſt generationis, intellexiſſe verba ipſa indicant, vt dictum eſt. Explicatio *Guiberti* longius decedit, quanquam nec eam negemus. Alias ſi ex Plinio ſcire volumus tranſmutationis metallicæ ſecundum potentiam naturalem argumenta, legatur cap. 6. lib. 33. *de naſcente argento ex non argento*, quod exemplis aliquot explicauit *Mattheſius*: item, *de ſtibio in plumbum abeunte &c.* Quod attinet ad modum loquendi, & ſignificationem verbi FACERE, & FIERI apud *Plinium*, ea ex aliis locis peti poteſt. Notum eſt apud metallicarum rerum ſcriptores *metalla quadam eſſe factitia*, *quadam natiua*, & hæc exiſtere ex principiis naturæ per modum generationis, quæ eſt tranſmutatio ex hoc in hoc, illa per artem conflari ex naturalibus. Ita Plinius cap. 6. lib. 33. *Spumam argenti* fieri tradit. cap. 8. *arte fieri ex minio hydrargyron* ſcribit. Lib. 34. cap. 1. *Vena aris effoditur, & igni perficitur. Fit æs & è lapide æroſo, qui cadmia vocatur*: *Fit & ex chalcitide* (imo & ex aquis chalcanthoſis, & chalcantho ipſo, in quo actu nihil plane eſt æris, vtpote quod totum, inſtar ſalis, aqua diluitur, & ſoluitur: fit ex ferro irrefragabili experientia) Lege cap. 10. lib. 34. de factitiis ex ære, vbi neceſſe eſt tranſmutationem coincidere, vt & cap. 11. & ſeq. Sic de ferro cap. 14. *In Cappadocia quæſtio eſt aqua, an terra fiat acceptum.* Videat Guibertus ſitne aqua, & terra illa actu ferrum. Mihi ſunt varii lapides chalybis, & ferri. In his ſi ferrum actu eſſet, traherentur à magnete. At non trahuntur. Ita in examine, ſeu ſpectandis venis, & lapidibus. Quæ enim poſtquam fuſæ ſunt (aliquando & toſtæ, elotæque) adhibito magnete ferrum reddunt, eas actu ferrum habere iudicamus, aut ſaltem ſpiritu ferri imbutas eſſe: Quæ non, & tamen fornacibus conflatæ in ferrum abeunt, eas potentia aſſerimus habere. Ex potentia in actum via eſt per tranſmutationem. Ferrum corrumpi idem Plinius ſcribit cap. 15. lib. 34. cap. 16. *Non fit ex albo plumbo argentum, cum fiat ex nigro*: Vbi fieri exponi ſolet per excoqui: Sed Plinius ita loquitur: *Plumbum nigrum ſua prouenit vena, nec quicquam aliud ex ſe parit: aut cum argento naſcitur, miſtuque venis conflatur*: Vbi euidens verbum eſt: *Prouenit, parit, naſcitur.* Item: *Galena in fornacibus remanens rurſus conflata dat nigrum plumbum*: quod euenire & Lithargyro ſcimus. Cap. 17. *In ſolis metallis plumbi derelicta reuiuiſcunt fertilius. Hac videtur facere relaxatis ſpiramentis ad ſatietatem infuſus aër &c.* Vide ibi experimentum *Baticum*. Quomodo fiant ex eo medicamina, vt ceruſſa &c. lege cap. 18. His & ſimilibus locis poteſt explicari dictio Plinii, de auro facto ex auripigmento, quod nō eſt aurum, ſed lapis ſquamoſus coloris aurei. *Facere Fieri.*

Ad 3. Inſaniatne Libauius datis explicationibus, an Guibertus furioſe rabiat, iudicabunt docti & rerum periti.

Ad 4. Vna hirundo ver non facit. Tranſtulerit ſic *Pinetus*, num ideo etiam intellexit? Nos interpretis iudicium de rerum natura non moramur, & conſtat imperitos translatores ſæpe deprauare genuinum ſenſum autorum. Beſtialis furor eſt vetulæ rabioſæ imprecatio *mala crucu*. Egregia ſane diſputandi ratio, vbi argumentis vincere non poſſis, ablegare aduerſarium in rē malam. Tuū eſt Guiberte iſtuc ire, vt pariaris pœnam quam alteri per calumniam ſtatuiſti. Sed tamen precor pro anima tua, ſi ſaluari poteſt. *Guiberti beſtialis furor.*

Ad 5. Num Sacræ literæ ad declarandum *Plinium* ſint adhibendæ, quaſi Spiritus ſanctus voluerit *Plinii* phraſin interpretari, iam non libet diſputare. Conferamus verba. Argumento diſſimilis comparatidocet *Iobus, ſapientiam ab homine inquiri non poſſe, nec locum eius inueniri.* Ita enim habent verſ. 12.13.14.21.22. quæ eſt apodoſos. Protaſis continetur vndecim verſibus primis, eſtque ſenſus: Quanquam metalla, aurum, argentum, æs, ferrum in profundis terræ naſcantur, vbi & Sapphiri: tamen inueſtigantur ab hominibus, qui cæſis ſilicibus & montium radicibus, ſeu fundamentis euerſis ea in lucem protrahunt: At ſapientia à nullo poteſt homine inueniri. *Latet enim in Dei intelligentia, & abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium? Deus ſolus nouit locum eius &c.* Patet *Iobum* loqui de generatione naturali metallorum, & gemmarum in terræ matricibus, vbi poſtea procreata inueniuntur, & quidem argentum natum ex venis ſuis ex quibus exit, ſeu exiſtit: aurum concreſcit item in ſuis locis: ferrum fit ex terra, & æs ex lapidibus verſis conflatur, dum calor ſubterraneus potenter in lapidibus operatur, *eoſque in æs transſmutat.* Sed & gemmæ inter lapides naſcuntur, & terræ puluereſque minerales ſunt ipſi (homini, vel præbent homini) aurum. Hæc ſunt

Plinii locus de auro.

Iobi. *Plinius* primum dicit aurum colligi *ex fluuiorum glarea, ſabulo, arenis &c.* quibus ramenta miſcentur à ſuis venis, in quibus nata erant, auulſa, & riuulorum impetu protruſa: Deinde idem effodi *puteorum ſcrobibus*: Tertio *ruina montium cuniculis excauatorum*: Quarto *auri faciendi vnam rationem ex auripigmento Syriæ eſſe* per excoctionē artificioſam ſeu conflaturam, qua *Caius Princeps* excellens aurum confecerit. Reſpicit *Plinius* opera artis, & non naturæ, niſi ex hypotheſi. Neque enim effodi, aut colligi, aut conflari aurum poteſt, vbi nullum eſt, neque actu, neque potentia. *Iob* principia naturæ explicat, id quod verborum proprietas quoque, non tantum argumentorum affectio docet. Iuxta verſionem *Hieronymi* argentum habet principia venarum ſuarum. Per venas intelligimus tum ductus & canales ſubterraneos ad formam venarum in corporibus animantium: tum in illis ductibus mineram & materiam ex, & in qua gignitur argentum. *Septuaginta* expoſuerunt τόπῳ, loco: ἐςὶ ἀργυρίῳ τόπ☉ ὅθεν γίνεται (διηθεῖται χωνευθῇ) Apud Ebræos eſt *Moza*, quod ſignificat egreſſum. *Iaza* eſt exire, quaſi dicat: *Eſt argento exitus ſuus, ſeu materia ex qua naſcitur, & minera in qua inuenitur, vel ex qua egreditur*, vnde venæ argenteæ habent ſua primordia. Auro locus eſt in quo conflatur: τόπ☉ χρυσίῳ (alias χρυσίῳ) ὅθεν διηθεῖται: Ebraicè: vbi percolabunt, vel defecabunt, *Iaz.kku, à Zakab quod eſt fundere, excolare*, vt videatur de conflatorio artis loqui, & caminis in quibus aurum excoquitur, & purgatur. Sed verſus ſextus declarat de naturali origine, vbi dicit: *Veaphroth Zahab Lo*: Et terræ, ſeu glebæ, aut *puluis mineralis ipſi aurum eſt*, vel præbet: quidam *Opharet* acceperunt, reddideruntque: *& plumbum habet aurum*: Sed legitur *aphroth*, à ſingulari *aphrah*, locus pulueris, & puluis. Vult ergo indicare operante Vulcano ſubterraneo, & naturali calore aurum ex mineris pronaſci & per eas efloreſcere, & percolari quaſi, quo modo etiam inuenitur fere à foſſoribus adhærens lapidibus, aut more gemmarum ex eis exudando conſiſtens, vt purum putum, defecatumque colligatur. *Ferrum de terra tollitur*: Græci: σίδηρος ἐκ γῆς γίνεται *Meaphar, de puluere terreo accipitur*, ſeu ſumitur. Vſurpatur enim *Ruch* quod eſt accipere: q. d. Cum terra ſit, tamen ex ea ferrum conficitur, quod etiam ex ea naſcitur. *Lapis in æs vertitur*: Natura ex lapidibus æs gignit, ex quibus etiam ars poſtea conflat. Græci dixerunt: χαλκὸς ἴσα λίθῳ λατομεῖται, ſeu ἀπὸ λίθων χωνεύεται: æs cæditur lapidum more, & ex eis conflatur. Latinus interpres tranſmutationis vocabulo eſt vſus. Ebræus textus habet verbum *iazuk* quod eſt fundere & affinitatem habet cum *zakak* quod eſt fundendo purgare, & de natura intellectum ſignificat æs naſci in lapidibus, & ſecerni ſingularitate ſuæ naturæ, id quod in puro puto eſt liquidum. Si iam idem dixit *Plinius* quod *Iobus*, neceſſe eſt nos intelligere *auripigmentum Syriæ per excoctionem in aurum verſum eſſe, cum prius non eſſet niſi lapis fragilis ad inſtar ſpecularium.* Expreſſe enim dicit *Iob* latini interpretis, à quo diſcedere nefas eſt *Guiberto* homini pontificio, *lapidem in æs verti.* Si id fit natura, fiet etiam arte, poſtquam proximam potentiam minera eſt adepta. Si enim Ariſtoteli credimus perinde eſt *concoctio fiat in vaſis naturalibus, an artificialibus, modo cætera ſint paria.* Glebæ terræ hominibus ſunt aurum. Auripigmentum illud Syrium fuit gleba terræ. Si inſuper Ariſtotelicam foſſilium generationem velis reſpicere, tranſmutatio etiam fiet mirabilior.

Explicatio Iobi de auro, argento, ferro.

Vena metallica.

Ariſtotelica tranſmutatio metallorum.

Ita enim loquitur in fine tertii Meteororum: *Sicca exhalatio igniens (ἐκπυροῦσα) facit foſſilia omnia, vt lapidum genera illiquabilia (ἄτηκτα) & Sandaracham, & Ochram, & Minium (μίλτον) Sulphur* & alia talia. *Plurima autem foſſilium ſunt hæc quidem puluis coloratus (κονία κεχρωτισμένη) illa vero lapis ex tali conſiſtentia natus, veluti cinnabari.* Fuſilia ductiliaque metallica conficit ex vapida exhalatione, vt ferrum, aurum, æs &c.

Duo habes hic tranſmutationis argumenta, vnum ex materia congenea, alterum ex heterogenea. *Auripigmentum & Sandaracha* ſunt vel duæ ſpecies eiuſdem generis proximi, vel tantum accidente differunt, ita vt alterum ex altero fieri poſſit. Sicut ergo Sandaracha Ariſtoteli eſt ex ſicca exhalatione, ita & auripigmentum. Atqui in aurum vertitur primum natura: Vnde auripigmentum auri perfecti vena, ſeu minera eſſe poteſt: deinde *arte excoctoria per medicamenta, quibus id quod natura incepit, & ad proximam potentiam perduxit perficitur.* Sane experientia teſtatur diuerſis medicaminibus, & modo excoctionis diuerſam quantitatem metalli ex eadem vena conflari. Si in omnibus abſolutum, actuque perfectum eſſet metallum, id non fieret. Patet ergo nihil abſurditatis eſſe cum chymici hermetici in hac conflatura tranſmutationem aliquam agnoſcunt, quanquam neutiquam ſit ea, quæ perfecto magiſterio continetur, mirumque eſt ingenioſiſſimæ artium non poſſe concedi, quod tamen vulgari conflatoriæ eſt dandum. Sed ita deſipiunt qui in rebus mineralibus ſunt fatui, & tamen ſibi videntur lyncei eſſe, multumque ſapere. Dubito an

Ars metallorum perfectiua.

vnquam *Guibertus* artificioſum conflatorium ſit ingreſſus, aut in mineras naturæ ſe demiſerit. Impoſtorum fornaculas ſequi,& ab eorum iudicio pendere, non facit ad exquiſitam rerum notitiam.

TRACT. II. CAP. VIII.

De vitro malleabili.

SCripſit Plin. lib. naturalis hiſt. 36. cap. 26. *Ferunt Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum vt flexibile eſſet: eaque fama diu crebrior, quam certior fuit. Sed quid refert, Neronis principatu reperta VITRI arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant pterotos HS ſex millibus venderet?* Non quidem ipſe 156000.
Plinius vidit illud vitrum, ſed tamen fide dignam hiſtoriam innuit duobus argumentis. Coron.

1. *Quia fama fuit crebra.* Hanc autem tam vicino ſeculo non omnino vanam fuiſſe conſentaneum eſt. Populus accepta traditione reddit fere omiſſo autore, qui etiam ne ſciri quidem potuit. Satis eſt *Tiberii* nomen.

2. *Quia nihil miri.* Si enim duo vitrei calices *Neronis* (qui fuit tertius à Tiberio Nerone) ſub quo & *Veſpaſiano Plinius* floruit, principatu venditi ſunt ſex millibus ſeſtertiûm, iique parui, hoc non vulgati vitro exiſtente, ſed omnino precioſo (ne gemmeos putes, vitreos appellat) conſentaneum eſt etiam vitrum *Tiberio* oblatum non fuiſſe populare. Relatum hoc à Plinio crediderunt poſteri, tanquam veriſimile. Itaque repetiuerunt *Petrus Crinitus, Iſidorus, Iohannes Salisburienſis, Pancirollus, Dio* lib. 57. hiſtoriæ: *Mattheſius* in Sarepta, *Goclenius* in ſupplemento phyſicæ Seidelii lib. 2. cap. 8. & alii plures. *Robertus Vallenſis* citato Plinio arbitratus eſt fieri beneficio lapidis philoſophici. Etenim ars chymica tum aliis artificiis gemmas facit, vt videre eſt apud Thomam Aquinatem, Dornæum, Iohan Bapt. Portam Anshelmum, Boetium à Bood multoſque alios, tum etiam tinctura ſua proiecta in ſilicis, cryſtalli, ſimiliumque materiam. Quin & certo temperamento vitrum flexile reddere, & malleabile traditur autore Lullio, libro auroræ conſurgentis, clangore Buccinæ, correctione fatuorum &c. Nam lapidis iſtius effecta dicuntur eſſe: *Nouem teſtes de malleabili vitro præter Chymicos.* *Effecta lapidis philoſophorum.*

1. *Corpus hominis viuentis* ſaluum vſque ad decretum terminum præſtare, ſi ipſe ſimul obſeruet diæteticam.
2. *Plantarum prouentum* iuuare.
3. *Imperfecta metalla* tranſmutare.
4. *Gemmas & facere,* & nobilitare, tranſmutareque.
5. *Affectus conſequenter* corrigere ſi ſint naturæ aduerſi.
6. *Separare* heterogenea. Neque mirum eſt ex metallis lapidem vitra ingredi, cum metalla omnia poſſint in vitra tranſmutari. Ego mentionem rei feci ſub finem explicationis clauiculæ Lullianæ, & in compendio eius artis. Cum tractatum de philoſophorum mercurio abſoluiſſem, addebam calci quæſtionem his verbis: *Ferunt* &c. quæ ſunt Plinii: quibus adieci *Lullii & Roberti* Vallenſis iudicia. *Quæritur an non hoc temperamentum illud fuerit, cuius meminit Plinius?* quod eſt: *An non vitrum malleabile fieri queat, certo temperamento lapidis metallifici?* Nihil præterea adieci. Ratio dari poterat: Si metalla & ſemimetalla ex fragilibus poteſt reddere extenſilia ſub malleo & ductilia, aliquo modo & vitra.

Quid *Guibertus*? *Libauium* vocat ſophiſtam, & aliis criminibus in eum debacchatur. Inſanit, & in fautores Alchymiæ. Cur? Quia *eo artificio velint probare chymicam metallorum tranſmutationem eſſe veram, & antiquam.* *Nota furorẽ beſtialem Guiberti.*

Argumentum inuectiuæ eſt: *quia chymiſtæ ficta, falſa, ridicula,* & hominum commentis temere comprobata confirmare ſibi licere opinantur. Pag 84.

Hinc Thema: *Chymiæ tranſmutatoriæ veritas & antiquitas narratione Pliniana de vitro malleabili non poteſt doceri*: Argumentum: *Quia ea eſt falſa, ficta, ridicula,* & commentis hominum temere comprobata. 2. Falſo eam traduxerunt ad ſuum lapidem *Stultificum,* quaſi is flexilia vitra queat reddere. Pag. 85.
Proſyllogiſmus primi.

1. Fides ſit penes *Plinium* autorem, id eſt, Ego non credo. pag. 88. fabulam appellat.
2. *Plinius* id non ex ſe, ſed *certorum monumentorum relatu* recenſet. Probatur: quia dicit: Ferunt. 2. Fama crebior quam certior fuit. Ergo de facto non parum dubitauit.

Obiectio. At *Crinitus* retulit tanquam certam hiſtoriam. Reſpon: Non bona fide: quia prætermiſit verba *Plinii* dubitantia. Pag 86.

Obiectio 2. At & *Iſidorus* meminit. Reſpon. Eſt ſimia *Plinii.*

Obiectio 3. At & *Iohannes Salisberienſis* ex *Trimalcione* apud *Petronium* refert diſertiſſime: Reſp. Nonnihil diſſentit ab exemplis ſupra dictis. 2. Ait vera & fidelis ſit narratio incertum eſſe, diuerſos diuerſa ſentire. Pag. 87.

Hinc argum. *Quod ab ipſis narratoribus habetur pro dubio & controuerſo id nemo niſi alienus à ratione, & imperitus habet pro comperto.* Pag. 88.

Narratio de flexili vitro ita habetur. Ergo.

Proſyllogiſmus ſecundi: Nihil impudentius eſt Sophiſta Libauio, & aliis Alchymiæ fautoribus qui audent aſſerere vitrum flexile & ductile redditum eſſe beneficio lapidis ſui ſtultifici.

2. Fuerit flexile: At alio modo potuit tale reddi, quam per lapidem ſtultificum. Plura promittuntur in tractatu futuro diſcuſſionum Chymicarum.

Oppoſi-

Oppoſitum.

1. CVius *Libauius* nunquam fuit reus, ob id immerito in eum *Guibertus* inuehitur, cumq; id facia cum conuitiis, non viri boni, ſed *ſcelerati ſcurræ* officio fungitur. Ita autem eſt de iſta narra tione, vt patet ex commentario *Libauii*. An ne quærere quidem & dubitare licet? At hoc Philo ſophiam inuenit. Ariſt. 2. de cœlo text. 78. vide quomodo nebulones *Guiberti* ſimiles redargua lib. eodem tex. 61. & tex. 60. cap. 12. & tex. 34. Item lib. 1. de cœlo cap. 10. tex. 101.

1. metaph. 1.

2. *Si antiquitas, & veritas Alchymiæ demonſtratur ſiue iſto vitro artificioſo, ſiue alio, illo modo vel alite conflato, temere traducitur argumentum.* Nam quæſtio manet firma. Prius eſt. Et poſterius ergo.

3. Non heri aut noſtro ſeculo inceptum eſt *Metalla in vitra, & alias res mutare: Sed antiquiſſimi Alchymiæ hoc opus eſt, & veriſſimum.* Alchymiam ergo commendat antiquitate & veritate. Ante cedens probatur experientia metallurgorum, aurifabrorum, figulorum, vitrariorum, gemmario rum, ſmaltum conflantium, & omnino plurium opificum & artificum, qui omnes ex tranſmuta toria ſuam ſcientiam hauſerunt, vti fit & in aliis artibus diuerſis officinis commiſſis. Chymici her metici gemmas medicas retinuerunt, vti videre eſt apud *Thomam de Aquino, Baſilium Valentinum* Mo nachum, & alios. Ex officinis cœteris prodeunt ornamenta varia, quæ qui pro gemmis vendun veris, perinde faciunt ac qui Orichalcum pro auro vellet obtrudere, vbi fraus non in re eſt, ſed in animo impoſtoris, qualis erat ille, qui cum vitrum Imperatrici pro gemmis vendidiſſet facto fuco fucum eſt paſſus.

Vide Anshel mi gemmarium.

4. Quod autem attinet ad vitrum malleabile, tot autoribus, & tam grauibus id munitum eſ vt obſtrepere eis erubeſcere debeat *Guibertus*. *Aut enim ipſi hiſtoriam protulerunt, aut his quorum teſti monium ſatis eſſe ad fidem arbitrati ſunt, acceſſerunt.* Præſertim cum viderent in re nullam eſſe impoſſibi litatem. Vtris ſe quis opponat temere, impudentiæ crimen incurrit.

5. Quod medicamen malleum non ferentibus rebus & vitream naturam habentibus tenaci tatem metallicam inducere poteſt, id etiam vitrum flexile & malleabile poteſt reddere ſalua per ſpicuitate, quæ ſequitur diſpoſitionem materiæ patientis. Illud autem poteſt lapis philoſopho rum, quod in argento viuo, ſtibio, bismutho, ex quibus vitrum conflari poteſt, vt & ex plumbo & cœteris imperfectis, ſatis, ſuperque eſt comprobatum, quicquid Guibertus contradicat. Ex con ſequente Libauii coniectura minime fuit vana, nec mentitus eſt *Lullius*, & cœteri qui id aſſer uerunt.

6. *Plinio* perſuaſum fuit id fieri poſſe argumento precii calicum vitreorum *Neronis*. Falſum er go eſt iudicium *Guiberti* de dubitatione *Plinii*, quanquam nō ſolus *Plinius*, ne dicas cœteros omnes hunc ſolum ſecutos eſſe, eam rem annotauit, vt collatio narrationum diuerſarum quidem, ſed non contrariarum, oſtendit.

7 Gemmæ metallis adeo affines ſunt, vt multæ in iiſdem fodinis inueniantur, & metalla quo que calcinata in gemmarum quandam formam tranſmutentur, vnde materiæ communio innote ſcit. *Quod ergo medicamen metallis poteſt afferre auri vel argenti ductilitatem quam prius non habebant, idem et iam vitreis gemmis quæ metallis ſunt affines, poſſe non eſt impoſſibile.* Imo & ipſum medicamen philoſophi cum in tranſparentem vel gemmam, vel liquorem mutatur.

8. Solet ſacra ſcriptura rerum ſpiritualium declarationes ex naturæ argumentis ſumere facili oris intellectus cauſa. Illa vero apocal. 21. verſ. 18. *murum ciuitatis ſanctæ ex laſpide conſtituit, & ciui tatem ipſam ex auro mundo ſimili vitro mundo.* Indicat ergo ita depurari poſſe metalla vt inſtar vitri ſint perſpicua, & gemmeam puritatem, retenta nihilominus flexitate, habeant. Hoc autem eis affer re poſſe philoſophicum lapidem, non eſt irrationabile, quando prima & ſecunda proiectione per eum fieri ſolet medicina in gemmam aut liquorem tranſparentem mutabilis. Quid ergo, ſi dicam vitreum iſtum *Tiberii* calicem, vt & duos alios *Neronis, non tam vitrum fuiſſe, quam metalla pura, tranſpa rentiaque?* Inuenitur ſæpe argentum rude rubrum perſpicuum inſtar vitri in fodinis. Cur ſit im poſſibile huic tenacitatem metallicam aliqua induſtria conciliare? Num omnem naturæ vim ex hauſit Guibertus? *Flexiles* lapides inueniuntur, atque etiam *netiles*. An non poſſit etiam vitrum metallicum? Quædam rudimenta leguntur apud *Cardanum* lib. 10. de varietate cap. 52. circa fi nem: ſolentque fieri ex filis vitreis nutantes cirri.

Vitrum Tiberii non tā vitrum fuit quam metallum perſpicuum.

Matthesius concione 15. Sarepta de Vitro.

Reſponſio ad obiecta.

INuectiuam remitto ad ſuum autorem, & malum genium cuius inſpiratu ſcripſit Guibertus. Eſt autem ipſe eodem artificio tractandus quo tractauit autores vitreorum poculorum, nempe va nitatis & mendaciorum accuſandus, eo magis quo ſcurrilius in hac tota quæſtione verſatur. Itaque ſic argumentor: Homini vano, & leuiſſimo conuitiatori, qui argumenta eludit, non ſoluit, nequit eſſe aliqua contra veteres hiſtoricos, teſteſque & viros graues pro ea re deponentes quæ naturæ nō eſt impoſſibilis, fides vel autoritas. Guibertus vanus homo eſt & leuiſſimus conuitiator, eludens argumenta ſcurrarum more, non ſoluens. Ergo. Quod ſi iſtam in bonos autores audaciam re cipimus quid veterum ſtudiorum, & narrationum non poteſt explodi?

Argumentum primum conuitium potius eſt quam argumentum. Proſyllogiſmus primus igno rat Elenchum, & petit principium. Neque tam leuis eſt autoritas *Plinii* quam putat *Guibertus*. Cui quæſo maior fides eſt, *Guibertone maledico homini*, qui hactenus mendaciis pluribus infamem ſe red didit,

didit, an *Plinio* probatiſſimo iam ab aliquot ſeculis? *Si fides penes autorem eſt: Is autem eſt Plinius* homo probatiſſimus in ea narratione, *cur non adhibes ei fidem?* Sed non ſolus *Plinius* id annotauit.

Proſyllogſ. ſecundus Elencho ſecundum quid fallit: Non quidem *Plinius* ipſe fuit *αὐτόπτης*: Sed tamen duplici vtitur etiam ex ſe argumento: Primum eſt *fama publica*, quæ non facile poteſt reiici cum ſit *teſtimonium publicum*, idque prolatum etiam ab aliis non vanis, & creditum à multis probati iudicii: Alterum ſumitur à calicibus item vitreis *Neronis*, qui ſi fuiſſent ex vitro vulgari, tanti minime fuiſſent æſtimati. Præterea cum dicit *Plinius* famam fuiſſe crebriorem quam certiorem diu, indicat publicam diu fuiſſe: Sed non certo autore vulgatam: neque tamen ideo eam negandam cenſet. Alii teſtes pluribus, iiſque veriſimilibus circumſtantiis eam roborant, reſpondetque tandem etiam natura rerum, & aſſertio artificum chymicorum quos licet contemnat *Guibertus*, tamen ſcire debet, eos in vno pilo plus habere fidei & veritatis quam ipſe in toto ſuo corpore. Quis quæſo & quanti eſt *Guibertus* vt eum anteponamus tot illuſtrium virorum autoritati? Ne muſca quidem eſt ad illos Elephantos: Sed culex quidam in eo angulo Galliæ mordax in quem nihil infertur laudabilium ſtudiorum.

Obiectio de *Crinito* fatue ſoluitur. Vidit *Crinitus Plinium* ſcribere ex publica fama: vidit addere argumentum veriſimile, nouit hiſtoriam ab aliis confirmari: quorſum adiiceret dubia?

Obiectio de *Iſidoro* pari modo tollitur. Primum enim conuitio petitur dum *Plinii* ſimia dicitur. Hoc non eſt remouere obiectum. Deinde plenior eſt narratio *Iſidori*, quam *Plinii*. Non itaque eam ex *Plinio* tranſſcripſit, ſed aliunde acceptam ſuo calculo comprobauit. Veteratorie ergo *Iſidori* autoritas à *Guiberto* extenuatur. Non ita *Maiolus* in canicularibus colloquio 19. tom. 1. vbi honorificam & *Iſidori* & rei facit mentionem, compertumque priſcis temporibus vitrum flexibile potius, quam fragile recenſet.

Obiectio tertia de *Salisberienſe* firmatur, fulciturque *Trimalcionis* autoritate, & licet non exacte reſpondeat cæteris narrationibus hiſtoria, tamen quod ad rem attinet, conſentit. *Verum vero conſonat.* Vitrum flexile fuiſſe teſtatur hic vt reliqui. Delirat ergo *Guibertus* qui ideo repudiat, quia non obſeruatur idem narrationis tenor. Reliquit autem in medio aſſertionem *Trimalcio*. Ideone falſa ſit hiſtoria? Minime. *Non eſt falſum quod quis ſuſpendit argumentorum ſufficientia deſtitutus.* Stultum ergo argumentum eſt *Guiberti*, non debere pro comperto id haberi, de quo dubitat vnus atque alter, ſiue ex opinione, ſiue affectu. *Videre oportet*, inquit Ariſtot. de cœlo text. 34. *cauſam dicendi quænam ſit, & quo pacto ſe habeat in credendo. Certiores neceſſitates quando quis fuerit aſſecutus, gratiam habere oportet inuenientibus.*

Non ſi *Trimalcio* dubitat de Eccleſia *Chriſti*, & antichriſti, *Chriſti* Eccleſia nulla eſt. Non ſi *Guibertus* negat omnia quæ afferuntur contra ſuam opinionem, verum eſt quicquid opinatur.

De Proſyllogiſ. ſecundi. Si conuitiis fides fit rebus aſſertis, fateor *Guibertum* omnia poſſe defendere. Quis enim vnquam vixit, aut quem Sol aſpexit conuitiis crebriorem & virulentiorem *Guiberto*, qui non contentus ſuis criminationibus aduerſus *Libauium*, etiam Gretſeriana longe robuſtior vllo aſino comportauit? *Quantus conuitiator Guibertus.*

Lapidem ſtultificum dici rideo, idque verum in *Guiberto* agnoſco. Nam ex perditiſſimo cinidone, qui 40. integros annos cum impoſtoribus conuerſatus eſt, & ex iſto homine qui patriæ ſuæ crimen eſt ſcribendo *in loco habitationis ſua, patria* ſcilicet *Lotharingia nihil eſſe laudabilium ſtudiorum*, debuit facere hominem catum & prudentem, at vitio mali luti ex quo conflatus fuit, effecit bardum, bliteum, plumbeum, ſtupidum: Debuit ſapientem reddere, at in ſtultitiam totum commutauit. Vin' rationem Guiberte? Accipe ex Horatio: *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.* Non ſi ab impoſtoribus nihil adiutus es, debuiſti totam artem damnare. Quis eſt philoſophus qui te non præmoneat, & diſtinguere iubeat? *Lapis ſtultificus qui Guibertum 40. annis ſtultū fecit, & poſt etiam inſanum.*

Iam fuerit flexile vitrum. Si hoc potuiſti concedere, cur inſaniiſti in chymicos, & eorum fautores ô dementiſſime omnium? cur non dicebas fieri poſſe, ſed non neceſſe eſſe per iſtum modum? *Conceſſio* Concedam (dicis cauſſa) & ipſe poſſe fieri alio modo. Quo quæſo alio quam, naturam arte iuuante, chymico? Si chymico, idque opus eſt verum, & antiquum, quid dubitas de argumento antiquitatis, & veritatis chymiæ? Nota rationem vitri malleabilis, Guiberte: Vitrum ſit ex calcib. metallorum, vel ſemimetallorū elaboratum. Medicina ſit ex auri vel argenti primordiali humiditate, quæ fixa eſt, & manet in ignibus. Cōmiſceantur iuſta proportione Fiet vitrum malleabile. *Nota Cancrum platonicum. Chymia vincit.*

Cæſalpinus lib. 3. de metallicis cap. 23. vitrum & ſcorias metallorum ob ſubſtantiam ſimilem habere ſimilem fuſionem ſcribit, qua adhæreat, & trahatur inſtar viſci: Sed refrigeratum reddatur fragile, ſecus ac metalla. *Plinium* ait *principe Tiberio* ſcripſiſſe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile eſſet. Si intellexit vitrum mollefactum, res plana eſt. Sed qui poſſit induratum, & lapideum? Exemplo quidem eſt Talcum indicum: ſed imperfecte. Quid tu *Cæſalpine? Niſi reſtituatur humiditas metallica (inquis) impoſſibile eſt flecti.* Non ſentis de mollefactione per calorem igneum: Sed de humiditate interiore. Si ergo detur artifex qui vitro puro poſſit medicamentum addere, quod & ingrediatur propter familiaritatem, & lentorem flexilem ſalua perſpicua puritate inducat, obtinuimus quæſitum. Poſſunt quidem metalla in lapides, ſales, liquores tranſmutata reſtitui, & malleabilia fieri: Si item euaſerint ſicciora quam vt dilatari queant humiditas additur, vt auro rigidiori, ex cæmento cum ſtibio, plumbum vel Mercuriale medicamen: At hæc alia ratio eſt. Sit ergo artifex qui ex auro, vel argento, quæ duo metalla habent humiditatem fixam, ope mercurii eliciat medicamen tale, quod vitro præſertim ex metallis facto, ideo miſceri poteſt, quia proportionale eſt, & inferre humiditatem extenſilem, & malleabilem, quid ni fiat vitrum Plinianum? Memento *Guiberte*, non eſſe cæco impetu reprehendendū quiduis

quod

qûod primo aſpectu diſplicet, ſed inueſtigandas cauſas eſſe. *Vitrum fieri malleabile, neque diuinæ potentia prohibet, neque impoſſibile eſt naturæ,* cumque id pluribus teſtibus factum ſit, adhuc fieri poſſe nō debemus inficiari, ſi medicamina, materia, & tempetamentum ſit idem, vel ſimile. Hæc cum aſcribi nulli alii arti poſſint, quam alchymiæ (non enim vulgari vitrariæ, aut gemmariæ, licet & hæ origine ſint chymicæ) quid cunctamur quin arti huic laudem veritatis, & antiquitatis demus, quam ei Deus dedit? Adeone ſumus operum diuinorum iniqui æſtimatores, & naturæ hoſtes, artiumque optimarum calumniatores? Stude vt inuenias modum, non vituperiis indulge. Nondum neque artem vllam laudabilem, vtilemque inueniſti, nec vllam, aut partem vllius laudabiliter, vtiliterve tradidiſti, explicaſti, aut propagaſti, & omnium humanarum ſubtiliſſimam, maxime admirabilem, laudatiſſimam, vtiliſſimamque totis viribus conaris opprimere, vituperare, abolere? Tune pernicies es ſcientiarum optimarum, ob nullam aliam cauſam quā quod aliquando inter nebulones verſatus peſſime, quo propius & cupidius per vim quandam irrumpere conatus es in ſapientiæ philoſophicæ penetralia, eo longius ab eis, & maiore cum dolore excluſus es, & ſummotus?

Nemo debet artem bonā oppugnare prius quam inuenerit meliorem.

TRACT. II. CAP. IX.

Bellum contra Chymicorum libros.

QVanta cum rabie inuaſerit autores chymiæ hermeticæ, & quam furioſe omnes veteres, & recentes lacerauerit, iam aliquoties cognouimus. Idem impetus in libros & commentarios eorum hoc capite vertitur, vt non opus ſit prolixe recenſere quodnam ſit eius argumentum. Thema eſt: Quanquam numerus librorum chymicorum veterum, ſeu ſcriptorum manu, ſeu typis excuſorum *facile excedat millenarium,* tamen ne vnus quidem reperitur in quo ſit aliqua autoritas ad faciendam fidem antiquitati, vel veritati chymicæ vanitatis. (ridicula locutio: Si nullo firmatur vanitatis chymicæ veritas, falſum eſt quod chymia ſit vana.)

Thema contra libros chymicos.

Arg. 1. pag. 89. Auſim id conſtanter aſſerere.

Arg. 2. Ex millibus ne vnus quidem reperitur qui ſit illius cuius titulum mentitur. Pag. 90. Interitus, & pag. 58. impugnationis anno 1603. editæ eadem habentur.

Arg. 3. Omues ſunt haud multis retro ſeculis confícti à poſterioribus, recentioribus IMPROBIBVS hominibus, ſophiſtis, impoſtoribus, præſtigiatoribus, ſordidiſſimis, & abiectiſſimis ſycophantis, mere bardis, & pecoribus impiis, magis, ſagis, hæreticis, ſciſmaticicis, ac ſimilibus hominibus regnum Sathanæ procurantibus.

Nota copiam vituperiorū peſſimi iſtius grammatici.

Arg. 4. Vt ſuppoſitores falſorum teſtamentorum inueniuntur, ita ſunt qui lucelli cauſa libris ineptiſſimis veterum ſcriptorum nomina præponere non verentur. Quidam vt homines in admirationem ſui rapiant, ad peregriniora & plauſibiliora ſe conuertunt, de auri arte obſcure ſcribentes ob quæſtum, & gloriam inanem &c. quæ omnia veriſſima eſſe oſtendemus.

Pag. 91.

Arg. 5. *Galeno* teſte nullus vnquam liber falſum titulum habuit ante ætatem regum Alexandriæ & Pergami, contentione exiſtente inter veteres de comparandis libris: vt primum autem ſtatutum eſt præmium offerentibus libros nouos, multi allati ſunt ſub falſo titulo. Ergo chymicus liber nullus tempore iſtorum regum adulteratum titulum præſe ferebat, quia adhuc *ignorata* erat chymia: (ſtulti hominis ſtultus ſermo, ita voluit: Regibus Alexandriæ & Pergami libros conquirentibus certatim, etſi multi offerrentur cum falſis titulis, tamen chymicus nullus potuit offerri, quia chymia nondum erat nota.)

Pag. 92.

Arg. 6. Chymia non multis retro ſeculis ab Arabibus longe lateque cum multis aliis vanitatibus, & deliramentis fuit propagata, ſed neglectam poſtea nouiter ceperunt ſophiſtæ, & impoſtores quæſtus gratia proponere, cum ſimul admirationem pareret, & homines eſſent opum cupidiſſimi: Et vt libris autoritatem conciliarent, falſo veterum probatorum nomina aſſcripſerunt.

Nota fructū 40. annorū. Hac enim didicit à nebulonibus Paracelſiciscum quibus rem habuit.

Arg. 7. Quidam excellendi cupiditate vanitatem chymicam ſunt profeſſi, vt viderentur habere ea quæ nullus alius &c.

Arg. 8. Cum ſumma quæque quiuis ſcire deſideraret, non tantum inter Mahumetanos, ſed & Chriſtianos ambitio, pecuniæque & voluptatum cupiditas chymiam ad ſummum vanitatis faſtigium euexerunt, cuius ſtudium caſtam philoſophiam labefactauit.

Pag. 93.

Pag 94.

Arg. 9. Gloriæ cauſa multi noui placiti voluerunt eſſe autores: Vt *Geber, Lullius, Villanouanus, Paracelſus.*

Arg. 10. *Tot mendacia ſunt in libris, quot verba.* Ratio eſt: quia cupido nomen longe lateque proferendi, pecuniam corradendi, *regnum Sathanæ,* cui erant aſtricti, *promouendi,* abſona commentari autores coëgit non tantum ad præſentes, ſed & poſteros.

Ergo per 40. annos ſathanæ ſeruiiſti.

Arg. 11. Rabies ſuperbiæ, cupiditas pecuniæ, Cacoëthes ſcribendi, cupiditas mentiendi, auiditas fallendi mortales innumeros libros chymicos ſub veterum ſcriptorum nominibus, vt plus haberent maieſtatis, ſcribi fecerunt.

Admirandi viri quorum nomina libris chymicis præfixa. At quos variis conuitiis proſcidit maſtigia.

Arg. 12. Antiqui ſcriptores ne vnum quidem librum de titulo nouerunt, nec vllus citatur ab vllo vetere probato ſcriptore, neque etiam à Laertio.

Arg. 13. Nullus iſtorum librorum, ne ſeruorum quidem Scythicorum ingenio dignus eſt, nedum tot *tantorumque virorum admirandorum,* quorum nomina præ ſe ferunt. Ratio eſt, quia continent ridicula, falſa, vana, impia, repugnantia, minime cohærentia: Item nullus ſtylum & grauitatem

tem præſcripti autoris repræſentat: Item vel ſemidoctus poſſet inuenire ineptias, inconſtantias impietates.

Si quæras quinam ſint iſti libri cum falſis antiquorum titulis: Reſpondetur: aſcripti *Adamo, Moyſi, Mariæ* ſorori, *Salomoni*: quibus affinguntur tranſmutatorii libri: Deinde hi qui de Alchymia aſſignantur *Hermeti* Triſmegiſto, *Democrito, Platoni, Ariſtoteli*, & his quorum in *Turba* fit mentio: Tertio hi qui recentioribus tribuuntur, vt *Auicennæ, Rhaſi, Thomæ Aquinati, Alberto Magno, Marſilio Ficino*, & aliis quibus ne in mentem quidem illi libri venerunt. *Pag. 96.*

Arg. 14. Omnes illi libri habendi ſunt pro impoſturis, & otioſorum hominum ſomniis.

Hæ ſunt nugæ nugaciſſimæ capitis noni tractatus ſecundi quibus etiam finitur. Si perpendas, ad quatuor reuocare poſſis. Quæſtio eſt: *Tituli veterum philoſophorum chymicis libris præfixi, non poſſunt arti fidem & autoritatem ex antiquitate conciliare.*

Argumenta 1. Quia recentior & ars eſt, & libri chymici temporibus veterum. 2. Nec res, nec ſtylus conuenit veteribus. 3. Non citantur nomine veterum ab vllo ſcriptore antiquo & probato. 4. Etiam recentium nominibus inſcripti ſunt falſo libri chymici quidam. Magis id auſum eſt in veteribus. Hæc explicantur cauſis, conuitiis, & aliis veſaniis quam verboſiſſime. Quando cramben toties recoctam repoſitamque iam tulimus, ne deficiamus hac quoque vice, & moleſtiam etiam hanc deuoremus.

Argumenta oppoſita.

1. *QVÆ de libris veterum & recentium cenſura ab homine nihili, nullius iudicii, improbo, maledico, apoſtata artis, & perſecutore liuido ex mera mentis, animique ægritudine profecta eſt, nullius eſt momenti.* Hæc ipſa quam iam ex cap. 9. tract. 2. Guiberti produximus, à tali homine eſt profecta. Ergo. Minorem probat totum præſens negotium. Rebus enim & argumentorum pondere prætermiſſis, omnem operam conſumptam maledicentia, & circa externa quædam occupatione nugaciſſima vidimus.

2. *Grauiſſimorum, & fide digniſſimorum teſtimonia anteferenda ſunt garrulitati temerariæ hominis mendaciſſimi, & nequiſſimi.* De libris chymicis vetuſtis habemus teſtimonia grauiſſimorum hominum, & fide digniſſimorum. Ergo: & ex conſequente nequiſſimi, mendaciſſimique *Guiberti* temeraria garrulitas longe eſt poſtponenda. Aſſumtum probo. Vnus enim *Suidas* ſatis eſt ad omnem autoritatem contra *Guibertum*. Vidimus autem etiam de teſtimonio *Iulii Firmici, & Auicennæ, Sorſani, Meſuæ, Bulcaſis &c.*

3. *Contra quem plurimi recentes philoſophi, & medici rationabiliter ſentiunt, eius indicium eſt nullum.* Contra Guibertum plurimi recentes philoſophi & medici ſentiunt rationabiliter. Ergo. Probo aſſumtum teſtimonio Georgii Agricolæ, Franciſci Pici Mirandulani, Hermolai Barbari, Geſneri, Syluii, & aliorum plurimorum.

4. *Cuius* aduerſarii *omnia argumenta principium petunt, & Elenchum ignorant, is nihil poteſt contra autores chymicorum librorum demonſtrare.* Guiberti omnia argumenta &c. Ergo: Aſſumtum probabitur reſponſionibus.

5. *Si res libris contenta eſt antiquiſſima, & veriſſima, quocunque nomine editi ſint, neceſſe eſt* libros *materia antiquiſſimos, & veriſſimos eſſe.* Tales autem ſunt iſti libri plærique omnes, quos in quæſtionem defert Guibertus. Ergo.

6. *Ex quibus libris artem cognouerunt homines ante ſeptingentos annos* (Tot enim aliquando Guibertus chymiæ tribuit) *illi non poſſunt eſſe recentes*, nec falſi (Ars enim non diſcitur ex falſis) Et niſi verã ſcientiam, artemque haberent, tam diu durare non potuiſſent, nec in bibliothecis tam multis ſeruati eſſent, cum etiam copioſiſſimæ alias bibliothecæ perierint, atque Salomonii quoq; libri philoſophici aboliti, & cremati in actis apoſtolicis plurimi. Atqui ex chymicis libris *Hermetis*, & aliorum artẽ cognouerunt homines ante annos ſeptingentos. Ergo. Probo aſſumtum *Auicenna, Meſue, Bulcaſi, Suida, Firmico* & aliis multis: qui, ſi falſa continuiſſent & imperceptibilia libri chymici, nunquam ex eis didiciſſent. Eſt autem Metallurgica chymia homogenea pharmaceuticæ, imo prior pars, & principalior artis totius, argumento nominis. Ita *Morienus* Romanus, *Calid, comes Bernhardus*, & alii artem ex libris priſcis *Hermetis* hauſerunt.

7. *Etiamſi libri eſſent falſis titulis præſigniti, & eo nomine acceptiores redditi, tamen non erant tam temere damnandi.* Iam autem aut veros habent, aut probabiles autores plærique. Et ſi qui falſos habent, quia autoritas hominis parum ad rei eſſentiam confert, cum ſit argumentum externum & inartificiale; eos materiæ veritas non damnandos eſſe probat.

8. *Si libri chymici inceperunt ante ſeptingentos annos, ſat diuturnam habent præſcriptionem.* Neque enim ideo quid falſum eſt, quia recens, neque verum quia vetus: Et ſi artes nondum ducentorum annorum, aut trecentorum probamus, cur ſeptingentorum vilipendas? vide *Pancirollum* de nouis inuentis in parte ſecunda operis eiuſdem.

9 *Si eorum, qui intra annos* 700. *vixerunt, de propria ſcientia, & arte contemnendum eſt teſtimonium, multo minus valoris habebit aſſertio Guiberti de arte aliena:* nec vllam fidem merebuntur argumenta *Bellarmini* de traditionibus priſcis (volunt Pontificii apoſtolicas eſſe traditiones quas Eccleſia catholica ſine ſcripto obſeruat, ſeu quas Romana Eccleſia, quam catholicam vocant, habet. Si in teſtimonio tali nihil eſt fidei, viderint Pontificii quid aſtruant) Proculdubio autem perſuaſum habebit *Guibertus* ſibi fidem eſſe habendam, & credendum, quicquid antiquum eſſe ſua Eccleſia papiſtica affirmabit.

10. *Cui nec priſcorum nominum inſcriptiones placent, nec mediorum, nec recentium, is hoc ipſo comprehe ſe mentis ægritudine correptum plus quærere in argumento fallaci externo, quam in eſſentialibus internis.* Gu berto nec priſcorum &c. Ergo. Minorem ſatis probat pag. 96. Ad ſtulta autem non ſunt d cenda plura.

Reſponſiones ad obiecta.

AD 1. Guiberti aſſeueratio, quia eſt hominis vani, mendacis, & calumnioſi, nullas habe vires. Deinde longe conſtantius alii contradicunt.

Ad 2. Mendacium quidem eſt hoc, & refellitur *vnica tabula Smaragdina Hermetis:* Caret & Elencho: Veruntamen delecta ſint omnia nomina præfixa, & iudicetur de rebus per ſe ab intelli gentibus, & peritis. Nihil decedet veritati & antiquitati artis. Sed & qui nam ſunt illi mille libr antiqui? Ades Guiberte: Enumera ſingulos, & de ſingulis demonſtra quod dicis. Ni feceris damnas eſto.

Non ex nominibus præfixis, ſed rebus contentis iudicādum.

Ad 3. Falſiſſimum, & calumnioſiſſimum. *Quo modo poteſt Hermetis liber confictus eſſe à poſte rioribus?* Quomodo Alchymia, quam Auicenna in compendium redegit? Quomodo ea cuiu meminit *Meſues, Bulcaſis* & alii? Quis poſteriorum, & recentium eos fecit libros quos combuſſi *Diocletianus*? Secundo ſi recentes iſti ſunt tales quales nominat calumniator iſte maledicentiſſi mus, num tales erant etiam *religioſiſſimi monachi, antiſtites, medici, pontificesque Romani & reges* qui ar te, & libris eius, ſunt delectati, atque etiam priuilegiis ſuis eos munierunt? Negari non poteſ *Thomam de Aquino* artis peritum fuiſſe, nec *Albertum magnum, Morienum, Rupeſciſſam, Lullium, Riplæum* & alios plurimos monachos ex quibus maximã pietatem præ ſe fert *Baſilius Valentinus: Arnoldus* regi bus & pontificibus ſua probauit, & aſſcripſit. *Auguſtinus Pantheus* Venetus Sacerdos artem & Theo riam tranſmutationis metallicæ & *Veneti Ducis* authoritate, & Papæ *Leonis decimi*, quibus eam etiam dedicauit, muniuit. Taceo de cæteris non vltimæ notæ philoſophis chymicis. Quis furor eſt i omnes tam atrociter inuehi? Hoc dico: Aut in omnes indiſcretim inuehitur Guibertus, aut i aliquos tantum. Si in omnes, iniurius eſt in plurimos etiam religioſiſſimos: Si in aliquos: hi ve conueniunt cum priſcis, vel non. Si conueniunt, autoris noui res eſt priſca, atque ita & vetera & noua ſimul probantur. Si diſconueniunt, non maledicentia & calumnioſa damnatione opus eſt ſed prudente diſcretione.

Ad 4. Non ſi quidam ſunt nebulones, qualibus per annos 40. operam dedit *Guibertus*, o mnes qui artem profitentur, ſunt tales.

Ad 5. Argumentum duo videtur velle, modo explicare ea præ ſtultitia potuiſſet *Guibertus* 1. Prouocati regum ſtudio, & præmiis non defuerunt qui libros ſub grauium autorum titulis pro ferrent. Ergo idem factum in chymicis. Reſpondeo: potuit & his contingere quod cæteris, ſed non eſt conſequens quod omnibus. Deinde non ſine iudicio, quod ſcientiam præſupponit, obla ti libri ſunt recepti. Fuerunt ergo alii certi quorum argumento potuerint iudicari oblati. 2. Stul tus nugator non attendit argumentum ex Galeno. Si tempore regum Alexandriæ non fuit chy mia, non quidem potuit tunc inſcribi titulis, ſed tamen poſtea id factum eſſe nihil prohibet. A tunc nemo amplius inuitabatur præmiis. Non eſt veriſimile cum librorum certamen deſiiſſet aliquem lucri cauſa inſcriptiones adulteraſſe.

Quin & falſum eſt iſto tempore non fuiſſe Alchemiam vt ſupra dictum. Hinc contra Guibertũ ſic argumentor: *Si falſi tituli chymicis libris ſunt inſcripti aut tempore regum Pergami & Alexandriæ id fa ctum, aut poſt. Si illud, neceſſe eſt fuiſſe libros ab antiquo chymicos:* Si hoc, *falſitas argumenti de præmio ap paret.* Non enim amplius præmiis inuitabantur, quia negligebantur libri, atque ita nulla fuit cau ſa cur titulis adulterinis inſcriberentur.

Item: *Aut fuerunt tunc libri chymici, aut non fuerunt. Si fuerunt,* & antiqui ſunt, & tunc *non potue runt eis addi falſi tituli, tum quia autoribus tempora erant propinquiora, tum collectores, ſeu bibliothecarii acerri mi iudicii homines facile deprehendiſſent impoſturam.* Neque enim credendum eſt cæco impetu quiduis pro quouis fuiſſe receptum. Si non fuerunt, ſed poſt excogitati ſunt, nihil iuuat Guibertum ar gumentum à regum concertatione in Chymicis. Non enim potuerunt cupidis offerri nondum exiſtentes. Deinde poſt facti non leui, ſed magno argumento viris ſummis ſunt tributi, cum non ſit conſentaneum leuiculum quid ſeu aſſcribi potuiſſe eis ſeu recipi, & tam diu conſeruari.

Ad 6. Mendacium pro argumento eſt, quo negatur libros chymicos ante recentes Arabes fuiſſe. Nam in *Ægypto, Chaldæa, Perſia, Mauritania* ante *Auicennam, Bulcaſim, Meſuem, Rhaſem,* & alios fuit Alchymia, teſte *Sorſano, Suida, Firmico, Hermete, Bulcaſi, Meſue &c.* Secundo fallacia eſt non cau ſæ. Finge quoſdam fuiſſe tales, quales deſcribis, vti de te, & de tuis impoſtoribus Paracelſiſtis, cum quibus 40. annos infeliciter perdidiſti, veriſimile eſt: At non in omnibus eædem fuerunt cauſæ, ni fortaſſis & monachi quidam ſunt eorum criminum rei. Cauſa non eſt vna. Quidam li bri ſine nomine inuenti anonymi permanſerunt: Quidam iniuria aliqua pagellam nominis ami ſerunt, quibus nomen poſtea fuit additũ ex coniectura. Interdum tradimus artem Hermetis quã ab hoc per manus quaſi accepimus, ſed noſtro ſtudio elaborauimus. Non raro ſimiles libri eidem autori aſſignantur, q̃ Hippocrati, Galeno, Ariſtoteli, & aliis euenit. Quia enim nomen genuinum defuit, argumentũ autẽ reſpondit, creditum eſt eiuſdem autoris eſſe, aut dignũ eius ingenio. Mo nachi chymici noluerunt ſua nomina præfigere plerumque, ne viderentur aliena tractaſſe. Quidã ob periculum latitare maluerunt: membranas autem artis repoſuerunt in locis abditis, vnde poſt ea caſu ſunt extractæ. Multa contigerunt per bella, furta, mortes, hæreditates. Nonnunquam illis tribuuntur volumina, quibus ea alias inſcripta volebamus, & quorũ auxilio profecimus, aut quos

noui-

nouimus delectari materia. Quo vero argumento idoneo probare poterit ſuas negationes *Guibertus*, cum vaniſſimum mendacium ſit quicquid contra antiquitatem profert?

Ad 7. Eadem eſt reſponſio.

Ad 8. Tautologia eſt. Mira vero eſt calumniandi libido in iſta furioſa anicula. Chymiam dicit ad ſummum faſtigium vanitatis euectam eſſe. Qui poteſt res vaniſſima tam eruditis ſeculis euehi? Num reges, Pontifices, Principes, Phyſici, Medici adeo erant per annos 700. ſtupidi? *Victurus genium debet habere liber.* Fieri poteſt vt vanæ artes diu durent: at vt ad ſummum faſtigium aſcendant qui contingat? Quam artem priuilegiis ſuis ornarunt, & commendarunt ſummates, ea non erit ſummæ vanitatis. Sed deliri hominis & furioſi iudicia non ſunt alia.

Ad 9. Mendacium eſt de *Gebro, Lullio, Villanouano*: nec eget pluribus.

Ad 10. Crambe recocta eſt. Mendaciſſimus & ſtultiſſimus homo mendacium vocat quod non intelligit. *Diabolo aſſcribit ſuæ fidei homines, &c.* Sed tu *Guiberte* cuius criminis tu es conuictus, id impingis ſummis iſtis viris.

Qui Diabolo addictus eſt, eos ſcribit libros, ſi quidem literatus eſt, & vult ſua ſcriptis comprehendere, quorum finis fraus eſt, & homicidium, res ipſa mendacium: Et qui tales libros ſcribit, ſe ſathanæ miniſtrum & organum eſſe comprobat. Iam conſidera libellos tuos contra chymiam, præſertim Diabolicam apologiam, in qua & horribiliter mentitis, & cruces ſpiras iuxta ſathanæ deſideria. Te Diaboli cauſam agere tanquam in ſpeculo videbis.

Ad 11. Crambe putida eſt ſæpius repoſita.

Ad 12. Tautologicum. Suprà reſponſum eſt chymicos libros fuiſſe myſticos, non exotericos. Itaque domi in penetralibus fuerunt cuſtoditi, nec publici facti ſine ænigmatibus, & parabolis ad arcendos porcos, & canes. Qui Bibliothecas ſcripſerunt, exotericos ſibi notos conſignarunt. Sufficit autem teſtimonium *Sarſani, Suidæ, Firmici* & aliorum quos ſupra citauimus. Oportet ſane tempore *Bulcaſis* fuiſſe chymicas officinas ex quibus ſeruitia protulit. Oportet temporibus *Meſuæ* extitiſſe libros chymicos, & magiſtros, quando eos iubet adire &c. Ille ipſe meminit regum Abarach & Indorum, qui ſpagirica arte ſint vſi, proculdubio longe prius inuenta. Qui vero ſunt illi antiqui Bibliothecarii, qui chymicos libros debuerunt conſignare? Satis eſt recentium catalogos omnem antiquitatem complexos, nobis reuocare antiqua monumenta, quorum multa in angulis latitantia noſtro demum tempore ſunt producta in lucem.

Ad 13. Mendacium eſt. Ratio eius calumnia mera, indigna reſponſo.

Quod attinet ad nomina autorum quæ recenſet nugator, demonſtrandum eſt firmioribus argumentis, quam nuda negatione, libros chymicos ſub nominibus antiquorum philoſophorum publicatos aliorum potius, quam ipſorum eſſe. Solet in hoc iudicio res, ſeu materia, & modus tractationis, item ſtylus, ſeu genus ſermonis reſpici. Aliquando autores ipſi ſua monumenta recenſent, & quid ſcripſerint conſignant, aut citatione manifeſtant. Eſt & aliqua vis traditionis, & conſtantiis teſtimonii. Quædam enim ideo autoribus tribuuntur, quia ſic traditione accepimus, & ſemper iudicatum eſt, nullo graui viro contradicente, ipſorum eſſe. Referuntur autem ad autores tum ſcripta ab ipſis, confectaque, tum edita, quanquã poſſint aliorum eſſe. Interdum quæ ab aliquo didicimus, aut apud aliquem inuenimus, ſub eius nomine publicamus. Nonnunquam quod principiis, & fundamentis alicuius, ingenioque reſpondet, ipſi aſſignamus. Ita artem Hermeticã poſſumus edere ſub nomine Hermetis, non quod ab ipſo ſit literis mandata, ſed quod poſteriores ab ipſo traditam acceperunt. Eſt & cum quod nos ſcribimus id ad patronos, fautores, aut promotores referimus, quo modo calendarium Iulianum, Gregorianum &c. dicimus. Omnino non vnus eſt modus eiuſmodi aſſignationum. Non peccarunt poſteri, ſi quod genium Ariſtotelis ſapit, Ariſtoteli tribuunt. An vero non poſſint eſſe plures *Ariſtoteles, Democriti, Hermetes*? Si Chymicus liber Ariſtotelis non eſt iſtius Stagiritæ, ſit alterius cuiuſdam. Verum non eſt in hoc cardo rei. Siue enim huius ſit, ſiue illius, ſi præclarum, vtile, & verum ſit ſcriptum, ſatis eſt.

Tandem notandum eſt totum hoc caput nonum eſſe translatum ex impugnationis Alchymiæ lib. 2. vbi erat quintum numero. Nihil autem memorabile additum, aut mutatum eſt præter furias, conuitia, & rabiem, qua ſtuduit primam acerbitatem, & inſaniam vincere, atque ita oſtendit ſe ex reſponſione mea per integros decem annos non meliorem factum eſſe, ſed peiorem, & peſtilentiorem. Iſtud eſt cum ætate proficere, quo euadas ſenior, eo dementiorem, & virulentiorem reddi, cum alias ſoleat frigus ſenectutis animi calorem mitigare, tempuſque ægritudinem compeſcere, & experientia mentem reddere excultiorem, & modeſtiorem. Sed iſte *Senex canis neglexit ferulam*, & ne grammatica quidem vitia correxit. *De progreſſu Alchymiæ* omnia ſua narrat adeo ſtolide, & mendaciter, vt iures data opera voluiſſe delirare. Cogitaſſet equidem ſi ſapuiſſet, figmenta iſtiuſmodi delira non facile apud aliquem ſapientem inuentura eſſe fidem, præſertim tam futili tautologia, & flagitiis Grammaticis moleſta.

Guibertus ſuam veterem cantilenam transſcriptam repoſuit, ſaginatam conuitiis.

Notæ

In tractatum III. qui eſt hiſtoria impoſtorum per Alchemiam ſophiſticam & damnatam.

VNicum hoc eſt caput, in quo vult detegere *præſtigias, & impoſturas chymicas*. Ei ſi addas hiſtoriam *quadraginta annorum*, quos inter præſtigiatores, & impoſtores variis in locis conſumſit, cuius deſcriptionem in furioſa & ſcelerata apologia exhibuit, *vitam Guibertii tanquam in ſpeculo repræſentatam, aut ab Apelle quodam depictam videbis. Nihil* inuenias vt de ſuo angulo ſcripſit, *laudabilium ſtudiorum, ſed omnia ad fallendum comparata.* Ideo & repoſuit quaſdam *technas magicas, & veteratorias* quas in *furnulis nebulonum* didicit, & proculdubio exactius meminit, quam artem *Galeni*.

In omnibus *eſt propria turpitudinis, & floridæ ætatis peſſime impenſæ argumentum*. Non mirum eſt quod non ſapiat rectius. Nihil enim aliud didicit in arte chymica quam *improborum hominum, & ſuſpendioſorum ſcelera*. Expectabamus ſubuerſionem principiorum Alchymiæ hermeticæ, vt intelligeremus ſcientiam iſtam eſſe falſam, & illicitam. At offeruntur præſtigiatorum & nebulonum crucibus digna facinora, quibus abundat *factio Paracelſica*, ſuntque eorum fraudibus, & corporibus multis in locis inſignita patibula. An vero ſapientes philoſophi non diligenter poſteros præmonuerunt, iuſſeruntque *nequam iſtos homines cauere*? An nobis ignotæ ſunt hiſtoriæ etiam plures? Adhuc recens eſt memoria *Dornheuſeri, Schwertzeri, Honaueri, Millenfelſii, Bragadini* & ſimilium. Quam ſæpe ſcribimus, & clamamus impoſtores iſtos, qui aulas principum inuadunt, & montes illis aureos, mirificaque artificia policentur, veram artem neſcire, & ideo fugiendos eſſe? Eoſdem graphice depinxit etiam *Scaliger*, comes *Bernhardus*, *Pantheus*, Crollius, qui tamen & ipſe Paracelſiſta, Societas Roſ. crucis, Paracelſus ipſe & alii multi. Quis eſt chymicus hermeticus qui eoſdem non notet? Si ipſi artifices chymici eos damnant quos in tractatu tertio depingit *Guibertus*, an non hoc argumentum eſt, diuerſam eſſe illorum, & horum profeſſionem, quanquam ſcelerati homines eodem vtantur titulo? Iniuſtum eſt, & temerarium propter abuſum rerum damnare res ipſas per ſe bonas, & ſcientias, artesque veras, bonas, & laudabiles ideo vituperare, quia ab hominibus ſceleratis peruertuntur, aut quia in verarum locum ſub eodem titulo ſubſtituuntur falſæ, & impoſtoriæ. Quin ita, *Guiberte Theologiam*, omneſque ſynceros Theologos, ſimiliterque *Dialecticam, medicinam, iuriſprudentiam, & philoſophiam* damnas? An ignoras *quo admirabilior, nobiliorque eſt ſcientia, eo magis ipſam expoſitam eſſe cupiditatibus hominum alio modo emergere & excellere nequeuntium*, & ſi non poſſit propter difficultatem (pulcra enim difficilia) ſeu cognoſci, ſeu exerceri, adulteriis corrumpi? Si eam Alchymiam, eosque chymicos inſectaris, *Guiberte*, quam & quos depingis, & cum quibus tu vitam perdidiſti, intactam debuiſti relinquere ſcientiam veram quam *Hermes*, *Geberus*, *Morienus*, *Calid*, *Democritus* & alii ſapientes philoſophi docuerunt: aut ſi hanc quoque euertere voluiſti, oportuit te non circa corticem, & accidentia vagari, ſed adoriri principia ipſa, & fundamenta ſubruere. At hæc ne intelligis quidem, nec ſacris chymicis es initiatus. Compeſcere debes deinceps ſtultas iſtas manus, quæ ſtylum ſuum dementer, & rabioſe in optimam ſcientiam ſtrinxerunt easque cogere vt palinodiam ſcribant. Sed fabulam ſurdo. Videamus ſaltem emblemata nonnulla huius tractatus.

Paracelſiſtæ in crucem acti, aut alias ex merito tractati.

Nota I.

PAG. 97. proponit de præſtigiis, & impoſturis chymicis, promittitque tractatum copioſiorem *de vitiis & technis impoſtorum chymicorum*. Actum agis *Guiberte*, & tempus cum charta perdis. Quid enim toti mundo pene notius eſt impoſtoribus? An neſcis eos iam fabulam vulgi factos eſſe? Quin tu artem veram explicare ſtude. Veræ argumentis facile iudicabimus falſam. *Rectum enim iudex eſt ſui & obliqui.* At tu nihil veri in chymia didiciſti. Tot ſcriptis petita eſt hermetica noſtra, totque argumentis oppugnata, quot tu nunquam excogitare potes. At fruſtra. Ars enim ipſa regnat, & triumphat. An tu putas ignauos fuiſſe iſtos hoſtes? Num te aliquid efficacius, & ſolertius excogitare poſſe arbitraris? Falleris. Quæ iſti protulerunt, argumenta fuerunt. Tu nugas fundis & temerarias fabulas, ſomnia ſtultarum anicularum, & ambubaiarum deliria. Eſt tamen quo illos ſuperas, nempe criminandi malitia & ſæuitia. His tu virtutibus triumpha.

Nota II.

PAG. 98. negatur *rerum natura ordo admittere metamorphoſin metallicam*: & pag. 99. dæmones dicuntur probe ſcire, materiam, quod ad rerum mutationem, nec quod ad augmentum, vllo pacto eis obedire, cum formæ eius poteſtati haud ſubſint, ſed Dei duntaxat &c. Hic nec *Grammaticus es bonus, nec phyſicus acutus, nec Theologus ſapiens*. Grammatica vitia non vrgeo. Nam proteſtatus es, *te eruditiorem linguam latinam*, quali ego vtor, *& Græcam non intelligere*. Et qui poſſes cum habites in eo angulo Galliæ, alias literatiſſimæ, ad quam, vti ſcribis, *nihil laudabilium ſtudiorum peruenit*?

Sed

Sed & qui 40. annos conſumſit inter caminos ſceleratorum hominum, iam ſenex factus non poteſt latine ſcire. Quis te ſathan tam rude pecus inuexit in chymicos te longe latiniores? Tune audes contra eum ſcribere cuius ſtylum non intelligis? Ecquid pudet maſtigia? *Phyſicam ſcis nullam:* Argumento: quia *ſublunarium tranſmutationem nec ſcis, nec credis.* Impius es in Deum & naturam, cum negas Deum talem poteſtatem dediſſe hominibus, imo naturæ ſublunari indidiſſe, vt vi ſeminariæ poteſtatis ſit motus ex hoc in hoc, & ſic fiat tum aliorum, tum mineralium in alia, atque etiam metallorum tranſmutatio. Diaboli te rident. Nam corpus tuum, in quo ſcelerata iſta anima habitat, ſciunt non multo poſt in ſtercus tranſmutatum iri: Sciunt materiam eſſe appetitiuam formarum, & iam hanc, iam alias ſuſcipere, quod & *Plato* cum omnibus philoſophis naturalibus ratione, & experientia cognouit, probauit, conſtanterque defendit, nec ſacra ſcriptura de auro, argentoque corruptibilibus habet aliud. Aurum augeſcere in ſua minera, ſi creſcit, quis tam impudens eſt, te excepto, qui neget? Tui ſceleſti magiſtri falſa augmenta te docuerunt. Si in verorum ſchola didiciſſes, longe aliud cognouiſſes.

Lege Anshelmum Boetiium in Gemmario, Agricolam, Matheſium &c.

Lege quæ Auguſtinus de ranarum & ſimilium pluuia ſcripſit.

Nota III.

De tribus generibus præſtigiatorum Guiberti.

QVadraginta annos Guibertus inter impoſtores Alchymiſtas perdidit. Qualis fuerit iſta ſocietas, aliquoties verbis atrociſſimis ſupra dixit, quanquam, qua eſt malitia, etiam Hermeticos ſapientes, & philoſophos chymicos, quorum nullum ne per ſomnium quidem vidit, nec vllum eorum librum de arte intelligere potuit, immiſcuerit. Nunc in ordines tres diſtinguit, vt ex ſociis patent, ſi ex ſe non potuit cognoſci, & ſane qualis ſit, ſufficienter ex ſcelerata apologia, & tractatibus malitioſis apparet. Pagin. 99. 100. 101. &c. Vide quam bene profecerit in iſta improbitate Guibertus, qui tamen adeo rudis eſt literarum, vt commemorare latine & incorrupte nequeat. Nos ſic argumentamur.

Si iſti ſunt chymici in quos hactenus inuectus eſt Guibertus, qui tribus ordinibus hoc capite expoſitis continentur, neque Libauium, neque vllum ex Hermeticis iure potuit ſuis conuitiis tangere. Neq; enim per aucupia mendacia in crumenas hominum Libauius & Hermetici vnquã inuolarunt: neque vſi ſunt præſtigiis dæmoniacis vnquam, ſed ſuam totam artem Deo acceptam referunt à quo & petenda ſit, & deuotiſſima, pientiſſimaque vita commendanda, vt indicant laudes diuinæ, & alia pietatis argumenta paſſim libellis inſerta: neque tandem patiuntur ſibi à Diabolo imponi, vti nec vnquam præter naturalia media, & induſtriam, ſtudiumq; magnũ laborarunt, quibus Dei benedictio, non Diaboli vafricia eſt ſociata. *Eſt autem prius*, teſte *Guiberto*. *Ergo & poſterius.* Quo iure ergo hactenus tam crudeliter in innocentes eſt debacchatus? Sed audiat etiam hoc: *Qui in innocentes diabolice inuehitur tot conuitiis, calumniis, criminibus &c. quot aſinus non poſſit*, vt ipſe *Guibertus* ſcribit, *portare, is indicat ſe ex patre Diabolo eſſe, & nondum ſe ſeiunxiſſe ab egregiis iſtis ſociis qui Diaboli auxilio ſtuduerunt homines decipere. Eſt* enim eiuſdem Sathanæ criminari bonos, & quibus poſſis præſtigiis alios in fraudem pellicere. *Guibertus iſto modo inuectus eſt in innocentes Libauium, & hermeticos* philoſophos, vt patet in oppugnatione Alchemiæ, apologia, & tractatibus: imo ne quidem metallicis qui chymiã non profitentur pepercit, vt in cauſa ferri in æs abeuntis eſt videre. *Guibertus ergo indicat ſe ex patre Diabolo eſſe*, qui erat mendax & homicida & deceptor ab initio &c. Eodem referri poteſt & illud Iudæ apoſtoli, & Petri: 2. Pet. 2. *Hi quæcunque quidem ignorant, blaſphemant, audaces, ſibi placentes, nec metuunt ſectas introducere blaſphemantes, ſeu gloria præcellentes non metuunt conuitiis inceſſere: qui velut irrationalia pecora naturaliter genita in captionem & perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt.* Conſidera ſcriptiones tuas, *Guiberte*, contra chymicos non illos tuos præſtigiatores tantum, ſed & philoſophos, & phyſicos metallicos, qui tranſmutari poſſe metalla ſtatuunt: An nõ depictus es ab iſtis Apoſtolis?

Libauius & alii boni chymici nõ ſunt de ſocietate Guiberti.

Vos ego verſifices compello, qui hominis ſcelerati inuectiuam veſtris ſatyricis conuitiis, conſpurcaſtis potius, quam ornaſtis, nomenque & dignitatem, & fructum ingenii tam male impendiſtis in gratiam criminatoris *Guiberti*, vt eiuſdem cum ipſo ſceleris facti ſitis rei, *num intellexiſtis diſcrimen alchymiæ profeſſorum, cum in Libauium ſtringeretis dentes veſtros rabioſos?* Dixitne ille vobis non eſſe præter tres iſtas impoſtorum claſſes, ſocietatem quandam philoſophorum chymicorum, qui longiſſime abeſſent ab impoſtoribus ſuis? Si vobis perſuaderi paſſi eſtis, iudicium nebulonis ſecuti eſtis, qui cum 40. annos inter ſceleratos furciferos conſumſerit non potuit noſſe veram philoſophiam chymicam, & tamen vos, quaſi nulla eſſet, decepit. Si non perſuaſi ab ipſo eſtis, conſiderate leuitatem, & temeritatem veſtram, & cuius ſit hominis in gratiam nebulonis innocentes philoſophos inſectari. Pendente Honauero, mirum eſt Chymicum librum à Librario ad Wirtembergicum principẽ, cuius mandato & iſte, & Millenfelſius perierunt, perſcriptum eſſe ratiocinari vult *Stultus ille Mamburgus.* At hic cum deberet pro iure reſpondere, non videt ſe iniuſtitiæ iniquiſſimæ cauſam agere. Tu ne ira es *iuris Doctor*, ô inſane? Cur non inquirebas in ſtudia Libauii, & nebulonis tui *Guiberti* ante ſententiam latam? Eſtne *Libauius* in iſtis tribus impoſtorum *Guiberti* claſſibus? Si non eſt, cur in eum furis ſententia, qui ignorabat eſſesne in rerum natura an nondum? Quid ad te chymia *Libauii, furioſe rabula*? Qua re te læſit? Cur non ſiuiſti exedere *Guibertum* quod ſibi intriuerat? Cur te facis participem alieni delicti? Si tales homines multos

Ad Cachetũ & alios Guiberti ſimiles coruos.

Guibertus ſuos patronos iuriſtas bene ornat.

alit *Lotharingia*, verum eſt *Guiberti* verbum pag. 31. apolog. *nihil laudabilium ſtudiorum in angulo iſto Galliæ inueniri præter infelicißimos ſacculos litigantium, & ſordidulos contractus, rabularum que cautelas, vbi ſumma virtus in cenſu, gloria in alienas opes inuaſio & occupatio.* Ecce, rabula infeliciſſime, tuus cliens quam bene te depinxit, quanquam peniculo ſtulti? Neque enim tales technæ ſunt in numero laudabilium ſtudiorum, ſed potius facinorum iniuſtiſſimorum, & turpiſſimorum. Eius fecis, licet alienæ lernæ eſt & epiſtola *medici Nanceienſis de Lorme*, qui ſcribit DOMINO DOMINO *Guiberto*. Tune *Lormae* in tua medicina tam es hoſpes, vt non poſſis inter chymiatros, chymicos hermeticos, & *nebulones Guibertinos* diſcernere? Euge bonum commendas alexicacum, ſi Cacus eſt alexicacus. Ecce dum tu ſtertis, & non inquiris in ſtudia vera, deciperis turpiſſime, & veſano iudicio eum hominem lædis, cuius ſtudio, & opera medicina eſt exornata, & cui tu gloriam, & gratiam debebas. *Andreas Laurentius* non ſcripſiſſet id quod ſcripſit, ſi rem bene expenſam habuiſſet. ô miſeri homines quot nos poſſemus in vos conradere epiſtolas, & verſus ſi vellemus par pari reddere? Sinite ſcientes, & peritos de chymicis iudicare. Vos iudicio veſtro indicaſtis, ne pilum quidem boni chymici in vobis ſeu eſſe, ſeu fuiſſe. Nihil autem ſceleratius eſt *Guiberto*, qui imperitis perſuadet *Libauium* eſſe in numero impoſtorum, & ſic exprimit ex eis ſuæ ſtultitiæ, & temeritatis commendatitias, hominum innocentium, & iuſtorum damnatrices.

Miſeri poëtastri & epiſtolantes qui quod euomuerūt iuſtiſſime reſorbere coguntur.

Nota IV.

De Barnaudi hiſtoria auri per artem facti.

De Barnaudo melior teſtis eſt Ph. Müllerus.

PAG. 105. hiſtoria *Barnaudi* de Mercurio in aurum verſo vocatur *fabula*, & mendacium. Iam autem iſta hiſtoria ſumma fide conſcripta eſt adhuc viuentibus illis quorum oculis & experientiæ patuit. Scripſit commentariolum *Barnaudus* in Epitaphium Bononienſe: *Ælia, Lælia, Criſpis &c.* Putat defoſſi Theſauri ſuſpitionem eſſe poſſe argumento ſimilium factorum. Hoc probat non exemplo ex auditione incerta, ſed re vera geſta, & viuis teſtibus firmata. Partes narrationis ſunt.

Aureum Vellus Colchidis.

1. Factum paulo ante quam *Cracouia Pragam* rediret. 2. *Pragæ* vero ſe hoſpitem *Thaddæi Hagetii* viri nobilis, medici, & mathematici, 3. à conſiliis medicis illuſtriſſimo *Gulielmo Vrſino à Roſis* fuiſſe: 4. Eo tempore incidiſſe in medicum *Anshelmum à Bood Belgam*, qui anno Chriſti 1609. hiſtoriam Gemmarum & lapidum ſcripſit, crediturque adhuc in viuis eſſe: Vir ſane nobiliſſimus, & fide digniſſimus non ita pridem Cæſareæ Maieſtatis perſonæ medicus eruditione & experientia ſingulari. 5. Hunc parentis defuncti Bibliothecam è Belgio *Pragam* tranſtuliſſe. 6. In ea incidiſſe in libellum deſcriptum in *pelle arietina*: titulo: *Cymbalum aureum*, quem ipſe *Barnaudus* viderit. 7. Libellum fuiſſe tabulis ligneis incluſum ſed impetu, arbitror vecturæ fractis: 8. *Anshelmum* voluiſſe membrana obtegere. 9. Ecce tibi nihil tale cogitanti apparuiſſe in medio concauum locum charta pergamena obductum. 10. In eo *Chartulam quandam obuolutam*, continentē proceſſum quendam ænigmaticum *philoſophorum lapidis*. 11. Additam fuiſſe *rubentis puluiſculi* granularem portionem, quæ proiectione ſui ſuper argentum viuum deſcriptionem artis probaret. 12. *Anshelmum* metallicæ philoſophiæ (tranſmutationis hermeticæ) oſorem tunc fuiſſe acerrimū, 13. *mediam partem pulueris proieciſſe ſuper mercurium igni calefactum.* 14. *Vidiſſe mercurium hunc in aurum natiuo non diſsimile conuerſum*: 15. Obſtupuiſſe: id quod ex ore eius auditum referat *Barnaudus*. 16. Adiiſſe aurificem, & petiiſſe ſe doceri *deſtillatoriam*, pro qua velit viciſſim oſtendere *tranſmutationis mercurii in Solem verum ſpecimen.* 17. Inſumta erat dimidia pars pulueris. Fit periculum in alterius dimidiæ diuiduo. 18. *Ex argento viuo iam ſecunda vice fit aurum proiectione puluiſculi.* 19. Aurifaber ſe deluſum putans reſiduum poſcit, ad idem experimentum. 20. *Fit aurum tertio.* 21. Aurifaber ſpectaculo mirifico in pietatem raptus, *gratias Deo agit*, & diffidentiam deprecatur. 22. Accinguntur ad laborem ſecundum literam, fruſtra. *Literalis enim ſenſus non erat, ſed myſticus*, cuius illi erant ignari. 23. Addit *Barnaudus* proceſſus deſcriptionem non diſſimilem paucis exceptis fuiſſe *Ferneliana* in lib. de abditis rerum cauſis: Et ſi quis conferre velit, is deprehendet ſic eſſe. Plenior eſt *Cymbali iſtius aurei narratio*: *Fernelii inſidioſa, & deficiens.* Hæc *Barnaudus* publicauit triplici experimento, & fide digniſſima ſuiſque circumſtantiis explicata, & confirmata hiſtoria: quæ ſi non eſſet, autoritatem *Anshelmi* reueritus viuo non fuiſſet editurus. Hiſtoriam hanc pro vera repoſuit *Ewaldus de Hoghelande* nō tantum ex *Barnaudo* recognitam, *ſed & antea ſibi compertam.* Eandē probat Philippus Müllerus, in publico ſcripto. Ego tot circumſtantiis munitā video, vt impudentiſſimi hominis ſit contra eam vel mutire. Eſt præterea *ipſi naturæ & rationi conſentanea, roboraturque variis aliorum experimentis*, & veterum hermeticorum doctrinæ promiſſionibus, & ſcopo. Nemo hactenus in publico comparuit, qui negare auſus fuiſſet, excepto *Guiberto* impudentiſſimo nebulonum, qui vnquam ætatem falſo auri ſtudio perdiderunt, ſimulque mendaciſſimo, & calumnioſiſſimo, qui omne argumentum vndecunque potuit, contra artem ſapientiſſimam, veriſſimamque dementiſſime corraſit, & impoſturis non erubuit accenſere ſynceriſſimam hiſtoriam. *Ecqui fides maior eſt, impudentißime mentienti ſcurræ, & rabioſißimæ vetulæ Guiberto, an hiſtorico omni parte veri teſtimonio inſtructißimo?* *Bernardus Penotus* Aquitanus tractatui de aquis Mercurialibus

Qualis is qui hiſtoriam calumniatur.

præ-

præmiſit præfationem de Mercurio, in qua narrat ſe *Pragæ* exiſtente *Eduardum Kelleium Anglum*, (*qui Rhudolphopoli præſente Nicolao Maio ex argento viuo verum aurum, quod mihi Ienæ monſtrauit, fecerat,*) aurum ſolidum liquatum, & in medio vſque ad fundum perfoſſum immiſſo albo puluere *tranſmutaſſe in Mercurium currentem*, non minore miraculo, quam ſi quis contra argentum viuum in aurum vertat, quod *Paracelſus, Morienus*, & alii multi ſæpius effectum reddiderunt, & Societas de roſ. cruce facilimam & minimam partem ſuæ profeſſionis eſſe ſcribit. Citat teſtem *magnum quendam principem* (Vrſinum à Roſis puto) & *D. D. Hagetium Thaddæum*, ſuamque fidem oculatam ponit. De tranſmutatione in aurum *hiſtorias aliquot* recitat in præfatione apologetica, quam infra transſcriptam exhibebo, in qua notabile eſt aurum librale ex argento viuo per *Eduardum Kelleium* vnica gutta liquoris rubicundiſſimi factum, & ab *Haggetio Thaddæo* in confuſionem obtrectatorum reſeruatum. Simile miraculum vidiſſe ſe centies & manibus geſtaſſe narrat *Barnaudus* quoque: qui cum in hac recitatione teſtes habeat grauiſſimos, non præſumi poteſt in priore mentiri. Ita vides, qua virulentia ſe optimis hiſtoricis opponat *Guibertus*, qui cum ſemel omnis verecundiæ limen tranſſcenderit, non poteſt non mentiendo gnauiter conſeneſcere.

NOTA V.

De argumentis, quibus hiſtoriam Barnaudi petit Guibertus.

PAg. 105. miram calliditatem, ſeu *fabulæ potius commentum* vocat hiſtoriam Barnaudi, non admodum abhorrentem ab eo impoſturarum genere, quo quidam (Guiberti olim ſocii) fucatum aurum ſolent in catinum clam mittere, vt & argentum, indeque poſtea & aurum & argentum artis mentiri. His verbis non accuſatur *Barnaudus* impoſturæ, ſed *Anshelmus* ipſe cum ſuo aurifabro, & cæteris, qui artis ſpecimen infucatum ſuis viderunt oculis; quaſi *Anſelmus ille nobiliſſimus* impoſturæ vnquam quicquam adhibuiſſet, & non tanta eſſet fide, integritate & candore quanto in hoc genere vix vllus. Pag. 108. Poſtquam *Guibertus* repoſuit hiſtoriam ex recenſione *Libauij* ex libro Barnaudi, *Omnia ducenda* ait pro MERIS NVGIS, & IMPOSTVRIS. Graue quidem eſt viros veritatis ſtudioſiſſimos, & boni cupidiſſimos *à nebulone* tam perfrictæ frontis traduci: veruntamen quia putat ſe argumentis docere poſſe quod iudicat, non pigeat nos ea conſiderare, hoc præſuppponentes, *vbi grauiſſimi & fide digniſſimi ſunt rerum teſtes, ibi fruſtra logicis argutiis & negationibus agi*, quod *Guibertus* quoque confiteri eſt coactus.

Arg. 1. Huius rei fides ſtatim poteſt in dubium vocari à perſonæ referentis circumſtantia, qualitate, aliis. (Explicatio huius ſequetur infra vbi *Barnaudus* accuſatur impoſturæ, &c.)

Arg. 2. Hæc impoſtura facile poteſt deprehendi & coargui ab eo, qui in lectione *Fernelij* ſit verſatus. Ratio: Quia eundem proceſſum ante annos 50. *Fernelius* in publicum dedit, exceptis paucis immutatis & adiectis. Recitantur verba *Fernelij* ex lib. 2. de abditis cap. 18. Additur: Quæ ſi cum *Barnaudo* conferre non grauetur veritatis amator, *dolus Barnaudi* erit manifeſtarius, & facilis animaduerſu, &c. Vis argumenti in hæc eſt, Barnaudi recitationem eſſe impoſturam, quia ex Fernelio transſcripta, à quo edita eſt ante annos 50. Falſum ergo inuentam eſſe ab *Anſelmo inter fractas cymbali aurei tabulas, &c.*

Arg. 3. Irridendus ideo Sophiſta *Libauius*, qui in diuinatione verba hæc: *Quæ toties expiratione prolecta ſit*, non intellexit; ſed putauit hunc proceſſum *Barnaudi Belgico ſermone* fuiſſe conceptum, indeque in latinum translatum. Falſo. Ratio: Quia ex ſupra deductis ſatis conſtat fuiſſe *conceptum latino ſermone*, & *à Fernelio* ſcriptum: quia modus loquendi & verborum pondus id indicant. De *Libauii* errore agam nota peculiari. Vis argumenti in hoc eſt: *Barnaudi recitatio eſt impoſtura*. Argumento: *Quia Libauii coniecturæ ſeu diuinationi non reſpondet*, & dicitur alia lingua concepta eſſe, quam ea, qua Fernelius proceſſum deſcripſit, hoc eſt, latina.

Arg. 4. *Si proceſſus iſte à Fernelio deſcriptus non eſſet impoſtura. Fernelius lapidem probaſſet. At non probauit. Ergo eſt impoſtura.* Aſſumtio teſtimonio *Iacobi Auberti Vindonis* roboratur. Negat enim hic *Fernelium* probaſſe lapidem. Ratio eſt: Quia lapis *Bruto* aſſcribitur, cuius argumenta *Eudoxus* omnia diluit, dicens è Philoſophia non rapi debere ad diuitias, cum *fabulam* detegere poſſit id quod ad finem eſt additum de mari in aurum vertendo: quibus lapidem philoſophicum nihil aliud eſſe niſi vanorum hominum & impoſtorum figmentum perſpicue demonſtret: Item iniuriam fieri tanto viro *Fernelio* dementiæ inſimulando. Item: *Fernelium* ludere philoſophici lapidis aſſertores, & artis impoſturas detegere. Hæc ex *Auberto*. *p. 111.*

Arg. 5. Quæ *Fernelius* in libros de abditis retulit, conuaſata ſunt ex impoſturis *Mollani Magni Chymiſtæ*, qui irriſus à *Fernelio*, ipſum viciſſim luſit tradita deſcriptione lapidis, quam tranſtulit in libros ſuos de abditis, atque ita nugamentis & rebus friuolis ſuos libros conſpurcauit. Hinc aliud argumentum. *p. 112.* *Accuſatur Fernelius.*

Argumentum ſextum: Quæ *Fernelius* de lapide philoſophico in ſuos libros tranſtulit, ſunt nugamenta, & res friuolæ, *quibus libros ſuos conſpurcauit*. Ergo & *Barnaudi* proceſſus ex *Fernelio* tranſſcriptus.

Arg. 7. *Fernelius* locutus eſt licentius de rebus ſibi incompertis & incognitis. *Barnaudi* ergo proceſſus nihil habet cogniti & comprobati. *p. 113.*

p. 114. Arg. 8. *Stephanus Reguard* medicus Tullenſis *collega Guiberti* (aſſidet enim graculus graculo) prc tulit librum Gallicum impreſſum, in quo *Barnaudus* ornatur ex ſuis virtutibus, nempe quia rec ptator fuerit cuiuſdam Alchymiſtæ infamis impoſtura venditæ receptæ tranſmutationis metall cæ, qui ſit excommunicatus ob *Arianiſmum*, &c. Item libris editis occaſionem dederit peccandi, decipiendi homines, regnumque ſathanæ amplificauerit, &c.

Inde ſequi putat *Guibertus Barnaudi* hiſtoriam eſſe fabuloſam, & proceſſum falſum, quia *Bar naudus* ſit impoſtoris receptator, eique tradiderit artem, &c.

Reſponſio ad argumenta prædicta, & eorum retorſio.

AD 1. Nego ſequi. *Non enim ſi Barnaudus in aliquibus leuiter ſe geſſiſſet, conſequens eſt narratam hiſtoria per ſe eſſe falſam.* Nam & diabolus poteſt aliquid veri proferre: vt cum Matth. 8. v. 29. *Filium De vocant Chriſtum dæmonia.* Marci 3. v. 11. Spiritus immundi procidunt eidem, & clamant: *Tu es filiu Dei.* Ita Act. 16. v. 17. &c. *Iam nihil leuitatis eſt in tota narratione*, quæ & confirmatur ratione & expe rientia, pluribusque teſtibus fide digniſſimis: Vnde patet *Guiberti* iudicium totum eſſe calumnio ſum & veteratorium. Retorſio:

Qui ſtudio contradictionis in eadem materia nihil non fingit, calumniatur, mentitur, &c. *is nefarius eſ impoſtor*, nullaque dignus fide. *Id autem facit Guibertus in tota hac cauſa. Ergo.* Aſſumptum eſt dilucidum.

Ad arg. 2. Argumentum eſt falſum. Nam qui legit *Fernelium* eadem pene narrantem, & ſimul videt, quod *Barnaudus* quoque agnouerit, & fateatur conſenſum, is tanto plus fidei narrationi *Barnaudi* tribuit. Eſt autem hominis ſtulti ſic concludere: *Proceſſus dudum à Fernelio eſt publicatus: Ergo falſum eſt, quod Anshelmus eum inuenerit in fragmentis tabularum.* Vtrumque enim eſſe poteſt, nec alterum euertit, ſed firmat, & declarat alterum. A quo primum ad *Fernelium*, aut *Mollanum* peruenit, ab eo potuit & ad hunc, qui eum incluſit libro *Anshelmi*. Patet hinc antiquitas artis comprobatæ non vno ſpecimine, ſed tunc quidem tribus, *at quot pulueris reliqui potentia?* Si quis ita argumentaretur: *Quæ Guibertus contra Alchymiam crimina & conuitia ſcripſit, ea omnia inueniuntur*, licet non ita rabioſe, *apud alios eius ſcientiæ hoſtes: Ergo dilucidum eſt Guibertum eſſe impoſtorem*: num firmum argumentum videretur?

Ex vnico grano tria ſpecimina, quot erunt ex tota quantitate homogenea librali, vel alia?

Collatio proceſſus Ferneliani & Anshelmiani.

CAlumniator *Guibertus* ſcribit exceptis paucis immutatis, & adiectis proceſſum apud vtrumque eſſe eundem. Conferamus ergo: *Barnaudus*: Recipe auri obrizi.) *Fernelius*: Auri puriſſimi. 2. *Bar.* Mercurii. *Fern.* Argenti viui (non eſt autem idem argentum viuum & mercurius.) 3. B. elaborati. F. præparati. (differunt elaborare, & præparare.) (Hoc præmittitur operi, illud ei eſt eſſentiale.) 4. B. Miſce. F. Permiſce. 5. B. *Vulcanoque* diſſolue languido. F. *Igneque* languido diſſolue. 6. B. dum *Mercurius* expiret. F. dum *argentum viuum* prorſus expiret. (Nebulo *Guibertus* putat per exhalationem debere argentum viuum ſeparari, vt fit in amalgamationibus aurificum: ſed expirare hic longe eſt aliud, vitæque opponitur.) 7. B. *aurique impoſiti* pondus maneat, in atrum puluerem redactum. F. priſtinumq; *auri pondus ſubſideat.* (Fernelius nō intellexit proceſſum, ſed corrupit verbis alienis aſſumtis.) 8. B. Qui tamen (ater puluis) liquatus NON poſſit in antiquam auri naturam conuerti. *Fernelius* negationem omiſit, & ſuam inſcitiam prodidit ſcribens: *Qui tamen liquatus poßit in propriam auri naturam redire.* 9. B. Ex hoc puluere. F. Ex hoc dein puluere. 10. B. igne, Mercurium, vaporarii aquam continentis elice. F. igne acerrimo vaporarii aquam continenter elicies. (*Fernelius* hic vltra deſtillatorem non ſapuit.) 11. B. Dum puluis in calcem niueam deuergat. F. Dum puluis totus in cinerem candidiſſimum, & in calcem deuergat. 12. B. Hanc ſepties, &c. F. Calcem ſepties, &c. 13. B. quæ totiens expiratione inde prolecta ſit. F. quæ & toties, &c. 14. B. Et omni cura elabora. F. Omnique arte elabora. 15. B. Vt hac impulſione, & excurſione crebra, &c. F. Vt hac impulſione & incurſione. 16. B. & ab omni ſorde & fece euadant puriſſima. F. & ab omni ſorde, feceque puriſſima reddant. 17. Hic *Fernelius* multa adiecit, quæ in *Barnaudo* deſunt: nempe: *Vires ſummas conſecuta. Hæc duo ſunt totius artis operisque conficiendi primordia, in quibus mundi quatuor elementa deuinciuntur. Nam in aqua aer etiam ineſt, in calce terra, atque ignis, fitque quod in Smaragdina Hermetis tabula tanquam inſculptum myſterium legimus: Aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, ſicque vim recipit ſuperiorum & inferiorum.* Hæc Fernelius: Pro quibus Barnaudus tantum hæc: *Vimque recipiant ſuperiorum & inferiorum, deſcendendo in terram, & rurſus aſcendendo, vt in Hermetis Smaragdina tabula legitur.* 18. B. Hæc aqua eſt Azoth, ſpiritus viuens: Terra eſt fermentum; *aqua eſt mas*; *terra* vel calx *fœmina*. F. Qui ænigmate hæc contexerunt, hanc *aquam* appellant *argentum viuum*: calcem verum *ſulphur*, quorum permiſtione lapis fit perinde atque ex aqua farinaque panis. Alii aquam ſpiritum viuentem, terram fermentum. Alii illam marem: hanc fœminam dixerunt. (Vnde *Fernelius* nouum proceſſum videtur ex diuerſis autoribus concinnaſſe.) 19. B. Quorum complexu naſcitur infans: Lapis. F. Quorum complexu & coitione procreatur infans. 20. B. Sed non quouis tempore concipit mulier: Sed tum demum cum vterus à natura conceptui præparatus eſt. *Fernelius his caret.* 21. B. Proinde calcem purificatam, ſeu ſolem Philoſophorum obturato vaſe putrefac, ſeu reconde ad digerendum quadraginta diebus, dum in humorem album & craſſum liqueſcat. F. Opus autem poſtremum vt compleas, calcem puram obturato vaſe re-

Prorſus expirare eſt exanimari & figi.

Additamentum Fernelii.

raſe reconde equino fimo calente diebus quadrag. dum in humorem album & craſſum liqueſcat.

22. B. In hunc iuſtis dierum interuallis aquam ſenſim infunde. Hæc verba habet & *Fernelius*, in cæteris vſque ad finem diſſentiunt deſcriptiones. Hæc enim ſunt *Barnaudi*: *Hæc eſt maris & fœminæ coniunctio, quæ mirum in modum vniuntur, & fœmina maris amore tota fundatur. Hæc eſt* SOLVTIO. *Relinque donec rurſus ſuas vires recuperet. Tum iterum coeat, idque toties donec calx omnem ſuam aquam ebiberit. Tum vterus clauſus ſit, ne quid expiret. Nam tum infans concreſcit, & ex illa frequenti coagulatione & ſolutione lapis concreſcit. Qui colores fiant, omnes explicant Philoſophi. Hæc vera eſſe, hic puluis oſtendit, &c.* Hæc *Barnaudus*. Pro quibus Fernelius iſta poſuit: *Ea quidem via ac ratione quam artis periti ad vnguem explicarunt, vt calx aquam ſuam omnem ſenſim combibens, quaſi illinc enutrita in lapidem verum concreſcat. Quam variam colorum mutationem hoc temporis curriculo debeat lapis ſubire, & quæ indicia illius conſummati perfectique exiſtant, expreſſum etiam ab illis, patefactumque eſt. Hic Theſaurus immenſus: Hoc verum Elixir: Hoc frugiferum auri ſemen, &c.*

23. Diſſentiunt in proiectione. Nam proceſſus *Barnaudi* duodecimam grani partem iubet proiicere ſuper *argenti viui drachmas duas*, quæ eſt proportio 1. ad 1440. *Fernelius* de argento viuo nullam certam quantitatem petit, ſed verſibus hyperbolicis *Augurelli* ludit: de *ſtanno* vel *plumbo* ponit drachmas 250. De *Elixire* drachmam vnam. Hæc eſt collatio. Ex hac contra Guibertum ſic argumentor:

Si Barnaudus ex Fernelio transſcripſiſſet proceſſum, ſeruaſſet ſententiam & verba apud eum legenda. Non enim alias transſcriptio foret. *Atqui verba & ſententiam habet diſſentientia. Non ergo transſcripſit.* *Ex collatione argumenta contra Guibertum.*

2. Qui ipſe fatetur *Fernelij* proceſſum ſibi prius notum non diſſimilem eſſe ſibi tradito à *Paulo Grimmillero* exceptis paucis, eum transſcriptionis inſimulare non poſſumus. Collatorem enim indicat, non deſcriptorem. Illud eſt de *Barnaudo*. Et hoc ergo.

3. *Qui tribuit viro docto id cuius non poteſt conuinci; improbus eſt calumniator & mendax. Guibertus Barnaudo* viro docto tribuit id cuius non poteſt conuinci. *Guibertus* ergo improbus eſt calumniator & mendax. Propoſitionem illuſtro, ſi id faciat ex propoſito & ſtudio traducendi. Minorem probo: Quia contrarium ex collatione apparet, & totus diſcurſus argumento eſt *Guibertum* id facere ſtudio, animo, & propoſito tam artifices & profeſſores condemnandi, quam artem ipſam in impoſturam conuertendi.

Noto: Deſcriptio *Ferneliana* tribuitur *Bruto*. Hic autem dicit, ſe *non totum Theſaurum* depromturum, & eductum quam vere ſubſiſtat: Item ne inſolens nominum ſermonisque obſcuritas collocutores offendat, quæ PATRES vmbra & ænigmate obuelarunt in apertam & clariſſimam lucem prolaturum, idque strictim & breuiſſime. Ex dictis colligo: *Eundem fuiſſe proceſſum & deſcriptionem, quam habuit Fernelius, quamque à Grimmillerio accepit Barnaudus ab Anshelmo traditam:* Sed *Fernelium* mutaſſe ſtudio breuitatis & perſpicuitatis. Itaque non poteſt accuſari fraudis *Barnaudus*, quaſi corrupiſſet *Fernelii* textum. Deinde patet indidem proceſſum non confictum à *Fernelio* eſſe, ſed traditione à Patribus acceptum. *Barnaudus* laudem candoris, ingenuitatis & ſynceritatis meritus eſt à tota poſteritate & omnibus Hermeticæ ſapientiæ amatoribus, quod proceſſum communicauerit ſine inuidia, & defectum Fernelianum monſtrauerit, ſuppleueritque; quo malicioſior eſt *Guibertus*, qui laudis opera in fraudem iniquiſſime conuertere non erubuit.

Ad argum. 3. Non ſi *Libauium* opinio decepiſſet, *Barnaudi* deſcriptio falſa foret. Neque enim ſequitur fraus & impoſtura artis, ſi ego putem *alia prius lingua* fuiſſe conceptam. Videant autem homines iuſti quæ intemperiæ & furiæ exagitent *Guibertum*, dum bonos viros criminatur non viſæ reſpondere coniecturæ nomine, cum tamen ipſe criminator non poſſit ſententiam genuinam explicare, & meliora ſubſtituere, imo aperte fallatur argumento. An autem mirum ſit, ſi quis dicat alia lingua fuiſſe deſcriptam primo artem, quia duo interpretes latini non omnino eadem habent verba?

Ad arg. 4. Falſum eſt aſſumtum, & *Auberti Chymicorum hoſtis* teſtimonium tum ipſo iure nullum; tum rei veritati aduerſum. *Fernelium* probaſſe lapidem Philoſophorum demonſtro. *Fernelium probaſſe lapidem Philoſoph.*

1. Non adieciſſet operi de abditis rerum cauſis, niſi exemplum verum, *de ſeminio metallifico* probaſſet. Ea enim eſt vere occulta cauſa generationis metallorum, quam veriſſimus quiſque Philoſophorum, maximeque mineralium periti amplectuntur, & doceant.

2. Nuſpiam aperte improbat, aut reiicit.

3. Poſtquam introduxit *Brutum* de Chymica miſtorum in aquam, oleum & ſalem reſolutione differentem, τὴν χημείαν vocat *fuſilem & metallicam Philoſophiam*. Fallaci arti & deceptioni nomen tam honorificum non fuiſſet daturus. Sub perſona Philiatri *lapidem ipſum aſſcribit Philoſophis*, de quo dicit verbis *Bruti*, ſe *eo ſtudio verum id comprobaſſe*, quod cæteris fabuloſo figmento haud abſimile putatur. Ita ſub perſona *Eudoxi* ex *Bruto* ſcite geſtit quid de iſta *Philoſophia* acceperit. *Chemia quid.*

4. Vocat *Theſaurum* ſub vmbra & ænigmatibus *à Patribus acceptum*, idque nullibi refellit.

5. Suam ſententiam proponit, lapidem iſtum eſſe *auri ſemen*; idque confirmat naturæ exemplo ex *Augurello*, qui vult ſemen auri ex ſolo puriſſimoque auro extrahendum, magno ſtudio eſſe.

Addit argumentum generale: *Nihil eſſe in vlla naturæ parte, quod non in ſe ſui generis ſemen contineat*: nec eſt falſum hoc axioma, ſed ſacris literis conſentaneum, à ſapientibus probatum, & experientia demonſtratum.

6. In proceſſu opus confirmat *antiquiſſimi Hermetis tabula*, vt Rabula furioſus *Guibertus* ceſſet illam calumniari. Si mendacem artem arbitratus fuiſſet *Fernelius*, non roboraſſet autoritate TER maximi Philoſophi.

7. Dum

7. Dum ſine reprehenſione etiam aliorum ſententias attexit, quia falſo falſum non potuit probare, non iudicauit artem vanam eſſe.

8. Expreſſum & *patefactum ab aliis affirmat, qui colores fiant*, & quæ perfecti lapidis ſint indicia. Quod patefactum affirmat, id non iudicat falſum, niſi data opera mentiri velit.

9. Non erat tam vanus ſcriptor *Fernelius*, vt ſuis operibus proceſſum tam ſtudioſe, & vt videri vult, ſine vmbraticis nominibus inſereret, & fraudes doceret ioco quodam & luſu.

10. Cum *Philiatrus* raperetur in alium finem, quam decebat veri amatorem, nempe diteſcendi cupiditate inflammaretur: *Fernelius* perſona *Eudoxi* non rem negat, ſed affectum corrigit, addita ſententia Philoſopho digna: *Miſſa vehementi de pecunia opinione* SATIS NOBIS *ſit è rebus ſingulis* (Ergo & ex auro) *ſyncerum quippiam, puriſſimumque elicere, in quo vis illa proprietatum ſumma inſideat, &c.* Qui eſt verus totius Alchymiæ extractoriæ ſcopus, licet ei contradicant quidam *Idiotæ* (vt eos *Sylvius* vocat) volentes nihilominus magnorum medicorum gloria commendari.

11. Pro ea re dilucidius explicata maximam gratiam habent tam *Eudoxus*, quam *Philiatrus*. Hæc vndecim argumenta ſunt pro parte affirmatiua. Negatiuam *Aubertus* & *Guibertus* (par calumniatorum Alchemiæ) audent defendere, at ſine effectu.

1. *Bruto aſſcribitur proceſſus. Brutus autem rationis eſt expers.* Reſpondeo: Eidem tribuitur & Alchymiæ Pharmaceuticæ enarratio. Hæc non eſt falſa, ſed veriſſima. Neque ergo etiam metallurgica ab eodem commemorata falſa erit. Adde gratias, quas *Bruto* eam ob cauſam habeat. Sit *Brutus* vel *Bileami* aſina. At per ſummam veritatem hac in re ſapientior eſt omnibus medicis & phyſicis Chemiæ hermeticæ imperitis & oſoribus, ſicut *aſina Bileami* erat *Bileamo* ſapientior, & prophetæ ſtultitiam corripiebat. 2. Pet. 2. v. 15. 16.

2. *Omnia argumenta Bruti refutantur ab Eudoxo.* Reſp. Adeo falſum & impudens aſſertum, vt ne litera quidem ad refutandum comparata ſit in verbis *Fernelij*, vel vnius ſaltem argumenti Energian, nedum omnium.

3. *Negat ad diuitias à Philoſophia rapi debere.* Reſp. *Elenchus cauſæ eſt.* Finem illiberalem negat petendum eſſe, aut ſpectandum ea arte *Fernelius*. Philoſophicam indagationem abſtruſi in auro ſeminis non prohibet adeo vt requirat.

4. *Fabulam detegere poſſe verſus Augurelli de Mercurio monuit.* Ergo totum proceſſum iudicauit eſſe falſum, & lapidem philoſophicum nihil aliud niſi vanorum hominum & impoſtorum figmentum. Reſp. Nego ſequi. Nam *fabulam non de arte*, ſed de hyperbolica artis commendatione accipit, atque ita inflammati *Philiatri* cupiditatem retundit. Vere fabuloſum eſt poſſe quempiam ſibi ea arte tantum auri facere, quantum eſt mare, licet id à Chymicis exigant & expectent auari homines, & ſtultiſſimi illi declamatores, qui ideo Chemiam vituperant, quia non ſit, qui montes auri fecerit.

5. *Si probaſſet Fernelius artem, dementiæ inſimularetur.* R. Nego ſequi: Quia contrarium eſt verum. Qui philoſophicam veritatem probat, ſapiens eſt, non demens. *Aubertus* mendaciſſimo ſuo ore & calamo viro grauiſſimo non veritus eſt culpam iſtam fœdam impingere, vt & ſceleratorum Chymiſtarum ſocius olim *Guibertus*.

6. *Fernelius ludere voluit, & detegere impoſturam artis.* R. Falſum. Monſtretur ſaltem vnicum eius voluntatis verbum. Si non poteſt, *Aubertus* cum *Guiberto damnatus eſto*.

Ad arg. 5. Mendacem oportet eſſe memorem. Si *Fernelius* accepit artis proceſſum à *Mollano*: non ſuis verbis deſcripſit, quæ poſtea *Barnaudus* transſcripſit.

2. *Non ſi à Mollano* accepit, *falſum eſt id quod accepit*, niſi forte quicquid publico committit *Guibertus*, id omne impoſturarum accuſandum eſt, quia non tantum cum impoſtoribus conuerſatus eſt annos 40. verum etiam eorum artificia deſcripſit, eſtque per ſe homo vaniſſimus & ſcurra maledicentiſſimus.

3. Quod ex impoſturis *Mollani* proceſſus iſte ſit conuaſatus, redarguitur deſcriptione plena *ex antiquiore Ambelmi libro.* Redarguitur & *tribus facti auri experimentis* firmatis teſtimonio virorum grauium.

4. Vanum & futile eſt mutuo ſibi illuſiſſe iſtos duos. Neque enim res ipſa luſus, ſeu iocus friuolus eſt, neque deſcriptio iſto nomine propoſita. Figmenta & nugæ ſunt iſta *Guiberti* calumniatoris.

Ad arg. 6. Mendacium eſt, non argumentum. *Neque enim Philoſophia illa Chymica à Fernelio eſt contempta*, nec res tam ſordida, verum precioſiſſima & nobiliſſima, vereque miranda vt gratiam magnam *Brutus* inierit eius communicatione, ſine qua *Fernelius* non iudicauit libros ſuos de abditis eſſe ſatis ornatos, aut perfectos.

Ad arg. 7. Vertumni in varia ſe miracula abſurditatum transformantis nænia eſt. Fuerit ars iſta incognita *Fernelio*, licet hunc tota latere non potuerit, qui eam euidenter putauit ſe deſcribere poſſe: at non ideo figmentum & impoſtura. *Guibertus* plurima de ea nugaciſſime & ſtultiſſime locutus eſt. At non ideo ipſa eſt ſtultitia. Videte vero hominem iſtum inſulſum, & pecus arcadicum, cuius labris nihil placet niſi horridi cardui: Quaſi vero in miſtis nihil eſſet præter *Galeni qualitates & humores* vti eos exponunt crudi *Galenici*. Iſta duo argumenta repugnant *Auberto*. Cogitur enim fateri *Fernelium* aliquid arti tribuiſſe præclari.

Ad arg. 8. *Baſillon* decepit medicum *Lugduni in Gallia*, falſa recepta ſeu formula de tinctura metallorum tradita: Idem medicamenta fecit ex *Antimonio* per ſublimationes, quibus homines intoxicauit: Idem vendidit *modum fallendæ monetæ*. Hanc artem didicit à medico *Barnaudo*, à quo, licet eſſet excommunicatus, & *Arianiſmi* conuictus, ſcripſiſſetque abominabilem librum *de tribus*

impoſtori-

impoſtoribus, tamen in ædes eſt receptus. Quid inde quæſo? Ergo vult *Guibertus*, proceſſus aurificii, quem in libro inuenit *Anshelmus*, eſt impoſtura.

Reſp. Finge *Barnaudum* eſſe reum iſtius criminis, cuius inſimulatur, tamen non eſt conſequens hiſtoriam inuenti pulueris aurifici, & artis lapidem conficiendi eſſe falſam. Si enim poſt impoſtoribus ſe ſociauit, non neceſſe eſt facta antecedentis vitæ etiam eſſe impoſtoria; nec ſi malus eſt, hiſtoriæ relatio ſuis circumſtantiis, & teſtibus firmata eſt mala. Si putat *Guibertus* valere iſtam ſuam conſequentiam, dicat etiam hanc valere: *Falſum eſt apud Fernelium in libro ſecundo de abditis extare eundem Chryſopœiæ proceſſum, quem Ansbelmus inuenit.* Argumentum: *Quia Guibertus, qui id dicit, eſt calumniator nequiſſimus*, qui ſtudio mentiendi & optimam artem, eiuſque profeſſores damnandi nullam non virulentiam effundit, idque hoc ipſo libro de interitu Alchymiæ iniurioſiſſimo, & diabolica apologia conteſtatam reddidit. Imo hæc conſecutio firmiſſima eſt; illa inualida. Nihil enim prohibet receptatorem excommunicati poſſe hiſtorice verum dicere: at ei, qui ſtudioſiſſime artem perſequitur cum omnibus eius profeſſoribus, ita vt pateat omnem eius operam in perniciem veritatis huius tendere, nihil poteſt eſſe fidei, ſi quid velit de ea affirmare. Quid à publico & deplorato hoſte aliud expectes?

Retorſio in Guibertum.

Barnaudi cauſam priuatam nec ſcio, nec agere volo, vti nec illius, qui *Baſillon* miniſter dicitur. Patere vero *Guiberte*, vt ſuſpiciones meas proferam ingenue.

1. Dic per candorem tuum, ſi quem adhuc in fronte habes, per tuam nequitiam, & pudorem. ſi quem impoſtores, cum quibus ambulaſti annos 40. tibi reliquerunt, proindeque per conſcientiam, ſi non omnem ſcelerata mentiendi libidine perdidiſti, an non totum iſtud, quod contra *Barnaudum* dicis, quodque de *Baſillone* miniſtro repetis pendet *ex odio religionis*? Tu enim es mancipium Gheſuiticæ perfidiæ & diaboli nepos, à quo mentiri, & cruces in immerentes ingerere didiciſti; ſeu quod vulgo compendio dicunt, es perditus Papiſta; illi vero videntur *Hugonotæ*, ſeu de reformata religione eſſe? Ideo diſſenſus inter vos eſt perpetuus. *Nulla enim communio lucis & tenebrarum, CHRISTI & Belialis.* Tu peſſima quæque de illis cogitas, & ſcribis, dicisque more *Gretſeriani ſpiritus*. Hoc ſi eſt, non ſuo crimine ſunt infames, ſed malitia tua, cæterorumque fidei hoſtium tales proclamantur. Non autem poteſt hoc eis nocere, ſicut nec Apoſtolis Chriſti, & Chriſto ipſi cum fierent ἀποσυνάγωγοι.

Odium religionis in artes redundat.

2. Solet diabolus cum ſuo famulitio peſſime traducere eos, qui non ſunt de partibus ipſius, & facta per ſe innocentia tranſmutare in crimina. Recitatur factum: Quidam *Baſillon* vendidit medico Lugdunenſi formulam tincturæ aurificæ parandæ *coronatis quater mille.* Ea formula deprehenſa eſt falſa, *quia operi non reſpondit euentus.* Nolo defendere ſi quid veri criminis eſt. Tu vero tolle calumniam, & cogita primum *medici Lugdunenſis* ſtultitiam maiorem eſſe, quam *Baſillonis* venditionem.

Factum inquiſitorium.

Cum enim tam apertis verbis ars alias ſit declarata, vt receptis alienis non indigeat, & ille medicus debuerit gnarus eſſe tum naturæ, tum medicinæ ex auro pro hominum ſalute, ſtultiſſime emit alienam fidem & obſcuritatem, cum in ſe lucem habere debuiſſet. Quid multis? Dedit pœnas tum inſcitiæ, imperitiæque, tum auri cupiditatis.

3. *Non ſi Lugdunenſis falſus eſt in opere formulæ, formula ipſa fuit falſa.* Neque enim vt *Barnaudus* de ſuo proceſſu ſcribit, verbis popularibus ſolet concipi id artificium. Quare vero ſine experimento emit verba? Noui hominem, qui *Comiti* cuidam vendiderat particulare, cuius ſpecimen quomodocunque exhibuerat pro euidentia artis. Accepit ſexies mille Vallenſes. Non ita multo poſt Alchymiſta putatitius moritur. *Comes* deceptum ſe clamitans repoſcit argentum fruſtra. *Multas vidi receptas magno redemptas.* Earum ſenſus erat myſticus. Emerant verba homines auari, ſenſu in abditis latente. Venditor potuit iurare liquido ſe veram artem vendere; ſed non potuit ementem ſenſus verborum participem reddere.

Lugdunenſi fors vera ars eſt vendita, ſed quam nec ipſe, nec venditor intellexit. Iure luſus eſt coruus auro inhians.

Quarto accuſatur idem reus, quod *ſingulis diebus in Alchymiæ opere ſit verſatus.* Hoc non eſt crimen, ſed profeſſionis propriæ, eiusque ingenuæ ſtudium. Hoſtes autem perfidi ſolent id rapere in peſſimam partem.

Iudicant enim ad pœnam ſatis eſſe dicere: *Eſt Alchymiſta*; ſicut olim ſub tyrannis: Eſt CHRISTIANVS; & hodie: Eſt *Lutheranus*: Eſt *Hugonota.* Ad beſtias, carceres, ignes, gladium. Nolo vero laborantem illum excuſare, ſi bonam artem male collocauit. Verum non ſatis eſſe iudico clamorem, ſeu ſcriptionem illam gubernatoris ad damnationem.

Vide Tertullianum in apologetico.

Quinto dicitur *ſublimationibus Antimonij*, & aliis venenatis medicamentis multos homines venenare. Si veneficus eſt, demonſtrata facti euidentia, recte agitur contra eum lege. Sed notum nimis eſt quantopere hactenus Chymiatriæ oſores criminati ſint opera Chymica. Venenum enim parat, qui Mercurium præcipitat, aut alio modo magiſteriali vel eſſentiali elaborat pro ſanitatis commodo. Venenum facit, qui per ſublimationem ex Antimonio flores producit, & ſic de cæteris. O efferatum ſtolidorum medicorum pecus. Iudicium hoc veſtrum an non vobis expreſſit inuidentia, & calumniandi libido? Sint & iſta venena. At veſtrum erat etiam hæc bene vſurpare, & ex venenis ſaluberrimas facere medicinas. Videantur de hoc negotio acta contra Quercetanum.

Aſinorum Galenicorũ calumnia in Chymiatriam.

Legatur *currus triumphalis Antimonij fratris Baſilii Valentini*, & aliorum. Vocant hodie medicinam *Del oro* flores albos *ex Antimonij lapide* per ſublimationem productos. Non accuſo medicinam ſi cui nocet, ſed malam eius præparationem & vſum.

Sexto: De

Sexto: De falſis monetis crimen ſi verum eſt, pœna eſt iuſta. Sed hoſtes Chymicorum ſolent eis imponere multa capitalia per calumniam. Non autem neceſſarium erat Chymicum docere falſare monetas, cum id ſoleant facere perfidi Iudæi, aurifices, & ſimiles, cumque ea de re extent libri publice editi à Iohanne Bapt. Porta, Alexio Pedemontano, & aliis. Qui magiſteria Chymica deſcribunt, ne ea conuerti poſſint in fraudem, addunt artem probandi. Hæc autem ſcelera (ſi ſcelera ſunt vniuoce) *Baſillon* vendidit medico Lugdunenſi *Richardono.* Quo fine quæſo hic emit, ſi fuerunt ſcelera? Reusne venditor, & non emptor potius?

Septimo: Artem illam didicit à medico *Barnaudo.* Videtur calumnia eſſe. Nam infamia falſæ monetæ, & vetitorum operum aduerſarii ſolent ſuſpectam reddere velle Alchymiam informatam, ſicut & *Petrus Palmarius.* Si Alchymiam tradidit *Barnaudus,* non artem venenandi, nec monetas fallendi, niſi quod per calumniam à malitioſis hoc ſoleat Alchymiæ tribui. Quod ſi *Baſillon* miniſter bene acceptam male collocauit, quid ad *Barnaudum*? Potuit libellos emere plures publice in Bibliopoliis proſtantes. Animus ei fuit decipiendi: Non indiguit opera *Barnaudi.* Habuit ex publico, vnde diſcere potuit. Si emptor ſciuit artem à *Barnaudo* acceptam fuiſſe, eo nimirum, qui malorum ſtudiorum infamia fuit proclamatus, auxit crimen non alienum, ſed ſuum.

Barnaudus & Baſillon patiuntur ob fidem diſſentientem à papatu, calumnias.

Octauo: *Baſillon* ille fuit excommunicatus. Hinc illæ lacrymæ. Non fuit Papiſta. Quid tum ſi *fidelis Christi*? An nouum eſt hos fieri ἀποσυναγώγους? Veruntamen ſi *Arianiſmi* eſt conuictus, & hoc crimen ei non per falſos teſtes intentatum, ſit excommunicatus. Quidam Chymici nimis licenter ad ſuum lapidem res ſacras accommodant, & de eis ſtatuunt ex ſuo Athanore. Hinc euenit, vt videantur *Arianiſmo* affines eſſe. Verum hoc non moror.

Nono: *Barnaudus* in ædes recepit excommunicatum. Male, inquam, ſi ab Eccleſia vera eſt excommunicatus. Nam tales recipere veri fideles Chriſti prohibentur Ioh. Epiſt. 2. v. 10. 2. Cor. 6. 14. 1. Cor. 5. 13. 1. Tim. 5. 22. Si autem excommunicatus eſt à Synagoga ſathanæ, fidelem Chriſti recipiens, Chriſtum recipit. Matth. 10. v. 40. Ita ſi aqua & igni interdicto præbuit ſciens hoſpitium in eo regno, ex quo exactus erat, leges violauit. Potuit autem ignoraſſe rem *Barnaudus,* quæ ignorantia ei non debet eſſe fraudi. Deinde in alieno territorio commercia ciuilia non ſunt prohibita etiam cum Turcis, Iudæis, Papiſtis. Non recepit titulo fidei, ſed profeſſionis communis Chymicæ: aut ſi etiam confeſſorem Symmyſtam in aliena ditione non commiſit crimen.

Liber de tribus impoſtoribus.

Decimo: *Baſillon iſte ſcripſit librum abominabilem de tribus impoſtoribus.* Si veri fuerunt impoſtores, non debuit liber damnari. 1. Tim. 4. 1. *Spiritus ſanctus manifeſte dicit in nouiſſimis temporibus diſceſſuros quoſdam à fide attendentes ſpiritibus impoſtoribus, & doctrinis dæmoniorum.* Ideo 1. Ioan. 4. 1. monentur fideles *ne credant omni ſpiritui, ſed probent ſpiritus num ſint ex Deo.* Eos eſſe multos ibidem dicitur, præſertimque notatur ſpiritus Antichriſti, de quo 2. Theſſal. 2. & alibi. Iohan. Apocal. 16. v. 13. vidit de ore draconis, de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire tres *ſpiritus immundos* inſtar *ranarum. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedentes ad reges terræ totius congregare illos in prælium, &c.*

Iam vide quæ ſint iſtæ virtutes *Barnaudi,* ex quibus dicis ipſum eſſe ornatum. Liuor tuus non ſinit te neque de vitiis, neque virtutibus iudicare. Es enim ex eorum numero, de quibus ſcriptum eſt Eſaiæ 5. verſicul. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum.* Barnaudo non eſt habenda fides in hiſtoria. Cur? Quia impoſtor. Vnde hoc? Quia communicauit *Baſilloni* Alchymiam auri, & antimonii, ipſumque in ædes recepit. O rationem non vna anticyra dignam.

NOTA VI.

De errore Libauii in diuinatione, ſeu expoſitione verborum: Quæ aqua toties inde prolecta ſit expiratione.

NEbulo Guibertus putat irridendum eſſe Sophiſtam Libauium, quem pro ſua fatuitate ita appellandum cenſet, quia non audet argumentis eius acribus occurrere, videtque ſe fugatum, victumque. Cur autem irridendum? *Quia impoſtura Barnaudi in recitatione hiſtoriæ aurificæ, quam Libauius veram cenſet, & ideo in explicanda laborat, ſit futura manifeſta.* Sed riſus vertatur in inſulſum iſtum aſinum *Guibertum,* qui ſibi perſuadet alios errare, cum ipſe ſit deſipientiſſimus, & nec *Barnaudum* intelligat, nec *diuinatoriam Libauij* licet luculentam. Agitur de his verbis: *In humorem album & craſſum ex calce pura reductum iuſtis dierum interuallis aquam, quæ ſpiritus viuens* (fœtens) *dicitur & Mercurius magno artis ſtudio paratus ad aurum in calcem ſoluendum, ſeu puluerem, ex quo eadem aqua ſepties prius irrorata, toties expiratione ſit prolecta, ſenſim infundere artifex iubetur, donec paulatim combibita coaleſcat cum humore craſſo in lapidem.* Si literam ſpectes: facilis labor. Eſt enim *Elixyris* confectio. Sit vegetabile, vel animale diremtum in ſua principia tria quæ *Brutus Fernelianus* recenſet. *Aquam* hic habes propriam; habes proprium *ſulphur* & *ſalem.* Sal hic ſua propria aqua ſepties perfundatur, & circuletur, donec animam eius aſſumſerit, ita vt eam in altum ſecum euehat, & per alembicum educat. Hoc eſt ſepties prolicere ex puluere aquam. (Notandum vna eſſe terram virginem, quæ eſt matrix ſuſceptiua eorum, quæ ſunt ſecreta, vt fit in vini artificio apud Lullium, Vlſtadium, Quercetanum, &c.) Solutionem animæ & corporis hanc vocant. Anima ſeparata dicto mo-

dicto modo, corpus terreum elaboratur, & in terram puriſſimam deducitur. Hæc mortua eſt. In vitam reducitur reddita illi aqua propria in qua tanquam vehiculo *anima portatur. Hermes ventrem venti vocat.* Vt ſepties eſt prolicita, ita ſepties redditur, ſed cautiſſimo ingenio, non ſolutionis, ſed coagulationis, donec videris omni aqua conſumta fermentationem per ſulphur ſtare, quæ fit in vaſe hermetico exacte clauſo, ita vt nullus ſpiritus poſſit decedere. Fit mira reciprocatio antequam in concordiam redeant anima, & corpus. Comparant eam operi coniugali; quo liberis datur opera, & aquæ animatæ nomen maris affingunt ſæpe repetentis è ſuperioribus concubitum; terræ iacenti nomen fœminæ, quæ tamen ſui comparis eſt ſitientiſſima. Alii caudam draconis appellant vaporem animatum; ſed corpus, eius iacentem puluerem, *vt ſic draco deuoret ſuam caudam quam in altum porrexerat.* Fermentum & cibus eſt oleum ſeu ſulphur. Hæc in mineralibus fiunt ſimiliter. Ita Quercetanus parabat ſuum anodynum ſulphur ex vitrioli terra virginea, & oleo rubro vim ſalis animantis habente. Sed quæ ſucculenta ſunt; ex ijs poteſt prius elici aqua propria, quæ circulatione perfecta cogitur animam ex calce ſua aſſumere, & in cœlum euehere per alembicum. Aurum nunquam per ſe in aquam ſolueris, & terram ſalinam, ſulphureamque. Neceſſe eſt ergo vt de aqua propria circumſpicias, quæ intime auro ſit familiaris, & eius omnes ſeras aperire poſſit & per totum penetrare, ſoluereque. Nihil affinius eſt auro quam argentum viuum. Sed naturale ſi manet, nihil eximii poteſt. Tantum enim amalgamat aurum, & inde in calcem ſuæ naturæ ſeruantem; ita vt reduci leuiter in aurum poſſit, quod fecerit & aqua regia, &c. corrodit.

In vegetabilibus vide proceſſum Quercetani in quo mercurialis aqua matri terræ redditur, & ſuper ea figitur, poſteaque liquor relicta eſſentia leniter magno ingenio ſeparatur; Cibatur & oleo ſuo &c. Spiritus fœtens nouē aquilarum.

Neceſſe ergo eſt vt ſtudio artis præparetur, vt non amplius ſit argentum viuum naturæ, ſed mercurius artis, ſpiritus fœtens, aqua ſoluens aurum, ita vt irreductile ſit in priorem naturam; Incredibile eſt quantum virium ſic auro communicet; & quam ex corporali ſpirituale totum faciat, & viuum ex quaſi mortuo. Præparatio fit per ſublimationes, & circulationes exaltatorias; Item deſtillationes artificioſas donec puriſſima ſit aqua, quam Hylealem vocant, quod eiuſdem ſit materiæ primæ cum auro perfecto, & nihil omnino habeat extranei. Eſt actus quidam cœleſti ſpiritui analogus. Aurum eſt potentia. Affunde hanc aquam auro ſepties & animam ex eo extrahe.

Poſtquam extraxiſti, coque reſiduum humorem viſcoſum donec exiccetur. Hoc facto, inſperge aquam ſepties (aut nouies; quo nomine dicuntur IX. aquilæ) eo ingenio vt minimis primum portionibus irrorando paulatim combibat ſuum ſuccum & animam recipiat, qua abſente erat cinis corporis mortui in ſepulcro. Poſt poteris augere potum; ſed exactiſſime ignem regendo. Iam enim non eſt conſilium ſoluendi, ſed coniungendi. Totam aquam vbi reddidiſti, corpus animaſti, ſeu ſemen fœcundum vtero commiſiſti. Nam & hac parabola rem explicant ſapientes. Claude tunc vterum hermetice. Adhibe ignem ſapientiæ. Fiet mira operatio. Iſtud eſt coniugium in quo fit coitus, conceptus, embryo, infans, &c. Iſte eſt ſenſus literalis; ſi intelligis. Libauius & hunc retinuit, & myſticum expoſuit. Qui aliud vult, nec artem, nec naturam intelligit. Putauit autem verba hæc: *Quæ toties inde expiratione prolecta ſit*: ex Belgico reddita eſſe elegantius quam pro artis more. Aquam prolicere ex aliqua re ſepties, deſtillationis repetitæ eſt in qua ſeptem fiunt cohobia. Sed *quid expiratione elicere?* Expirare eſt ſpiritum emittere, & mori: Eſt & euaporare, exhalare, animam ex pulmone reddere, &c. Ad literam: Das Waſſer ſoll ſiebenmahl von ſeiner Erden abgezogen werden: aber auch ſiebenmahl wider drauff goſſen. Solue, coagula. Myſtica deſtillatio non fert valorum diſcrepantiam; & localem extra lectulum matrimonialem diſtractionem. Fit in vno vaſe; vnoque igne per gradus continuato. Sed non licet plura dicere.

Das heiſt pfitzen.

Fatuum crepitaculum *Guibertus* arbitratur me iſta non intellexiſſe. Fatendum quidem eſt *tantopere inter ſe artifices verbis diſſentire vt non facile omnes concilies.* Parabolas enim ſuas varie accommodant; & vbi tenere te eos putas, lubrici refugiunt. Vt proficias, naturæ ſis conſultus, & operum vegetabilium, animaliumque. Hic enim eſt ſtabilitas. Cur autem non intellexi? Quia *Belgico ſermone formulam conceptam putaui, quæ à Fernelio ſit deſcripta latino*, cuius rei argumentum Ariſtarchus meus opinatur eſſe ſtyli grauitatem; & elegantiam; quæ induxit nugacem fatuum vt crediderit *Barnaudum* ex *Fernelij* libro deſcripſiſſe. At, ô vana, & fanatica anus, etiam *Fernelii* proceſſus potuit ex Belgico aut fortaſſe Gallico, vel Anglico; tranſlatus eſſe, latineque in manus *Fernelii* veniſſe. Ratio eſt, quia *Barnaudi* formula addita erat *cymbalo aureo* antiquiſſimæ deſcriptionis, & membranis vetuſtioribus longe quam erant *Fernelii* tempora commiſſa, adeo vt diu latuerit in Bibliotheca patris *Anshelmi*, qui proculdubio cum maioribus occultatum Theſaurum ignorauit, donec manifeſtaretur ſupra dicta occaſione, & ad Barnaudum perueniret, qui eum prelo publico commiſit anno 1599. Latinitatem habebat ante Fernelium. *Fernelius* accepit, non fecit proceſſum artis latinum. Autorem autem oportet elegantioris literaturę fuiſſe ſiue ipſe compoſuit, ſiue ex alia lingua vertit. Pag. 112. Nugator Guibertus dicit *Mollanum* quendam tradidiſſe *Fernelio* deſcriptionem. *Latinane* an alia lingua? Imo latina, proculdubio prius ex alia tranſlatam. Non poteſt ſtolida iſta anus chymiſtis aliquid præclari tribuere, cum nec ipſe quidem à ſuis ſociis quicquam didicerit.

In autorum parabolis ſæpe coniectandum & diuinandum, quod ſtultus Paracelſiſta Scheunemann reprehendit.

Deinde apparet Fernelium quędam dilucidius volentem exponere, alia verba ſubſtituiſſe aliquando, & verum loquendi genus corrupiſſe, ſeruatis alicubi etiam proprijs, vt conſenſus eluceſcat. De deſtillatione pharmaceutica ſi quæris, *Fernelius* non ſic loquitur; vt videre eſt lib. 4. methodi medendi cap. 10. Styli elegantia non eſt ſolius *Fernelij*. Etiam alij ſunt qui latine ſciunt. Collige inde vetuſtiorem eſſe tranſlationem ætate *Fernelii*, qua chymici potius Arabum

barbaram interpretationem ſonabant, quam puram latinitatem. Fuit interpres proculdubi Philoſophus eloquentiſſimus, qui facundia ſua nonnihil luci detraxit, quod & Gazæ interpre Ariſtotelis euenit. Sed quid tum poſtea? Concepta ſit formula Belgice, barbarolatine, Græce, Arabice, Saracenice, &c. Quid peccaui coniectura, & ſuſpicione? Niſi eſſes ludio ridiculus, ſuſpcionem in diuinatione mea non riſiſſes.

Habuit ab antiquo Gallia inter barbaros etiam diſertos, vt indicat liber maximi ſecretie quo aurea ſunt verba: *In lapide noſtro non ſunt niſi duo, & ſunt vnius naturæ: Vnum eſt ſiccum & firmui incombuſtibile; aliud eſt humidum volatile & incorruptibile. Propterea neceſſe eſt quod (vt) iſta duo contemperentur ad inuicem vt vnum non dimittat alterum, &c.* In his intelligendis elabora, vane homo, non itt de quod non intelligis.

Nota VII.

De quodam mago auri & argenti præſtigias facientе.

Vide pag. 115. vbi præſtigiatores Diabolicos plures recenſet quaſi & iſti eſſent chymiſtæ.

PAG. 114. Guibertus narrat quoſdam chymicæ artis Profeſſores magiam exercere, & oculos hominum præſtringere vt putent aurum, vel argentum videre cum nihil minus videant. Exemplum petit ex Cedreno ſcribente tempore *Anaſtaſii Imperatoris* fuiſſe talem captum, & in caſtellum relegatum. Hoc autem eſt ſecundum genus iſtorum nebulonum quos chymicos impoſtore vocat, quaſi chymicæ ſint *ſagæ* quæ aurum vertunt in carbones, & viciſſim: Chymicus quoqu Diabolus ipſe qui ſub falſa auri, argentique ſpecie ſuos ludit. Talis chymicus fuerit & *Pythagora* quem aiunt, vt ſe *Iouem hyperboreum* probaret, femur aureum, vel vt alii dicunt, eburneum, ſuis oſtendiſſe. Quis vero vnquam fuit tam diabolicus artis bonæ infamator? An ignorat *Guibertus* aliud eſſe Sathanicam magiam, aliud artem chymicam ſingulari Dei dono hominibus conceſſam & ratione experientiaque, vnde & ſua principia naturalia habet, conſtitutam? Non equidem ignorat. Qua ergo fronte vtramque confundit? Dic illos magos chymiam quoque ſibi vendicaſſe Ita enim & ſuperioribus temporibus de *Scoto* quodam nobili audiebamus. At inquam id art per ſe non poteſt eſſe fraudi, niſi eodem iudicio ſacram Theologiam, quam Actor. 8. *Simon Magus* ſimul profeſſus eſt, item Phyſicam & medicinam, aliasque ſcientias damnare velis. Si iſtiusmodi homines chymicam ſcientiam, & artem vere nouerunt, rationem reddere eius poſſunt e propriis principiis, & opera quoque ſua indidem demonſtrare. Magicis præſtigiis efficere vt aurum videatur, quod non eſt, non eſt chymicorum principiorum, nec operis naturam adiuuantis verumque comprobantis.

Vetuſtas Alchymiæ contra Guibertum ex Guiberto.

Nota poſtea etiam hos egregios, *Guiberti* per 40. annos furnulos impoſtorum ſequentis ſocios. Patet inde quod etiam non ſit reueritus Diabolo mancipatis Magis ſe immiſcere. Inſuper reuoca hiſtoriam ad calculum temporis. Sæpius ſcripſit *Guibertus* nomen chymiæ, & artem non eſſe vetuſtiorem 600. aut 700. annis. At iam ex *Cedreno* chymicus producitur qui fuerit tempore *Cæſaris Anaſtaſii*, & quidem ex Profeſſorum eius artis numero. Profeſſio non ſtatim agit radices, & in habitum tranſit. Itaque & ante *Anaſtaſium* fuerunt qui chymiam profiterentur. Iam *Anaſtaſius* ad imperium peruenit anno Chriſti 491. Fiat ſubtractio ab annis 1615. Reſtabunt anni 1124. memoriæ huius ſcientiæ ab *Anaſtaſio* ſaltem. Quid fiet de primordio, & progreſſu profeſſionis? Non vidit hoc ſtolidiſſimus, & excæcatiſſimus inuidia artis calumniator. Alioquin vel repudiaſſet, vel aliqua nebula occultaſſet.

Pag. 115. *Alchymiam*, ait, *adeo Magiæ eſſe coniunctam, vt non pauci in familiaritatem Diabolorum ſi contulerint.*

Vide exemplum pag. 116. 117. vbi ſe per ſocium ſuum vnum atq; alterum depingit Guibertus quadragenarius falſæ Alchymiæ ſtudioſus.

Ridiculum ſane. Concedo de ea Alchymia quam *Guibertus* per annos 40. didicit, quam Alchymiam nomine quidem vocat vulgus, ſed ſapientes re non agnoſcunt. Si & re eſt, dic vbi ſunt præcepta, & principia ſcientifica conſtantia natura, ratione, & vſu peritorum? Deinde NON ſi à vera quoque Alchymia aliqui in magiam deflectunt, crimen eſt ipſius Alchymiæ: quale quid tribuitur Alberto, & Trithemio, & Agrippæ, item Paracelſo, &c. An tu Lotharingica vetula putas Chriſto & Chriſtianæ fidei imputandum eſſe cum Apoſtolus ſcribit 1. Timoth. 4. 1. *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus impoſtoriis, & doctrinis dæmoniorum?* Ita 2. Theſſal. 2. verſ. 3. & ſeq. de Antichriſto; Actor. 20. verſ. 30. *Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa*, 1. Ioh. 2. verſ. 18. *Antichriſti multi facti ſunt. Ex nobis prodierunt, &c.*

Si hoc non poteſt dici, quo iure illud audes pronunciare? Illud tamen moneo quod hoc facere ſoleant homines improbi, maximeque *Paracelſici* omnium ſcientiam ſibi arrogantes; Sed ſimul ſit ſignum quod artem non teneant. Quid enim opus eſt Diaboli opera conſequi illud cum iactura ſalutis, quod ſaluis rebus arte poteras? *Sed & teneant artem ipſam.* Sicut Euam decepit diuinæ ſcientiæ appetitus, ita & iſtos. Non contenti vno Dei dono cum Lucifero aſcenſum moliuntur in cœlum, & ſuper aſtra Dei ſolium ſuum exaltare conantur ſimiles futuri altiſſimo; Eſa. 14. 12. & ſeq. verum hæc impietas non detrahit bonitati veri.

Nota

Nota IIX.

De tertio genere deceptionum Diabolicarum circa artem.

FAbuloſiſſima, nugaciſſimaque præter rem coacti ſumus legere in genere ſecundo, quaſi operoſe probandum eſſet, impios quoſdam ſe auri cauſa Diabolo dedere. Genus tertium incipit pag. 122. continet autem exempla eorum quibus vel *à Diabolo illuſum eſt, vel quibus fortuito operanti- bus aliquid contigit, quod poſtea nullo ingenio potuerunt recuperare.* Longa eſt fabula, eaque ab Ægyptiis magis reperita, quaſi obſcurum eſſet Diabolum ſe rebus humanis immiſcere, & ludere polypragmonas. Bene autem res habent quod pag. 128. id tùm ſua Papiſtica, tum Aegyptiorum vetuſtiſſima Theologia probet. Sic enim ſi vera Alchymia inde labem trahit, trahet etiam vtraque Theologia. Mendacium autem eſt quod ibidem ſcribit *Alchymiam eſſe principem maleficiorum, præſtigiarum, incantationum, vanarum, falſarumque inſaniarum.* Si iſta eſt Alchymia, flammis dignus es *Guiberte*, qui iam 40. annos es ſecutus, à Deo ad Diabolum auerſus. Sed quis vnquam tam nefarium & impudens mendacium leget, quin ſimul mentientem *Guibertum* execretur ? De ſophiſtica ex magiſteriis chymicis, non arte, ſed deceptione ex mala proæreſi aliquid donare poſſis ; At nihil neque de vera arte, nec vſu eius ſyncero, quem Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Philoſophiq; magni ſemper amarunt, & commendarunt. *Ridiculus furor.*

Pag. 124. *Quidam viſi ſunt conuertiſſe metalla. Id aut præſtigioſe factum, aut naturaliter. Non naturaliter. Præſtigioſe ergo.* *Nota argumentum.*

Aſſumtio probatur: quia ſi naturaliter contigiſſet, perpetuo aut fere ſemper id fuiſſent aſſecuti. Hæc ibi, Guiberte male impendiſti annos quadraginta. Nondum enim didiciſti ratiocinari. Propoſitio deficit cauſis. Non enim illæ duæ cauſæ tantum ſunt, ſed plures. In humanis ſunt natura, ars, fortuna, caſus, ſi *Ariſtotelem* ſequimur. In metaphyſicis habemus etiam Deum, angelos bonos, angelos malos. Humanæ diſtinguuntur in per ſe, & per accidens cauſas, quæruntur que tum in vniuerſalibus, vt in cœlo, ſpiritu mundi, elementis generalibus & eorum viribus: tum in ſpecialibus itidem ſuo ordine conſtantibus donec perueniatur ad determinatas, ſingulares, & indiuiduas, principiaque ipſa.

Iam vide num pium ſit ad Diabolum referre id quod in natura non videtur cauſam habere. Lege *Maiolii caniculares.* In illis inuenies *diuino quoque miraculo alicubi metalla eſſe conuerſa, & aurum factum. Præterea non ſi non natura faceret, Diabolus faceret.*

Eſt enim etiam artis natura vtentis quædam poteſtas: eſt cauſarum per accidens, quarum multitudo & varietas ſciri, & comprehendi non poteſt. Sic ergo ſupple tuum connexum : *Si aurum factum eſt, aut miraculo factum, aut præſtigioſe: aut natura ſola; aut natura cum arte coniuncta, aut cæca & incomprehenſibili cauſarum accidentalium concurſu*, in quem ſecundo incidere videtur impoſſibilitati proximum eſſe.

De aſſumto. Vt vnum ex diſiunctis pluribus ſtatuatur non vnum tantum tollendum eſt, ſed & cætera. Non ſi naturaliter id non factum eſt neque diuino aliquo, neque artificioſo, neque fortuito, ſed præſtigioſo factum eſt modo.

Probatio aſſumti arguit tuam infantiam, & in iſta tota Phyſica inſcitiam. Naturalia fiunt ſemper eodem modo, aut ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ſi quid prohibeat, aut interueniat per accidens. Si naturaliter feciſſent aurum, aut ſemper, aut plærumque feciſſent ; niſi ſcilicet interueniſſet accidentium tumultus; vnde apud Ariſtotelem natura (vanitati ſubiecta) etiam prauorum & monſtrorum autor.

Argumentum habes in obſeruatione metallurgorum, quorum libros diligentius lege. Quæ vero vafricies eſt opus proponere naturæ, & artis ſimul, & tantum de natura negare ? Diſce vero etiam Phyſice loqui. *Quod ſemper fit, vel plærumque non contingit.* Meritus es Phyſicam & Dialecticam Alapam. Ego dico operanti in materia mutabili tantam varietatem cauſarum ſeu per ſe, ſeu per accidens occurrere poſſe, vt impoſſibile ſit idem ſemel factum. Secundo aſſequi, etiamſi putes te nihil nec ſtudii, nec operæ reliquiſſe. Qui enim ſcire potes concentum cauſarum fortuitum? Iſaacus Hollandus: Poterit caſu aliquo ad artem venire aliquam, vt cæcus fortuito ſcopum ferit: ſed certam artem adipiſci & quod ſemel fecerit iterum, ac tertio facere nunquam poterit, quod imperitis euenit, qui oleo & opera perditis in deſperationem incidunt, &c. Eſt vt quis ſic proiiciat ollam, ſic miſceat colores vitrorum, & alia faciat, vt nunquam poſtea eodem modo. Cum biſmuthum inhærens ferreo cochleari liquare vellem, repente halitu ignis extitit tanta colorum elegantia, & varietas vt admirationi foret. Eam putabam me, vel ſemper, vel ſecundo obtinere poſſe: ſed fruſtra. Vbi ſola naturæ quæſtio eſt, inexplicabilis eſt concurrentium cauſarum in minus conſtantibus, ſeu valde mutabilibus varietas. Quid putas fieri vbi natura, & ars concurrunt, præſertim artifice obliuioſo, vel affecto? Num tu inde ſequi putas ad Diabolum referendam eſſe cauſam? Nimis iniurioſe, & diabolice putas.

Iudicium exemplorum.

PAg. 124. *Picus narrat ſe ſuccis & foliis herbarum quarundam ex argento viuo feciſſe argentum verum fixum nec potuiſſe idem aſſequi ſecundo.* *Argentum ex hydrargyro per Vegetabilia.*

Num ergo *Picus* putabat Diabolum præſtigias feciſſe? *Guiberto* erat prudentior. Itaque omiſſo calumniatore *Guiberto* qui paucis inſpectis temere pronunciat, potuiſſe fieri dicamus, vt illud argentum viuum non fuerit vulgare, ſed eius generis quod *Mercurium* appellamus, cuius mentionem facit *Mattheſius*, & alij metallici. Is liquor etiam figitur in mineris per ſe, ſicut & liquor ferri & æris. Extra mineras procurari poteſt fixio herbis figentibus. Hoc vnum eſt. Deinde aliquis dicat ſi fuerit crudum argentum viuum, potuiſſe amalgama eſſe. Nam natura ſæpe aurum, & argentum cum argento viuo iungit, & hoc ſeparato illa ſola exhibet. Plura non opus eſt addere. Neque enim fortuitorum eſt comprehenſa ſcientia. Iniuſti vero hominis eſt ſtatim ad Diabolum rem referre, vbi cauſæ latent, præſertim ſi operis procurator extra ſuſpicionem eſt cum Diabolo commercij.

Benedictionis præſentia & abſentia in auro & argento faciendo.

Exemplum ſecundum *quindecies facti auri & argenti*, ſed poſtea, ob ingratitudinem, infeliciter tentatæ artis ſyncerius eſt quam vt Diabolo aſſcribatur. Quis enim ignorat ex pijs, illas operas cum benedictione diuina eſſe coniunctas? Cui gratiæ ob benefacta debentur, an non Deo? Neque enim Diabolo qui malefactorum eſt autor. Cum ingrati & ſuperbi fierent laboratores, Deus benedictionem ſubtraxit, id quod in pluribus metalli fodinis accidiſſe nimis certi ſunt foſſores. Eſa. 1. ℣. 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, &c.* Sed legatur Mattheſius in Sarephtha. Deus terræ maledicit propter peccata inhabitantium. Vide Gen. 3. ℣. 17. cap. 4. 12. Deut. 11. ℣. 28. cap. 28. 23. 24. &c. Quæ in natura fiunt, ea que quoque in arte. Lege & Aggæi 1. ℣. 6. & ſeq. vbi qui *mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*

Aurum ex argento.

Exemplum III. Factum *ex argento aurum* initio multum, poſtea minus ad deſperationem cum etiam pro argento æs fuiſſet ſumtum. *Argentum eſſe proxima potentia aurum* ſi fixum ſit, multi ſapientes ſibi perſuaſum habent.

Plin. lib. 33. c. 4. In omni auro ineſt argentum, (artifices tamen purum putum promittunt & præſtant.)

Itaque *Cardanus*, *Clauæus* & alij modos tranſmutationis poſuerunt. Argentum fixum eſt aurum album. Vin' vt aurum perficiatur, adde ei animam auri ex auro natiuo extractam, & vna cementa, ſicut ex regulo antimonij per animam Saturni fit plumbum, & æs ex ferro per animam chalcanthinam æris. In omni argento eſt aurum, ſiue in ſeminio, proximaque potentia; ſiue iam perfectum, quod ſegregatur ſuis artificiis. Non eſt itaque Diabolicum ex argento aurum facere.

Primum cogitandum eſt hominem perdidiſſe diuinam benedictionem: Ideo non amplius artem ſucceſſiſſe: 2. aut habuiſſe initio argentum proxima potentia aurum aut auro fœcundum poſtea non item. 3. Dum varijs adminiculis eſt vſus, in errorem incidiſſe: 4. Cauſarum accidentalium ſyndrome opus non perſtitiſſe. Rem bonam nunquam ad Diabolum retulerim.

Argentum ex cinabari.

Exemplum IV. *Ex cinabari argentum.* Id tot teſtes habet vt pudere debeat vir honeſtus quicquam contradicere. Cur non eſt perpetuum? Num Diabolus ludit? Vbi cauſæ ſunt propiores, non eſt neceſſe ad malum genium diuerti.

1. Dic benedictionem diuinam ob flagitia interdum mutari infelicitate.
2. Diſpoſitionem materiæ non ſemper eſſe eandem.
3. Cum id fiat fere per animam argenti, eam ſe inæqualiter habere, & ſumi ſæpius excoctum, vel ſubæratum pro natiuo puro, ſterile pro fœcundo.
4. Magiſtrum licet ſibi videatur idem opus ſemper ſeruare, tamen in re leuicula exorbitantem aberrare, cum vel calor, vel additamenta, & alia non ſint eadem, ſitque certum in vnico momento mineralium mutationum ſæpe eſſe totum. Subito poteſt ſpiritus fœcundus metallificus affluere diſpoſitæ materiæ; ſed poteſt etiam ſubito, niſi figatur arte diſſipari. Tota artis vis ſæpe in vnico momento eſt. Id autem mobile eſt. Igitur non ſemper reſpondet artificium. Spiritus ſe diſpergit, & modo hic modo ibi hæret. Ita noui qui per tincturam antimonij ex argento aurum, quanquam non perfectum, confectum, & diuenditum diceret, ſed non ſemper reſpondiſſe experimentum propter momenta in virtute principii, quod facile poteſt diſſipari. Omnino mutabilitas materiæ, diſpoſitiones, & occaſiones ſunt innumeræ, vt ſic id quod ſemel atq; iterum contigit non poſſit deinceps ſimiliter euenire.
5. Ego noui proceſſus admodum varios. Hæc variatio maior eſt in momentis, quorum quædam etiam dicuntur à cœlo regi. Num mirum ſit tranſmutationem non ſemper reſpondere? Hæc Philoſophia differt à ſutoria, veſtiaria, architectonica, & ſimilibus. Pellio ex iiſdem pellibus ſemper poſſit facere eandem veſtem; ſed non metallicus qui etiamſi putet ſe eandem omnino mineram habere, tamen non habet, cum & in vno angulo montium ſit diſpoſitio rerum diuerſa, & diſcurſus ſulphuris animantis varius, ambiguusque.

Argētum ex hydrargyro per gummi.

Exemplum V. Quidam *argentum viuum in optimum argentum quibuſdam gummi vertit.* Ergone id opus fuit Diaboli? Num hic optimum argentum facere poſſit? Malus es Chriſtianus, *Guiberte*, ſi id audes aſſeuerare. An non vides opus fuiſſe, & inartificiale, & fortuitum, quod cuiuis potius accidenti mutabili aſſcribere debebas, quam Diabolo laudem tranſmutationis admirandæ? Si interrogarem ſuperſtitioſum aliquem, diceret factum miraculo ſancti. An neſcis? Si Phyſicum rogarem, corraderet vndiquaque cauſas, materiæque aſſcriberet ſuſceptiuitatem formarum etiam fortuitarum. Tunc ſic forte cucurrit, inquit Empedocles: Si aſtrologum; is horoſcopos, & conſtellationes produceret, cum ſuis influentiis, quæ nunquam redeunt eodem indiuiduo modo. Si Paracelſicum magnetiſten: reſponderet magnetem quendam iſtud fuiſſe operatum, & in Gummatibus fuiſſe vim Gorgoniam lunificam ab aſtrorum confluxu, diſpoſito argento viuo.

Alij

Alij ſulphur argentificum gummi iſtis includerent; vel dicerent mercurium fuiſſe taliter diſpoſitum ad taliter patiendum: vel fuiſſe argentum liquidum proxima potentia fixum. Tui impoſtores quam mira tribuunt radicibus tortis,ſeminibus,ſulphuribus,ſalibus,atramentis, ouis,pilis, reſinis criſparum arborum,menſtruis fœminarum,& quibus non ? Vt te rideam, narro fabulam *Lunariæ ſylueſtris* quam qui falce demeteret expertus ſit vim,alij dicunt,aurificam,alij,argentificam habuiſſe,& falcem tranſmutaſſe.Gummata iſta à tuis impoſtoribus dicuntur fuiſſe ſputum Lunæ, vel ſalamandræ. An poſſit accidere vt ſpiritus argentificus in materia mercuriali diſpoſita fiat in lacrymis vegetalium,quærendum eſt.Fors inuenies aliquid in plantis aureis,& argenteis *Martyris*, & *Campoſulgoſi* apud *Firmium* in *Hungaria*, & *Mattheſium Sareptha* ſcriptorem, *Fabricium*, *Agricolam*, *Kentmannum* & alios. Fruſtra artificioſe diſputamus ex fortuito accidente, ſicut quidam *de dente aureo pueri Sileſii*,qui totum imperium Romanum eſt ludificatus , & cauſam præbuit horribilium criminationum *Rulando*,& *Hochſtetero*. Habes aliquid etiam de *oſſibus gallinaceis*, & *cranio cadaueris apud Albertum Magnum*. Gummi arborum ſunt gemmæ vegetabiles. Vt minerales poſſunt exiſtere lunificæ,ita & vegetabiles,& animales. Credisne? Confer & minoris mundi conditionem cum maiore. Omnia potius dices quam Diabolo honorem tribuas , ſi ſis pius & deuotus erga Deum.

Fabula de Lunaria.

Exempl. VI. Theobaldi Hoghelandęi , qui rem expertus eſt *in auro & argento viuo vulgi mire accidentibus conſpirantibus primum,ſed poſtea repetito opere non redeuntibus.*

Hoghelandæi experimentum in Hydrargyro.

Prolixe repetit narrationem *Guibertus*.Quid inde?Num illuſit ipſi Diabolus ? Qui ſic iudicat,fateatur ſe in tota natura minerali hoſpitem,& artis aurificæ plane inſcium eſſe. Quis non videt iſta quæ tentauit ad literam, conficta eſſe, & non plus artis ſapientum habere, quam illa quæ *Bernhardus Comes* de Guiberti ſimilibus ineptis laborantibus recenſet ? Experire in ſale,ſulphure, chalcantho,argento viuo,& ſimilibus aliquo cum ſtudio:Experire in antimonio,plumbo,biſmutho,&c.Imo & in vrina humana,diluto ſalis ammoniaci,& ſimilibus:videbis eadem : verum non vera,ſed verorum ſimulacra,eaque plane fortuita,& accidentaria. Interim quia nonnulla cauſa ſubfuit, agnoſce ſpiritus quoſdam analogos metallicis, qui in corpore quomodocunque aſtipulante,tales apparuerunt,nec fixi potuerunt eſſe,vti nec corpora ipſa,excepto auro, quod in mercurio crudo nihil aliud paſſum videtur niſi amalgamationem, excepto ſi quo ingenio fuit aptius præparatum.Nam tunc vires differunt, vt & apparentiæ. Quod adhibuit *varium argentum viuum*, tyronum auiditate fecit. Quandiu imparatum , & non in aquam Philoſophicam mutatum accepit,tamdiu eſt luſus.Num hinc ſequitur Diaboli deceptio ? Non; Sed artis ignorantia,& puerilis error in materiæ apparatu,ſeu potius ſimplicitas quædam. Potuit ipſum admonere breuitas, & præcipitantia colorum.Neque enim triduo iris apparet.Quod ſcribit argenti viui vbique eandem naturam eſſe,de crudi,& ſolitarii eſſentia dederim : non de qualitatibus. Aliter ſe habet mercurius Philoſophorum, qui eſt aqua: aliter affectus eſt mercurius metallicus in ſua minera iam ſulphuris ſui vim,& ſalem expertus. Non potes dicere quod Diabolus ſubiecerit Hoghelandæo aurum,vel argentum.Nam ars plane non reſpondit exceptis fallacibus ſignis, iiſque communibus; Ἀτυχεῖν, & in materia aliena imperite laborare, num eſt opus Diaboli ? *Guibertus* ergo per 50.& amplius annos à Diabolo fuit vexatus. Da gloriam Deo, *Guiberte*, & dic non datum fuiſſe *Hoghelandæo*,& ſociis verum magiſterium. Ideo abſtinere debuerunt, & id agere quod ipſorum erat, τὰ ἴδια πράττειν. Ars iſta non eſt quorumuis, ſed eorum quibus Deus talem dat gratiam. Simile pro eodem accipere non ſemper eſt ludentis cacodæmonis, cum & *Plato* docuerit ſenſus naturaliter decipi poſſe,& *Ariſtoteles* opinionem vim veritati facere. Voluit *Theobaldus*, & putauit ſibi id licere, quia Phyſicę gnarus: ſed Deus aliter ſenſit. Hic bona ſua diſpenſat quibus ipſe vult, non qui volunt ipſi. Non eſt volentis, aut currentis,ſed Dei miſerentis, qui cum non omnibus conferat calcariam, num debeat ſapientiam chymicam ſic proſtituere. Notanda tamen eſt potentia aliqua naturæ in iſto facto, & quod mercurius auro cognatus in id etiam vim aliquam tentauerit exercere.

Pag. 127. 128. 129. 130.

Exempl. VII.pag.130.*Carterij amicus ſemel aurum effecit*,quod frequenter tentatum nunquam ſecundo reſpondit.

Ergone illuſus fuit à Diabolo?Parce Dei honori. Ex ſuperioribus repete cauſarum multiplicitatem.Quære 1.quo indicio fuerit verum aurum ? Fors aurichalcum erat, quod memini quoſdã conſecutos eſſe.2.Qua vſus eſt materia ? Actune an potentia proxima in ea erat aurum ? 3. Num omnia etiam momenta,& puncta operis fuerunt eadem?Num eadem diſpoſitio materiæ?Solent, qui ſemel rem aſſecuti ſunt,poſtea longe ſtudioſius ſingula peragere. Sed interim res maximi momenti ſua cura perdunt.*Canis feſtinans catulos cæcos parit.* Dic quæſo cur in primo vere aura rigida in eadem vinea adurit hoc illud folium, perditq; hanc illam vitem, at nec omnia folia, nec omnes vites,nec totas? An non *quia ſpiritus ſe diuerſe accommodat & alia in diuerſe diſpoſitis efficit* ? Imitare tu hoc ſtudio tuo, & vide num ſimilia ſis conſecututus. Experire ſaltem in fumo metallico. Ne pictoribus quidem ſemper omnia redeunt eadem ; nec hortulanis. Vera methodo caruit Carterius.

Aurum à Carterio effectum.

Spiritus ſulphureus & aurificus facile poteſt perire, aut materiam indiſpoſitam inuenire.

Exemplum IIX. pag. 130. probus *pharmacopola Peruſinus*, & honeſtus, qui etiam ſuperiorum vites iungeret imis,voluit *cinabrium* facere.Id autem ſolet ex *ſulphure* & argento viuo conflari: quidam addunt *antimonium* & alia. Ecce tibi *argentum retulit optimum pro cinabari.* Iudicauit vir catus potentiam quandam eſſe in ea materia. Nam conſtat ex *ſulphure* patre, & *argento viuo* matre *ſale metallifico* prægnantibus.Num hoc iudicium ineptum?Non eſt;ſi genus interminatum ſpectes. At ſingularis determinatio vix ſemel apparuit. Ergo tantum ſemel factum argentum eſt. Si cætera

Argentum pro cinabari.

fuiſſent paria, etiam effectus par fuiſſet. Sed vt dixi in re mutabili plurima eueniunt in quibus exigua ῥοπὴ ſæpe ſummas habet vires. Non ſtatim *Diabolus* producendus eſt, quem vir probus ſolet à ſe precibus abigere.

Aurum Iacobi Pagani.

Exempl IX. Ante annos 45. *Guibertus Iacobum Paganum in ciuitate Caſtelli nouit.* Is operibus chymicis dando operam lapidis quandam materiam coxit igne debito, ſuccedentibus ad votum omnibus. Peruenit ad albedinem, rubedinem, & proiectionem qua aurum factum. Interrupto opere materia perit.

Inſtauratur fruſtra. Hoc credam an non? Mendaciſſimus Guibertus omnia ad ſuum ſenſum immutat vt artem damnet. Deinde narratio ipſa per ſe eſt ridicula, & abſurda. Quomodo quæſo translato vaſe potuit perire aurificus puluis, qui iam ſpecimen aurificii exhibuerat? Quid opus erat in vitro ſeruare iam fine ſuo perfectam medicinam? Si continebat lapidis materiam, non lapidem iam tingentem. Periit caſu mirabili vaſe rupto. Mirabilius tantam rem non diligentius cuſtoditam. Tandem vt vt res ſit, *cōfectus tamē lapis eſt, & aurum factum.* Hęc artis eſt gloria ſumma. Quid amplius quæris? Niſi luſus *D*iaboli fuiſſet, inquis, potuit reparari. Potuit inquam. Ita enim *quater Bernhardus* multiplicationis ignarus fecit. At iſte *Typhernas* non potuit. Accidentis fallacia eſt inquam. Si *D*iabolus voluiſſet eum ludere, non ſiuiſſet ad finem peruenire. Inuidet enim ille ſemper gloriæ *Dei* ex creaturis. *At* finem vidit. Cur igitur non reperit? Aberrauit in eo, quod vel minimum apparuit cum eſſet momenti maximi, nec benedictionem diuinam exorauit. Eodem modo magnates ſucceſſum non experiuntur, cum tamen tot ſpeciminibus abundent, vt non poſſint negare artem. Do exemplum. *Quidam fecit medicamentum excellens non huius, ſed alterius rei ſtudio.* Ad finem non potuit peruenire. Materiam ad medicandum adhibuit quam feliciſſime. Conſumta eodem, vt videbatur, artificio pariter efficacem ſtuduit reddere. Sed nunquam potuit. Num eum Diabolus decipiebat? Imo perſuaſio propria, & accidentium inexplicabilis multitudo in re mutabili. Quam facile euaneſcit ſpiritus metallificus, fœcundus, medicamentoſus?

Guiberti hiſtoria contra Guibertum.

Auri augmētum.

Exempl. X. Nobiles experimento facili per aurificem adminiſtrato experti ſunt *augmentum auri aliquoties cum, & ſine lucro.* Tandem ſibi illuſum à Diabolo ſenſerunt. Crediderim vera dici ſi *Guibertus* probare poſſet *verum aurum* per iſtam augmentationem factum fuiſſe. Interim donec hoc probet, ſubſiſtendum, & dicendum nihil ad rem facere. Non enim quæſtio eſt de augmento auri, quod poteſt & ſophiſticum eſſe, vt in eo quod dicitur pars cum parte, & eo quod *Suchthenius* ex Antimonio auctum dicit, &c. *A*liis eſt Ein Einbringen per antimonium: Baccho reclamat, & vocat Ein Außbringen ſeparationem. Sed de tranſmutatione ex non auro per tincturam aurificam. Diaboli fuiſſe illuſionem ſophiſticam facile conceſſerim. Sed ea nihil ad rhombum. Fatuum iudicium ſubiicitur. *Si naturæ fuiſſent effectus, non tam raro accidiſſent.* At ô ſtulte etiam in natura non ſemper aurum renaſcitur; Et hic agitur de arte, & natura ſimul.

P. 123 133. Stultum iudicium Guiberti.

Pag. 133. Diabolo deditus ſacerdos Guiberti familiaris.

Exempl. XI. *Salinas ſacerdos Hiſpanus commercio cum Diabolo inito ſophiſticum aurum ſæpe ex ære fecit: ſemel argentum.* Id poſtea nunquam donec à Diabolo ſtrangulatus periit, eſt conſecutus. Nota hic primum quod iſte Diabolicus Magus *Guiberti familiaris* vocetur. Bellum habuiſti ſocium, *Guiberte*, Romæ. Deinde diſſimile hoc exemplum eſt hactenus enarratis. Nam cum de vero auro quæſtio ſit, quid ad id ſophiſticum? Quis negat Diabolum ſophiſtam eſſe? Tertio ſemel argentum ex ære factum. Non factum, inquam, ſed à *D*iabolo fure permutatum. Nihil is nec poteſt nec vult facere, ſi verum fuit argentum, furto aliis ſublatum fuit.

Ferrum in æs.

Exemplum *XII.* Romæ ſeruus *Guiberti Claudius Ripettus Flander* materialibus quibuſdam in cochleari ferreo fuſis vertit id pro parte in æs OPTIMVM. *At* id nunquam poſtea conſequi ſecundo potuit. Hîc tuam ſtultitiam prodis *Guiberte.* Non Diaboli iſta fuit eluſio, ſed artis inſcitia. Fortuito operanti poteſtas naturæ atramentoſæ ſe homini oſtendit in materia diſpoſita: *At* cuius occaſio in paruis momentis ſita non redit ſimiliter. In Bohemia, & Germania & alibi ſororum ſemper ex ferro cuprum conficitur, ſi quis arte recte vtatur, ſi non ſuccedit, in laborante, materia, vel adminiculis culpa eſt potius quam in Diabolo. Seruetur autem & hic Deo honos ſuus, qui bona ſua labore iuſto vendit, & benedicit rogantibus. Notetur hæc hiſtoria contra calumniatorem *Guibertum* qui hic fatetur *ferrum in æs optimum tranſiiſſe medicaminibus.* Errat autem quod Diabolo aſcribat id quod eſt Dei, artis, & naturæ.

Nota bene argentum ex hydrargyro per ſales.

Exemplum XIII. *Guiberti* proprium eſt. Dicit pag. 133. ſe ſibi viſum eſſe Romæ an. 1570. (iam ſunt anni 45) feciſſe *argentum ex argento viuo, idq́ꝫ ſalibus quibuſdam:* Repetitum id poſtea fruſtra laborum & ſumtuum fuiſſe cauſam. Notate ex hac hiſtoria.

1. Fatetur ſe iſtis vanitatibus (quales recenſuit) operam dediſſe. Quando ergo veram ſcientiam didicit, & in vero opere fuit? Nunquam. Et tamen homo veſanus audet veram Philoſophiā argumento ſuarum vanitatum refutare?

2. Factum id antequam Alchymię vanitas ipſi innotuit. Non mirum ergo nihil profeciſſe hominem vanitatib. iactatum. Cur non naturam adibas, & veros Philoſophos, qui non vanitates, ſed principia ſcientifica tibi dixiſſent?

3. *Viſus eſt ſibi ex argento viuo verum argentum feciſſe.* Opinio illa potuit tolli homini per principia ſcientifica, & examina artificii. Quia vero addit id factum *illegitima materia*, tantum credo quantum mendaci.

Sales tranſmutatorii qui ſunt animatiui. Chymici etiam calces fluxiles ſic vocant.

4. Fecit quibuſdam ſalibus. Quibus? *Myſticis*, an popularibus? *Sales noſtræ Philoſophiæ ſunt myſtici*, vnde & ipſa aliquando *Halchymia* vocatur, & regula eſt: *Ex metallis facite ſales ſuauiter ad album & rubrum. Illi ſales incerati fluunt in igni ſine fumo, & vertunt diſpoſita in id metallum cuius fuerunt.* Talibus non potuit vſus eſſe Guibertus. Nihil enim de vera arte ſciuit.

5. Miſerum

5. Miſerum Dæmonem. Cogitur n. ſtultitias fatuorum in ſe recipere. Quod nec ingenio, nec arte potuit effectum reddere, Diabolo aliquis aſſcripſerit. At *Guibertus* Diabolo non infelicitatem tribuit, ſed argenti ex argento viuo conflaturam, quam poſtea iſto ſuo *Deo* irato non potuit amplius obtinere, atq; ita pœnas dedit offenſi. Si Deus nos abſtrahit à quibuſdam, quæ ſcit nobis obfutura potius quam profutura, huius eſt, non Diaboli effectus. Si tibi, *Guiberte*, Deus dediſſet artem, quanta millia millionum in delendos aduerſarios contuliſſes? Sed tu eras indignus tanto bono. Finem n. non bonum tibi proponebas.

Exempl. XIV. *Ioannes B Porta cum ſuo famulo buffonem cogit ſorbere argentum viuum. Cõbuſto buffone argentum viuum fixum collegit. Id argentum puriſſimum apparuit ex mercurio conuerſum, ſed non plus ſemel.* Modus dicitur deſcriptus eſſe à Porta lib. 3. Mag. nat. c. 13. vbi ænigma *Phœbi & Pythonis*. Extat in Magia naturali edita an. Ch. 1563. Coloniæ, & inſcripta *Philippo Regi Catholico. Python* (Buffo) venenatiſſimus ollæ includitur. Admittitur Phœbus ſeu calor, quo maceratus ille paulatim venenum expirat, euomitq;. Affunditur argentum viuum pro imbre. Id ligurire dicitur. Inde ignis Phœbi ſufficitur dum conficiatur & comburatur buffo relicto argento viuo coagulato. Addit *Porta paucis id contingere, & ſe in ſerijs luſiſſe.* Quod ergo *Guiberto* ab ipſo *Porta & Pizzimentio* diſcipulo dictum eſt factum fuiſſe argentum ex hydrargyro, tam eſt fabuloſum quam non aliud ex omnibus *Guiberti* figmentis. *Pugna Phœbi & Pythonis* in arte ſapientum longe eſt alia. Serpens noſter eſt lapideus vt vocat frater *Baſilius Valentinus*, nempe *mercurius ſublimatus ſtudio maximo.* Eum conficit Phœbus non vno modo. Nam & extra magiſterium perfectum ſolò ſuo liquore, & igni ſublimationis artificioſæ occiditur. Idem fit deſtillatione in liquorem gummoſum qui præcipitatur ſpiritu nitri, &c. *Nota mirificum I.B. Porta aurificium. Aenigma Portæ de Phœbo & Pythone. Serpens ſeu Baſiliſcus ſapientum.*

An non autem beſtia *buffo* vim habeat argentificam? Tribuunt eandem *Salamandræ* quoque. Non inquam. Itaq; iſta in fabulis maneant. Non ſi concreſceret vi aliqua ſulphurea (qualis ferro ineſt cuius liquore facilime cogitur) in argentum mutaretur. Id ergo aliqui perficere tentant herbis & aliis. Vide Mizaldum cent. 5. ſect. 95. & chymica noſtra fixatoria. Inde vero non ſequitur argentum. *Guibertum* tanquam coruum hiantem *deluſit & Porta, & famulus.* Viderunt n. hominem eſſe bliteum, & plumbeum, nec Porta poſtea repetiuit artificium in alijs operibus. *Item cent. 9. ſect. 91.*

Quid opus fuit eluſore Sathana, cum tam facile ſibi pateretur ab impoſtoribus, vel ſaltem luſoribus famulis perſuaderi *Guibertus*? Sed nec luſit *I.B. Portam*, qui probe ſciuit coagulatum hydrargyrum argenti ſpeciem habere, ſed argentum non eſſe. Ideo & pugnam ſuam præmonitione clauſit. Quod autem adhuc idem *Porta* non ſpernit magiſterium lapidis, ſed in eo elaborat, id in tanta ſenectute non auri ſtudio facere putandus eſt, ſed medicinæ, & cupiditate ſcientiæ, quam magni facit, tanto ſapientior ſtulto calumniatore *Guiberto*. An nõ melius erat etiam in vltima ſenecta diſcere & experiri quam ab alijs inuenta & comprobata contemnere, conuitijs proſcindere, irridere, calumniari, & ad Diabolum referre? Ego laudo *Io. B. Portam*, qui proculdubio adiutus meis elucidationibus fundamenta artis & naturæ acutius videt quam vnquam alio tempore.

Exempl. XV. ex *Hoghelandæo*. Iucundum nobis luſum hic ludis vetula loquax *Guiberte*. Hoghelandæus de magiſterij facilitate, quam ſibi quidam fingunt, agens ſcribit etiam *ruſticos & muliercułas imperitas de arcano Philoſophorum garrire, experimenta captare*, & ſibi policeri eam fortunam quam ne doctiſſimi quidem niſi à datore Deo, ſibi auſint ſperare: quod quædam dicta Philoſophorum id videantur aſſeuerare. Recitat fabulam *de tubo plumbeo ſubterraneo vi herbarum crematarum in aurum conuerſo.* *Guibertus ridicule deceptus.* *Ex plumbo aurum per herbas.*

Fabulam narrari, vox FABVLA margini adiecta indicat: Item hæc in fine: *Profecto iſti qui tam otioſe fabulantur, non ita facile mendacijs & impoſturis falſiſſimorum hominum credidiſſent.* Hæc ibi. Quid noſter *Guibertus*? Nondum forte deterſa oculis nebula nocturna, aut heſterno villo decocto (niſi putandum ſit quod vt Libauij, ita Hoghelandæi latinitatem non intelligat, quia habitat in eo Galliæ angulo *in quo NIHIL laudabilium ſtudiorum eſt inuenire,*) in librum Theobaldi inſpexit, & legit. Quid quæſo? Mirabile quiddam. Ecquid illud? Auſculta; dicam paucis, licet ipſe, vt par erat *crepitaculum Lotharingicum, & vetulam garrulam facere*, verboſe narret, & ſerio admodum ob id *Hoghelandæo* ſuccenſeat. *Quis non miretur*, inquit, *tam magnum chymiſtam ASSERENTEM id eueniſſe virtute NON DVBIA herbæ alicuius inter alias confuſa?* *Pag. 136.*

Eja vero Guiberte. Idne aſſeruit *Evvaldus* iſte? Ego non video aſſerentem, ſed fabulam narrantem. Tune habebas maiora & longiora perſpicilia? Imo auriculas aſini. Vt appareat te ad calumniandum, & mentiendum procliuem eſſe, fingis materiam. Cum in Bohemia agerem iuuenis quidam referebat de *Lunaria agreſti*, quod cum eam ruſticus in pileo pro criſta geſtaret, forte in catinum excoctionis æris delapſa, totum æs mutaſſet in aurum flauum. Aderat ludio, qui rem confirmabat acroamate eiuſdem fecis. Se enim audiſſe dicebat quendam inſcium inter alias herbas falce fœniſeca demetentem eandem falcem auream reportaſſe. Hæc inter iocos & fabulas prolata tune putes ſerio affirmari? ô te caput ſandalio Thaidis demulcendum, & Germano aceto perfundendum, ni velis à calonibus permingi. Ad pauca rem contrahamus:

Aurum ex plumbo combuſtis ſuper eo herbis factum, aut non dubia herba vi euaſit, vt Hoghelandæi fabula habet; aut *aſtutia dæmonis deceptoris, vt corrector fabulantium Guibertus ſentit. Non illud. Hoc ergo:* quod etiam iudicio ipſius Hoghelandæi roboratur, qui ſcribit credi *par eſſe ſe & ſocium arte dæmonum ludificatum eſſe.*

Num ergo iam *Guiberti* Diabolus cauſam euicit, vt pateat hunc ipſum effeciſſe vt veris auri, & argenti confectionibus nunquam poſtea ſimiliter recurſuris, luderentur chymiſtę, & præter nummorum perditionem etiam famæ, laboris, temporisque iacturam facerent?

Nihil inquam firmi eſt ex inſufficiente enumeratione cauſarum. *Primum* fabuloſi experi-

menti fruſtra cauſa quæritur, *cum rei non exiſtentis nulla eſſe poßit, niſi potentia.* Deinde ſi verum fuiſſe aurum, non tamen neceſſe fuiſſet Diabolum luſiſſe homines, niſi opinione praua ſuggeſta. Nam aurum iſtud aliis de cauſis extitiſſet. Sed & de opinione praua videamus. Plærique putant quicquid boni vel mali homines faciunt, id eſſe vel à Deo boni principio, vel à Diabolo, principio mali, atque ita fere idem dicunt quod *Manichæi.* Verum ſi inquirimus, Deus eſt qui & bonum mittit & malum pœnæ malis ingerit, prætereaque errores, & mala culpæ permittit 1. Ioh. 1. ℣. 8. ſi dixerimus peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Alibi ſeducunt mala colloquia, mali ſocii, mali Prophetæ, peccatum Gal. 6. ℣. 3. Idem ſeipſum ſeducit praua ſui æſtimatione. Ita Iacob. 1. ℣. 22. 26. Non ergo ſolus Diabolus eſt ſeductor. Nulla vis principij eſt in Diabolo. Si homines male opinantur de re aliqua, & errant, non ſeducuntur à Diabolo ſemper, ſed ipſi ſua imbecillitate, inſcitia, imperitia, ignauia, &c. *Hogbelandæus* non habet quod Diabolo aſſcribat in ſuo facto. Sciuit enim in debita materia laborandum fuiſſe ſecundum ſcientiam & experientiam. Id non fecit, imo falſi ſuæ opinioni tantum tribuit, vt putauerit eam eſſe optimam, nec extare, qui meliorem docere poſſit. Deus ſiuit hominem ferri ſuis cogitationibus, & erroribus exagitari. Si inſuper ipſe laborator etiam Diabolum admiſit, quod de pio & deuoto homine, non præſumas, ſane faber ſuæ fortunæ fuit.

Hoc modo paulo poſt & *Guibertus* omiſſo dæmone corrigit *Hogbelandæum.* Vult enim p. 136. ipſum ſcire debuiſſe *omnes minus inſanientes Chymiſtas cum Gebro ſuo fateri vnicam ſolam eſſe medicinam quæ à metallis vilioribus omnem corruptionem tollat, vegetabilia, & animalia damnare: Licet enim argenti viui fluxibilitas ſuccis quibuſdam herbarum ſiſtatur, & color perfectorum ei inducatur, tamen ea tantum extrinſecus agere, nec alte penetrare.* Hæc *Guibertus*, qui tamen mox ad Diaboli cauſam, *vt ſus ad lutum, & canis ad vomitum*, redit, & nec in illa quoque ratione commode, periteq; loqui poteſt. Et quid intelligeret rudiſſimus omnium, cum in furnulis dæmoniacorum ſuorum impoſtorum nihil ſanius inuenerit? *Ex Hogbelandæo Hogbelandæum* ſic coarguerit.

Hogbelandæa principia contra Guibertum ſolida.

I. *Poßibilem eſſe tranſmutationem metallorum in ſubſtantia, non eget demonſtratione:* Quia ipſa experientia fidem facit. Proſyllog. oculati teſtes vbique fere terrarum id confirmant; Grauiſſimi autores aſſeuerant: Item naturalibus aquis, & artificio *æs fit ex ferro*, vt & *ex cinabari argentum.*

Æs ex ferro arte & natura.

II. In Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, Belgio, SVPERSVNT (editus eſt liber Theobaldi an. 1594.) *qui ſuis manibus puluere quodam minimæ quantitatis, quem tamen ab aliis præparatum acceperunt, in argentum viuum igne excalefactum coniecto, Argentum inde, vel aurum* OMNI *examini ſubijciendum retulere.* Hinc ſequitur hiſtoria *Taruiſini* pharmacopolę, & teſtimonium *Cornelij Agrippæ, Iohannisq; Andreæ I.C. de Arnoldo.*

III. *A* maiore: Vegetalia & animalia longius diſtantia temperamentis permutantur: Magis mineralia ſibi affiniora.

Nota Guiberte.

IV. *Si in iudicijs capitalibus duobus vel tribus teſtibus credendum, magis in arte chemia conuicta 1. rationibus 2. ſimilitudinibus. 3. exemplis. 4. teſtibus innumerabilibus*, quorum ſcripta fide digniſſima proſtant.

V. Non eſt viris magnis detrahendum, & ſciolis ſtultis (qualis *Guibertus*) credendum, quia *illi magno iudicio ratione & experientia artem firmant, hi peruerſa opinione eam cauillantur.*

VI. *A*duocatur diuerſarum gentium *conſenſus communis.* Artem enim *libris ſapientum* comprehenſam *omnes veriſſimam eſſe docent.* (Culinarius & caminarius ſufflo Guibertus quid ad hos? Culeum meruit.)

VII. Obiectio: Ex infinitis chymicis nullus eſt qui finem aſſequatur. Reſp. *De populariter laborantibus verum eſt.* Neque enim quiſquam, vt nec *Guibertus* olim, debitam materiam tractat. *Auicenna: Qui accipit quod debet, & miſcet, & operatur ſicut debet, procedit inde quod debet procedere.* Plæriq; ſunt indocti *ne latinitatem quidem* intelligentes, vt taceam parabolas ſapientum. Exemplo eſt *Nicolaus Guibertus ſuo indicio magnus, malus, piſcis.*

IIX. *Si neganda ſunt quæ rariſſime, aut nunquam videre alicui contingit, multas ſacras hiſtorias nega: multas etiam profanas.* Fruſtra Philoſophi, & medici de naturę & morborum miraculis ſcribunt, ſi calumniæ improborum locum habent.

IX. Cum *Auguſtino* ſeminariæ rationes rebus miſtis tribui debent, vnde occaſione data fit hoc ex hoc. Ita *Marſilij* ſententia de ſpiritu in miſtis ſe multiplicante ſolida eſt.

X. Iſtis qui non mouentur rem ad Diabolum referunt: (vt *Guibertus.*) Quidam ne viſis quidam experimentis acquieſcunt. *Arti contradicitur ab his qui nihil in ea olfecerunt; nec libros artificum, niſi raptim perlegerunt. Nemo magiſterium lapidis vnquam negauit, qui fuit ſapiens.* Quibus impoſitum eſt, ii (peſſime) artem potius quam impoſtorem damnant.

Intentio Philoſophorum.

XI. Philoſophorum huius artis intentio eſt *virtutem quandam mineralem è puriſſimo auri, argentiq; ſemine artificialiter, naturæ tamen beneficio, in forma ſubtiliſſimi pulueris albi vel rubei* (illius, ratione argenti: huius ratione auri) *producere, qui propagari poßit in infinitum, & poteſtatem habeat argentum viuum, & vilia metalla, impuraq; momento penetrandi, mundandi, & ad perfectiorem ſtatum auri, vel argenti perducendi: corpusq; humanum conſeruandi integrum & inſtaurandi labefactatum.*

XII. Lapis eſt donum Dei à quo datur cui is vult, nec cuilibet factu facilis. *Omnis ſapientia à Deo.*

XIII. *Simile gignit ſimile.* Combuſtibile nihil reddit alterum incombuſtibile in naturalibus.

Hęc & multa alia, *Guiberte*, ſi ab *Hogbelandæo* didiciſſes, aut ſi putaſſes falſa eſſe, veris rationibus refutaſſes, abſtinuiſſes à Diabolo, & diabolicis in artem calumniis. In tuis exemplis vix *vnica mentio eſt medicina tranſmutatoria*, ſed quam ſtulta narratione labefactas, nec indicas particularis fuerit, an vniuer-

vniuerſalis.Cætera omnia partim ſunt tuæ fecis,hoc eſt,nebulonum,& bipedum nequiſſimorum, quos es ſecutus:partim cauſas alias habent.

Pag.137.ſcribis *omnia profluere vel à magorum præſtigijs,vel ab ipſo dæmone.* Male didiciſti diſtinguere. Vtrumq; genus eſt eiuſdem architecti. *At* tu tam turpiter hactenus,& impudenter mentitus es, vt tibi nullus vir honeſtus debeat credere,aut ſi credit,fiat tui ſimilis nequam. Oportet te cum Diabolo aliquot modios ſalis comediſſe,quia ſcis tam bene eius facta. Obiectio.

Qui credit Guiberto contra chymiam Nequam eſt ipſius ſimilis.

Magica & præſtigioſa ſunt ſpecies vacuæ rebus.

Quæ iſti hactenus memorati fecerunt,fuerunt res ipſa. Non ergo ſunt à magis, ſed natura.

Reſpondens *Guibertus* Diabolo laruam *furis* inducit quaſi ex alieno ſubtractum aurum furtim ſubieciſſet,& ſuppoſititium dederit. At inquam in ſuperioribus non opus erat tali fure. Nam ipſi impoſtores ſcribebantur *Res ſupponere,* vt *Bragadinus,Schvvertzerus, Honauerus, Millenfelſius,* & alij Germanis notiores,quam Gallis,& Italis,excepto,quod aliqui puluere alieno tinxerunt aliquando,vt *Millenfelſius.* Is enim hoc prȩſtitiſſe narratur in Wittembergio, cumq; conſumſiſſet puluerem *Michaelem Sedinvogium* ſimili arte voluit ſpoliare,ſed fruſtra. Tale quid narratum eſt de *fratre Kellei* & alijs. *Theobaldus* ſcribit auditu ſe percepiſſe *Italum monachum* parato lapide ex Italico clauſtro intraſſe Germaniam; ſed in ſylua occiſum à duobus inſidiatoribus illis puluerem reliquiſſe, quod factum ſit ſua ætate.Num ex illis erat *Millenfelſius* vnus,& alter *Hinterhöffer*, qui Lipſiæ aurum feciſſe ferebatur,cum artis eſſet imperitiſſimus ? *Paracelſum* aiunt à magiſtris ſuis tincturam accepiſſe.A Diabolo qui acceperit, nulla eſt hiſtoria, ſed potius contrarium vt eſt apud *Bodinum* lib.3. dæmon.c.3.vide & quȩ de Theſauris aperiendis notata ſunt.Raro cacodȩmon homini, quem ſecum miſerrimum eſſe cupit,aliquid ſecularium bonorum confert,vt & ipſe Guibertus narrat.Hactenus *Guiberti* interitus Alchymiæ,qui potuit non conuenire noſtræ,quæ,Deo gloria,viuit, lætatur,ſupplicat,ouat,& triumphat;Sed fictæ & impoſtoriæ Guiberti. Noſtra vt palma floret : Guibertinus furor miſere periit. Typographus & alia promittit eius opera, vti & ipſe nugator.Sed ſi ſapit magiſtratus cohibebit à talium editione hominem nec ſcribere recte, nec loqui ſcientem:Typographum autem qui ſceleratam inuectiuam ſuo prelo publicauit pro merito punietur.

Kyberth hat gute Kundſchafft mit dem *Zabulo. Vide & Crollium.*

De hu qui ab aliis accepto lapide aurum fecerunt.

Finis reſponſionis ad Interitum Alchymiæ Guiberti.

EX PRO-

EX PROCESSIBVS BARNAVDI.

ARS TOTA.

1. RECIPE 2. in nomine Domini 3. Aes noſtrum, quod cum 4. AQVILIS NOVEM 5. coniunge, & 6. tere, vt 7. totaliter ſpirituale fiat ſine reſidentia 8. fecum, 9. vaſique ſuo impone: 10. in furnum loca vt eidem 11. immobiliter adhæreat, 12. nigredoque putrefactionis apparebit, 13. quæ diutius dominabitur. Poſt vero nigredinem, 14. quicunque color apparebit laudabilis eſt 15. Sine intermiſſione rege, 16. coque, & 17. opus mulierum fac, 18. vſque quo incipiat germinare in viridi colore, 19. animamque euolantem 20. mediante ſpiritu 21. redde 22. corpori ſuo à quo primo exiuit, vt coniungatur eidem in 23. albiſſimo colore: 24 coniuncta infrigidetur. 25. Iam habes perfectum lapidem, IGNEM non timentem, nec aerem, 26. quem informatum & fixum fermenta 27. vtrinque deducendo fixum in volatile, & volatile in fixum. 28. Rege igitur eundem 29. tam diu quo vſque incineretur, & rubeſcat, habeatque colorem ſanguinis combuſti, vel Draconis, ſeu aloes, vel epatis. 30. Et proijce ipſum ſuper corpus cuius generationem vis habere, hocque proijce ſuper corpora alia imperfecta.

Corpus ergo in opere noſtro debet fieri ſpiritus per modum diſſolutionis, & ſpiritus viceuerſa corpus per modum coagulationis, quo corpus ex poteſtate ſpiritus acquirat ſibi fluxibilitatem, & ſpiritus ex corporis poteſtate acquirat ſibi fixionem, & in hoc eſt perfectio artis. SOLVE: Coagula: & Tinge; & habebis quod optas. Spiritum animam, corpus habet lapis noſter, NON LAPIS: quem ſi diſſoluas, diſſoluitur: ſi coagulas, coagulatur: Si volare facis, volat. Eſt autem volatilis, albus, concauus, ſalſus, pilis carens, quem nemo ſua lingua tangere poteſt: quem ſi aquam dixeris eſſe, verum dicis: Si dixeris aquam non eſſe, mentieris. In opere Philoſophico coniungitur ſpiritus mineralis crudus tanquam aqua cum corpore ſuo, ipſum prima decoctione ſoluendo. Tunc REBIS vocatur.

Expoſitio cuiuſdam anonymi.

I. RECIPE ex minera metallica, vbi natura res præparauit. Nihil enim ingreditur magiſterium niſi metallicum.

2. In nomine Domini. Quicquid enim incipis, in nomine Domini incipere debes vt feliciter
Coloſ. 3. 17. cedat, & ſine ludibrio malorum geniorum. Oratorium hoc eſt. Sequitur laboratorium.

3. Æs noſtrum eſt Saturnus, & plumbum Philoſophorum, hoc eſt, antimonium. Ita enim habent verſus: Artus eſt hominis quem ſex tenuere figuræ (Lumbus:) Cu P ſi addideris (plumbus) S in m bene vertere ſi ſcis (plumbum) Hoc æs eſt noſtrum, conſtansque aqua Philoſophorum.

4. Aquilæ nouem ſunt argentum viuum nouem vicibus ſublimatum ita vt totum ſit homogeneum & purum. Aquila enim regia illa auis, quanquam alias ſit ſal ammoniacus cum ſale populari ſublimatus, & fixus, qui etiam ad particulare opus eligitur figendo eum intra calcem, &c. tamen hic eſt mercurius, in quo eſt quicquid quærunt ſapientes.

5. Coniungere eſt contritum vtrunque vna ſublimare, vt vna fiat eſſentia, ſimulque per modos ſublimandi figere.

6. Terere eſt diſſoluere per deſtillationem in aquam mercurialem ab elementari humiditate priuatam, totamque homogeneam, ſumme depuratam, & rectificatam.

7. Vt totaliter ſpirituale fiat, primum conſequeris ſublimatione; deinde deſtillatione & circulatione.

8. Feces ſi quæ ſidunt in vitro ſeu deſtillatorio, ſeu circulatorio ſemper tolluntur, donec nihil amplius heterogenei videatur, quod ſolet eſſe nigrum. In ſublimatione feces ſunt multæ cum totum ſublimatum ſcandit ſine capite mortuo, relicto puro vitro.

9. Imponitur cucurbitulæ, ſeu Phiolæ quæ inter cineres locatur ita vt ſurſum bene clauſa emineat ad calorem explorandum, & colores inſpiciendos.

10. Furnus eſt Athanor, ſtufa ſicca, vbi calor à teſtudine reuerberet, nec vas immediate tangat.

11. Immobiliter adhæret furno per tripodem arcanorum, & catinum cinerarium: & nota ibi relinquendum eſſe vſque ad finem.

12. Nigre-

12. Nigredo putrefactionis eſt primus color eſſentialis, qui emergit calore modico agente in humidum.

13. Ea durat dies circiter nonaginta in principio. Minus autem diuturna eſt in repetitione operationum.

14. Colores ſuccedunt nigredini cinereus in prima operatione; candidus in ſecunda, quem antecedit cauda pauonis, cum iam calor auctus agit in ſiccum. Vbi nigredo non præcedit, nullus color eſt legitimus.

15. Regendus tunc ignis eſt continuo.

16. Id coctioni & aſſationi comparatur.

17. Quod eum ſoleant facere mulieres, harum opus dicitur. Neque enim aliud quid neceſſarium eſt quam in furno Acediæ ignem gradatim adhibere, nec committere vt opus frigeſcat.

18. Incipit germinare in colore viridi, qui non ex aſpectu dicitur, ſed ex plantarum germinatione cui coniuncta eſt viriditas. Incipit ergo vegetari.

19. Anima euolat ex corpore cum ſpiritus tincturam inuiſibilem eleuat ad ſuperficiem vitri. Portat eam ventus in ſuo ventre.

20. Ideo dicitur mediante ſpiritu.

21. Cum autem euolare, & per clauſum exacte vitrum euadere nequeat, redit in ſuum corpus & ab eo reſorbetur, vnaque figitur.

22. Id eſt corpus ex aqua coagulatum. Primo n. fuit aqua. Calore ſecundi gradus ſpiritus ſublimatur cū anima, ſeu tinctura quam antimonium habuit; Spiritus autem eſt mercurialis: anima eſt ſulphurea. Quod corpus dicitur, pro ſale eſt, ex quo primum ſpiritus exiuit.

23. Cum reuerſus eſt ſpiritus cum anima in corpus, materia fit niuea, calore auctiore.

24. Ita facta eſt coniunctio & fixio conſtans, & opus finitur refrigeſcere.

25. Elixyris hæc eſt communis materia, hermaphroditica, pariter affecta ad rubeum, & ad album: Et quia fixa eſt, nec in igni detrimentum capit, nec in aere liqueſcit, vt alias ſales. Ideo & gradus ignis iam eſt liberior, fortiorq; vt probe figatur lapis.

26. Fixus & perfecta albedine dotatus fermentandus, vt ex generalitate, ſeu communitate ad certi metalli ſpeciem aſtringatur. Sicut fermentum maſſam in ſui naturam vertit, ita & materiam hanc metallum perfectum naturale. Non enim eſt aliud fermentum niſi perfectum ad quod tendit etiam artis finis.

27. Fermentatio ſic fit vt fixum fiat volatile, & volatile fixum, ſoluatur igitur elixyr ſua aqua; Soluatur & aurum vel argentum. Soluta coniungantur, & coquantur vt in initio donec interna ſolutio per putrefactionem, cuius ſignum eſt nigredo, ſit peracta, quam ſequitur coagulatio, ſeu fixatio eodem modo, ſed igne auctiore in vitro hermetice clauſo. Diuidenda vero eſt materia ſi velis ad album & rubrum ſimul procedere, dum adhuc albet: Et pars fermentanda eſt argento natiuo de minera: pars in igni relinquenda donec rubeſcat calore fortiore, & tunc fermentanda & ipſa eſt auro naturali de minera.

28. Regimen obſerua idem donec ex nigredine prodeat cinis, ſequaturq; albedo, & in opere rubeo rubedo, quæ comparatur ſanguini draconis, ſeu ſucco rubro quem ſanguinem draconis vocant; aut etiam epatici coloris eſt, & aloes, qui colores in antimonii vitro rubro, & epate cernuntur.

29. Ita prima vice abſolutus eſt lapis, ſed non tingit copioſe. Itaq; repetitur ſolutio & coagulatio vt vires maiores acquirat, & multiplicetur. Poteſt tamen tunc ad medicinam adhiberi forma pulueris, vel olei. Nam propter ſalinam naturam in rubeum oleum liqueſcit.

30. Cum autem vis argentum viuum, aut imperfecta metalla vel ſemimetalla tranſmutare, & perficere, oportet vt tincturam albam prius proiicias ſuper argentum fuſum, rubram ſuper aurum, & fit vtrobique medicina, quæ poſtea denuo proiecta ſuper hydrargyrum & imperfecta, ea perficit. Si tincturam exaltaſti vt vires validiſſimas habeat, etiam ſecunda proiectio ſuper argentum viuum præbet medicinam, & tertia demum metallum. Modus proiectionis in multis libris inuenitur. Et hæc ſunt quæ ad eſſentiam operis pertinent.

Quæ ſequuntur, ſunt declarationes. Dicitur n. 1. Corpus debere in ſpiritum mutari ſeu ſpirituale fieri per modū diſſolutionis in putrefactione, quæ eſt prior pars proceſſus in omni operatione.

2. Spiritum in corpus redigendum eſſe per modum coagulationis. Nam componitur materia ex corporali, & ſpirituali. Corporale coagulat ſpirituale, hoc viciſſim ipſi affert ſpiritualitatem, tandemque vtrumque in eodem acquieſcit fixum, & inſeparabile. Inde ſequitur fluxibilitas corporis in igni, & ſpiritus in eodem conſtans fixio.

3. Tota praxis in tres partes diuiditur; Solue, coagula, quæ duo ter aut ſæpius repetuntur. Tinge quod eſt vtere ad ſanationem hominum, & metallorum imperfectorum.

4. In lapide conſiderantur tres poteſtates, quarum vna dicitur corpus, quod eſt fixum, & imum ſeruat: altera ſpiritus ſeu ventus, qui eſt vehiculum tertiæ, quæ animæ comparatur, eſtq; ſulphurea & formalis virtus dans eſſe rei. Alias corpus ſali, ſpiritus mercurio, anima ſulphuri confertur.

5. Lapis dicitur non lapis, quia cum fixam naturam habeat, tamen liqueſcit. Soluitur & fit volaticus, coagulatur, & figitur.

6. Volatilis dicitur, quia ſolui in ſpiritum poteſt: albus, quia purus; concauus, quia recipit radios ſolares, & in ſe multiplicat: ſalus, quia ſalinam habet naturam, qua liqueſcere poteſt, vt calces: caret pilis, & impalpabilis eſt, quia adeo tener vt nulla in eo aſperitas obſeruetur, & in lingua quaſi ſine tactu & affectione diffluat.

7. Aqua eſt ſicca tactu, ſed quæ in liquorem rubicundum ſoluatur. Aliqui vt lapidem non lapidem, ita aquam non aquam vocant, ſicut mercurius ſublimatus lapis eſt, & non lapis, aqua potentialis, & non aqua actu.

8. Ante coctionem ſpiritualis mercurius ſeu quinta eſſentia eius cruda eſt. Neque enim ſolurio aliter fieri poteſt. Sed non ita intellige, quaſi hydrargyrum de minera ſumere debeas. Hic enim tantum eſt materia tranſmutationis, nec ea forma ingreditur magiſterium.

9. Et eſt tamen aqua mercurialis corpori ſuo affinis, quia corpus ex ea factum eſt, & in eandem reſoluitur vnde ænigmata de matre vel patre & filio, qui iterum fit patris ſui pater, &c.

10. Cum corpus primę coctionis in qualibet operatione ſolutum eſt, vt fiat quaſi amalgama tunc dicitur Rebis, quaſi ex rebus binis homogeneum cõpoſitum ex eſſentia antimonii, & argẽti viui ſublimati, quod ſublimatum in ſe habet ſulphur metallicum, & ſalem. Hæc hactenus.

Proceſſus ex arte ſumtus, ſed Imperfectus.

Rec. vitrioli calcinati lib. iij. ſalis lib. j. Aluminis vncias duas, ſalis ammoniaci vnciam vnam Puluerata, & per cribrum traiecta addito aceto vini miſceantur: Mox argenti viui optime purgati addatur libra vna. Fiat ſublimatio in arena de more, donec humidis ſpiritibus digreſſis aſcendant ſicci; Et tunc ignis octo horis fortificetur. Repete ſublimationem quater. Cape huius mercurii lib. j. pul. antimonii aurifeti de mineris, Vngaricæ lib. ij. commiſta deſtilla per retortam quater. Deſtillatum ſerua. Caput mortuum contere in puluerem ſubtiliſſimum: Adde pul. Tartari & ſalis com. lib. ß. In catino colliqua, & fac regulum ſ.a.

Habe in parato mercurium ſaturni hoc modo factum: Rec. Minii vncias iiij. ſalis ammoniaci vncias ij. vel par pondus. Contere, & imbibe quater oleo tartari ſemper reſiccando. Sublima per horas octo iuxta gradus Sublimatum tritum mitte in aquam feruentem; Et ſi agitaueris, hydrargyrum euadet: (hunc potes figere per ol. ſolis, vel lunæ calide inſtillatum.) Figitur hoc modo. Rec. Talci ferroſi, quo figuli fornaces perlinunt: Lamellas tenues ſaturni perlitas mercurio ſuo ſtratifica. Sublima. Sublimatum ol. tartari reduc in mercurium, quem diligenter purga.

Recipe reguli ſuperioris puluerati, & huius mercurij pares. Digere in arena modici caloris. Argentum viuum ex regulo aſſumit eſſentiam. Affunde acetum vini tranſuerſi digiti altitudine in ferreo catino. Coque ad ſiccum. Deinde contere, & extrahe tincturam per acetum vini ad 4. digitos, ſtent in cucurbita vitrea tribus diebus. Coloratum acetum ſepone, & aliud refunde, maceraque triduo, atque ita perge donec totam tincturam extraxeris. Separato aceto inuenis puluerem rubrum, qui in argentum fuſum iniectus aurum ex eo colligit. Sed aurum hoc per aquam fortem ex argento ſegregatum, quartationem non ſuſtinet. Debes ergo cogitare de modo figendi. Deſtillatum quod ſeruaſti affunde auro de minera puro. Solutionem coniunge cum tinctura prædicta, & in lapidem coagula. Hoc oportet fieri in vitro hermetice clauſo, & in Athanore igni cautiſſimo ab initio per colorum appatitiones. Coagulatum ſolue iterum aqua ſeruata, quæ mercurialis eſt & rectificata. Coagula vt prius, hocque repete tertio, vt valde ſpiritualis medicina fiat. Hanc proijce ſuper aurum, & fiet medicina tranſmutans imperfecta.

Si vis tincturam ex auro multiplicabilem:

Cape halinitrum, & deſtilla per retortam vt eſt artis. Deſtillatum iterum deſtilla vt tantum phlegma exeat remanente ſpiritu ſalſo, qui eſt inutilis. Phlegmate ſolue ſalem ammoniacum pure ſublimatum, vt fiat aqua flaua. Hanc digere vaſe clauſo vt terra ſidat. Puram aquam effunde & in ea folia auri ſolue: nempe ℥ j. vel vnciam mediam. Tinctura abit in aquam relicto albo corpore. Aqua ſeparata remanet puluis croceus qui tantum argenti puri tingit, quantum fuit aurum. Corpus album dicitur eſſe pro lucro. Si eam tincturam in aurum proiicis in fluxu, nempe quantum eſt ex ſemuncia ſuper ſemunciam auri, accipis tincturam 48. caractarum. Hanc iubent iterum ſoluere in aquam, & coagulare, proijcereque ſuper aurum liquatum ſemunciale. Dicunt augeri 24. caractis, atque ita in infinitum. Poſt quintam proiectionem aiunt corpus ſolis fieri totum ſpirituale, & friabile crocei pulueris inſtar, cuius granum vnum tingat argenti ſemunciam. Volunt hanc tincturam pro dimidia parte impendendam eſſe in argenti mutationem, altera dimidia ſemper augendam. Auri vnciæ octo in prima extractione dant ſemunciam tincturæ. Inde potes computum tuum inſtituere.

EX HELIOPHILO A PERCIS Philochemico.

Nos iam tertio & poſtremo noſtræ Diſquiſitionis loco contra eos contendemus, qui tranſmutationem metallorum vel fieri poſſe negant, vel ordini creationis aduerſari, tanquam ſi potentia Dei attentaretur, affirmant. Grauis accuſatio, ſi vera ſit. Sed pręcipites eiuſmodi cenſuras, rationibus, & ad oculum propoſitis demonſtrationibus, hoc eſt, experientia, quæ, vt dicitur, etiam ſtultorum eſt magiſtra, refellemus. In cuius rei fidem ſyncere ante omnia profitemur, nos nihil hic, niſi

niſi naturalibus mediis attentare, cum ſine motu naturæ ars tota ſit inanis, & naturæ artifex duntaxat famulus & miniſter exiſtat, nihil ad eam de ſuo addens. Petimus ergo primo, ne præiudicio premamur: deinde ne (quod in omni ſcientia fieri conſueuit) illotis manibus, & ἀναλφάβητοι Lectores, hoc eſt, rerum mineralium prorſus imperiti, & criteriorum metallicorum expertes, huc accedant, ne vel in iudicando ſeipſos fallant, vel in reprehendendis aliis ſuam prodant ignorantiam & liuorem, cum proprie artifices de arte & iudicare poſſint & debeant, vt vetus habet prouerbium.

Principio igitur citra ambiguitatem de his iudicare volentibus ab aurificibus & æſtimatoribus argyrocoporum & metallariis diſcendæ ſunt ſolennes illæ probæ & examina, quibus aurum & argentum à reliquis metallis ſecerni, & re ipſa ſequeſtrari ſolet. Nec enim Lydius lapis hic ſufficit, & in operibus Sophiſticis imponere poteſt, ſi non alia accedāt ad affricatum colorem criteria. Proinde & principatus & Reſpublicæ omnes plurimum debent non tam Guardinis & aurificibus, qui examina hæc vſurpant, ne falſa nummorum & æris non cuſi merce adulterina ſimpliciores circumducantur, quam ipſis horum examinum inuentoribus, qui quidem rerum mineralium peritiſſimi fuerint neceſſe eſt, quando & cauſas harum rerum inueſtigare oportuit, & experientia probari, quod ſine negociatione chymica fieri nequiuit. Itaque non omnes Alchymiſtæ ſemel in vniuerſum ſunt proſcribendi, licet impoſtoribus & circulatoribus (hoc eſt cakchymiſtis) non ſit patrocinandum: cum non parum inter hos & veros naturæ indagatores & Philoſophos interſit, quod & in ipſa medicinali facultate ſatis ſuperque comprobatur.

Primum igitur criterium eſt ignis cineritij, quod & fulmen dicitur, & probatio per plumbum. Quæ quo ſeuerior ſit, ſumantur cineres ex ſolis oſſibus combuſtis ad albedinem: alias vero tertia ex oſſibus, binæ vero partes ex cineribus vulgaribus per lixiuium defecatis & exuſtis denuo & caueatur, ne oſſa ſuilla ſubintrent, quę omnia corrumperent. Omnia autem ſubtiliter trita per ſetaceum tranſeant: poſtea inſperſa aqua tantiſper humeſcant, vt vel in modellis (quæ & mortariola vocantur) catilli, quæ & capellæ per ſe, vel paropſides in vaſis teſtaceis fiant, & probe leuigētur deſuper impacto piſtillo ad id formato. Sed hæc neceſſe eſt ab experienti demonſtrari. Poſtquā igitur interiecta hora vna atq; altera, ſuper impoſita tegula, vt vocant, incanduerint in fornacula, imponatur duplum plumbi, vel triplum, vel quadruplum, ratione materiæ, quæ imponitur, & quę probanda eſt, idq; ſenſim. Nonnunquam quindecim pōdera plumbi adhibenda ſunt, in extremis examinibus, ſi alia ratione edomari, & quicquid eſt auri & argenti à cæteris metallis & ſcoria ſecerni nequeat. Ita fiet, vt cum plumbo reliqua metalla exurantur, & in fumum abeant, ac ſcoriam ad exteriora propellant, auro & argento ſolis reſiduis, quæ propterea quod in igne ſola perdurent perfecta dicuntur, reliqua vero imperfecta, ex fixo vel non fixo ſulphure, vt poſt intelligetur, &c.

Altera probandi ratio eſt per aquam valentem ſiue fortem, quam vocant quartationem, eo quod quatuor vel minimum tribus partibus argenti opus ſit, ſi quarta pars auri cum argento mixta rite ſit inde ſeparanda per aquam fortem. Quod ſi minus argenti fuerit, aqua fortis (niſi modū excedat probationis) id non ſoluet debita ratione: ſi plus quatuor partibus argenti fuerit, ſolutionem promouet, ſed aurum fere lancinat. Fiat ergo aqua fortis ex vna parte vitrioli calcinati, altera crudi, tertia ſalis nitri; Hæc fere communiſſima eſt ratio. Poteſt tamen tantundem ſalis nitri ſumi, quantum eſt vitrioli, quę erit tanto fortior: niſi fæcum pars adijciatur ex aqua forti, iam ante ſemel facta, quod caput mortuum vocatur. Sed his de rebus editi ſunt libri à monetarijs, aurifabris & metalliſtis: quo ablegamus lectores, inprimis ad Georgii Agricolæ de re metallica librum o. Cum hæc committerentur prælo, incidimus forte in eruditiſſimos Libauii viri Clariſſimi libros, qui omnium facile Princeps eſt, etſi nobis antehac ignotus. Is abunde omnia præſtat. Aqua fortis habita purgetur ab omni fæce: nempe ſoluendo argenti drachmam in ſemuncia aquæ fortis in ampulla vitrea leui calore ſuppoſito, quę diſſoluto argento mox inijciatur in reliquam aquam fortem, ſiue vna, ſiue duæ libræ fuerint. Fiet hæc inſtar lactis alba & turbida; mox reſidēdi ſpatium detur per noctem, & aqua erit clarificata, omni fæce ad fundum vaſis depreſſa. Hac vtimur ad ſeparandum argentum ab auri ramentis, ſuppoſito calore ampullæ vitreæ, ita vt vnciæ metalli in tenues bracteolas extenſi & conuoluti, more Cylindri, ſuperfundantur vnciæ duæ aquæ fortis reſidebit, ſi fere quarta pars auri argento permixta eſt, in fundo integra: ſin minus plærunq; ramenta & nitellæ pulueris nigri ſpeciem referent, quæ exemtæ aqua tepida ſunt eluendę, & poſtea igniendæ in crucibulo, auro ſeſe, quale eſt, ſubiiciente viſui, quod exemtum affricetur coticulæ probatoriæ, aut fundatur. Sed hæc non eſt noſtri inſtituti longius perſequi, cum vnde peti poſſint, oſtendimus.

Tertia aurificum vulgata ratio eſt per Antimonium faciendi reguli ex permixtis cum auro metallis, vnde eliciunt aurum purum, ſi impoſitum catino per prunarum ſuperinductam flammā iuuante folle, mundetur, quoad omne ſtybium ſiue Antimonium euaporauerit. Reſiduum per aridas vini fæces & halinitrum reducitur.

Vltima probandi auri ratio, & quicquid fixum non fuerit, ſeparandi, eſt cementum regale cum lateribus minutiſſime tritis, quantitate dupla ad reliqua, & ſalepiſto, & vitriolo calcinato, ita vt ſtratum ſuper ſtratum fiat ſuper laminas ſiue bracteolas tenuiſſime extenſas in tigillo vel catino fornaculæ impoſito, & probe lutato. Ignis tandem carbonum excitatur, vt crucibulum poſt calefactam fornacem continuo rubeat, ita tamen vt laminæ ne fundantur nimia ignitione, quod ad aliquot horas ſolet continuari, tres quatuorue, vnde affinatur aurum.

Hæc ſpecilla & criteria internoſcendi auri argentique (quæ ſola in igne manent) propterea

perdiſcenda ſunt, quod ſine his omnis ratio ſit cæca de metallis iudicandi ac diſputandi nedum tractandi. Itaque relegandi omnino ſunt naſutuli iſti homines, qui cenſoriam virgulam ſumunt ſibi aduerſus chymicos, prius ad metallarios & aurifabros, vnde diſcant, quæ ſit ratio & vis metallorum in igne, & quę examinandorum ratio, ne cum ratione inſaniant, ſi contra experientiam contendere velint. Sed his præmiſſis ad inſtitutum accedamus.

Qui tranſmutationem metallorum dari negant, orſi à principiis metalla componentibus negant chymiſtas hydrargyrum & ſulphur componentia eorum principia rectè ſtatuere. Sic Balthaſar Hagelius Ieſuita Philoſophiæ in Academia Ingolſtadiana Profeſſor, in ea quam de metallo & lapide diſputationem edidit, pro laurea reſpondente Andrea de Luchis Auſtriaco, anno 1588. Theſi 7. ſcribit, titulo de materia (libet enim ſectæ cauſa, quæ ſola Philoſophiæ penetralia iam ſibi vendicat, inde arceſcere diſquiſitionis huius fundamenta, quibus refutatis, cæteri tum veteres, tum neoterici, quorum veſtigia Hagelius ſequitur, ſua ſponte corruent.) Sic igitur inquit theſi iam dicta: Alchymiſtæ nouum & maxime ſuperſtitioſum genus hominum, metallorum omnium principia pertinaciſſime contendunt eſſe ſulphur & hydrargyrum ſiue argentum viuum. Eadem explicans theſi 12. addit: Res ad chymicos redit, Hi quod ipſe ſeſe ex ſulphure & hydrargyro metalla fabricare putent, ex iiſdem naturam conflare, non ſine multo faſtidio contendunt. Hæc ille. At quomodo ſuſceptum probare conantur? Quod metalla ex ſulphure, inquit, & argento viuo non fiant, ita probandum eſt: Si res ita habent, vt volunt chymici, cur ſulphur & argentum viuum in venis metallicis omnibus aut pleriſque, aut metalla in puteis ipſorum non reperiuntur? Hæc eſt prima Ieſuitæ ratio, ab ortu metallorum, ſiue loco potius ducta.

Arguit deinde ex proprietate componentium. Et cur, inquit, proprietates ſulphuris & argenti viui non habent? Quid enim ſulphure ad flammam concipiendam aptius eſt? At metalla non ſunt φλογιστά. Item, nullum argentum viuum concreſcit frigore, vt experientia & Ariſt. Meteor cap. 8. auctor eſt. Metallum autem nullum eſt, quod non frigus denſarit. Quomodo igitur ex hydrargyro factum ſit? Hæc ſunt Ieſuitæ principia, quibus metalla negat ſulphure & argento viuo conſtare: quibus fortaſſe rectius obuiam iremus, ſi ad oculum ſtatim adhibita demonſtratione hoc eſt, ipſo facto euanidas iſtas ratiunculas euerteremus, iuxta illud Poetæ,

Nec locus ingenio eſt, oculi te iudice vincent.

Veruntamen ad obiecta breuiter reſpondebimus, priuſquam rem facto firmemus. Quod in metallifodinis omnibus, aut pleriſque ſulphur & argentum viuum negat reperiri, vbi ſunt venæ metallicæ, & contra in puteis ſulphuris & argenti viui negat metalla eſſe: quis non videt inde fieri, quod hic ſemina duntaxat metallica ſint, & quidem extruſa à natura & diſperſa, antequam metalla fieri potuerunt: vbi autem venæ metalli ſunt, argentum viuum & ſulphur non ita frequenter comparent, eo quod principia componentia omnia in compoſita iam tranſierint, hoc eſt, in metalla concreuerint. At ſi quid vellet efficere, probaret, nullum in venis metallicis vſpiam reperiri argentum viuum & ſulphur. Hoc enim (tametſi probabiliter tantum arguit) non ſolum phyſici & philoſophantes cæteri aſſeuerant (quod callide Ieſuita declinauit) verum etiam chymiſtæ quidam non ignobiles à minerariis minus experientibus decepti ſenſerunt. Sed hoc aliter ſe habere teſtibus oculatis & fide dignis & minerarum peritis monſtramus, & quod ad rem facit, ab Alchymia alienis. Primus eſt Chriſtophorus Encelius Saluendenſis, qui de re metallica tres libros ſcripſit, quos præfixa epiſtola ad Chriſtianum Egenolphum ciuem Francofurtenſem Dominus Philippus Melanchthon curauit edendos: impreſſi ſunt anno 1554. in octaua forma demum ab hæredibus Chriſtiani Egenolphi. Is libro 1. capite 1. in hæc verba ſcripſit: Fuerunt, inquit, qui negarunt principia metallorum eſſe argentum viuum & ſulphur. Cauſam affert ab iis adductam: Quia olim talia ſcilicet argentum viuum & ſulphur in natura ſua non reperiri dicebantur in fodinis. Sed hi maxime errant, addit: Nam reperiuntur, inquit, in noſtris fodinis in natura ſua tum argentum viuum, tum ſulphur vere metallorum principia. Hæc ille. Cui ſimilia docet experientiſſimus vir Iohannes Matheſius qui cum paſtorem ageret in valle Ioachimica nobis explicationem locorum ſacræ ſcripturæ exhibuit quæ de fodinis, mineris & metallificio agunt, Theologice & Phyſice iſta pertractans, ipſe teſtis oculatus. Sic igitur in Poſtillis Sareptæ luculentiſſimo ſtylo Germanice editis Norimbergæ, anno 1562. in tertia concione, de ortu, incremento & decremento metallorum, parum quidem æquus Alchymiſtis, ſed tamen quæ viderat, fideliter commemorans: Alchymiſtæ, inquit, propoſitum ab ipſis traditum ad opus ſiue probam perducere non poſſunt, hoc verum eſt: nihilominus tamen experientia teſtatur, inquit, vbi venæ ſunt diuites, & mineræ vberes quod ſine ſulphure & argento viuo non ſunt. Hæc ille. Quæ nominatim regionibus & fodinis citatis probat, addens, in generatione & incremento metallorum oportere vt ſinamus adeſſe argentum viuum. Eadem documenta ſulphuris adducens multis locis teſtata, tandem concludit: His adducti ſignis minerarum periti cum iis ſentiunt, qui metalla ex argento viuo & ſulphure naſci docent: ſicut elegans diſtichon Philippi Melanchthonis in hac ipſa valle factum teſtatur, nempe:

Lactea vbi fumis hydrargyra mixta coquuntur
Sulphureis venæ ſemina prima noua.

Hæc Matheſius. Vbi iſta Philippus videns indigne à quibuſdam vmbratilibus Philoſophis & PſeudoMedicis flagellatur, quos ita ſcribere non pudet: Valeant ſomnia Melanchthonis, Titelm. & chymicorum, qui his adhærere videntur, qui dum ponunt Mercurium & ſulphur pro proxima metallorum materia, omnia confundunt. Vtrum ſomnia potius ſint, quæ

iſti

iſti ex cerebro ſuo comminiſcuntur, an quæ ſenſus & experientia Philippo demonſtrarunt, & teſtes oculati fatentur, iudicet æquus lector.

Refutata Ieſuitę ratione, de loco ortus metallici ad alteram è propriis conſequentibus accedamus. Metalla, inquit, proprietates ſulphuris & argenti viui non habent, ergo ex his non ſunt orta. Priuſquam de proprietatibus, & antecedente agamus, placet concluſionem reapſe euertere, & ipſo facto demonſtrare, metalla ex argento viuo conſtare, in quod reſoluuntur & ex quo componuntur. Duæ ſunt viæ apud Alchymiſtas, altera quæ dicitur humida, quæ fit per aquas & ſolutiones: altera, quæ dicitur ſicca, quæ fit per pulueres. Vtriuſque documentum edamus, quomodo metalla vel horæ ſpatio tam mollia, quàm dura in argentum viuum currens conuerti & reſolui queat. Prioris exemplum eſto in plumbo, quod limetur, vel raſile fiat, ſcalpro detritum: vel fuſum mox inter duas patellas ligneas (creta inductas) puluerifetur minute, qualis eſt arena plumbea fere clepſydrarum. Ad huius analyſin in ſua principia talis præparetur aqua. Recipe aquæ fortis purificatæ vncias duas, diſſolue in ea argenti viui communis vnciam vnam in ampulla vitrea probè obſtipata, leui carbonum igne ſuppoſito, donec in aquam limpidam abierit. Poſtea remoue à calore ignis, & aperto ore ſenſim inijce vnciam vnam plumbi raſilis vel puluerizati. Efferueſcit enim aqua ſponte, & tumultuatur, ſi ſimul omnia aut nimis ingeras. Inde iterum obtura orificium vitri, & aliquantiſper diſſoluere ſine aquam, mox videbis vulgare argentum viuum, quod prius in aqua fuerat diſſolutum, ſubſidere inſtar calcis & pulueris albi, plumbi vero ramenta oculis ſpectantibus, ſi agitentur, reſolui ſenſim in argentum viuum currens, adeo vt quandoque tres partes vnciæ ex plumbo ſint futuræ argentum viuum; quarta pars circiter (ſi rite omnia peracta fuerint) ſcoria & fex ſulphuris plumbi ſuperſtes. Quibus peractis, effunde aquam fortem in aliud vas vitreum: Reliquum argenti viui ex plumbo facti, exime & traiice per corium vel linteum cum chorda (vti moris eſt) compreſſum & conſtrictum; & videbis, quantum ex plumbo elicueris mercurii viui, & quantum reſtet fæcis terreæ & ſulphureæ. Calcem quoque albam ex diſſolutione argenti viui primo in aquam impoſiti ſubſidentem collige, quæ vel vlterius præcipitari poterit in puluerem rubeum per aquam fortem, vel reuiuificari in priſtinum argenti viui pondus, per ſublimationem & decoctionem, chalybis fruſto impoſito aquæ communi, vt rerum chymicarum peritis notum eſt. Ita ad oculum euidenter apparebit, quomodo plumbum in argentum viuum redeat, ex quo fuerat ab initio creatum, pondere etiam reſiduæ fecis id teſtante; quantum plumbi in hydrargyrum abierit, quod à communi nihil diſcrepat, niſi quod ſit liuidius paulò & ſegnius, prout cuiuſq; metalli natura peculiaris poſtulat: ſicut contra id quod ex ferro fit, omnium viuaciſſimum & agilimű eſt. Neque hic diſputo, cur vnus mercurius alterum reſoluat, vulgaris (inquam) in aquam tranſparentem reſolutus, eum qui ineſt plumbo eliciens, & viuum permittens; cum prior ex reſolutione in calcem totus ſubſidat. Hoc tantum animaduerti velim, diſtingui manifeſte duos hos mercurios, ne quis permiſceri putet, & proximum metalli eſſe viuum, alterum in aquam reſolutum remotiorem, quippe per quem ille metallicus elicitur, & non in aquam nubis, aut tranſparentem, ſed in hydrargyrum reſoluitur. Sunt & aliæ viæ reſoluendi plumbum in mercurium citra omnem mercurium, maxime per ſalia, plumbo prius calcinato: ſed quia momento fieri nequeunt, idcirco commemorandis his ſuperſedeo, ne aliquot dierum ſpecimen afferat lectori tædium.

Accedamus ad duriora metalla, quæ rebus ſiccis diſſoluemus. Deligamus chalybem, vtpote ferri depurati nucleũ. Huius limetur ſemuncia, & ponatur in crucibulo, ſuper imponatur ſemuncia ſalis armoniaci minutiſſime triti, cum vncia mercurij ſublimati (qui non cum arſenico, ſed cum ſalibus & vitriolo ſublimatus ſit) permiſti & prius piſti: mox crucibulum collocetur in medio leniter accenſarum prunarum, idque ſub camino, aut aere libero. Quamprimum calorem ſenſerit ſal armoniacum cum ſublimato incipiet ſublimari (cauendus autem eſt odor, propter mercurii venenoſitatem, ne imprudentius naribus excipiatur) paulo poſt incipiet ſal armoniacum cum ſublimato fundi & fluere, quoad tria vel quatuor momenta, peracto (viſu enim tuto percipitur ſub camino) ſtatim crucibulum auferatur, & ſponte refrigeſcat: poſtea ſuper patella diffractum monſtrabit chalybis limaturam maiore ex parte ſui in argentum viuum abiiſſe, quod patella vel vitro exceptum per linteum exigatur, vnde perſpicietur limpidiſſimum & ita viuacis naturæ vt in plano decurrens quaſi ſubſiliat, adeo igneæ naturæ eſt Mars ſiue chalybs. Quin ne in vaſe ligneo, ne ſenſim euolet pene vlla obſeruandi ratione conſeruari poteſt, ſed in ſolo vitro firmiter obſignato. Eſt tamen verum & naturale hydrargyron, omni proprietate hydrargyri conſtans. Sed apprime cauendum eſt, ne inter reſolutionem paulo largior mora intercedat. Statim enim ſubuolat, longeq; citius, quam aliud quoduis durorum aut mollium metallorum, ac etiam ſe immiſcet ſalis armoniaci & mercurii ſublimati maſſę. Quod ſi forte quis dubitet, viuum hunc mercurium ex ſublimato defluere, is ſi velit per alembicum in receptaculum exhalationem excipiat. & in phiala vitrea hæc eadem factitet, videbitq; ſublimati & armoniaci priſtinum pondus ſupereſſe, demtis fæcibus ferri, ſiue ſulphure terrenoſo chalybis, & inde producti hydrargyri. Sed & alia ratione probari poteſt ex ſublimato non defluere, nempe ſi loco limaturę, fruſtum chalybis immittas, facile experimento cognoſces, nihil ex mercurio ſublimato (qui tamen in aqua decoctus ſine ferro non facile reuiuificatur) mercurii viui relinqui, ac proinde ex chalybe limato, non autem ſublimato id hydrargyron fieri. Idem iudicium eſto de cupro & argento. Pari enim modo parantur, niſi quod paulo diutius fluere ſuperiectos pulueres oportreat, quam in chalybe reſoluto. Ac ex hydrargyro cupri (ſeparato iam ſulphure viridanti) pretioſiſſimum paratur Turbit minerale, cum oleo vitrioli & ſpiritu vini, quod ſaltem cum ſaccharo roſarum ſumtum in quantitate grani eximium & expertum eſt contra peſtem remedium, etiam poſt infectionem, & quidem citra omne periculum, pri-

uſquam elabantur 24. horæ, quod ipſemet cogente periculo, cum cætera omnia deficerent, in meis expertus ſum. Neq; curò, quod Suchtenus in tractatu quodam antimoniali, dirifſimum venenum pronunciat mixtum Marti, neſcio an vllo experimento edoctus, necne? Hoc enim meum certum eſt experimentum & hactenus innoxium. Sed medica non tractamus.

Diximus de mollibus & duris metallis. Aurum enim veluti medium eſt, & extremitatum centrum, ac proinde temperatum, in quo actiua non præualent paſſiuis, & contra, vbi alius modus ineundus eſt ſeparandi Mercurij ipſius per Mercurium. Argentum vero, ſoror auri, & veluti compar, pondere & colore deficiens, & inæquali complexione & fixionis infirmiore permanentia. In exceſſu vero dura ſunt cuprum & ferrum; in defectu vero mollia ſtannum & plumbum, quorum hoc mollitie reſpondet duriciei ferri è regione, ſtanni autem mollicies duriciei cupri. Sed eſt & aliud inſtar metalli, ſi non metallum, quod neque durum per ſe eſt, neque molle ſub mallei extenſione, ſed duntaxat friabile & fuſile, quale eſt antimonium, & quod ab eo degenerat Byſemutum (hydrargyron enim principium eſt metallorum, non metallum proprie.) Diſtinguuntur autem mineralia in maiora & minora. Maiora, quæ ex Mercurio & ſulphure originem ducunt: Minora, quæ Mercurio carent, vt ſales, alumina, ſulphur, &c. Antimoniũ igitur quoniam argento viuo & ſulphure conſtat, licet non in metallum duratum ſit, nec ductile: tamen & ipſum metallicum eſſe conuincitur. Huius regulus per aridas vini fæces halinitro calcinato factus perinde hydrargyron effundit, vt ferrum & cuprum, & argentum limata, ſi tritus eodem artificio per viam ſiccam, vt dictum eſt, reſoluatur in crucibulo, quemadmodum chalybs, quod tamen in plumbo limato non eadem ratione fieri compertum eſt.

Oſtendimus hactenus, vt metalla in Mercurium reſoluantur: ſubiiciamus quomodo ex Mercurio, beneficio ſulphuris metallici, metalla componantur, vt conſtet de eorum Geneſi quod in efformatione plumbi patebit. Fundatur plumbum in teſta, & reuerberetur agitando ſuper carbones, dum in calcem ſiue puluerem flaueſcentem abeat. Huic trito affunde aceti deſtillati tantum vt ſpitamam ſupereemineat, & ſimul permittantur ita triduum. Interea dulceſcet acetum per extractam animam Saturni. Limpidum quod fuerit, per inclinationem à calce effundatur. Huius aceti ſi aliquantum decoxeris (ſaltem crucibulum plenum) donec acetum totum euaporauerit (leniter autem id fiat propter impetuoſum tumorem aceti, ne ebulliens diſpereat effluendo) videbis in fundo reſidere inpalpabilem puluerem ſubcroceũ, qui eſt anima, ſulphur & eſſentia plumbi nullo pondere, ne forte plumbum ipſum corporale exiſtimes. Hoc ad oculum ſubieciſſe libuit, vt ſulphur extractum ex metallis, quod tamẽ ad aliquam fixationẽ peruenit, cerneretur. Reliquum aceti ſiue extractionẽ illã ex plumbo animã continentis ſerua & diſſolue in aquæ fortis cõmunis vncia ſemiunciam argenti viui (vt moris eſt) cui diſſoluto infunde ſenſim tantum reſeruati aceti (eius puta quod animæ plumbi extractionem in ſe habet) quantum eſt aquæ fortis, & videbis ſtatim Mercurium reſolutum inſtar pulueris reſidere, tracta in ſe anima Saturni. Effuſo igitur liquore, reſiduam illam materiam Mercurij in puluerem redacti in crucibulo per ſe funde, & habebis ex Mercurio plumbum verum, naturale, per artem factum, ita vt nemo negare poſſit metalla ex Mercurio & ſulphure gigni atq; effici, naturali ac vera Geneſi.

Sed tempus tandem eſt, poſtquam reipſa oſtendimus (vt quiuis experiri poteſt) metalla ex hydrargyro, contra vulgares Phyſicos & Philoſophos, proxime originem ducere: vt ad Ieſuitæ rationem, ex propriis conſequentibus ductam, reſpondeamus: quod quanquam opus nõ erat, quippe concluſione ipſo facto & demonſtratione, quoad ſenſum euerſa: tamen vt hominibus ſibi placentibus in ſuis argutiarum vanitatibus, ſatisfaciamus, non pigebit etiam hæc ſomnia breuib. diſcutere. Non habent, inquit, proprietates ſulphuris & argenti viui metalla. Cur obſecro? quia, inquit, ſulphure nihil ad flammam concipiendam aptius eſt: at metalla non ſunt φλογιστά. Ridicule, quia ſulphur in metallis ad aliquam fixationem peruenit, ita vt in imperfectis cum Mercurii cruditate ſulphur quidem euaporet, licet non ſit inflammabile, in perfectis autem penitus hydrargyron fixauit, vt nec euaporet, nec crematur. Quod quo melius intelligatur, ſciendum eſt, τὸ φλόγιστον eſſe quidem proprium omnis ſulphuris, adde & ſolius ſulphuris in omnibus rebus inſiti, at non ſemper ei eſt proprium.

Quippe fixari poteſt, idque perfecte vel imperfecte. Imperfecte fixum & materiæ immixtum non inceditur, tamen euaporat in igne: perfecte fixatum manet. Atque hinc metallorum in igne euaporantium vel permanentium perfectio, vel imperfectio maxime oritur. Huius rei documentum inſigne præbet Antimonium, nondum ad extenſionem mallei vſque fixum, ſed tantum friabile & fuſile. In eo enim ſulphur, quod congelauit argentum viuum in maſſam terrenoſam (extra reuerberationis artificium aio, quamdiu manet compoſitum) non inflammatur, ſed cum Mercurio euaporat in igne penitus, nempe ipſa ambo in maſſam natura ſimul coniuncta. At ſi ſulphur ex antimonio eliciatur per extractionem, tunc eſt ſicut ſulphur commune, & perinde ſicut illud φλογιστὸν. Non loquor de rubedine, quam Chymiſtæ extrahunt: ſed de vero naturali ſulphure ſubviridi. Id hoc argumento probabis. Rec. Aluminis & ſalis nitri ana, quantum ſufficit: fac aquam valentem, vel etiam communem aquam fortem ſume, vt moris eſt, cui ponderatæ immitte dimidium ſalis toſti: poſtea tere antimonium ſubtiliſſime, & immitte in pauxillum huius aquæ tantum Antimonij triti, vt ei ſupernatet aqua ad quatuor digitos: Senſim autem immitte, ne aqua efferueſcat inſolentius. Cum virorem aqua conceperit in phiala extracto ſulphure ſubtiliſſimo, ſtatim effunde, & aqua communi tepida immiſſa ſubſidebit ſulphur, veluti commune viride, quod ipſo facto probabis eſſe φλογιστὸν, & nihil à vulgari hac in re differre. Sunt & alii huius ſulphuris ſeparandi modi per viam ſiccam;

Nobis

Nobis humida ſequeſtraſſe ſatis eſt, ad id quod volumus conficiendum. Colligamus igitur argumentum & Ieſuiticam proprietatem ſulphuris euertamus. Si enim ſulphur in antimonio non eſt inflammabile (quod tamen nondum ductile eſt metallum, & à quo ſeparatum ardet) quanto minus in cæteris ſiue perfectis ſiue imperfectis metallis neceſſe eſt inflammationis proprietatem ſeruare, in quibus iam ad malleationis vſque fixationem peruenit? Prius eſt verum, vt experimento patet. Fundatur enim Antimonium ante follem, & euaporabit ſine inflammatione. Ergo & poſterius verum eſt: idque tanto magis, quanto ad maiorem fixationem in metallo, quàm in Antimonio ſulphur peruenit. Nam ſeparatum à metallis non amplius inflammatur propter aliquam fixationem, vt patet in plumbo, qua de re ante egimus. Eadem ratio eſt argenti viui, quod frigore non concreſcit, ſcilicet per ſe & ſolum. At cum in metallum cum ſulphure concreſcit & fundi poteſt, frigore congelaſcit, vt videre eſt in Geneſi plumbi ex Mercurio, & vel in Antimonio patet, in quo tamen fixionis permanentia nulla in metallum per extenſibilitatem facta eſt. Apparet igitur elumbia eſſe Ieſuitæ argumenta, & ad ſpeciem ſophiſticam ſolum compoſita, ac neſcio quid futilis, vel plane nihil ſolidæ rationis præ ſe ferre. Hoc & illi, & eius complici Pererio reſponſum eſto, qui in ſuis libris de communib. omnium rerum naturalium principiis & affectionibus ita ſcribit, lib. 8. cap. 19. Quidam, inquit, rerum metallicarum peritiſſimi, de quibus etiam ſubtiliter & accurate ſcripſerunt, affirmant, primum ac ſummum fundamentum, quo nititur & ſuſtentatur ars Alchymiæ, nullum eſſe: quo intelligere licet ipſam artem (ſi modo ars dicenda eſt, quæ in ſe nihil veri ac certi habet) inanem ac falſam eſſe. Etenim Alchymiſtæ putant, materiam omnium metallorum eſſe ſulphur & argentum viuum: quamobrem profitentur, ſe ex varia ſulphuris & argenti viui inuicem commixtorum temperatione, poſſe quodlibet metallum efficere, in quo ſane vehementer falluntur. Nam ſi ſulphur & argentum viuum eſt materia auri & argenti, ergo in venis, in quibus generatur aurum & argentum, apparebunt aliqua veſtigia ſulphuris & argenti viui: ſimiliter etiam in venis ſulphuris & argenti viui reperirentur aliqua indicia auri & argenti: Sed ipſi qui totam pene vitam curioſiſſime luſtrandis conſiderandiſque venis & locis metallorum conſumſerunt, nunquam tale aliquid reperire potuerunt. Quare falſa eſt opinio Alchymiſtarum, & aurum, quod ab ipſis fit ex ſulphure & argento viuo non eſt verum aurum. Non enim, vt dictum fuit, talis eſt materia veri & naturalis auri, &c. Hæc hypotheſis principiorum, quæ metalla componunt, vtrum à Ieſuita Pererio recte negetur, & proinde veri & naturalis auri effectio & generatio per chymiam explodatur, ſatis ſuperque iam oſtendiſſe putamus: Vnde non mirum eſt, eum præconceptis huiuſmodi falſis opinionibus faſcinari ignoratis principiis, & eundem in tota reliqua diſputatione, perinde, vt & Hagelio accidit, nihil ſolidi poſſe aſſerere. Sed pergamus ad reliquam telam pertexendam.

Altera aduerſus Chymiſtas ab Hagelio ſuſcipitur de metallorum diſtinctione defendenda opinio: qua ſpecie ac differentia eſſentiali ea vult diſtingui, ac proinde metalla in metalla non poſſe tranſmutari colligit. Tertia deinde directe contra chymiſtas intenditur, de mutua metallorum tranſmutatione, in qua nullam ſubſtantialem metallorum tranſmutationem arte fieri poſſe ſtatuit. Cui opinioni Pererius ſupra citato loco quartam adiicit, nempe nullam per artem non modo tranſmutationem fieri, ſed nec de integro effectionem ſiue productionem veri auri naturalis eſſe, quibus explicatis & diſcuſſis, Diſquiſitionis noſtræ finem faciemus.

Quod igitur ad diſtinctionem metallorum attinet, cum omnia pariter ex ſulphure & hydrargyro concreuerint, vt demonſtratum eſt, & ipſo facto deprehendimus, ea ſolum quoad hydrargyron purius vel impurius, & quoad ſulphur fixum vel cremabile differre, iuxta diuerſam cõtemperationem eorum per ſal ſiue terram metallicam concurrentem cum ſulphure, non quidem eorum opinionem improbare poſſumus, qui negant eſſentifica differentiã ſpeciali metalla differre, ſed tantum ratione accidentium diuerſorum in mineris ſuperuenientium, quæ diuerſa metalla faciunt: ſed tamen dicis cauſa ſupponamus ea differre ſpeciali forma, nunquid vna forma corrupta alteram inducere ars nequit? nempe ſi ſubſternatur materia formam appetens, & impulſu cauſæ efficientis naturalis, ac debitis adminiculis in actum prorumpens?

Sed de his poſtea. Non enim ſpecies in ſpecies mutari dicimus velut argenteitatem in aureitatem, ſed indiuidua ſpecierum corruptioni & generationi metallicæ obnoxia & mutabilia. Videamus vero, quomodo Ieſuita ſuam ſententiam tueatur. Communis, inquit, multorum eſt opinio, ſolum aurum inter metalla perfectam ſpeciem habere, cætera omnia eſſe quaſi quædam rudimenta & initia auri tantum, ac proinde inter metalla aliud diſcrimen non eſſe, quam inter perfectum & imperfectum in eadem ſpecie: Verum cõtra hanc opinionem ſic agere poſſumus. Ferrum non eſt mixtum imperfectum, quale eſt nix & cætera, quæ ἐν τῷ μετεώρῳ fiunt. Quis enim credat? Ergo eſt mixtum perfectum. Egregia ſane ratio, ſi hoc eſt ratiocinari, præſertim in Philoſophia & ſcientia naturali. Quis enim credat? inquit: An non principium his aperte poſtulat, & mixtum eſſe perfectum colligit, quia ipſe cum ſuis non credit, quod ſit imperfectum? At cum ſæpe ferro pluiſſe legatur, ſane quę in μετεώρῳ fiunt, longe ſimilius eſt, ferrum & reliqua metalla imitari, quam ſecus. Itaque quod addit, idem licebit dicere de auro, argento & cæteris: tantundem ponderis habet, quantum prior ratio habuit. Reliqua argumenta, vt & alterius cuiuſdam, qui ex ſuppoſitione terminorum Logicorum arguit, metalla differre ſpecie, non tenent, niſi addicantur propriis principiis naturalibus. Etſi enim de indiuiduo hoc plumbo prædicetur plumbum in ſpecie, & de ſpecie hac metallum in genere: tamen iſta diſtinctionis cauſa dici poſſunt, ex vſu loquentium, non rei natura.

Sed pergit Ieſuita. Et, vel vnica metallorum ſubſtantia eſt, inquit, & qualitates diuerſę: vel

non eſt vnica ſubſtantia. Si vnica eſt ſubſtantia, tum veræ erunt illæ, plumbum eſt aurum, & vice verſa, aurum eſt plumbum. Tum quoque non erit difficile ex plumbo aurum conficere, cum non ſit difficile, qualitates, quæ à nulla peculiari forma cohibentur, à plumbo tollere, & quæ auri ſunt, inducere. Et tamen hactenus nullus omnino repertus eſt, quem aurum omni ex parte probatum confeciſſe liquido conſtet. Ex quo conficit non eſſe metallorum vnicam ſubſtantiam. Reſpondemus ſatis patuiſſe ex ſubſtantia hydrargyri ſupra adductis experimentis omnia metalla conſtare, & penes ſulphuris fixi vel non fixi differentiam, & diuerſam contemperationem, vel imperfecta & igne cremabilia, vel perfecta & fixa eſſe. Proinde cum ad oculum iſta pateant, non eſt opus de his conquiſitis ratiunculis contendere. Porro hæ propoſitiones ſi vulgus ſpectes, paradoxis ſimiles ſunt: plumbum eſt aurum. At ſi naturam intrinſecus ſpectes, non ita erunt abſurdæ. Vnde chymiſtis plumbum dicitur aurum leproſum: item interiora argenti ſunt aurum: & ſimiles propoſitiones recte intellectæ, ex natura rerum, non vulgi loquela & opinione.

Vnde etiam facilis eſt qualitatum purgatio, & aurificæ formę, miniſterio artis, introductio per principium metallicum fixum, quod imperfectum tollit, & materiam perficit. At nemo hactenus repertus eſt, inquit, quem confeciſſe aurum ex omni parte probatum liquido conſtet. Nimirum huc omnia redeunt denique, vt his apiſtis re ipſa demonſtremus, cōtra inanes argutias philoſophantium, metallorum tranſmutationem in aurum poſſibilem eſſe, itemque verum aurum naturale ex principiis metallicis produci, quod deinceps præſtabimus. Nam quod nullus hactenus repertus ſit (vt ait Ieſuita) quem aurum omni ex parte probatum confeciſſe liquido conſtet, non eſt cur refutemus, præſertim cum de Arnoldo Villanouano ſcribat Ioh. Andr. in addit. ad Speculat. de crimine falſi. Noſtris diebus habuimus Arnoldum de Villanoua, in curia Romana ſummum Medicum & Theologum, de quo ſcripſi de obſeru. ieiun. conſilium, qui & magnus Alchymiſta, virgulas auri, quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti. En exemplum! Sed hac de re extant ipſius Arnoldi libri, qui teſtantur, ex plumbo factum eſſe aurum. Poſſem adducere teſtimonia clariſſimorum & fide omni digniſſimorum virorum, qui hæc ſuis viderunt oculis, & manibus palparunt, ac non ita pridem cum vna tincturæ parte, tria millia quingenta octuaginta quatuor pondera plumbi in aurum verſa ſunt, cuius portio etiamnum Baſileæ aſſeruatur. Sed nolumus inartificialibus argumentis agere: ſed ad erudititiſſimi nobilis Eualdi Hohenlandij hiſtoriam tranſmutationis metallicæ lectores remittimus, pro defenſione chymiæ ſuper his experimentis. Ingerunt tamen hoc loco ſeſe Medici, neque vllum è doctioribus chymiæ aſſenſum pręſtitiſſe, audacter aſſeuerant. Sed quid Fernelius de abditis rerum cauſis de Elyxiri Arabum, & de tota hac re ſtatuat lib. 2. cap. 13. & Marſilius Ficinus (duo quouis Hercule ſuperiores) libro ſecundo de vita Cæl. Re. cap. 3. ante oculos omnium & in ore doctorum verſatur, quos refutare nimis temerarium eſt, vt Comitem Mirandulanum ſilentio prætercam, atque alios.

Nos vero tranſmutationem metallorum poſſibilem & naturalem eſſe, experimento naturæ & artis probabimus, ſi ad illud prius reſponderimus, quod nonnulli ſpecies rerum perfectiores negant fieri, niſi vno modo, hoc eſt, ab agente naturali, eo quod generationes huiuſmodi rerum determinatæ ſint, tam ſecundum actiuum principium & materiam, quam ſecundum locum, in quo fiunt. Id hactenus admitti poteſt (vt recte Petrus Bonus Ferrarienſis annotat) quatenus ad artem eadem naturæ proxima principia ſunt adhibenda, quæ ſunt penes ipſam naturam. Nam ſi alia vel ſimilia adhiberentur, non idem cum naturali auro produceretur, ſed diuerſum vel ſimile. Non loquimur de operibus ſophiſticis dealbationum vel rubificatorum in colore: ſed de eo, quod in ipſa metallorum natura & eſſentia eſt, in definitione vniuoca, ſi metalla ſpecie differant, & omnia criteria, & omnes proprietates auri, argenti, æris, &c. ſuſtinet: Vnde Paracelſus aperte in libro de vexatione Alchymiſtarum, veram Alchymiam non conſtare niſi de metallis, ex metallis, per metalla & cum metallis teſtatur.

Sed quod ad locum attinet & generationis media, res aliter ſe habet, vt ex 9. Metaph. Ariſt. conſtat, qui fatetur ex agente & materia ſimilibus, operationes ſemper ſimiles eſſe, quamuis media ſint diuerſa, vt & ante nos alii demonſtrarunt.

Nam iſta & materia duo ſunt, maxime cum habeamus æquipollentia vaſa & media ad eundem iſtum finem.

Hæc quo melius intelligantur, placet ex Pererio ipſo ſententiam Alberti Magni deſcribere, idem teſtantis. Sic igitur Pererius Ieſuita lib. 8. cap. 20. Albertus, inquit, in libro ſuo trigeſimo de mineralibus capite nono hanc de facultate Alchymiæ quæſtionem pertractans, primum exponit ſententiam Auicennæ, quæ fuit hæc: Sciant (inquit Auicenna) artifices Alchymiæ ſpecies metallorum permutari non poſſe, quamuis aliquid illis ſimile fieri poſſit. Quod enim differentia ſpecifica aliquo tollatur ingenio, non credo poſſibile; ſed expoliatio accidentium non eſt impoſſibilis, vel ſaltem diminutio eorum. Non enim permutantur ſpecies metallorum, niſi prius in primam materiam metallicam reducantur, & ſic iuuamine artis deducantur in ſpeciem metalli, quod volueris. Atque idem quoque ſenſiſſe ait, Haſtem Philoſophum præcipuum in Phyſicis & Mathematicis. Deinde Albertus ſubiungit ea quæ ſequuntur.

Oportet nos dicere Alchymicos peritos non aliter operari, quam peritos Medicos, qui per medicinas purgatiuas purgant materias corruptas & nocentes ſanitati, & poſtea per media confortantia naturam, iuuant virtutem naturalem, vt digerendo ſanitatem inducant, quæ ſanitas eſt effectus & naturæ & artis: ſed illius effectiue & principaliter, huius autem inſtrumentaliter & organice.

Sic Alchymiſtæ primo bene purgantes materiam argenti viui & ſulphuris, inſitam in omnibus metallis confortant: deinde deducunt virtutes elementares & cœleſtes tali materiæ inhærentes, ad proportionem mixtionis metalli, quod intendunt inducere, & tunc ipſa natura operatur & non ars, niſi organice iuuando & exſpoliando, vt diximus & ſic verum aurum & argentum educere & facere videntur. Quod enim virtutes elementares & cœleſtes faciunt in vaſis naturalibus, hoc etiam faciunt in vaſis artificialibus, ſi artificialia formentur ad modum naturalium: & quod facit natura calore ſolis & ſtellarum, hoc faciet ars calore ignis: dummodo ſic temperetur, vt non excedat virtutem ſe mouentem & informantem, quæ eſt in metallis. Huic enim cœleſtis ineſt virtus, quæ primo commiſcuit eam, & hæc inclinatur ad hoc vel illud, per artis iuuamen. Alchymia igitur per hunc modum procedit, id eſt, corrumpens vnum à ſua ſpecie remouendo, & cum iuuamine eorum, quæ in materia ſunt, alterius ſpeciem inducendo. Quare omnium operationum Alchymicarum melior eſt illa, quæ procedit ex iiſdem, ex quibus procedit natura, ſicut expurgatione ſulphuris per decoctionem & ſublimationem, & expurgationem argenti viui, horumq; bona permixtione cum materia metalli. In his enim, & ex virtutibus horum, omnis ſpecies metalli inducitur. Qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant, manente ſpecie prioris metalli in materia, proculdubio deceptores ſunt, & verum aurum atque argentum non faciunt: & hoc modo fere omnes vel in toto vel in parte procedunt. Propter quod ego experiri feci aurum Alchymicum (puta manente ſpecie prioris metalli) quod ad me delatum eſt, & poſtquam ſex vel ſeptem ignes ſuſtinuit, tandem amplius ignitum cõſumitur & perditur, & quaſi ad fæcem reuertitur. Hæc Albertus, quibus Pererius addit: Ecce ſupradictis verbis Albertus non ſolum docet, verum aurum poſſe fieri per Alchymiam, ſed etiam quis modus eius ſic efficiendi ſit poſſibilis, & quis impoſſibilis, manifeſte declarat: Sed inquam ego: An non hoc ipſimet Pererio attendendum erat & prius experiendum, quam exagitandum, ſi vera Albertum dicere fatetur? Sed tempus eſt, promiſſa exſoluendi, antequam ad obiecta reliqua reſpondeamus.

Quod igitur ad metallorum transformationem attinet, ſcribit Iohannes Matheſius vir experientiſſimus hac in re idem, quod Paracelſus de ferro & chalybe in cuprum tranſmutato, tum per naturam, tum per artem. Sic enim habet conc. 3. Quod in fonte Cypſenſi ex ferro fiat cuprum, certum eſt (en opus naturæ.) Item, quod artifices ſciant minerale lixiuium fundere, in quo ferrum itidem abit in cuprum in monte Kuticenſi, probatum eſt. (En opus artis!)

Sed nos aliorum inuenta nolumus referre: tantum hic apparet, Matheſium, Chymiſtarum maximum aduerſarium eo loco, vbi eos oppugnat, non poſſe reticere metallorum tranſmutationem eſſentialem (ſiquidem ſpecie differunt) poſſibilem eſſe & naturæ & arti. Neque hic diſputamus de modis efficiendi cuprum ex ferro, quos docet Paracelſus, quos non per ſe fieri putamus, ſiquidem cum vitriolo fiunt. Vnum afferimus noſtræ Mineruæ & noſtrę effectionis, vbi ex ferro vitriolum, ex hoc rurſum cuprum generatur, beneficio naturæ & miniſterio artis per ſulphur commune. Sumatur vncia olei ſulphuris per campanam facti, vti moris eſt, licet non rectificati, cui immiſceantur vnciæ duæ aquæ fontanæ.

Mox chalybis ſiue ferri laminas tenuiſſimas ignias, & multoties reſtinguas in vaſe pleno aquæ frigidæ, donec ita indurentur, vt nullo negocio forcipibus diſcerpi queant, quas in modum vnguiculi lancina, & ſiccas impone mixtioni aquæ & olei ſulphuris in phiala, quam obſtipatam colloca in vaſe repleto cineribus, ſub quo ignem carbonum tantiſper excitabis, vt bulliat leniſſime ad horas ſex: mox infrigidari ſponte permitte, & inuenies ſuperne in vaſe refrigerato generatum vitriolum ſplendens, viride, optimum. Hoc in aqua communi diſſolutum bulliat, donec ſuperne cuticulam contrahat, mox aquæ impone laminas nitidas & recentes chalybis, & paruo momento adhærebunt eis nitellæ æris, quas collectas funde & habebis cuprum naturale, ductile & fuſile ad omnem æris proprietatem. Hoc vnico experimento diſſlantur omnes rationes Ariſtotelicorum, quomodo pars chalybis poſſit retro meare in vitriolum, & iterum ex vitriolo reduci in cuprum, atque ita vere per artis miniſterium beneficio naturæ generari, nec tãtum tranſmutari metallum.

Aliud breuius experimentum appono. Calcinetur limatura ferri cum tãtundem triti ſulphuris, & reuerberetur agitando ſuper teſta, donec ſulphur comburatur, reſiduum in aquam feruentem ita candefactum immitte, & impone laminas puras chalybis, & adhærebit eis cuprum in forma mucillaginis, quod deterſum fundatur, & erit naturale cuprum. Hoc, ait Paracelſus, minus eſt quam ferrum aut cuprum tranſmutare in aurum, quod Deus vulgo nondum voluit innoteſcere omnibus: ſed quicquid ſit, abunde ſophiſtarum cauillos euertit.

Procedamus vero ad argenti tranſmutationem in aurum naturale & omni ſpecillo probatum, iuxta omnes proprietates auri. Ita tamen procedamus, vt poſſibilitatem duntaxat artis & naturæ aliquam oſtendamus, non vtilitatem. Nam indigni ſunt, vt amplius aliquid conſequantur, qui iſta impugnant, quippe cum nemo ad proprium commodum, vt aiunt Iuriſperiti, ſit cogendus. Paracelſus cum hac de re contra Ariſtotelicos ageret lib. 1. Mineral. cap. 7. de ſulphure, paulo poſt principium inquit; Sciendum, quod (niſi Deus impediat) in ſulphure negocium mirabile ineſt, ac ita excellens, vt lumen naturale hominis obſtupeſcat, aut ſi Deus nõn impedit, error eſt penes artifices, qui ſulphur tractant, quod facile fieri poteſt. Sed vt vt ſit, ea vis & facultas in ſulphure ineſt, vt nemo peritus eam exhaurire poſſit, talis quoque virtus, vt cuiuis admirationi ſit. Confundit enim (inquit) Ariſtotelem, qui dicit, ſpecies non poſſe tranſmutari. Sulphur tranſmutat. Si vecors Ariſtoteles adhuc viueret, eum ex ſtulto inſanum redderet, pluſquam ab vlla fœmina eſt victus.

Hæc Paracelſus. Sed non oſtendit, qua ratione hæc tranſmutatio fieri debeat, niſi quod agens de ſulphure minerali docet ex eo cum oleo lini epaticam conficere, qua recte deſtillata & rectificata (modum eius docet ſecundo libro Archidoxorum) imponatur in eius oleum rubeum quoduis argentum, & permittatur ad deſtinatum temporis terminum vſque, ita fiet, vt nigreſcat, & calcem auri profundat, nempe in aqua forti, ſed nondum eſt fixum aurum, ſed volatile, inquit: quod ſi autem perfectum terminum ſuum aſſequatur, omnia, inquit, efficit, quæ efficienda ſunt, de quo non eſt ex vſu plura diſſerere. Hæc Paracelſus. Plura de ſulphure fixo in libello de mortificatione rerum, eiuſque metamorphoſi extant. Sed nos miſſo Theophraſteo proceſſu, monſtrare volumus, quomodo vel crudum ſulphur commune tranſmutet & verum aurum naturale progignat. Recipe ergo partem vnam plumbi, quod liqueſcat in crucibulo ſuper carbonibus accenſis, poſtea cum pyrolabe exime crucibulum, & priuſquam plumbum congeleſcat, immitte tantundem mercurij crudi ac viui, & leniter agita bacillo. Habeas deinde ſulphuris communis partem item vnam, quod fluat in alio crucibulo, cui fuſo iniice fruſtulatim ſuperius malagma coagulatum ac agito ſpatula, & caue ne ſulphur flammam concipiat aut aduratur, priuſquam omnia inieceris. Inde ſponte refrigeratum tere ſuper marmore vel ſaxo, & iterum crucibulo impoſitum fundatur, donec comburatur ſulphur, & materia impoſita tantiſper fluat, vt in virgam effundi poſſit metallicam, ſimilem antimonio fuſo & friabilem. Huius triti recipe partem vnam, & argenti laminati vnam, & fac ſtratum ſuper ſtratum in crucibulo, & deſuper minutim piſtum vitrum venetum imponatur, ad ſpiſſitudinem digiti, nec nimium repleatur vas, ne vitrum effluat: ita per horæ ſpatium continue fundantur omnia igne intenſo, vt vitrum & reliqua ſint in fluxu continuo. Poſtea permitte infrigidari, & diffracto crucibulo exime regulum in fundo, & compone cineritium, cui imponatur plumbum de more, donec intenſe currat, inde emitte regulum, & fulmina more aurifabrorum, donec argentum mundum ſubiaceat. Id laminatum vel granulatum mox in aquam fortem immiſſum & diſſolutum, nitellas auri profundet, quæ pulueris nigri inſtar ad fundum ſubſidebunt, quas elotas aqua tepida in crucibulo ignias & fundas, & habebis micas auri veri naturalis, puri puti, omnes proprietates, & examina auri naturalis tam in Medicina, quam in reliquo vſu ſuſtinentes. Etſi autem non docemus totum argentum in aurum tranſmutare, ſed portiunculam duntaxat leuiſſimam & minimam, tamen quia omnes partes argenti ſunt homogeneæ & ſimilares, etiam micam argenti ſatis eſt in aurum verum naturale tranſire, ad tranſmutationem metallicam oculis demonſtrandam.

Ne quis autem putet, antea infuſum forte & admixtum argento plumboue aut Mercurio fuiſſe aurum, aut in ipſo hæſiſſe ſulphure, ſingula prius ſeorſim, ſi libet, per ignis & aquarum fortiũ criteria examinabit, quo certius ſciat non aliunde, quam ex tranſmutatione aurum hoc exiſtere, per artis experimentum. Poſſemus & alia addere experimenta haud paulo momenti maioris, præſertim ex ſulphure Veneris fixo, ſed nihil eſt opus helluonibus auri hæc gratificari, cum veritati mica ſat eſſe queat. Quæ commemoramus, vt principia naturalia metallorum proxima particulariter cognoſcenda tradamus, & Iuriſconſultos in recepta ſententia confirmemus & conſtabiliamus, qui contra Angelum chymiam defendunt: quo quidem ablegamus & principatus & Reſpublicas ſuper hoc negocio vel dubitantes, vel minus recte ſentientes.

Poſtquam igitur promiſſa adimpleuimus (vt ipſo facto experiri eſt) reliquum eſt, vt ad inanes obiectiones breuiter reſpondeamus tam Hagelij & Pererij, quam eorum, qui nos potentiam Dei attentare fruſtra clamitant, cum nihil hic contra naturam, nec contra eſſentialia metallorum principia tractemus, & proinde ordini creationis nullo modo aduerſemur. Illud tamen præmittimus, Deum opus quamuis naturale poſſe deſtruere & impedire, non minus ac ſationem vegetabilium, & generationem animalium: id quod & Medici in ſuis pharmacis ſæpe experiuntur, natura non ſemper operante, ſed interdum à ſuperiori cauſa repreſſa. Quinimo vim omnem creſcendi ei ſoli tribuimus, qui dixit FIAT, ſine cuius benedictione omnia ad nihilum rediguntur. Atque haud ſcio, an & iſtud eodem referendum ſit, quod Hagelius de virgula bifurcata indagatrice metallorum attingit, non omnibus ſcilicet mobili. Nam omni vitio rem carere, ex vſu oſtendemus. Cædatur virga bifurcata horna, id eſt, vnius anni, ex corylo vel quercu, cuius cornua ſint æqualia & ſine vitio.

Quidam tamen eandem putant ante ſolis exortum maxime creſcente luna & quidem potiſſimum circa diem Annunciationis Mariæ cædendam: ſed nos nihil horum obſeruauimus. Hoc facto ſumantur duæ furculæ in vtramque obuerſam manum, cælum verſus digitis compreſſis, vtrinque videlicet extremitatibus flagellorum furcæ ad vtrumque compreſſum pollicem extra manum prominentibus: Ipſe autem furcæ caudex extrinſecus intra duas manus vergat. Quod ſi quis argenteos globulos thoraci præfixos geſter, etiamſi omni nixu comprimat virgam vtraque manu, tamen gyrum mouendo per ſe faciet, & verſus thoracem ſeſe introrſum vſque ad globos cæſa illa caudicis pars verret: Sin vero omni metallo exutus argentum, aut aurum ponas in terram tunc etiam renitente & inuito te, qui tenes virgam, pars caudicis cæſa extorſum verget, donec validiſſimo indicio & motu metallum percutiat. Quæ ſit huius rei ratio, phyſicos latet: adeo miranda eſt naturæ ſympathia: tamen & ipſe verum eſſe reipſa expertus ſum, & in aliis identidem vidi. Quod ſi non cuiuis mouetur in manu (vt Hagelius ait) ſane in Dei potentia & hoc reſeruari quis non videt? Sed iam ad vmbilicum noſtram Diſquiſitionem perducamus. Quæ enim Hagelius præterea affert argumenta, nullius ponderis ſunt, nec valoris. Primum concedit ab iiſdem cauſis produci, & eaſdem operationes tantum ſecundum maius & minus differentes habere metalla. At ſi proprietates ſequuntur naturã, multo magis hę conuincunt, metalla proprie & conſtitutiue non differre,

ferre, tantum abeſt, vt ipſi patrocinentur, qui vult differre ea ſpecie per eſſentialem differentiam. Nam quod de lapidibus excipit, non eadem eſt proxima eſſentia eorum : Non enim ex Mercurio viuo originem proxime ducunt. Quę autem de elementis adfert, magis imperfectam mixtionem arguunt ὡς ἐν τῷ μεταίχμῳ. Quod autem addit : Natura nec vult, nec poteſt cætera metalla in aurum tranſmutare. Non vult : tum quia nunquam id fecit: tum quia propter certos ac neceſſarios vſus omnia ac ſingula produxit, quos ex ſubſtantiali immutatione omnino amitti neceſſe eſt.

Reſpondeo, me agnoſcere non Naturam, ſed Deum naturæ moderatorem proſpexiſſe vſibus humanis diuerſitate metallorum, ac proinde non omne metallum in aurum terminari, ſed ex ſulphuris fixi & volatilis diuerſitate cum Mercurio puto vel impuriore, & bona mixtione diuerſa produci metalla, quatenus à temperato abſunt, alia per impuritatis duritiem cremabilem alia per mollitiem euaporabilem: ſed ſi accidentia iſta ſeparentur, non magis tranſmutationi ſeruiunt, ac vſibus medicinalibus. Nec tamen metalla ex immutatione omnino amitti neceſſe eſt. Etenim auro prę ferro ad certos vſus comparato nemo vti poteſt. Proinde non eſt metuendum abolitioni eorum per artem. Quid? quod Theophraſtus idem operis eſſe & laboris fatetur, ſi quis meliora metalla velit mutare in viliora; adeo nihil attinet horum abolitioni timere. Quod autem naturam nunquam feciſſe aic, tantum abeſt, vt etiam Scarabæum halitus auro correptum tranſmutarit; qualia multa miranda in mineris reperiuntur, niſi quis dicat occupatum illum halitum auri abolitione & exuſtione ſcarabæi externam eius figuram induiſſe, cui libens adſtipulor. Sed quis in hiatus naturæ deſcendit, aut quis ita lynceus eſt, qui naturam hoc nunquã feciſſe dicat?

Certe Petrus Bonus contrarium probat, & plumbum omne granum argenti natura continet, & ſtannum modica præparatione granum argenti poſt ſe relinquit; quæ ſunt naturalis inclinationis indicia manifeſta. Non poſſe autem naturam metalla tranſmutare per calorem & frigus fruſtra impetit, vt iam ante de ferro in cuprum per naturam mutato viſum eſt. Hæc eadem argumenta in quæſtione de mutua metallorum tranſmutatione idem odioſe repetit, cum negat ſubſtantialem metallorum tranſmutationem his interrogariunculis, theſi 88. An quia generatio eſt opus ſolius naturæ? An quia quod natura non ſolet, ab arte fieri non poteſt? An quia nihil fruſtra fit in natura? Item theſi 89. Præterea (inquit) metallum in metallo nec actu, nec virtute continetur. Sed quam hæc omnia ſint falſa & futilia per hydrargyron ex metallo elicitum apparet, & per plumbi ex Mercurio conſtructionem, cæteraque ſuperius patefacta. At horum corruptio, inquit, fit in deterius: quod verum eſt: ſed Chymicus non corrumpit tantum, ſed generat etiam per media naturæ conſentanea, miniſterio artis. Quod autem aurum, quod facit Alchymia, non ſit frigore conſtitutum, vt pyrotechnia docet, ſane dicimus frigus non eſſe proprie rerum generatiuum, ſed potius calorem. At metalla igni exemta frigore conſiſtunt, id quod & Chymico auro non minus conuenit, vt ipſa fuſio docet, atque idem naturali auro competit, quod vſu facile perdiſces.

Supereſt vna quæſtio, partim Phyſica, partim Theologica, an aurum per artem productum, ſit verum naturale, & omnes proprietates auri naturalis tam in Medicina, quam in cæteris rebus retineat, & ſi hoc non, an ſit illicitum, & ordini creationis contrarium. Negatiuum tuetur Pererius capite decimonono ſupra citato loco: Aurum, inquit, quod fit ab Alchymiſtis, licet ſimillimum videatur vero auro, falſum tamen eſſe multis modis cognoſci & iudicari poteſt; nempe vel ex pondere, vel ex eo, quia non ſuſtinet vim ignis, vel ex eo, quia iniectum in vrinam amittit colorem ſuum, vel quia non eſt ductile in tenuiſſimas laminas: vel denique quia non habet naturalis auri proprietates, quarum inprimis illa commendatur, confortandi cor humanum. Hæc Peretius. At meminiſſe debebat ex verbis Alberti ab ipſo productis, aliud eſſe aurum & argentum (æquiuoce ſic dictum) eorum, qui per alba albificant, & per citrina citrinant, qui proculdubio deceptores ſunt : aliud eorum, qui ex iiſdem procedunt, ex quibus procedit natura, præſertim cum ipſemet ſubſcribat, Albertum manifeſte declarare, quis modus veri auri efficiendi ſit poſſibilis, quis impoſſibilis. Sed in magno opere dormitare per nos quidem Pererio licet, præſertim cum eius ex Philoſophia depromtum iudicium multo ſit ſanius & æquius, quam Hagelii, etſi procul dubio ad Pererium reſpexit Hagelius, cum theſi octuageſima quarta ſcribit: Vltimo non deſunt, qui aurum quidem vlla arte hactenus factum negent (hæc enim eſt Pererianæ deciſionis ſumma) ſed tamen quin abſolute artificio fieri poſſit, non inficiantur: & tamen idem Hagelius contra complicem Pererium ſtatuere & decidere non erubeſcit, hoc fieri nullo modo poſſe. Tale eſt ingenium omnium linguæ, quam naturæ ſtudioſiorum.

Reſpondemus igitur ad Pererij aurum Alchymiſticum, omnia quæ dicit eſſe vera, ſi eadem de ſophiſticato auro & argento intelligat, hoc eſt, de albificationibus & rubificationibus duntaxat in colore, manente in eodem eſſentiæ ſtatu ſulphure & argento viuo prioris metalli. Et tale apparens & ſophiſticum aurum maxime eſt venenum, & peccatum tale vendere propter arſenicales & narcoticas qualitates in medicina: quod qualecunque eſt, ignitum cõſumitur & perditur tandem imo quaſi ad fæcem reuertitur, poſt iuſta criteria & examina ignis, quale fuit aurum ab Alberto ſexies vel ſepties probatum. Apparet autem ex Pererii indiciis eum per nebulam de auri examinibus loqui, cui opponimus indicia ſeueriſſima à Gebro & Petro Bono Ferrarienſi, Phyſico & Chymico in eorum operibus præſcripta, & quæcunque prętera ad veri auri naturalis proprietates examinandas adhiberi debent, vt ſunt ignitio, fuſio, ſub malleo per omnem dimenſionem extenſio, cineritium, expoſitio ſuper vapores acutos, extinctio, cementum, cõmixtio rei adurentis

poſt

poſt calcinationem reductio, ſuſceptio argenti viui facilis vel difficilis, &c. Si igitur ad omne ſpecillum probatum aurum fiat, nec vt ſophiſticatum perdatur: ſed ſubſtet, habens omnes proprietates auri naturalis, omnes operationes & paſſiones (quale noſtrum eſſe dicimus) non ſimile, ſed idem cum naturali erit, quicquid deliret cum Ægidio Peretius. Nam quod de ſerpentibus & dracunculis à Magis & Moſe factum affertur, illorum fuit diabolicæ illuſionis huius à diuina virtute Nos vero neutrum præſumimus, nec tale quid attentamus, ſed vires naturales duntaxat ſequimur. Iam quod de muribus ex putredine natis ac differentibus ſpecie à muribus generatis per ſemen obiicitur, vnde inferunt: Sic aurum chymicum differre à naturali, licet proprietates auri naturalis habeat, prorſus eſt alienum. Siquidem ex aliis principiis, quam naturalibus, metallorum vera ars chymiæ non procedit, nec quicquam aliud vſurpat, quam quod natura generauit ac generat, adhibita mixtione & debita præparatione. Itaque vt diuerſæ materiæ ſuppoſitio ſit in muribus, in metallificio nulla eſt. Quod vero nonnulli eo vſque procedunt, vt ſi omnes quidem proprietates auri naturalis contineat id, quod fit per chymiam, tamen iſtud recipere nolint, quis non videt dimittendos eſſe tales, ac bonam eis mentem precandam? Quodcunque enim principia eſſentialia eadem habet, & paſſiones atque operationes alicuius rei, id idem eſt cum ea re, vt teſtatur de formis agens, Ariſtoteles. Sic enim 4. Metaph. arguit ex operibus rerum & accidentibus ſuper ipſas formas: Quod enim facit operationes oculi, eſt oculus, quod vero non, non eſt oculus. Itaque oculus lapideus vel cæcus, quia non facit operationes oculi, non dicitur oculus, ſed imago oculi: & ſerra lignea, non dicitur ſerra, ſed imago ſerræ. Idem teſtatur totum naturæ lumen. At ſophiſticationes fateor, non habent tales proprietates: verum autem aurum chymica operatione, ex veris principiis & eſſentialiter metalla componentibus productum, continet omnes proprietates auri, vt experimento patet. Itaque ſi quid aurum ad medicinam facit (puta crudum) etiam hoc aurum chymicum præſtabit, puta lętificare & confortare cor, & multo magis hoc, vt teſtatur chymicus Plato in 3. ſtellicarum, & Hamech in commento ibidem, & ſimiliter Haly in ſuis ſecretis. Itemque chymicus Ariſtoteles in ſuo libro de ſecreto ſecretorum, & lapidibus pretioſis: licet ſophiſticatum aurum chymicum faciat contrarium, de quo ſupra dictum eſt. Itaque verum ab Alchymiſtico auro fucato & duntaxat alterato & adulterato, eſt diſcernendum. Nec libet ſophiſticationum ponere documenta, qualia leguntur apud Albertum Brunum in tractatu augment. & diminut. & in correctorio Richardi Anglici, ac denique in libris de ſubtilit. Cardani (ſi hæc eſt ſubtilitas) & paſſim apud alios, partim albificationis, partim rubificationis, hoc eſt, adulterini auri & argenti colorem tantum præferentium. Ex principiis autem & criteriis proprietatum omnium in vero chymico auro licet colligere, nihil contra ordinem creationis à nobis attentari, quia aurum noſtrum eſt naturale ac verum beneficio ſolius naturæ per miniſterium artis productum, ideoq; nec ex ſuppoſitione diaboli occulte additum, vt vult Ægidius & Angelus, duo ſoli ex Iureconſultis artem chymicam fruſtra impetentes, & poſt hos vir quidam in Germania magnus, ſed harum rerum imperitus, & ab aliis deceptus, ſiquidem ex eſſentialibus & naturalibus metallorum principiis: non diabolicis operibus hic proceditur: licet Deus Opt. Max. inhibere aut impedire, aut prorſus deſtruere etiam opus naturæ & artis poſſit; nec vero diuinæ potentiæ munus propterea inuadimus, cum non iuſſu & voluntate & verbis id producamus, vt in miraculis diuinis iuſſu diuino fit, ſed tantum per inſitam naturæ generantis facultatem, cui ſeruimus tanquam miniſtri, nihil ad eam de alieno, nec de proprio afferentes. Quod ſi hęc non ſufficiunt ad probos artifices diſcernendos ab impoſtoribus, & ad artis veritatem particulariter defendendam à vanitate ſophiſtices, aut Diabolicarum artium impoſturis, & calumniantium linguis, doceant, qui contra ſentiunt, meliora, & verioribus vltro parebimus: aut reſpondeant ſaltem Apologiæ Gaſtonis Clauæi aduerſus Thomam Eraſtum Medicum ſcriptæ, vel ad ſolutiones Boni Ferrarienſis Phyſici Ariſtotelici: quod à nonnullis attentatum quidem, ſed plane præſtitum eſt à nemine.

Quod ſi id fiat bona fide, ex varia & diuerſa rerum ventilatione, tanquam ex puteo emerget veritas, & ita Helias artis in lucem prodibit; Cui hanc diſputationem impendiſſe hactenus libuit.

Radix Elixiris. △:

DE LAPIDE PHILOSOPH. PHILIPP. MULLERI PHILOSOPH. & MED. D.

Procemium.

MAteriam aggredior fortunante Deo à tot iam ſeculis celebratam & etiamnum quotidie decantatam, raram tamen in opere & pauciſſimis obuiam, non quidem ob difficultatem, cum opus ſit muliercularũ, ſed autorum ob obſcuritatem; perplexamq; ſcribēdi rationem; qui, vt quiduis in hac arte obnubilent, nihil intentatum relinquunt. Et hac quidem parte multo magis peccant neoterici omnes, quam vllus antiquorum, qui quidem dilucidiori ſermonis genere in hoc explicando naturæ myſterio ſemper vſi ſunt: vt niſi recentiores ſemper magis magisque tenebris obuoluiſſent; non ita tarde plures ad optatam metam perueniſſent. Neque duntaxat obſcuritatem ſtudioſe ſequuti ſunt; verum etiam inuerſum & præpoſterum dicendi ordinem; vt quod primum

mum in opere eſſe debet, aliqui vltimo adiudicauerint loco. Aliqui etiam immiſcuere alieniſſima, quæ ad hoc myſterium non plus quam fabulæ Æſopicæ faciunt. A quibus vitiis omnibus ego ſane quantum fieri poteſt & licet, immunis eſſe ſtudebo, non quaſi experientiam in hoc diuino & raro opere habeam (neq; enim eo aſpirare audebo) ſed quaſi dilucidius producturus & ordine optimo quæ alii & antiqui & recentiores inordinatiſſime atq; obſcuriſſime protulere. Et reuera ſatius eſſet eos, qui quotannis fere hac de re ſcripta promulgant, imperfecta & obſcura, tacuiſſe penitus; quã temporis & pecuniæ tum ſibi tum aliis diſpendium peperiſſe. Quamobrem quod ante me factitatum neſcio, luci publicæ dabo, non quidem quod experientia habeo (hac n. me carere ingenue antea faſſus ſum, & identidem non infiteor,) ſed quidquid veri ex recentiorum & antiquorum libris editis rationis ſcrutinio complecti valui, quicquid ex libris vetuſtiſſimis manu ſcriptis in Germania & Italia viſis haurire potui, quicquid deniq; ex virorum doctiſſimorum amicorumq; colloquiis percipere ſtudui; daturus figuras exactas turris Philoſophicæ huic operi inſeruiturę, & partium eius omnium; deinde materiam lapidis quantum intelligere licuit; tandem eius præparationem, abſolutionem & perfectionem quæ ſpectare videntur: vt cui otium & ad hanc rem animus, non difficilis in hæc arcana pateat acceſſus. Atq; hæc omnia tractaturus, inſuper habito diſcrimine eorum omnium, qui de lapide Philoſophico quæ dicuntur omnia ſalſe rident, ceu falſa; in quos ſi verbum ego aliquod mutire vellem, cum iis vtriq; penitus inſanirem. An forte fictitius eſt lapis ille, quia eum non tradunt Hippoc. Galen. & Ariſt. ô quam multa hodie nota ſunt, illis quæ nunquam innotuere. Nec deſunt infiniti auctores, viri magni, ijs partim antiquiores, partim recentiores, huius notitiam qui habuere optimam. Putant vnam ſpeciem in alteram tranſmutari non poſſe. O delirantem inſcitiam. Diffidunt oculis proprijs videntibus infinitas res in alias ſemper mutari, & vnum ſemper ex altero fieri. Videntibus etiam oculis & audientibus auribus diffidunt, variis in locis factum verum per artem aurum (non dico naturale, quod nonnulli imperite effutiunt, cum per artem quod fit artificiale ſit) optimum & ſincerum, probationes omnes ſuſtinens: quod qui videre cupis, orbem Chriſtianum perluſtra, ſaltem vicinas tibi orbis partes & vrbes. Si materno ſolo inhæres ſemper, oculis peruolue Barnaudi de Chriſta libellum plurimis experientiis nominatim citatis veriſſimis refertum. Sed deſino hanc in rem verba facere, quia apud vere doctos & veros Philoſophos hæc in dubitatione nunquam poſita ſunt. Inſinuanda tamen hæc fuerunt ob tyrones, qui à magiſtris ſuis imperitioribus & Galeno ceu Deo vnico adiuratis, credere coguntur & defendere, quod vltra ſapientiam magiſtrorum nihil ſapit. Adeo infelicia hæc ſunt ſecula, quibus moderni Doctores diſcipulos ſuos ſe ſuperiores fieri non optant, imo vetant, quibus inquam, ipſi etiam diſcipuli nihil ſublimius cogitant, animoque ſcrutantur, quam quod à Præceptoribus didicere. Vnum ingeminat vulgus. Vbi illi aurifices & Alchymiſtæ? Cur non mõſtrant cuiuis ſe artem tenere, vt fides ijs facilius adhibeatur.

Nota Guiberte.

Attamen naturæ viribus & materiis fit totum arte tantum foris gubernante, & agentia patientibus accommodante vti decet. Barnaudus.

Nuſpiam tales apparent in vlla regione homines, quos inde victitare, multo minus diteſcere notum eſt. Ad quod reſpondeo dici rectiſſime illud: Notum non eſſe. Etenim qui theſaurum inuenit pretioſum, poteſt ne tam exiguæ mentis eſſe, vt ijs oſtendat & aperiat, à quibus ſibi periculum, ignominiam, calumniam exinde imminere certus eſt? Ita infeliciſſimi illi qui alijs ſcientibus ſciunt hanc lapidis conficiendi artem. Modo Reges & Principes, ceu aucupes, eam ab ijs poſcunt, aut per pollicitationes magnas fauoris & honoris obtinendi, aut per minas, carceres, torturas, mortem. Ab his ſi liber es, ad minimum ludibrio vulgi expoſitus eris, & Alchymiſtæ nomen hodie vltra modum exoſum audies. Quam ob cauſam ego huius in lapide arcani operationis modum manualem tenere nunquam hercle exoptarem. At animo ea ſpeculari, quæ in natura admirabilia ſunt, & non brutis, verum ſoli homini conſideranda data, nemo vnquam prohibuerit. Quo circa ad rem alijs ſepoſitis propero.

Reliqua vide in ipſo autore.

HENRICVS SALMVTH IN SVO Pancirollo tit. 7. volum. 2.

Lapis Philoſophicus eſt. Hunc enim rerum experientia, omnium etiam ſola ſufficiens magiſtra infallibiliter atteſtatur, cui refragari nonne eſſet plus quam ſtultum? Hunc (ab alijs tamen præparatum) virtuoſe efficacem vidit Romanus Pontifex & Cæſarea Majeſtas. Viderunt & Reges orbis terrarum non pauci, nec non Imperij Rom. Electores nonnulli. Viderunt & Principes aliquot, Comites, Barones, Nobiles, & propter virtutem & doctrinam nobilibus proximi Doctores; imo ex omni gente, Iudaica, Ethnica, Chriſtiana, ſtatuque ac ordine paſſim, multi tam Eccleſiaſtici, quam Politici, literati pariter, atque illiterati oculis, obſtupeſcentes naturæ per artem miraculo, viderunt, manibusque tetigerunt ſuis. Sciens loquor. Hos omnes voco teſtes. Tu Phyſicochemiæ-maſtix eos interroga, in ſubſidium veritatis, veritatis amantes. Rem ita habere teſtabuntur lubentes. Sequitur ratio, &c. Lege totum illum locum. Si vellemus omnia huiuſmodi teſtimonia colligere, ingens volumen fieret. Saltem Penotum adhuc audiamus.

Imo & ipſi fecerunt vt Ægyptii, Mauritani, &c.

BERN-

BERNARDI PENOTI A PORTV S. MARIÆ, Aquitani Præfatio Apologetica: in qua D. Nicolai Guiberti Lotharingi error & falſa opinio de Alchemia, tum autoritatibus, rationibuſque, tum exemplis euincitur.

NVſquam fuit Ars ſiue ſcientia tam ſacra, quin ſuos habuerit oſores & contradicentes hæreticos: inter quas Chemia non poſtremum tenet locum, qua tamen poſt diuinorum myſteriorum contemplationem, nulla eſt dignior. Hæc vere philoſophandi dux: in qua & rerum ſecreta rimari licet & arcana facile amplecti. Hæc bonis, hæc ſapientibus, hæc doctis viris, hæc Principibus, Regibus & Imperatoribus digna exercitatio & honeſta voluptas præ cæteris appetenda. At licet ſit magnus impoſtorum & ſophiſtarum numerus, hac noſtra ferrea ætate, vix inter ipſos vir bonus dignoſci poteſt. Vnde qui ſpagyricas artes in lucem reuocare conantur, ignobiles, & obſcuri non modo remanent, verum etiam experiuntur multorum odia.

Et ars ipſa ab iis, qui ei fauere & eam tueri deberent, dilaceratur; & peius cane & angue odio habetur, vt videre eſt in libro D. Guiberti Lotharingi, in quo omni conatu & viribus nititur probare artem chemiam nullius momenti eſſe. Negans inſuper Thomam Aquinatem, Raymundum, Arnaldum, libros de lapide Philoſophorum, eorum nomini attributos ſcripſiſſe. Sed bene eſt, quod huiuſmodi libri in Bibliothecis, vbi pręſides fuerunt, extant: imo quod apud me aliquot ſunt etiam. Valeat igitur Rhetor Guibertus cum ſua loquacitate, qua nihil vtilitatis adipiſcitur, præter latinitatem, in qua ſummopere ſibi placet. Nam meretriciis illis orationis pigmentis & verborum phaleratorum apparatu, non docere, ſed fallere, non paſcere animos ſolidis doctrinæ cibis, ſed inanibus titillare verbis euenit: quod certum ſequentibus demonſtrationibus patebit. Non temere, Magiſter Guiberte, reſcindendum, quod longa conſuetudine multaque vetuſtate firmum eſt. At huic ſcientiæ quæſita, & firma virtute parta gloria eſt. Non igitur tuis ſcriptis aut tuorum ſimilibus corruet, cum ante Æſculapium, longe ante Hippocratem confirmata & ſtabilita ſit. Temere igitur facis, quod vetuſtate multa firmum, id pauca latinitate deſtruere velis: quod tamen fieri non poteſt, nec vlla arte, nullis conſiliis opprimi. Cuique igitur ſuis ſtudiis frui concedatur. At noſtri inſtituti minime eſt, tempus in huiuſmodi nugis refellendis terere. Sed breuitatis cauſa te, D. Guibertum, relego ad Proœmium à doctiſſimo Magiſtro Theobaldo de Hochelande Mittelburgenſe editum, de Alchemię difficultatibus. Ibi enim quicquid deſideratur & excogitari poteſt, reperitur, vt nemo amplius addere aliquid poſſit ad quæſtionem ſoluendam. Dicam igitur cum illo doctiſſimo viro, doctiſſimorum & integerrimorum virorum ſcripta, D. Thomæ Aquinatis, Hermetis Triſmegiſti, Raymundi Lullij, Marſilij Ficini, Arnaldi Villanouani (quem Ioannes Andreas Iuriſconſultus vocat Theologum, ſummum Medicum & Alchemiſtam) & artem veriſſimam, & naturæ genetricis æmulam. Et cur viris tam præclaris fidem detrahendam & ſciolis quibuſdam potius credendum iudicabimus, qui peruerſo iudicio cauillantur artem vanam & adulteram eſſe, quique clamitant, non alia de cauſa ænigmatice & obſcure traditam, niſi vt exercerentur otioſorum hominum ingenia? Abſit vt exiſtimemus antiquos illos venerandæ autoritatis Philoſophos conſulto aliquid falſitatis memoriæ commẽdare voluiſſe, qui ſummam operam veritati inquirendæ ſemper nauarunt, famamque in poſteros non ex nugis & inanibus, ſed arduis & ſublimibus, veroque ac ſtabili fundamento nixis quæſiuerunt.

Huc etiam accedit diuerſarum gentium conſenſus. Nec enim Latinorum ſolum, ſed & Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Chaldęorum, Gallorum & Germanorum, Hiſpanorum & Anglorum de metallorum metamorphoſi monumenta quotidie ſtudioſorum hominum manibus teruntur, quæ vno ore quaſi (quanquam linguis diſſonis) clamant eſſe artẽ veriſſimam, nihilq; poſt legem diuinam (vt in principio diximus, in qua eſt ſalus animæ) à ſummo Deo in hoc mundo homini conceſſum fuiſſe magnificentius aut ſublimius: & ſummopere ſummo ſtudio inueſtigandam vigilique labore quærendam prædicant. Forte in hoc falluntur, qui artem negant, quod cum infiniti chemici huic vacent, neminem videant, qui ſe ſcientiam adeptum eſſe glorietur. Sed ſapientibus & cauſas euentuum perſcrutantibus nihil admiratione dignum contingit. Quandoquidem admirationis mater ignorantia ipſa eſt. Quotusquiſque enim eſt, qui in debita materia operetur, vt oportet? Vnus vix è millibus. Quid igitur mirum, ſi debito multi fruſtrantur fine? Quare non inſulſe Auicenna inquit: Qui accepit, quod debet & miſcet & operatur vt debet, procedit inde vt debet procedere. Plerique indocti ſunt ſane, qui ne communem quidem ſermonem intelligant, eò minus ergo metaphoras & ſapientum analogias. Alij quamuis docti ſint, & ingenio perſpicaci, libros tamen non habent, aut quia expendere & illorum pretia non valent ſoluere ob auaritiam, aut non poſſunt ob paupertatem ſibi comparare, aut quod exemplaria inuenire nequeant, ijs in locis, quibus immorantur, & à peregrinatione abhorreant: illi vero, qui libros & artem per Dei gratiam conſequuti ſunt, meminerint dicti Salomonis, ſapiens abſcondit ſcientiam: Os autem ſtulti confuſioni proximum eſt. Neque enim deſunt cauſæ, quare ſcientes ſeſe non reuelent. Cur vero? Vno verbo reſpondebo: Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Plurimi noſtris temporibus miſere perierunt ob principum inuidiam, timentium ne ab eorum poteſtate aufugerent, ſed

de iis

leijs in ſequentibus. Quidni crederent Thomæ Aquinati, dicenti, nihil prohibere artem vti naturalib. cauſis ad producendum naturales & veros effectus. Quamobtem pedibus in ſententiã Marſilij Ficini eunt, qui viuentia omnia tam plantas quàm animalia ſpiritu quodam ſe multiplicare affirmant. Spiritum autem in metallis craſſiori cohiberi materia, qui ſi aliquantum rite ſecernatur, ſecretusque in ſua ſede connaturali conſeruetur, præter omne fallum poſſet ſibi ſimile generare. Qui tantorum virorum & tot gentium conſenſui non credit, rationibus nè ipſa experientia victum ſe fatebitur, ſed potius Diabolo & futilium magorum nugamentis, quã Deo & naturæ potestati transſmutationis effectum adſcribit. Sed quæſo à quibuſnam potiſſimũ arti contradicitur? Ab ijs nẽpe, qui nec olfecerunt aut nunquã libros chemicos niſi raptim perlegerunt: Eo plane modo quo canes è Nilo aquã lambunt & fugiunt, qui cum nõ intelligant intima naturæ penetralia ſcrutantibus Philoſophis & arti, ingenii tarditate culpã imponunt. At quid iniquius quam vt oderint homines, quod ignorant. Quid magis temerarium, quam vt iudicium ferat rei imperitus? Dudum non fruſtra exclamauit comicus, homine imperito nuſquam quicquam iniuſtius, qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat: At ſi diceret ſcientia non habet inimicum niſi ignorantem.

Ad confirmandam veritatem quæſtionis, an ars ſit, multum valent autoritas, ratio & experientia. Poſſem vero primũ multorum grauiſſimorum virorũ teſtimoniis, autoritate & experientia artẽ verã eſſe euincere. Non ita pridẽ eſt, me à clariſſimo viro tibi, Guiberte, bene noto, & cuius patris quondã familiariter conſuetudine vtebaris, literas accepiſſe, quas cũ cæteris Deo fauente, aliquãdo in lucẽ proferã, quibus doctus ille vir ad me ſcripſit, ſe virum quendã probum chemicũ in ſuis ædibus accepiſſe, eiq; vncias quatuor cum dimidia plumbi ſuppeditaſſe, & mediante ſemigrano certi cuiuſdam pulueris rubei, ſupra fuſum plumbum proiecto, totum plumbum in veriſſimum putiſſimumq; aurum conuerſum fuiſſe, abſq; vlla diminutione. Argentinæ etiam præſentib. viris probis & fide dignis, maiora præſtitiſſe, me quoq; certiorem fecerunt alii. Qui hoc præſtitit homo eſt mihi bene notus, & in Anglia vna commenſales fuimus. Superſtes eſt, Dei gratia. Aſt hominem vt te conueniat, vtque experientia te præſente artem probet eſſe veram, expectare noli. Inſuper audio Lutetiæ ante aliquot menſes, iuuenem nomine Carolum, Doctoris Sorbonici famulum, apud quendam magnæ autoritatis aulicum delatum, quod arte chemica aurum conflatum nullum examen ſubterfugiens, hinc inde diuenderet; is iuſſu magnatis à lictoribus captus, dum in cuſtodiam duceretur, & in via ſibi notum aurifabrum offendiſſet, dixit, An non vis à me adhuc marcas quinque argenti puriſſimi emere? Pragæ vero, meo tempore, idem ab Edoardo Kelleio factum eſt in ædibus D. Aggecij Thaddæi, vbi libram integram argenti viui in puriſſimum aurum conuerſam, guttula vna liquoris rubicundiſſimi vidi. Extat adhuc & ſeruat, vt incredulos exemplo illo vincat. Præ manibus ſæpius habui, & quod magis mirum eſt, reſtat videre ſignum illius laticis hærentis ſupra mercurium in aurum conuerſum, inſtar rubini, & ex illo reſiduo, poſſe iterum tantum auri fabricare, quam antea. Taceo nunc de Bohemia & Saxonia, tempus omnia reuelat. Et niſi de his libri plures editi eſſent, inter quos lege libellum de veritate & antiquitate artis chemiæ autore Petro Roberto Vallenſe, & Petri Boni Ferrarienſis de certitudine artis; qui inter alia inquit; Saltem ſileant, & quæ ipſi ignorant, non condemnent. Nemo verus ſapiens artem negauit. Meditentur hæc, ars ſi ſit, quomodo ſit: Et ſi non ſit, quomodo non ſit. Aut tempus expectent, quo Deus aliquem excitet, vt ars clarior & lucidior euadat. Quandoquidem Dei prouidentia breuiſum eſt, vt quiſque ambulet in vocatione, qua vocatus eſt. Et ne ſutor vltra crepidam. Arrige aures D. Guiberte & orationi meæ attende. Quandoquidem multa hactenus à Philoſophis, qui vere Philoſophi dici & merito poſſunt vocari, occulta fuere: in tui gratiam & tui ſimilium artem à veteribus patribus ęnigmatibus, obſcuris vocibus refertam, enucleabo. At primum & neceſſarium in qualibet ſcientia habere ſubiectum oportet, circa quod ædificetur. Hæc autem ſcientia pro ſubiecto habet vniuerſam naturam. Idcirco aiunt lapidem eſſe in omnibus. Non tamen quod eius materia ex omnibus rebus ſeligatur. Imo dicitur in omnibus eſſe ratione primi mouentis in rebus naturalibus, qui ſpiritus vegetatilis nuncupatur, quo noſtra materia lapidis præ cæteris abundat. Spiritus hic tam eſt in animalibus vegetalibus, quam mineralibus. Ideo lapis dicitur animalis vegetalis & mineralis, non propterea debet elici ex animalibus aut vegetalibus. Nam (ait Philoſophus) ſi vis mederi metallis, origo tuæ medicinæ ſit ex metallis. At ſpiritus iſte nimis ſigillatus eſt in metallis, quęſierunt in mineralibus non in omnibus, ſed vbi natura illum abdidit. Quo igitur nomine hæc materia inſignitur? Dicam, ſed prius percunctor. Tu D. Guiberte, ſi libet, reſpondebis, quid tu intendis facere? Quia ex fine intentionis reſultat principium operis. Si dicas aurum & argentum, perperam reſpondebis. Quandoquidem veterum ſapientum intentio nuſquam fuit, vt aurum & argentum iſta medicina conſtruerentur. Finis & ſcopus eorum fuit, vt mens ſana in corpore ſano eſſet vſque ad terminum à Deo præfinitum.

Tantæ enim ſunt vires in hoc puluere in corpore aſſumto, vt in momento æquet humores, & corpus temperet eo temperamento, vt vnus alteri humori non dominetur; quod Raymundus Lullius optime nouit & vſus eſt. Vixitque centum & quadraginta annos, & niſi à Saracenis interfectus, ſuperaſſet ducentos (ſi Deus voluiſſet,) ſapientes iſta animaduertentes vltra perſcrutantes, tentare voluerunt ſupra metalla imperfecta, ſic ratiocinantes, ſi medicina iſta lepram & hydropiſim lauat, & humanum corpus conſeruat, quid vero ſupra imperfecta metalla? Et ita tentarunt, & verum repererunt. Tunc ſeſe iuramento obſtrinxerunt, nunquam artis arcana patefacere, imo occultare cœperunt artem, ne ab indignis raperetur. Longum eſſet argumentum hoc proſequi, non volumina parua conſtruere oportet. Sed de his alibi. Ad orationem inſtitutam reuertemur, vt intelligatur, de quo agendum ſit, nempe de materia lapidis. Huc fere omnes Alchymiſtæ im-

pingunt. Cum Philoſophi omnibus nominibus nuncupent, & hoc iuxta colorum varietatem, nam antequam ad ſummam albedinem deueniat, apparent omnes colores, qui excogitati poſſunt. Eo enim nomine cuius color erumpit, nominarunt. Non mirum ſi plures ſunt deluſi operantes circa literam quæ occidit, ſpiritus, id eſt occultus ſenſus, viuificat. Praxis huius magni operis maximum naturæ ſuperat arcanum. Et niſi diuinitus aut ab artificibus reueletur, aut ipſo opere oſtendatur, nunquam ex libris exculpetur, niſi veræ materiæ cognitionem habueris, tunc liber librum aperit, & non antea.

Dicamus igitur, ſulphur & argentum viuum materia ſunt lapidis. Idcirco eorum cognitio eſt neceſſaria, vt melior ſeligatur, quo citius lapis perficiatur. Certa quædam materia latet in corpore quodam parata, abſque alia præparatione. At difficillima eſt ars inueniendi, vt Raymundus dicat, in hoc mundo inferiori, nullum magis ſecretum, quam illud, quod conſiſtit in Saturno Philoſophorum, adeo, vt illi qui penitius eius virtutem & naturam perſcrutati ſunt, inuicem ſeſe iuramento obſtrinxerint, nunquam prodituros naturæ ſecreta, ad extremum vſque vitæ terminum. Quandoquidem eius operatio eſt plane huiuſmodi, vt varios habeat vſus, quod debite præparatum, non ſolum tetros corruptosque humores noſtri corporis pellit: verum etiam imperfecta metalla in puriſſimum aurum, quibuſcunque experimentis probatum, conuertit. Aſt ego pietate motus, materiam proprio nomine reſerabo. Et cum Arnaldo de Retardanda ſenectute enucleabo. Vocat enim Chiſſir minerale, id eſt, lapidem animalem. Huius veteres præparationem propter inuidiam celarunt. Alio autem nomine ſaltem mineralem notauerunt, eiuſque præparationem etiam occultauerunt, nam præparatum aurum, corallia & margaritas potabilia reddit. Abiſſini autem Biſtuini nominant. Alij chaos minerale, in quo maxima vis mineralis eſt; in quo etiam omnia metalla latent & lucent. Item alius dicit, materia lapidis nihil aliud eſt, quam ſpiritus mundi corporeus in ventre terræ factus, qui à ſe recipit facultates omnes tam animales quam vegetabiles & minerales, vt ſuperius dictum eſt; ſicut aliqua cera recipit in ſe omnium formarum impreſſionem, ſic argentum viuum deliteſcens in materia lapidis, recipit omnium rerum proprietates. Vide igitur, D. Guiberte, ſi elicitus & liberatus à ſuo chao, & ſuis fæcibus vindicatus, & in quintam eſſentiam redactus, quam mirabilia præſtaret? Lapis ſapientum, inquit Senior in ipſo & ex ipſo perficitur. Radix & rami folia flores & fructus. Eſt enim ſicut arbor: ex vna arbore, quot rami, quot denique grana? ita ſe habet noſtra frugifera arbor Philoſophica, continens in ſe auri & argenti ſemina, quæ in propriam terram ſeminata, plurimos ſoles & lunas producet in infinitum, ſicuti ſemen ita & ſeminatum. Naturaliter enim natura ſimilis in natura ſua ſimili actionem & operationem habet perpetuam, & non diuerſa ſpecie, multo minus in diuerſo genere. Quo enim eſt maior rerum diuerſitas, eo etiam maior eſt rerum vnitas. Natura vero diſponit omnia in potentia, quatenus ars ea poteſt & debet perficere actu. Natura enim vitri materiam produxit, nuſquam vitrum. Sic ferrum in rudi materia iacens creauit, rudeque nobis tradidit elaborandum, vt ex eo calceos equis paremus, lanceas & falces faciamus. Herbas, arbores, gemmas, corallos, aurum & omne id, quod oculis cernitur, Medicinam recte non dixeris, ſed eſt rudis & immunda materia, in qua adhuc pars impurior manet & occultatur. Alchemia vero medicinam purgare, diſſoluere, & heterogenea ab homogeneis ſecernere docet: Aliter putrida putridis, & corruptibilia corruptibilibus miſcerentur. Etiam autor naturæ Deus materiam quandam lapidis vnicam & ſimplicem creauit, quam metallorum radicem ſapientes vocauerunt. Si per chemiſtam Philoſophum non diſponeretur de potentia ad actum, ſemper in eodem ſtatu permaneret, veluti vitri materia. Nam ſi per magiſterium vitriarii non diſponatur, nuſquam vitrum fieret. Hæc lapidis materia vnica eſt res, vt ſæpius repetitum eſt. Igitur vnum quod eſt, non numeratur nec diuiditur. Si enim numeraretur, vnum eſſe definerct. Et ſi diuidatur, compoſitum eſſe incipit. Vnum vero & ſimplex memento accipere, ſi vis in Philoſophia profiteri. Ab vno & ſimplici qui in Philoſophia recedit, finem & perfectionem nunquam inueniet, quandoquidem natura ex vno produxit omnia: & ſic in vno conueniunt ambo ſimul. Eſt natura mater & ars filia. Et vbi natura deſinit, ibi ars incipit. Et ſic eſt ordo & regula veritatis & nō aliter. Vnum igitur vbi inueniſti, quod in ſeipſo habet omnia, quib. ad perfectionē ſui indiget, alia extranea illi vni rei adhibere noli, alias non perfectiones, ſed corruptionē operaberis, & ipſe peſſime decipieris. Materia enim lapidis eſt vnica res, non adeo ſimplex, quin quatuor conſtet elementis, vt cæteræ res elementatę. Sicuti arbor plantata ex ſe ipſa, & per ſe ipſam, ſuos fructus profert in tempore ſuo. Noſtra n. materia ſic ſe habet, vt arbor, ſi tranſplantetur, ſua quoq; aqua irroretur, producet ſuum fructum, quo ſupra impura metalla ſeminato, conuertet in aurum puriſſimum indubitanter. Arbor illa Philoſophiæ quicquid ei neceſſarium eſt, in ſe continet, ſine alterius præſidio, vt in Dialogo & ſequentibus perſpicue (Deo volente) videbimus.

Tu vero D. Guiberte, ſapientum regulas admonitionesque ſequere, dicentium: De iis, quæ nobis non apparent, certum non habemus iudicium. Et quæ nobis dubia ſunt, in meliorem partem interpretari debemus. Sapientis igitur eſt, de iis quorum cognitionem & certitudinem non habet, potius iudicium ſuſpendere, quam ita mordicus inſectari. Quandoquidem propter abuſum non tollitur vſus. Artifices non æquales, vnus altero peritior conſpicitur. Ars enim non pendet ab artifice, ſed artifex ab arte. Ideo ante omnia in hac quæſtione, an ars aliqua ſit licita, cōſiderandum eſt, an diuino aut humano aliquo iure ſit prohibita. Nam licita aut illicita ita diſcernuntur. Quantum ad diuinam, certum nullum textum reperio, vbi Alchemia, & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator diuinus Moſes in Leuitico & Deuteronomio perſequatur. Neque puto magis illum prohibuiſſe diſtillationes & alembicationes, &

auri

auri & argenti confectionem, quam iocalium & annulorum cæterorumque eiuſmodi ornamentorum conflaturam.

Quantus etiam laminarum & bractearum auri vſus apud populum Dei fuerit, nemini ignotum eſt, imo videtur Eſdras ſuffragari Chemiſtis cap. 8. lib. 4. Et reſpondit ad me & dixit. Hoc ſeculum fecit Altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos. Dicam autem ſimilitudinem ô Eſdra: Quomodo autem interrogabis terram & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile; paruum autem puluerem, vnde fit aurum, ſic & actus præſentis ſeculi. Quantum vero ad ius ciuile, certe nulla litera in Digeſtis, Cod. Iuſt. vel Nouell. oſtendi poteſt, quæ ad prohibitionem Alchemiæ pertineat. Imo potius fuſorum ars comprobatur & laudatur. At plures ſunt Alchemiſtæ monetarum corruptores, falſarii. Et ſacra pagina quot Hæreticos? quot Medicina impoſtores habet? Et Iuriſprudentia, in qua tot ſunt rabulæ? Harum diſputationum laudanda eſt pietas & probitas. Sed tamen rogandi ſunt, vt cogitent artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe. Sed, vt ait Iuriſconſultus: Alieni admiſſi pœna ab ijs, quos nulla culpa contingit, remoueatur. In Svmma, quilibet non amat id, cuius cognitionem non habet, ſed etiam fugit, contemnit, nec diſcendum putat. Corpus ſolummodo externum curat, mensque ſuum Deum colit. Quanto autem ſcientia ac cognitio alicuius rei plus creſcit, eo magis amor eius augetur. Aſt Guibertus linguæ Latinę & loquentiæ cognitionem haud ignorat: ideo commentarios ſuos verborum lenocinio conſcripſit, vt tali fuco artem ſibi incognitam annihilet. Nos vero fornaces circa verſamur, noſtroque fumuſo latino conamur ſimplici oratione veritatem tueri & defendere. Teſtor enim me non vidiſſe neque legiſſe D. Guiberti libellum, ſed relatu cuiuſdam amantiſſimi amici, & illius rogatu prouinciam reſpondendi accepimus, miſitque amicus ipſius Nicolai Balſami Ægyptiaci deſcriptionem. At in ſequentibus nos (Deo propitio) balſamum alium longe præſtantiorem exhibebimus, vnico ſimplici confectum.

Interea Lectores beneuoli & opere & ore & ſcriptis veritatem ab iniuria vindicate, & Deus veritatis & myſteriorum autor nobiſcum erit. Iterum bene valete, & quicquid à me propoſitum eſt, boni conſulite.

FACILITAS OPERIS EST EIVS OBſcuritas. Etiam ex ſolo argento viuo Philoſophorum lapis confici poteſt: Quare dicitur Philoſophorum & non naturæ.

Non eſt, vt diutius immorer ad D. Guiberti errorem de Balſamo Ægyptiaco corrigendum. Quantum Ægyptus à nobis diſtat, nemo ignorat. Fruamur more maiorum (inquit doctus Hollerius) natura nobis domeſtica atque familiari; legatur materia nobiſcum edita, quamq; vltronea natura promit. Aliis autem remediis, veluti externa manu & auxiliaribus copiis vti conueniet. In eadem cauſa ſunt, quibus nihil placere poteſt, niſi quod Indiam loquatur & extremum Oceanum: qui tantum externa probant & exoticas merces admirantur. Hunc errorem ignoratio primum peperit. Deinde quia rudibus ingeniis bonarum rerum conſuetudo grauis eſt, & bona fide oblatæ merces vulgo ſordeſcunt. Quid quod externa iſta longo quæſita mari, grauibus periculis inuenta, inſanoue ſumtu comparata, exoleta fere, adulterata, ſuſpecta denique ad nos perueniunt, nec alio ſæpe momento conſtant, quam impoſtura. Annon hæc dementia eſt ita ſubſcribere alienis? Vana, euanida, ac fere dubia auxilia ſic perſequi, vt vrgentem domi extemporaneam certamque medicinam deſeras? Medentur ſcilicet aliena fide, etiam impune eſt iugulare ægros: Inſtitorum fraude calcantur multa, & ſunt in oculis, quæ cum flatis fuſis recoctis & ex India & rubro mari comportatis pręferas. Vernaculæ nobis ſunt atque domeſticæ opes, quibus vulnera coniungas, repurges ſordida, ſinus impleas, & cicatrices claudas, cæteraque præſtes omnia, quæ chirurgi opere atque diſciplina continentur. Exquirantur foras, quæ domi non habeas. Aſt enim domi, & in ſyluis, fere in omnibus locis habes ſimplex, à quo potes elicere balſamum ſine ſumtu ſaltē paruo, non magno labore petitum, quo omnibus vulneribus deſperatis potes mederi, circa 24. horarum ſpatium.

TALIS EST FORMVLA.

Svb finem menſis Septembris grana illa rubra, quæ Matriſſylua, alias periclimenon dicta, fert, ad ſufficientem quantitatem collige, & in cucurbitam ſeu botiam pone: obtura probe cucurbitam, ne quid reſpiret, & in fimum equinum calidum, per octiduum reponatur. Peracto tempore aquam in Baln. Mariæ elice: Deinde quod diſtillatum eſt, ſupra fæces repone, & iterum in fimum equinum per 24. horas collocabis, quibus abſolutis, per cineres iterum diſtillationem prouocabis: exibit inde aqua & oleum, quæ per balneum Mariæ ſeparanda ſunt: aqua primo exibit, oleum vero in imo vaſis reſidebit. Illud eſt balſamus ille admirabilis, cuius & admirandas virtutes in noſtro Antidotario Chemico, vna cum reliquis adnumerabimus, mediante Ieſu Chriſto. Tu interim, candide Lector, eo fruere & vale.

HISTORIÆ ALIQVOT TRANSMVtationis metallicæ, conſcriptæ ab Evvaldo de Hoghelande Mildeburgenſi.

Cur Chemiæ veritas in dubium vocetur.

DVbitaſti ſæpenumero, Ioan. frater, de veritate artis chymicæ, & num tincturę Phyſicæ, quam Philoſophorum lapidem vulgo vocant, indagatores ſuum quandoq; aſſequerentur ſcopum: hæſitandi autem cauſa non fuit nulla. Audiebas enim homines imperitos, vanos, mendaces vbiq; fere terrarum circumuagari, & diuitum maxime terere limina, ſpondereq; ingentes illis diuitias, cum ipſi interim Iro pauperiores & rerum omnium indigi vix panem habeant, quo eſurientem impleant ventrem. Videbas è contra alios minime rudes, quinimo laureas quandoq; & Doctoratus præferentes inſignia, Attalico ornatu & famulorum comitatu in publicum procedere, qui eadem profeſſi, fraudibus tamen ſolis & dolis, admiſto interdum ſecreti cuiuſdam medicinalis ſalubri vſu, ſe familiamque ſuſtentarent: eorum etiam quoſdam in crucem actos, vel ſuppliciorum publicorum metu veneno ſe perdidiſſe, ni fallor, noſti. Legere etiam potuiſti, nobilitate nonnullos eſſe donatos, & equeſtri aſſcriptos ordini, qui tamen non niſi impoſturis, ſpecioſis & fallacibus promiſſis atque adulationibus ad eum dignitatis gradum viam ſibi parauerint. Adeo inter nebulones quoque furca dignos, ſicut in aliis hominum conditionibus, fortuna ludit, & hunc deprimendo, illum exaltando variat vices.

Nullam ſcientiam ex abuſu æſtimandam.

Neminem tamen adhuc ex eorum numero, qui operam ſuam aliis venditarent, caput aliquando vnctius retuliſſe aut eorum dominos aut patronos, locupletiores euaſiſſe intellexiſti. Sed nulla eſt ſcientia adeo honeſta, adeo caſta, adeo ſancta, quin næuis quibuſdam interdum deformetur. Si ex abuſu quæque æſtimanda & ponderanda veniant, facile Iuriſprudentiam, Medicinam, & ipſam Theologiam damnaueris. Vidimus enim noſtro æuo ſartores, pelliones, cerdones, & è fœce plebis ſeditioſiſſimum quemque publicum publicæ doctrinæ ſuggeſtum cathedramq; aſcēdere, & quæ non didicerant, profiteri, imo quod maius eſt regnum cœlorum, ad quod ipſi acceſſum non habeant, aliis polliceri. Conſpeximus etiam, proh dolor, doctos quoſdam ſed ſceleribus infames, vt ſibi nomen & diuitias pararent, noua commentos eſſe fidei dogmata, quæ poſtea ingentes turbæ, ſeditiones, bella, rerumpubl. & regnorum perturbationes, & quod maxime deplorandum eſt, innumeræ animarum perditiones ſunt conſecutæ. Mitto Iuriſprudentiæ vlcera, quæ nonnullis non niſi licitum putatur latrocinium: prætereo medicinæ carcinomata, quibus hoc tēpore nihil contaminatius, nihil putidius: dum paſſim, quod Medicorum eſt, garrula anus, olidus balneator, audaculus tonſor, infidus Chriſtianis Iudæus, verboſus Sophiſta, & temerarius Paracelſita ſibi vendicant. Da mihi parachymicum quempiam mendaciis, fraudibus, impoſturis lucellum captantem, vel etiam loculos alienos exhaurientem (nam de iis qui prodige proprias exhauriunt facultates ſermo nobis non eſt, cum id omni hominum generi commune ſit malum) vel principum palatia irrepentem: idem facit ſæpius hypocriſi aliquis maior, quam rerum diuinarum ſcientia Theologus, idem committit cum impio Iuriſconſulto falſus & fucatus Medicus, ſed hic præterea corpori nocet, illi animæ. Deinde nemo eſt hominum, qui iuſte à pſeudochymicis illata ſibi eſſe damna queri poſſit, ſed omnes ſua incommoda ſibi ipſis accepta referre debent, quia notiſſimum eſt artificum effatum, diſcipulis ad pręcautionem, inculcatum ſæpius, omnem hominem in hoc artificio operam ſuam alteri ſponte offerentem, impoſtorem eſſe, vel artis ignarum, qui aliorum expenſis eam addiſcere cupiat. Loquor de his, qui artis ſcientiam temere profitentur, non de iis, qui ſocietate inita, ſtudia, labores & ſumtus conferunt, quia vnus alterum conſilio, re & opera aptiſſime iuuat, & ſi quid perit, tolerabilius eſt intertrimentum: & ſane abſque miniſtro vel ſocio vix artis finem quiſpiam aſſequitur. Itaque primo ſtatim intuitu pſeudochymicum agnoſcere cuilibet facile eſt, qui chymicorum libros vel tantum aſpexerit: at ſeductorem Theologum, niſi poſt plurimorum perniciem (vix enim niſi auctoritate parta & ſectatorum numero freti in publicum prodeunt) imperitum Aduocatum, niſi poſt cauſas clientum inſcitia ſua ſæpius proditas: indoctum & inertem Medicum, niſi poſt multorum neces quilibet non facile dignoſcet.

Artifices, vt à pſeudochymicis ſibi caueat quiſq; ſedulo monent.

Sicut iuris ignorantia neminem excuſat, ita neq; chymicis operibus deditum inſcitia præceptorum ab artificibus traditorum.

Ad reprehēdendum alios paratiſſimi in ſe parum animaduertunt.

Quis tamen veram Theologiam, rectum & legitimum Medicinæ vſum, vel aliam quamcunque ſcientiam abominetur & damnet? Non ex eorum te eſſe numero certo ſcio: inſulſorum id eſt hominum, oculos in aliena probra intentiſſimos habentium, propria autem flagitia diſſimulantium, non iudicio aut ratione præditorum, cum hi facile animaduerrant, ſuam cuique honeſtæ ſcientiæ eſſe æmulam vmbratilem illam quidem, odioſam hominumque ſocietati inutilem: quam ſapientiſſimi cuiuſque calculo explodendam condemnandamque fatemur. Alia ſunt & maiora, quæ tibi ſcrupulum iniecere. Animaduertiſti Regibus & Principibus Phyſicos & viros doctos affluere: itaque in animum incidere tuum potuit hæc cogitatio, quæ & aliis quoq; prudentib. non raro impoſuit. Si Alchymia eſt vera ars & tantorum commodorum, prout ſcripti de ea libri teſtantur, mater, qui fit, vt nemo principum, qui exercitio eius hactenus ſeſe oblectarunt, vel etiamnum oblectant, voti ſui compos factus ſit? Quæſtio eſt diſcuſſione digna: ſed ſi rem perpendas exactius, non erit, quod animum vlterius diſcruciet tuum. Compertum habes quotidiana experientia, multos prudentiæ etiam laude vulgo claros & otioſos paruis quandoque in rebus mirum in modum cæcutire, & propria etiam negligere negocia: quid mirum ſi principem grauioribus curis diſtractum in tam difficilis artis inueſtigatione, quam humanum captum, niſi

Suam cuiq; honeſtæ ſcientiæ eſſe æmulam.

Quare Reges & Principes artis finem non conſequantur rationes aliquot. Prima.

niſi à Deo illuminetur,excedere ſcribunt autores chymici,nonnihil ceſpitare contingat? Philoſophorum copiam habent quidem,iis tamen non vtuntur, vel propter ſcientiæ neglectum, theſauris enim & Medicis,quibus fidunt,inſtructi perfunctorie tantum eam inquirunt, nullum certum ſpectantes ſcopum,vel propter faſtidium,quo afficiuntur, dum à doctoribus & vſu rerum peritis ſemper dubitantibus tricæ & difficultates artis nimis multę iis proponuntur. Quare ſophiſtam aliquem aut impoſtorem magna promittentem, ac plana omnia oſtendentem à familiari quopiam commendatum in ſeruitium ſuum adſciſcent, eique ſalarium aſſignabunt potius quam Philoſopho.

Deinde quem vnquam Principum in tam arduo & graui negocio putas ſerio ſapientum expetiiſſe conſilia,qui ordinem aliquem aut modum ſtudendi oſtenderent,aut media docerent,artis fini accommodata? Voluptati explendæ tantum eam colunt, nec tanta induſtria vexare ſe volunt,quantam huius rei indagatio poſtulat. *Secunda.*

Si quis inter eos exiſtat, cui vir quiſpiam doctus à ſtudiis ſit, hic forte improbus erit,ſicut multo maxima hominum pars, & lucri appetentior ſua potius ſpectabit commoda, quam principis,parum certus quam diu aut is ſuperſtes futurus,aut eius beneuolentia duratura ſit. Itaque aliis peritioribus & exercitatioribus admitti ad principem contendentibus, ne ipſe extruberur metuens,per calumnias viam apud eundem obſtruet: vnde hic ſalubrium conſiliorum expers, eius ſolius commentis acquieſcit,& tandem pro ſperato theſauro, carbones,vt communi fertur adagio, reperit. *Tertia.*

Neque te fugit,quam oſcitanter & languide aliorum negocia obeant plærique præſertim ſi pro gratia iniuriam,pro beneficiis carceres,& libertatis amiſſionem vereantur. Quis enim credat hoc corruptiſſimo ſeculo, & tanta regnantium diuerſitate, ſectarumque fœcunditate,principem ei,cuius ſtudio & opera artis finem conſecutus ſit,libertatem priſtinam indulturum? Semper fere animum eius rodet timor, ne ille pro tanto beneficio parum ſibi ſatisfactum exiſtimans maioris ſe ſeruitio addicat, aut in inſidias præcipitatus aliquando aliis etiam ſecretum aperiat. Quibus conſideratis ſatius ducit ille, principem in tenebris verſari, erroribusque quotidie implicari maioribus: modo eius menſa eiuſque ſtipendio ſuſtentetur ſplendide, ſusque deque fert cętera. *Quarta.*

Vnde etiam firmiter mihi perſuadeo eum qui principis expenſis ſcientiam nactus eſſet,nulla habita debiti officii ratione, ſe eius ſeruitio extricaturum protinus: ſicut factum conſtat à Doctore quodam Medico nationis & linguæ Theutonicæ, qui aliquandiu principis cuiuſdam ſeruitio addictus,eiusque pecunia ac libris, variisque experimentis adiutus, artem Hermeticam ſe inueniſſe teſtatus eſt ante triennium in Italiæ vrbe Venetis ſubiecta (Veronam fuiſſe opinor) argento viuo in aurum puriſſimum conuerſo.Quod quomodo actum ſit, narrabo. Conuenerant forte fortuna in hoſpitium vnum & idem tres: Medicus, de quo nobis eſt ſermo. Secretarius Principis Anhaldini,cuius nomen excidit,& mercator Antuerpienſis,Ioannes Eremita vocatus.Dum menſę aſſident,incidit quæſtio,de Alchymiæ veritate à Secretario,vt audiuiſſe videor, mota, & poſt eius nonnullam ventilationem,Doctor,ſi placet,inquit,artis experimentum videre, certum & indubitatum ego oſtendam,& ne quid ſubeſſe fraudis ſuſpicemini eat alter veſtrum & emat à pharmacario argentum viuum & catinum fuſorium, deinde in ſuperius tabulatum aſcendite (in inferiori enim conclaui caminus deerat) & argentum viuum igni imponite, & cum fumare incipiet, me aduocate. Obtemperatum eſt, acceſſit, & è pixidula cultri acie extrema deprōtum puluiuſculum iniecit hydrargyro,& poſt moram aliquam edito ſtrepitu, facta eſt inquit, tranſmutatio,quā videre deſideraſtis,ite & aurum hoc artificibus examinandum tradite: quod & fecerunt, ſed non niſi cunctas probatiſſimi auri notas inuenere.Ita narrauit prædictus mercator, qui neque chymia delectabatur,neque in mendacio lucrum ponebat. Is & hoc addebat, Doctorem poſt compotationem largiorem,plenis manibus ducatos aureos ſibi obtuliſſe,ſed recipere noluiſſe, eo quod alienis non indigeret, ſuis contentus. Anhaldini Principis Secretarius cautior, aliquot grana pulueris aurifici ab eo petiit & impetrauit. Et quidem non ignorat Princeps, cuius ſe ſeruitio ſubduxit Doctor prædictus, prout ex aulicis eius intelleximus, eum Philoſophorum lapidem habere, ſed tota quæſitum Europa non inuenit,cum is nullo diu hæreat loco, ſed in peregrinatione ſecuritatem collocet omnem. Quocirca Principes, quamuis pecuniis,ſeruitiis, inſtrumentis & commoditatibus omnibus abundent, quibus ſæpius carent inferiores, tamen cum ipſimet ſtudere & experiri negligant,illorum labor caſſus & meditatio omnis inanis eſt: neque ab arte quiſpiam eſt remotior,quam is,qui aliorum opera illam inquirit. *Quinta.* *Hiſtoria primæ tranſmutationis metallicæ.* *Iehan l'hermit.* *Hydrargyri in aurum conuerſio.* *De argenti viui crepitu artis imperitus loqui non potuiſſet, niſi præſens fuiſſet.*

His accedit,quod Deus Opt.Max.ſicut bonorum omnium eſt auctor & parens,ita tanquam optimus œconomus ea quoque varie diſtribuit.Regibus,Principibus & Dynaſtis regnorum, prouinciarum ac vrbium gubernacula attribuit,aliis dignitates inferiores aſſignauit, quoſdam ad prælaturas euexit Eccleſiaſticas,quarum magna eſt varietas,hos militari peritia,illos literis,arte vel opificio quopiam fecit inſignes.Et hi quidem omnes vulgo ſpectabiles & publice oſtentui & admirationi ſunt,quos conditione ſua contentos Deus vult viuere.Sicut enim is mare coercuit littoribus,flumina ripis, & certis regna limitibus, quibus niſi ſe contineant,vaſtitatem inferunt,vnde ruina ſequitur multorum: ita dona ſua quoque in hominibus definitis concluſit terminis, quos ſi tranſgrediantur laſciua ingenia, ſibi & aliis non raro nocumentum adferunt: ſicut videre licet in antichymicis,qui profeſſionis ſuæ fines egreſſi aperte veritati reluctantur,& ſe ridiculos, aliosque inquietos reddunt.Qui autem exiſtimat Deum omnia ſua dona in illos, quos diximus, ſolos effudiſſe,& nihil reconditum habere, quod aliis à ſe ordinatis largiatur, quod non cupiat eſſe commune omnibus,nimis anguſtis cerebri ſui terminis Dei potentiam circumſcribit. *Sexta ratio.*

Septima.

Ad mundi quoque harmoniam & ornatum quid conducibilius, quam ingeniorum & complexionum tanta diuerſitas, dum hic ad Theologiam & diuinę Majeſtatis contemplationem, ille ad Iuriſprudentiam, Medicinam, Matheſin, aliasq; ſcientias reconditiores, ad architecturam vel opificium aliquod ſponte ſua rapitur? Sic n. & artes omnes & ſcientię emerſere. Si aliorſum torquere ardorem illum vel impetum velis, animi vigorem tollis, & alacritatem omnem retundis, ſicut mihi eueniſſe non te latet, qui quamuis ad phyſiologiæ abdita traherer, reluctabar tamen, & falſa hominum opinione deceptus, & eorum, qui parentum mihi loco erant, permotus auctoritate. Itaq; nunc iuris, nunc Medicinæ ſtudiis, ſtirpiumq; inueſtigationi deditus, tum vero Mathematicis diſciplinis incumbens, ſæpius hiſtoriarum oblectamenta quærens, animi quietem perdebam, & cor circumferebam turbatum, eo quod memoria deſtitutus, ea quæ magno labore didiciſſem, cito exciderent, donec tandem ab hinc annis duodecim, diuina adſpirante clementia, remis veliſque etiam admotis, quo impellebat ventus, fluctuantem diu inter vada nauem in chymiæ abyſſum direxi, vbi deſideratam dudum & fruſtra quæſitam animi tranquillitatem inueni. Profectum mihi non arrogo, ſtudium profiteor, de fructu iudicabunt poſteri. Eſt enim cognitis principiis vel contemplatio ſola ſiue theoria huius ſcientiæ tam excelſa, tam vtilis, tam iucunda, vt in admirationem operum Dei maximam rapiat hominem, & omnium, quæ vulgo pretioſa & rara habentur, contẽtum inducat. Qui abſque vocatione diuina aut naturæ inclinatione, propter diuitias mundique faſtum & vanitates alias chymiam colit, ille ſcopum nunquam continget optatum, reiiciendæ prius ſunt humanarum cupiditatum illecebræ.

Non eſt igitur, quod mireris, ſi principes Phyſicis & aliis commoditatibus omnibus inſtructos, videas eo bono carere, quo gaudent quandoq; eorum ſubditi: ipſi pecuniam profundere poſſunt, ſed Deus ſolus fortunam tribuit hominibus & cœpta ſecundat. Itaq; quæſtionis, qua plæriq; mouentur, ſolutionem audiſti, quæ ſi minus ſatisfaciat, accipe, quæ anno proxime elapſo Coloniæ Agrippinæ contigere: exempla enim plus mouent, quam rationes, quæ controuerti & in dubium vocari poſſunt: vnde & vulgo dicitur, experientiam etiam ſtultorum eſſe magiſtram. Venit eo nobilis Scotus vno comitatus famulo vir doctus, humilis, & ſupra modum ſobrius, ſed paulo impatientior iniuriarum & conuitiorum, quæ chymicis ab ignaris hominibus irrogantur, & proinde ad veritatem artis probandam procliuior, quam chymiſtarum poſcunt pericula. Is per aliquot dies hoſpitio S. Sp. ad Rhenum vſus fuit, donec, circummiſſo per vrbis compita famulo, inueniſſet quendam, qui ſtillatitio vini, aliorumq; vegetalium liquore victum ſibi familiæq; pararet: qui rogatus, num aliquos noſſet in ciuitate Alchymiſtas, monſtrauit ei Antonium Verdemannum, virum probum, pluribus experimentis chymicis & indefeſſo laborandi ſtudio vtcunque notum. Adit eum Scotus, & poſt colloquium admittitur recipiturque in domum, in qua hoſpitium ei vna cum famulo paratur. Tandem quærit nouus hoſpes, an non alius natione Scotus in vrbe habitaret. Verdemannus illi indicat M. Georg. profeſſione chirurgum in platea, cui nomen erat Cagenbock cõmorantem, ciuitatis & domus eiuſdem per 40. annos inquilinum, amicum paternum, & propterea ſibi à pueritia notum, ſed queritur de eius in chymicos acerbitate, quod eos ſannis & dicteriis vbique fere exciperet, ac fatuos, deliros, mendaces appellaret, aliiſq; eiuſmodi encomiis ornaret, qualia inimicus plerunq; eructat animus. Bene habet, reſpondit Scotus, mihi permitte negocium, is, ſi non pellem, mutabit ſaltem animum. Itaque eum frequentat aliquoties: confabulantur de Medicinæ atque chirurgiæ variis arcanis, dilabuntur tandem ad curationem cancri exulcerati. Interrogat chirurgum nobilis, an aliquod ſingulare eius calleat remedium? negat is, quin imo affirmat, pauciſſimos curari, quamuis enim vna corporis parte ſe proderet morbus totum tamẽ ægri ſanguinẽ contaminatum & infectum eſſe, non ſecus atq; in lepra. Tum alter, habeo, inquit, medicamentum quod vnius grani pondere propinatum (ſemel aut pluries me fugit) morbũ exigit per ſudorẽ & per aluũ: & addit, etiamſi ſtaret in ſtagno ad collum vſq; demerſus, ſudaturum tamen ægrum, apoſtemate poſtmodũ emplaſtro cõſolidatiuo curationẽ facile admittẽte. Dum ſtupet chirurgus & reſpõſum meditatur, alter metuens, ne pro familiari cõſuetudine arcani reuelationẽ poſtularet, ſermonẽ conuertit ad cauſtica medicamenta, & rogat, num aliquod nouerit inſigne. Annuit M. Georg. & ait ſe habere æſcharoticum non contemnendum, quod nullo aut ſaltẽ minimo dolore, qualis forte eſſet vrticæ, ſeptẽ vel 8. horarum tempore cutem vreret, cruſtamq; induceret, ſed id accedere incõmodi, ꝙ duodecim vel tredecim dierum ſpatio, ad ſuppurationem indigeret: & interrogat viciſſim, num is aliquod prĉſtãtius nouerit. Affirmat ille ſe cauſticũ ſcire, ꝙ nõ modo cutẽ diſrumperet, ſed & ſubiectã carnem ad ipſa vſq; oſſa breui tempore erosderet, illęſis neruis, ac vulnus 30. horarum ſpatio ad maturitatem ſe perducere poſſe. Miratur chirurgus & fieri poſſe negat, vt medicamentum carnem ita erodens neruis parcat. Alter defenſiuum ſe addere reſpondet, Cupit id audire M. Georg. ille benignus indicat. Laudat chirurgus & gratias agit, ſed tamen adhuc dubius precatur, vt ipſum quoq; cauterium cõmunicet. Ille pollicetur & rogat (quærebat autem occaſionẽ oſtentandę metamorphoſeos metallicæ nihil tale opinãti) num plumbum domi habeat adfert alter: petit deinde ſigillum & ſulphur, ſtatuitur vtrumq; in menſa. Dicit igne op⁹ eſſe. Reſp. chirurgus ignẽ ſe habere carbonum, & quidẽ ſatis validum, quẽ cocturæ medicamenti deſtinaſſet. Quærit Scotus, an habeat follẽ? habeo, inquit chirurgus. Tum ille: Nimium exilis, fabrili op⁹ eſt. Chirurgus nihil ſuſpicatus, eſt mihi, ait notus & amic⁹ aurifaber, adeamus ipſum. Aſſentitur, eunt, ſecum fert chirurgus catinum cum plumbo & ſulphure charta obductum, ne quid excideret. Veniunt ad domum Ioan. Campenſis cõmorantis iuxta forum vetus, ꝓpe Anchoram auream. Aberat forte domo paterfamilias, nihilominus officinam intrant, inueniunt in ea aurifabri filium, famulos quatuor, & puerum in eo artificio adhuc tyronem. Interrogat Nobilis, num ferrum vetus habeant,

Hiſtoria ſecunda tranſmutationis metallicæ.

Mira medicamenti vis, ſi vera.

Hans von Campen.

abeant,ſe eos docere velle, quomodo ex ferro chalybem conficerent. Reſpondet inter famulos præcipuus,profecto id nobis gratum erit, quia in hoc deſudatur iam Coloniæ non parum propter chalybis penuriam & caritatem. Itaque porrigitur Nobili fracti forcipis medietas: is iubet aliquot fruſta inde fieri, articuli digiti longitudine,& catino vna cum ſulphure ad eius petitionem allato apponi. Oſtendit deinde modum,quo pacto hunc & alium M.Georgio allatum in fornace diſponi velit,atque ſecedit, & è pera chartam depromit, in qua conſpiciebatur calx rubea, paruæ admodum quantitatis,quam cultelli acie primum,deinde chartam etiam bipartitur, cuius complicatæ vnam partem M.Georg.alteram famulo tradit catinis iniiciendas, qui carbones deinde exaggerare,& follib.ignẽ exuſcitare iubetur. Expectat auide rei euentum vterq;,quid ageretur ignorans,dum hic ferro chalybem,ille è plumbo cauterium ſperat. Tandem cum acceſſiſſet ad ignem, & capite ſolo propius admoto liquatum probe ferrum & tranſmutationẽ peractã animaduertiſſet Nobilis effundi præcipit,facit officium famul⁹,& exclamat,aurum eſſe,quod pręmanib.haberet; falleris,inquit alter,chalybs eſt puriſſimus,examina probe. Arripit malleũ famulus, & aurum diuerberat ad libitũ,igni admouet iterũ,ignitũ reſtinguit,& dilatat amplius,nõ percipit niſi auri puri inicia. Vocatur à puero aurifabri vxor,mulier prudẽs & examinũ auri & argenti nõ minus atq; maritus,petita vt teſtimoniũ de ea perhibent reliqui aurifices, quæ aurũ iterũ examinari iubet tã igne quam cotis lydiæ affrictu & coloririo. Eadẽ criteria in alterius catilli auro tentantur: plumbum & ferrum in aurum mutata agnoſcunt,quotquot erant pręſentes;nã & alii interea famulorum nutibus acciti aduenerant. Mulier offert pro lotone ſiue ſemuncia daleros 8.Colonienſes, ſed cũ amplius valeret,ille conditionem non accipit,verum vna cum M.Georg.dum animis adhuc fluctuãt illi,ex officina ſeſe proripit, & ſimulans obeundum ſibi aliquid eſſe negocii ab eo ſecedit, promittens reditum intra horæ ſpatium,quod & præſtitit,circumitis interim aliquot plateis, ne quis eum ſequeretur. Ibi tum M.Georg.hoccine eſt cauterium,quod me ſcire operæ pretium erat? Ridet alter & eoſdem luſus feciſſe ſe affirmat Roterodami & Amſterodami Hollandiæ vrbibus,Francofurti itẽ, Argentorati & Baſileæ,vbi auri etiam à ſe facti fruſtulum reliquiſſet D.Zuingero id petenti. Et de Argentina nobis quidem conſtat, nam mercator Colonienſis inde reuerſus narrauit iuxta diuerſorium ſuum aurum ab eo factum fuiſſe:qui & hoc retulit, quod interrogatus ab hoſpite ſuo Scotus,ex Magiſtratus mandato,cuius eſſet profeſſionis,& quæ diutinæ moræ cauſa,reſponderit, ſtudioſum ſe eſſe (ætatis autem annum agebat vigeſimum nonum)& peregrinationem inſtituiſſe, vt virum aliquem doctum quæreret,qui vere & abſq; fuco illi declararet, quæ & qualis fuiſſet prima illa materia, vnde mundus creatus eſſet. De aliis locis nihil hactenus intelleximus. Tum chirurgus:Imprudenter admodum agis conterranee, nam ſi principes hæc reſciſcant, inſidias tibi ſtruent,& carceri mancipatum arcanum cogent communicare. Reſpondet ille in ciuitate libera verſari ſe,& ſi contingeret à principe aliquo apprehendi,mille potius mortes obiturum, quam vt ſecretum propalaret,ſed ſi cuperet artis experimentum videre in magno auri pondere,ad quinquaginta aut ſexaginta aureorum nummorum millia aſcendente, ſe id illi non negaturum. Hæc acta fuere poſtridie D. Laurentii, die Lunæ qui fuit vndecimus menſis Auguſti, anno ſalutis humanæ milleſimo ſexcenteſimo tertio. Aurifaber domum reuerſus intellecta facti hiſtoria catillis fuſoriis arreptis inuenit duo auri grana lateribus adhærentia, quæ ad perpetuam rei geſtæ memoriam ſeruat. Quæres forte,quis nunc M.Georgio animus? Mutatum derepente mirati ſunt,qui ante eum nouere. Ipſum naturæ potentiam deprædicantem,chymicorum artificium extollentem, errorem ſuum atque culpam fatentem audiunt. Sed ij viciſſim nunc hominem rident & deceptum aiunt, pro ferro & plumbo vel ſulphure agili manu aurum ipſo non animaduertente ſubſtitutum fuiſſe: demum à chymicis corruptum & munerib. delinitum pronunciant, ne amplius in eos debacchatetur. Ille contra,ſe minime deceptum, vel decipi potuiſſe confirmat,& oculis ſuis ſe magis credere reſpondet,quam otioſis aliorum verbis. Eandem mentem à Deo aduerſariis noſtris optem,vt cæcitatem ſuam aliquando agnoſcant,pertinaciam deponant, & cordatius de chymiæ myſteriis ſentiant:ac cogitent eos,qui huiuſcemodi hiſtoriis,quia ipſi nihil tale viderint, fidem detrahunt, vel de ſua duntaxat opinione quid vbique geſtum vel non geſtum fuerit, decernunt, non ſolum inſaniæ aſſidere,ſed in Deum & naturam contumaces eſſe. Sex diebus ante ferri in aurum commutationem,quinto videlicet Auguſti, die Martis non abſimili modo pharmacopœum bilancis aureæ acceperat,in platea,quæ vulgo boven Marporg nominatur à Martis porta ſiue ſtatua, quæ ibi quondam, habitantem, quod quomodo geſtum ſit, ſubiungam. Die præcedenti intrauerat eius officinam Scotus interrogans num lapidem Lazuli haberet?profert ille è thecis ſuis. Sed cum non placeret,quęrit anne alium haberet? Ille negat ſe domi habere,ſed ſi altero die dignetur redire,ſe monſtraturum,qui placeret. Promittit reditum. Interea vero incidit ſermo, neſcio vnde ortus,de quodam, qui artificio chymico è lapide Lazuli argentum elicuiſſet. Aderat fortuito alius Pharmacopola Raymundus nomine,vir ſenex,& niſi fallor, Eccleſiaſticus: hi ridere incipiunt,& inquiunt,multa huiuſcemodi iactari, ſed artifices non comparere. Reſpondet nobilis Scotus, non omnia vana eſſe, quæ circumferrentur, quinimo reperiri adhuc artifices, qui maiora præſtarent. Illi cachinnantur,& ſomnia ſe audire exiſtimant: mordet ſibi labia Scotus, ac ſubiratus officina egreditur:redit ad hoſpitem ſuum, illique narrat, quæ ſibi euenerint, & ait conſtituiſſe ſe altera die pharmacopœum ludere. Reuertitur itaque luce ſequenti iuxta condictum, & poſt ſermonem de lapide lazuli,quærit ex pharmacario, num antimonii vitrum habeat? promit ille: hic cauſatur non ex arte factum. Is pro excuſatione adfert,ab alio ſe emtum habere, & rogat viciſſim, num meliorem eius præparationem nouerit. Aſſerit Scotus, & libenter eius ſe modum edocturum ait, modo eum ducat ad aurifabrum aliquem. Non negligit alter, ſed filium ſuum iuuenem

Quot locis ab vno metallorum facta fuerit metamorphoſis.

Tertia tranſmutationis metallicæ hiſtoria.

Argentum è lapide Lazuli elicitum arte chymica.

iam maturum & barbatum cum eo mittit, qui tritum antimonium ſecum deferret. Accedunt aurifabrum vicinum è regione fere D. Laurentii habitantem Ioannem Loendorp nominatum, qui ſtibium manu propria catino fuſorio impoſitum in igne diſponit. Nobilis interim depromit è marſupio pulueris quantitatem valde exiguam: diuiſi, vt antea medietatem chartę incluſam aurifici in catinum iniiciendam tradit: qui cum poſt decoctionem antimonium ſupra lapidem politũ effundere vellet vitrum expectans, ſicut ex pharmacopolæ filio intellexerat, non opus eſt, inquit Scotus, funde in canalem. Facit ille quod iubebatur, & aurum inuenit; Miratur & ſtupefacti hærent, quotquot in domo eſſent: nam præter magiſtrum aurificem & pharmacopęi filium, aderant inſuper famuli duo, & alius mihi non tam de nomine, quam facie cognitus. Aurifaber dubitans, num faſcinati ſibi fuiſſent oculi, an vero ab ipſo pharmacopœo eluſus, Domine, inquit, cerno eiuſdem pulueris aliquod tibi reliquum eſſe, videamus quæſo aliud eius experimentum. Conſentit alter, & certum plumbi pondus imperat. Aurifaber callidus plumbo ſtanni partem adiicit, exiſtimans in auro factitio fragilitatem relictum iri, ſi aliqua ſubeſſet fraus vel ſophiſtica. Alter diſſimulat & iubet in igne poni, depromit puluiuſculi reliquum & vna cum charta rubeo colore tincta aurifici tradit tigillo immittendum, vt prius. Is poſt eius coctionem modicam iterum aurum inuenit, non quidem friabile ſicut opinabatur, ſed ad omnem dimenſionem extenſibile. Iterato ignitum reſtinguit & coloritio examinat. Sed nulla niſi auri puriſſimi indicia deprehendit. Neque vllus relictus fuit ſophiſticæ locus: antimonium quippe & ſulphur quæ ſumma cum cemento ſunt auri examina puluerem ſiue calcem exterminaſſent, niſi lapidis fuiſſet Philoſophici. Adulterinum etiam aurum vel argentum per proiectionis modum (vocabulo vtor chymico) non fit, ſed cementis decoctionibus, variatumque rerum applicationibus. Quatuor iſtis experimentis auri puri vncias ſex, drachma vna minus, conſecutus fuit Scotus, neque amplius quam grani vnius tritici pondus ſe inſumſiſſe dicebat. Inter quæ hoc notatu dignum occurrit Chymicophyſicis examinandum, quod aurum è plumbo factum altioris paulo fuerit gradus, colorisque viuacioris præ reliquo minerale metallum imitante. Qua occaſione moti fortaſſe Chymici ſcribunt aurum per Philoſ. lapidem factum melius eſſe minerali, quamuis etiam ad auri primum è mineris eruti impuritatem reſpexiſſe potuerint. Interrogatus ab hoſpite ſuo Verdemanno Scotus, quare ſulphur metallis tranſmutandis adderet & cur non potius argento viuo vteretur, quod maiori & lucro & faciliori compendio tranſmutationem admitteret, reſpondit ſe nolle, vt idiotis & plebeis hominibus naturæ artisque poteſtas innoteſcat: & circa remotiora verſari potius, vt viri ratione & iudicio prædit inde colligerent, quæ & quanta eſſet tincturæ vis in propinquiora, hydrargyrum nimirum & argentum.

Antimonii in aurum tranſmutatio.

Stanni & plumbi in aurum mutatio.

Debito enim modo ſi facta fuiſſet proiectio, decem ad minus auri puri vncias ex vnico grano retuliſſet, cum grani illius virtus quinque millia aureorum granorum tranſcenderet. Multa de hoc viro perſcribere tibi poſſem, niſi Epiſtolæ modum nimium vererer excedere: illud tantum adiiciam, illum Verdemanno, apud quem ſeptimanis quatuor & amplius diuerſatus eſt, commemorare ſolitum, ſe multo plus auri in Germania triennio conſumſiſſe, quam ipſe ponderaret, & habuiſſe ſæpius ſuum famulique thoracem ita ducatis ſuffultum, vt iis pro lorica eſſent, & grauarent geſtantes, præter eos, quos inter ſarcinas condidiſſent. Non igitur aures præbebis illis Philoſophiæ myſtis, qui negant auro chymico ad contractus & commercia vti licere, multoque minus ad monetarum mixtionem. Si ſophiſticum intelligant, quod centuplo rarius eſt legitimo, cum laborioſius, ſumtuoſius, & difficilius paretur, & non niſi caſu prodeat, aſſentior: imo Theologis ſcrupuloſiores ſunt chymici, qui tale aurum, quantum in ipſis eſt, fieri vetant, & ne ad ornatum quidem admittunt, ne per feneſtram domus irrepens fraus, ianuam tandem nequitiæ aperiat. Sed ſapientibus Reip. Venetæ non diſplicet aurum vndecunque importatum, neque interrogant eorum monetarii, ſeuero ſenatus interdicto prohibiti, vt à pluribus accepi, chymico artificione factum ſit an ſecus, prudentiſſimo ſane conſilio, bonitatem ſolam explorant.

Tinctura virtus.

Aurum adulterinum rariſſimum, argentum frequentius.

Prudentiſſimi hominum Veneti.

Ignorantes ſeuera Chymicorum examina parum curant, quid chartis illinant.

Diſcant ab iis, maleſuadi homines, & principibus ſuis non parum ſæpe detrimenti adferentes, atque à monetarum probatoribus & docimaſtis idiotis veriorem Philoſophiam, quorum vnus Coloniæ, qui & bractearius, interrogatus quid acturus eſſet, ſi aurum chymicum illi adferretur? examinarem, inquit, probe, & ſi omnes auri puri notas inuenirem emerem, ac nummos inde cudendos procurarem, etiamſi è ſtercore confectum eſſet. Non auſcultabis etiam illis, ſi ſapis, qui auro chymico vires ſalutares auri naturalis inſano auſu & imprudentia maiori detrahunt, & in medicamentorum vſum aſſumi vetant ridiculis rationibus, eo quod à carbonario igne & hydrargyro noxias qualitates contraxerit. Viris doctis indigna ſunt verba. Quis enim ignorat per ignem heterogenea, volatica & noxia omnia abſumi, vel in fauillam & cinerem redigi, homogenea vero & quæ purioris ſunt eſſentiæ aggregari? Deinde an in metallicorum ſcapręſulis carbonarium ignẽ deeſſe exiſtimant hi homines? Si quilibet de re non intellecta ſcribens credi ſibi vult, actum eſt de omni plane Philoſophia. Quis etiam medicorum hydrargyrum venenatum pronunciauit, niſi qui eius naturam & vſum ignorauit? cum plurium teſtimonio à multis innoxie potatus ſit, & in Carinthia & Carnia viciniſque locis puerperis ad facilitandum partum propinetur, & exterius quoque applicatus multis affectibus non parum conducat? quid etiam, quod ex eo ſolo multa non ſolum innocua, ſed ſalutaria quoque parari medicamenta ſciant Medici chymici? Si venena dicenda ſunt omnia, quæ humanæ naturæ familiaria non ſunt, aurum etiam minerale & lapides pretioſi, & ligna pene omnia venena erunt. Plinii grandiloquentia non raro veritati obſtrepit. Aurum imo & elyxir ſuum ex argento viuo parari non inficiantur chymici, ſed & naturalis auri eandem eſſe materiam neque aliunde conſtare poſſe, certis norunt argumentis, quibus credendũ potius eſſet, quam

Aurum chymicum impropriè dicitur, ſed ad differentiam mineralis auri ita appellamus: cum ipſum hoc non minus naturale ſit, quia nihil artifex in opere Phyſico ſibi vindicare poteſt, præter miniſterium, actiua videl. paſſiuis applicando & calorẽ conuenientẽ ſuppeditãdo.

quam iis, qui nullam mineralium habentes notitiam otioſe ſimul & odioſe de illis diſputant. Cu-
ius exiguum eius ab ipſa natura petitum experimentum? Quinq; vel ſex hydrargyri libris libram
vnam cupri, ferri, argenti impone, ſupernatare videbis, inijce drachmam vel granum vnicum auri
puri, ſubſidet, & tanquam prolem amplexabitur mater. Nemo Phyſicus dicet pondus in cauſa eſ-
ſe, quo cætera metalla ab auro vincuntur, quia minus ponderat auri drachma, quam ferri libra, ſed
ſympathiam & cognationem ſolam. Demum quis ignorat maturitate amara & acerba multa mi-
tigari & dulceſcere, & igne valido venena & mortifera eneruari & pernicioſam vim deponere? A
naturali auro quilibet abhorrere magis deberet, cum in mineris non ſolum concurrant ſulphuris
& hydrargyri fumi, ſed & cadmiæ & antimonii, nec nō arſenici lethales ſpiritus. Proinde ſi naſutu-
li illi pergant vlterius tibi moleſti eſſe, rogabis eos, vt te & docimaſtas doceant, quomodo & qui- *Exercit. contra Card. 23.*
bus indiciis aurum chymicum à minerali dignoſcatur & vlterius negocium non faceſſent. Quod
vero attinet ad extrauagantem, ſpondent, quæ etiamnum extat in iure canonico, nemo, niſi Sca-
liger aliquis, chymicos pluſquam vatiniano proſequens odio, vt ſcribit, vel ei ſimilis quiſpiam af-
fectui magis, quam rationi indulgens, non videt, canonem illum vel ex falſa hypotheſi proce-
dere, vel ſolos impoſtores & falſarios notare, ſicut indicat Rubrica, vnde etiam à I.C. legitimum
artis vſum defendentibus non immerito præteritur. Veri enim Alchymiſtæ neque diuitias aliis
ſpondent, neque ſcientiam iactitant, multo vero minus auro vel argento Sophiſtica tranſmuta-
tione confićto, vt edićti verbis loquar, in commerciis vel monetarum mixtionibus vtuntur, ſed
id tanquam peſtem auerſantur, & ne vltro quidem oblatum recipere, vel eius compoſitionem ſci-
re cuperent. Siquidem chymiſtam non ſolum culpa, ſed etiam adulterii ſuſpicione omni vacare
decet.

Audiſti, quæ Coloniæ acta ſint, lippis etiam & tonſoribus nota: maledicos tamen defore
non dubito, qui dicturi ſint magum fuiſſe Scotum, & aurum à Diabolo ſuppoſitum, & ſimilia,
quæ veſanorum hominum fert libido. Sed hæ ſunt antiqui Draconis technæ, vbi in throno Maje-
ſtatis ſedere non poteſt & adorari, ſaltem procurat, vt Dei vel naturæ mira opera ipſi adſcriban- *Sic vnaquaque mater*
tur, & ſic foueat mendacia, pernicioſasque alat diſſenſiones. Nihil hactenus actum eſt Io. Andreæ *incerta erit*
I.C. teſtimonio, quo M. Arnoldus de Villa noua perhibetur aurum à ſe factum examini permi- *prolis ſuæ,*
ſiſſe monetario. Expermentum pharmacarij Taruiſini, qui coram Venetæ Reip. Duce, & Senato- *quia Diabo-*
ribus aliquot, argentum viuum in aurum purum conuertit, atteſtante Hieronymo Canlano & a- *lus aliam*
liis plurimis eluditur. Doctoris Med. Anſelmi à Boot Belgæ Pragæ commorantis aurificium vili *ſuppoſuiſſe*
penditur, qui chymicorum olor maximus, caſu tamen in aſſeribus, quibus liber chymicus tectus *potuit.*
erat, grano vnico lapidis Philoſophici inuento, cum vtendi modo in charta deſcripto, accerſito *Varia tranſ-*
aurifabro, virtutem eius, qualis prædicatur, deprehendit. Cuius hiſtoriam ante etiam mihi cogni- *mutationis*
tam, latiſſime perſecutus eſt Nicol. Barnaudus Med. commentariolo ſuo in ænigmaticum quoddā *metal. ex-*
epitaphium. Nihil etiam fidei meruit hactenus apud peruicaces homines nobilis viri Thaddæi *empla.* 1.
Clariſſ. & doctiſſimi Medicinæ D. & filii eius Simonis Cæſ. Maj. aulici, auri puri maſſa, ſex vnciarū 2.
pondere, quam accepto ex Anglia puluere ipſimet ex hydrargyro conſecuti, oſtentare ſolent pe- 3.
tentib. Neminem ex refractariis iſtis ingeniis mouere hactenus Eduardi Kellæi Angli reiteratæ to- 4.
ties, malo ſuo, tranſmutationes, quamuis neque ipſum pulueris aurifici autorem dixerim, ſed ali- 5.
um eius conterraneum, qui ſcripto ſatis prodidit, quantum in chymico profeciſſet artificio. Tot à 6.
Io. Franciſco Pico Concordiæ & Mirandulæ Domino auri & argenti à diuerſis factorum hiſtoriæ *Aduerſario-*
pro fabulis habentur. Et quis tandem iſtorum hominum, ſolis ſibi credi volentium, proteruiam *rum proca-*
verbis exprimere queat? Quæ in Saxonica geſta ſūnt aula, quę Florentiæ, vbi inter ſelectiores & *cia & pro-*
rariores Magni Hetruriæ Ducis Theſauros clauos duos ex media parte aureos ex altera argenteos *teruia.* 7.
artificio chymico conflatos aſſeruari, mihi Venetiis ſcripſit Clariſſ. & Doctiſſ. Medicinæ D. Nico- 8.
latius de Nigris diſſimulantur: quamuis vtrobiq; puluere latrocinio quæſito rem actam arbitrer,
iugulato Carmelitarum ordinis Monacho. Poſſem nominare principem adhuc ſuperſtitem, niſi 9.
diſplicere timerem, in cuiꝰ aula præter tincturas alias parum quæſtuoſas, ter à diuerſis lapidis Phy-
ſici virtute argenti viui in aurum facta fuit metamorphoſis. Nemo tamen eorum pulueris autorē *Cupri in ar-*
ſe profeſſus eſt, ſed ab aliis accepiſſe aiebant omnes. Cuprum in argentum mutatum ab vtriuſque *gentum*
Med. D. Gallo (nomen adderem, niſi exiſtimarem eum viuere) videre Coloniæ non pauci, & inter *tranſmutatio.*
eos vir nobilis & ſenatorii ordinis D. Anton. Rinck, qui ſeſe interfuiſſe, neq; fraudem vllam inter- 10.
cedere potuiſſe mihi aſſeuerauit non ſemel. Ibidem alium noui Hermannum Denck vocatum, 11.
qui pulueris aurifici, cuius experimentum cum nonnullis aliis viderat antea, granum vnum con-
ſecutus, illud in immenſum augere ac multiplicare tentauit, ſed fruſtra, principiis enim ſcientiæ
deſtitutus illud corrupit.

Quantitatem quidem eius auxit aliquoties, quod non eſt difficile etiam idiotæ, ſed virtutem 12.
minuit. Itaq; ſi liquefactionis igni imponat, prodibit aurum ea quantitate, in quam ante augmen-
tum ſeſe pulueris virtus extendebat. Sunt & alii mihi noti, qui argentum continua hydrar-
gyri appoſitione certa temporis periodo nutriunt, & pondere ac quantitate auctum ad moneta-
rios deferunt. Quorum opus, ſatis alioqui moleſtum, aliquando mihi viſum; aſparagis ad minimi
fere digiti longitudinē è terra pullulantibus ſimile apparebat. Fatetur item R.P. Martinus del Rio 13.
ſe plures nouiſſe viros graues, in dignitate poſitos, & Deū timentes, qui chemię veritatē ſuo con- *Diſquiſit mag. lib. 1.*
firmarēt teſtimonio. Hæc & plura alia, quæ coaceruare poſſem, tanq̄ in Trophonii antro ab omniū
hominū cōuerſatione alieni toto vitæ curriculo deſediſſent, aduerſarii prætereūt: antiquorum & *Aduerſario-*
neotericorū Philoſophorū, qui libros de chryſopœa, experiētia cōprobatos, reliquere auctoritatē *rum iniqui-*
ꝓculcāt: ſacroſanct. legū ſanctiones, quibus rei antiquæ famam ſolam ꝓ ſufficienti eſſe probatione *tas.*
decer-

decernitur, floccifaciunt: Dei duobus vel tribus teſtibus credere iubentis in re etiam maiori momenti, mandata violant: eiuſque mira opera vel perpetuis inuoluere tenebris ſatagunt, vel in commodorum omnium autori Sathanæ aſſcribere. Veritatis cupidi diſputationis ſcopum haben obſcurorum elucidationem, dubiorum explicationem, litigioſi, vt conuitia liberiori lingua pro fundant.

Aduerſariorum mendacia.

Itaque Alchymiam impoſturam meram eſſe, non artem: nunquam ex alio metallo aurum per naturam vel artem factum fuiſſe: ſpeciem vnam metalli in aliam non mutari, & ſimiles næni as procaciter effutiunt, tanquam alii omnes cæci eſſent vel mente capti, & nemo oculis ſuis poſſe credere. Vanitatem illorum ante annos quatuor redarguit vir eruditus, qui Diſquiſitionem d Helia artium ſcripſit, & Illuſtriſſ. Principi Mauritio Haſſiæ Landgrauio dedicauit, in qua & quin que metallorum in argentum viuum commutationem aperte docuit, & ſpecimina aliquot me tallicæ tranſmutationis exhibuit à ſe inuenta & probatu facilia. Gaſto quoque Claueus Niuerni ſubpræſes, in Apologia ſua contra Thomam Eraſtum, duos metallicæ tranſmutationis modos à ſ repertos deſcripſit, quamuis chymico more nonnihil velatos. Inuentus nihilominus interea eſt qui chymicos omnes, nullo vel principum vel virorum doctorum reſpectu, pecudibus compara ret, imo brutis deteriores eſſe ſcriberet. Non itaque eos veritatis indagandæ impellit amor, ſed ri xandi inprimis libido, deinde inſatiabilis auri fames. Cuperent Chymiſtas in publicum proſilire & illorum periculo ſuos auri montibus paſcere oculos: chymicis opibus conſcribi exercitus vel lent, & ſoliis ſuis deturbari Reges. Orbem terrarum concuti, & cœli cardines moueri oporteret, vt nouitatum & turbarum cupidi metallicam metamorphoſin crederent. O inſaniam & cæcæ men tis ſtultitiam? Chymicorum humilitas, latitatio, & à mundi vanitatibus ſubtractio diſplicent, & faſtidium pariunt. At non laboramus vt ipſi credant, ſerio enim procurarunt Chymici, vt videntes non viderent, audientes non audirent, niſi quibus Deus fauerit, non neſcii, quæ Reip. ſequeren tur incommoda, ſi omnes crederent. Vt nobis liceat eſſe quietis optamus: tenebrionum, veterato rum, pecorum, hæreticorum, Magorum, & aliorum cognominum, quæ humana dictauit impro bitas, cõgeriem horremus. Niſi caſtella in aere molirentur hi homines, & patulis faucibus hiantes grandes captarent bolos, vel nouitatibus gauderent, conſiderarent in plumbo & ſtanno eandem vim, quam lapidi ſuo aſſcribunt artifices, quamuis ob groſſitiem & immunditiem obtuſiorem. Non eſt magnæ molis, tranſmutationem metallicam perſuadere veritatis amatori: ſed contentio ſis atque falſi imagine ſeſe oblectantibus quis ſatisfacit? magno artificio aut labore opus non eſt, quilibet ruſticus, quælibet mulier vel duodecim annorum puer ſi argentum viuum plumbo poſt fuſionem moderatam è ſcoriis repurgato, & ad priſtinam duritiem reuerſo, ſed adhuc fumanti ſu perfundat, & operculo contectum loco calido vel cineribus pauliſper detineat, videbit id coagu lari. Coagulatum eo modo abradat (vel vt abradere non ſit neceſſe, inter fumans plumbum & hydrargyrum, impreſſa prius calculo fouea, linteolum rarum interponat) ac vitro impoſitum in feruenti decoquat arena, & poſt paucos dies in plumbum tranſiiſſe inueniet. Et ſic quilibet habe re poteſt lapidem plumbificum: cum vna enim libra plumbi poterit ex hydrargyro vulgari decem vel etiam centum parare, ſi lubeat, ſi præſertim citra vltrave plumbo conuenientem coagulatio nem non ſubſtiterit, vel proceſſerit decoctio, quod experientia deprehendendum eſſet. Sicut e nim vnus annulus, à magnete tractus, alium trahit, ita etiam mineralis vis, quam ſulphur ſiue ſul phureum halitum vocant Chymici, in argentum viuum ſemel diffuſa, perpetua ſucceſſione in im menſum ſe extendit, arte præſertim adiuta. Poſterius hoc de plumbi multiplicatione expertus nõ ſum, quo enim emolumento aut fructu? ſed fieri non dubito.

Metallorum in argentum viuum conuerſio.

Aduerſariorum infamia.

Aduerſarii in conuiciando ſtrenui.

Argenti ☿ viui in plumbum mutatio.

Vis mineralis omnium mirabilium cauſa in Alchymia.

Vna argenti mobilis libra hoc tempore 24. libris plumbi ☿ ix permutatur.

Huiuſcemodi principiis & demonſtrationibus inſtructi antiqui Philoſophi, tentarunt auro & argento eandem vim inſerere, vel naturaliter inſertam, ſed profundius abditam, eruere & foras euocare, euocatam ſubtiliorem reddere, augere & intendere: quod etiam, cœptis aſpirante diui no numine, aſſecuti ſunt, & quidem cumulatius multo, quam ſperare auſi fuiſſent: quod artificiũ ſcriptis obſignatum poſteris reliquere, exiſtimantes omne bonum eſſe diffuſiuum ſui. Hæc eſt Chymiſtarum Magia, ob quam ab ignaris & inuidis male audiunt, adeo vt quidam mendaci ore non vereantur proferre, illos Dei attentare munus, & ordini creationis reſiſtere: cum tamen illi & Deo ſoli tantum donum referant acceptum, ac inſtrumento ab illo creato, natura nimirum vtan tur, eiusque ductum ſequantur, ſine qua omnem laborem ſuum caſſum, omneque ſtudium inane non ignorant. Hęc eſt illa Magia, quam Diabolus, hominum morbis & incommoditatibus gau dens, in imo tartaro ſepultam vellet. Quod manuum ſuarum laborem manducet quis, quod abſ que alterius iactura vel iniuria diteſcat, quod bene partis opibus melius vtatur, quod diuitiis afflu entibus ſeſe non efferat, ſed ſeipſo neglecto aliorum ſalutem & vtilitatem procuret, hoc eſt quod ſuperbo diſplicet. Hoc inuidum torquet.

Aduerſariorum maledicentia.

Chymicorũ conatum in natura fundatum eſſe.

Diaboli inuidia.

Hæc tibi perſcripſi, frater, non vt te, aut chariſſimos mihi nepotes ad Alchymiam vocarem, quam potius diſſuaderem, ob difficultates plurimas, quæ tam inter ſtudendum, quam operãdum occurrunt, ſed vt hæſitationem omnem tibi adimerem, & veritati, quæ ab aduerſariis in dubium vocatur, & argutiolis quibuſdam labefactatur, teſtimonium perhiberem. Minus vero hæc ad te dedi, vt ſophiſtis aut impoſtoribus patrocinarer: ſcio enim, non defuturos nebulones, qui tanquã claſſico his narratiunculis exciti, in medium prorumpant, & eius ſe artificii, cuius ne principium quidem deguſtarunt, peritos aſſeuerent, ſimplicesque eludant, & pecuniis emungant, ſicut conti nuo à Nobilis Scoti, de quo actum eſt, diſceſſu tentatum à quodam: qui Coloniam veniens non minora dare ſe poſſe artis chymicæ documenta perſuadere voluit: ſed cum ſtatim poſt contractam notitiam pecuniam mutuo peteret, fidem non inuenit, ſed exploſus eſt, quod & aliis vt eueniat, ex

intimo

ntimo cordis affectu & opto & precor. Quo etiam ab iſtiuſmodi hominum colluuie caueas, e-
regiam & minime dubiam tibi narrabo hiſtoriam. Tempore eo, quo Haſſiæ Landgrauius Mech-
niæ captiuus detinebatur, à felicis memoriæ Cæſare Carolo V. venerat in Belgium eius filius
hilippus, poſtea Hiſpaniarum Rex & Belgii Dominus, cuius anima in benedictione ſit. Erat ibi-
em & nobilis Germanus Stauberger dictus, is inita ſocietate cum eiuſdem nationis medico, ab
o acceperat drachmas aliquot pulueris argentifici, non quidem ſummæ virtutis, ſed quæ ſuffice-
et ad artis comprobationem, cum pollicitatione maioris quantitatis & vberioris fructus, ſi tem-
us præſtolari vellet: cupiebat autem hominis ingenium in exiguo explorare, ſicut euentus do-
uit. Is fortunæ ſuæ inſolens, poſt factum domi experimentum, ſtatim in aulam prouolat, & per
roceres quoſdam aditum ſibi ad Regem parat, indicat quid fecerit, & quid ſperet, paratumque
ait coram Regia Maieſt. experimento dicta ſua confirmare. Aſſentitur Rex, horam & locum
atuit. Adeſt præfinito tempore Stauberger, aduocatur aurifaber, qui ageret quę agenda eſſent.
mponitur igni cum catino argentum viuum coram ipſo Rege & proceribus quinq; vel ſex, quo-
m omnium nomina annotata vidi, ſed exciderunt: memini tantum præſentem inter alios fuiſſe
ræſidem Conſilii ſiue Parlamenti Mechlinienſis. Iniicitur tandem feruenti hydrargyro pulueris
erta portio, & poſt illius transformationem referuntur argenti puri portiones vni illius pulueris
eſpondentes ducentæ quinquaginta, ſiue vt alii contendunt, ducentæ ſexaginta. Rex nouitate
ei grauiſus, accepta ab eo pixidula, in qua puluis erat reliquus, non paruam pecuniæ ſummam illi
umerari iuſſit, maiorem pollicitus, ſi aut ipſe puluerem parare, aut Alchymiſtam, à quo illum ac-
eperat, ad ſeruitium ſuum pellicere poſſet. Verum is intellecto facto ſtatim ſe è Belgio proripuit;
eq; poſtea inuentus eſt. Quid autem ſecutum? Nobiles aliquot viri & diuites partim viſo, partim
x aliis intellecto rei geſtæ euentu idem ſe artificium facili negocio aſſequi poſſe ſperarunt, modo
ocietate inita pecunias conferrent, & alchymiſtas aliquot ſibi aſſciſcerent. Conuolarunt ſtatim,
anquam ad cadauer vultures multi, quorum delectu habito, aliquot, qui vel à longa experientia
el fide commendabantur, ſtipendio conducuntur. Laboratur per annos aliquot, fornaces, vaſa
c inſtrumenta alia tanto congeruntur numero, vt vix domus eſſet, quæ ea caperet. Multa quidem
nterim & iucunda & cognitu digna ſeſe iis produnt, quæ ſi literis comprehenſa eſſent, vtilitatem
uoque non paruam adferrent, ſed circa aurificium vel argentificium nihil omnino ſucceſſit, ne-
ue ſuccedet vnquam illis, qui abſq; ſtudio præuio, aut per homines imperitos Phyſicum tenta-
unt opus. Itaq; ſpe ſua fruſtrati & ſumtibus defatigati viri nobiles ſocietatem tandem abrum-
unt. Interrogatus de his à me Sereniſſ. Bauariæ Principis Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis auli-
us Ameiden, cuius pater cum aliis ſocietatem inierat, rem ita ſe habere & vaſa aliaq; inſtrumenta
uibus vſi eſſent pſeudochymici in caſtro quodam adhuc aſſeruari, affirmauit. Ipſum Stauberger
nalorum omnium caput audiui inter fornaculas ſuas forte carbonum fumo, ſiue pernicioſo hali-
u ſuffocatum, mortuum fuiſſe inuentum. Hi nimirum ſunt fructus, quos homines incauti & te-
nere ad quiduis experiendum prouolantes carpunt, dum quod alios aſſecutos audiunt, ſibi quo-
ue ſpondent. Quæ incommoda vt vitarentur, chymicorum nemo aliorum geſta narrauit vnquã,
ed propria, vt iis fidem nemo adhiberet, niſi à Deo vocatus. Ego quoq; ad has narratiunculas nun-
uam progreſſus fuiſſem, niſi animaduertiſſem Dei & hominum inimicum Diabolum per ſatelli
es ſuos totis anniti viribus, vt Eccleſiæ Dei tantum theſaurum eripiat, atq; filiis ſuis, infidelibus
imirum ſchiſmaticis & hæreticis vendicet: & Chriſti pauperes egeſtate & morbis deſperatis affli-
ti tam ſalutari tamque ſtupendæ virtutis medicamento deſtituantur.

Alia tranſmutationis metallicæ hiſtoria.

Hydrargyri in argentum mutatio.

Irriti multorũ conatus.

Quid autorẽ mouerit, vt hanc epiſtolã publicarit.

Hæc ſatis fore arbitror, frater, & tibi, ad omnem de metallica metamorphoſi dubitationem
ollendam, & aliis, ad verſutias & fraudes impoſtorum præcauendas: quibus ſi male ſani quidam
ures nihilominus præbeant, teſtor Deum & homines omni me vacare velle culpa, qui iſtiuſmodi
arrationes non ad aliorum perniciem, ſed ad Dei illuſtrandam gloriam & veritatis comproba-
ionem, ab aduerſariis quodammodo coactus publicauerim. Si vero cauſas tam mirandorum ef-
ectuum, qui tincturæ aſſcribuntur Phyſicæ, ſcire etiamnum deſideras, & qua ratione metalla per-
neet, ac argento viuo iungatur illudque percoquat, ad libros ſeptem de lap. Philoſoph. condit. re-
urtes, quos vna cum eo de Alchymiæ difficultate, atque exercitationibus in Paracelſicæ chymiæ
ongeriem, & apertis dilucidiſque in Ioſephi Michelii Lucenſis opus animale commentariis, tan-
uam ad prælum deſcriptos inuenies, ſi forte ante editionem vita me contingeret decedere.

Concluſio.

Libri autoris partim editi & nunc recogniti, partim noui.

Si tamen interea tibi, metallicam metamorphoſin iam perſuaſo pergat quiſpiam importu-
us eſſe, & dicat ſpecies non miſceri: ex duobus actu exiſtentibus vnum forma fieri non poſſe: i-
em: ex duobus entibus per ſe vnum ens fieri non poſſe, & ſimilia, amandabis eum ad Batauiæ &
riſiæ ruſticas, qui illi oſtendant ex coagulo & lacte caſeos fieri. Eſt enim eadem & par vtrobique
atio, quam in chymicorum libris explicatam inuenies, niſi quod tincturæ Phyſicæ, propter mul-
iplices & reiteratas ſæpius digeſtiones ſubiectique aptitudinem, quod ignis calori reſiſtere potuit
alidius, auctior virtus & ignea quodammodo vis inſerta ſit, quod in coagulo, tanquam ſubiecto
ninus idoneo, & ad corruptionem prono, fieri non potuit. Vale.

His adiungere placuit venerabilis viri Raymundi Lullij vitam, mihi à Secretario Illuſtriſſ.
Domini Don Guillielmi de Sancto Clemente Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi Catholico à conſi-
liis, atque eiuſdem apud Cæſ. Majeſt. Oratoris, communicatam: ad diluendam duorum Ni-
colaorum, Eymerici & Guibertti Lotharingi M.D. aliorumque eius farinæ
hominum virulentiam, adhibita tertij Nicolai de
Pace Theologi antidoto.

VEN.

VEN. RAY. LVLL. VITA, PRÆ[...] tim ex Nicolao de Pace Theologo excerpta.

RAymundus Lullius, natione Cathalanus, incolatu autem Maioricenſis, cum antiqua & nobili Lulliorum Barcinonenſium familia ortus, in Palatio Iacobi Regis Maioricarum adoleuiſſet, ſuo generis & morum ſplendore in menſæ Regiæ Seneſcallum euehitur. Huius ætas lubrica impulſa opibus & amicis, vanos fœminarum amores facile concepit. Quorum longa conſuetudo iuuenile pectus vſque adeo poſſederat, vt etiam ſuſceptis ex caſtiſſima vxore pulcherrimis liberis adhuc alterius fœminæ, cui pridem ſeruierat, inflammatis, pluſquam dici poteſt, amoribus teneretur. Poſt vbi diuina prouidentia contigit illam ſub pectore lethali vlcere laborare, Raymundus factus certior infortunij, triſtitia vincitur: Et cum non poſſet membris conſiſtere, proſtratus in lecto, nihil niſi tenebras & ſolitudinem cupiebat. Lachrymis igitur atque ſuſpiriis mœrore animi parumper exhauſto, meditanti, calamitatem ſuam, & longum à ſalute digreſſum, rythmis vulgaribus (in quibus componendis facilis erat & bene peritus) deplorare, Ieſus crucifixus dextrorſum apparuit. Mundanus homo diuina viſione perterritus, inceptum flebile carmen dimittit. Quod interiectis poſtea diebus, quater conatus abſoluere, quater, vt primum & circiter eandem horam Crucifixum vidit. Poſtremo tam crebræ viſionis cauſam ſecum ipſe tota nocte perquirens argui ſe vanitatis & vocari à Chriſto cognouit. Seruire Chriſto creatura deſiderat, & eo ſpiritu autore, qui ſolo tactu de Cythare do Prophetam, de piſcatore prædicatorem, doctorem de perſecutore, & de publicano Euangeliſtam fecit, diuini ſtudii flammis totus illico incaluit. Occupatus varia occupatione animus, veſtigans quos labores, quæ item opera Chriſto gratiſſima ſuſciperet. Poſt multa vero, tot infidelium pernicie cogitata, cœpit continuo miſereri, & quibus illi conuerti poſſent, donum linguarum & ſapientiæ martyriiſque gratiam ſibi & aliis exoptare. Deinde vt eſſet ſpiritu liberior, omnem opulentiam ſuam, præter pauca coniugi & liberis neceſſaria, Chriſti pauperibus erogauit. Quanquam ergo annis prouectus (triginta enim annos natum cœpiſſe conuerti, ipſe idem 2. lib. diuinæ contemplat. teſtatur.) Arabice loqui & ſcribere doceri voluit. Poſt annos nouem à viſionibus illis, quas ſupra memorauimus, Raymundus peregrinatione varia & multa vitæ auſteritate maceratus, cum non ſatis pro votis in pio inſtituto, vtpote eruditione & ſapientia deſtitutus, ſe profeciſſe videret, ſolitariæ contemplationis deſiderio, ad montem quendam Balearibus celeberrimum, cui nomen Randæ, contendit, ibique moratus dies aliquot, ore ſemper benedictionibus pleno, ac flexis fere aſſidue genibus, per ſpeluncas & nemora de omnibus, quæ mente verſabat, quæque ſe offerebant aſpectui, æterni Numinis magnificabat imperium. Et cum vice quadam, ardentibus charitate viſceribus, aſtra ſuſpiceret, illuſtratus ſubito vidit omniũ rerum principia, mundanæ huius machinæ & negocium & autorem, quibus præterea ſuſtentaculis creati orbis vniuerſitas duret introſpiciens, ſeſe velut non ante viſum hominem miratus eſt. Tunc ſenſit apertum intra ſe fontem infuſæ ſapientiæ, de cuius plenitudine omnium ſcientiarum duci poſſet inuentio. Sed ne acceptum ſapientiæ munus tanquam ſeruus ille nequam, qui acceptũ ad fœnus talentum in terram fodit, vacuum eſſe permitteret, poſt paucos in apertum [...] retulit, & benigniſſime paſſim mortalibus communicare voluit mirandum illud artificium, de cuius vbertate, authoris teſtimonio, cæteri omnes emanarunt libri, quos ipſe ſcripſit de omni ſcientiarum genere, Arabice, Latine & Cathalane pene innumeros. Nam & Ioannes Lopetus ſe ſupra quingenta Raymundi volumina legiſſe teſtatur. Quin imo ſenatores Maioricenſes opinantur in Schedula librorum Raymundi Lullij miſſa ad Reuerend. Archiepiſcopum Toletanum Hiſpaniæ Cardinalem, vſque ad millenarium numerum aſcendiſſe eius opera. Quorum numerum etiam auget Remigius Rufus: In quibus quidem omnibus ea fuit huius illuminati Doctoris humilitas, vt in illorum frontibus non ſui, ſed diuini nominis titulos præmiſerit: quos etiam libros, inſpirante Deo, non humana excogitatione condidit, decebat à confeſſione diuini fauoris inchoari. In exitu vero ſuorum operum ſolet vir religioſus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio dicta ſubmittere: deinde multis precibus opus ipſum aut Chriſto aut Dominæ noſtræ aut beatis Angelis aut ſanctis commendare: poſtremum dicere, quoto anno & vbi volumen abſoluerit. Sæpe etiam exprimit tempus & locum, quibus opus fuerit auſpicatus. Vnde facile intelligimus, quam breui quamq; facili negocio ingentia artificioſiſſimaq; volumina condiderit, & quam longe lateque per vniuerſum fere orbem fuerit peregrinatus, ſemper & vbique Chriſti gloriam, religionis propagationem, hominumq; omnium ſalutem, ex quacunq; poſſet occaſione, pro virili procurans. Id quod vetus illud epigramma, quod in Aula prudentiſſimi ſenatus Maioricenſis fixum conſpicitur, luculentiſſime atteſtatur his verbis:

Pariſiis habetur Titulus egregii Doctoris M. Raymundi Lullii Maioricenſis, Homo nouus, ſcientia noua Doctor barbatus, in ſuis ſcientiis & artibus approbatus. Per Reges iuſtiſſimos Aragonum in ſuis priuilegiis dicitur, Ille magnus in Philoſophia & ſacra Theologia Magiſter, mirandarum artium & ſcientiarum autor. Per Chriſtianiſſimum Francorum Regem prædicabatur in ſupraſcriptionibus epiſtolarum hoc modo: Organo ſancti Spiritus, Doctoriq; diuinitus illuſtrato Raymundo Lullo. Et de ipſo dicitur in partibus Angliæ. Ille magnus Philoſophus Cathalanus, in partibus Italiæ dicitur autor artis generalis ad omnia ſcibilia contrahibilis. Et per Ioannem de Rocaſciſa dicitur Minerua. Poteſt etiam dici procurator publicæ vtilitatis in Chriſto Ieſu. Item: Illuſtrator

ſtrator tenebrarum mundi. Sed quam vere hæc in dicto epigrammate dicantur, illud vnum oſtenit, quod pro totius infidelitatis conuerſione (vt ipſe idem narrat) quinq; & quadraginta annos laborans, & prolem & coniugem reliquit inopes, ex legum ac fidelium terras peregrinus diſcurrit, & ties aditos orauit ſummos Pontifices, tria Prædicatorum, & tria Minorum generalia Capitula monuit. Omnes deniq; Chriſtianę Reip. Principes, Prælatos, magnates & populos ad vniuerſalem concordiam, deuote & viriliter hortatus eſt. Vrgente iam ſenectute vltima, Raymundus ad generale concilium ſub Clemente V. Viennæ celebratum an. 1311. perrexit, ibiq; decem ordinari ſupplicauit. Quæ poſtea vir ſanctus ad perpetuam rei memoriam poſuit in libro de ente ſimpliciter, &c. Tandem vero Raymundus eo zelo, quo ſemper arſerat, ad vrbes Aphricæ Bogiam & Tunicium, Euangelij prædicandi gratia, nauigauit: vbi cum Mahometicæ ſectæ peritos amica diſputatione proſterneret, pleroſq; traheret dulciloquio, alios redderet ambiguos: inſtigante diabolo Rex barbatus indignatus, diris carceribus & ærumnis, nuditate quoq; vexatum & verberibus in nauem coniici, & procul expelli mandauit. Sed non multo poſt, condito prius teſtamento Maioricis 6. Cal. Maij 1313. vbi meminit Dominici filii & Magdalenæ filiæ cuidam nobili de ſancto Minato nuptæ, veritus ne optatiſſimi martyrii decus amitteret, Bogiam iterum tranſuectus eſt, ibiq; primũ clanculum, deinde etiam publice per compita & plateas ſanctum Chriſti Euangelium prædicantem, & impiam Mahometi legem intrepide improperantem, commota plebis congeries raptum furibundo impetu, alapis contumeliiſq; affectum ad Palatium Regis pertraxit. Cuius mandato Raymundus Chriſtianæ fidei præco iuſſus interfici tam beate quam crudeliter lapidatus eſt, anno ætatis ſuæ circiter octuageſimo, ſalutis autem humanæ 1315. die feſto, vt à maioribus acceptum creditur, ſanctorum Petri & Pauli. Cuius cadauer cum Liguries Chriſtiani mercatores Geneuam tranſportare niterentur, impellentibus alio ventis, nauis appulit Maioricas: ibique Deo ſic diſponente ſanctam ſarcinam deponere cogitur. Occurrit totus Maioricenſis populus, & corpus deuotiſſime ſuſceptum in eminente loco ſacræ ædis beati Franciſci, cuius tertii ordinis conſors fuit, honorifice collocauit. Vbi frequentibus miraculis illuſtres reliquias pia omnes Baleares deuotione proſequuntur.

LVLLIANÆ DOCTRINÆ MVLTIPLEX APprobatio, cum honorificis eiuſdem encomiis, quæ qui voluerit videre, legat quæ citamus, authentica Vniuerſitatum, Regum, Pontificum & ſacroſancti Oecumenici Concilii inſtrumenta. Nos enim ſat eſſe duximus, ſi breuitati ſtudentes digitos intenderimus in fontes.

ITaque Raymundus ipſe, dum viueret, doctrinam & artem ſuam examinandam expoſuit, primũ vniuerſitati Pariſienſi in cuius approbationem ſubſcripſerunt quadraginta electi ex peritioribus S. Theologiæ & artium liberalium, mirifice Lullianam doctrinam commendantes, atteſtante inſtrumento, dato Pariſiis, an. Domini 1309. die Martis, poſt octauas purificationis B. Mariæ virginis. Deinde & Regi ipſi Francię Philippo, qui de multorum peritorum conſilio maximopere laudandam decreuit Veronæ die 2. Aug. 1310. Poſtremo autem & ipſi Cancellario Pariſienſi illam diligẽtiſſime examinanti atq; mirum in modum extollenti, & publice legi permittenti an. Dom. 1311. Idem poſt Lullii obitum fecerunt Reges Aragonum atq; inprimis Petr⁹, 10. die Octob. 1369. Sed cũ dæmonis inſtinctu non deeſſent, qui piis cinerib. & celebritati nominis Lullii inuiderent, efficta quædam eſt Gregorii vndecim bulla, quæ aliquot opera Lullii idiomate Cathalano ſcripta, ſed ea minime nominata, non ſatis omni ex parte laudaret. Quam poſt Greg. obitum, dum Eccleſia Dei ſubortis tempeſtatib. horrendiſſimæ ſchiſmatis, miſere vndecunq; incerto Põtifice concuteretur, eoq; quiduis impiis audendi daretur licentia, vbi Rex Petrus reſciuit maligne confictam, & alicubi fortaſſe diuulgatam, illico concilium officio ſanctæ inquiſitionis Barcinonæ cogi iuſſit, & rem totam diſcuti à multis vndecunq; accerſitis Theologis peritiſſimis. Ea re diligẽter examinata, iniqui impoſtoris technam detegunt. Catholicum Raymundum, & omnia eius opera approbant, laudant, venerantur. Extat etiamnum totius negocii prototypum inſtrumentum authenticum Barcinonæ, in monaſterio Minoritarum, die 19. Maij 1386. confectum, & manibus propriis duodecim Theologorum ſubſcriptum. Vnde Rex Ioan. Regis Petri paucos poſt menſes defuncti patris pium inſtitutum proſequens latitantem impoſtorem exilio perpetuo tanquam hominem peſtilentem, & Regiæ reuerentiæ, honori ac etiam fidei orthodoxæ, vt ipſius Regis verbis vtar, ſuſpectum damnauit. Raymundum & eius opera commendans, eadem publice in regnis ſuis copiam fecit legendi, conceſſis ad hoc priuilegiis an. 139.. & 1393. Quæ confirmauit & auxit Rex Martinus Ioan. fratri in regno ſuccedens an. 1399. Iam vero deinde 2. Calen. Martii 1419. ſub Rege Alphonſo filio Ferdinandi nepotis ex ſorore Regum Ioannis & Martini, cum primum ſedatum fuit commemoratum ſchiſma, & certus Pontifex Rom. fœl. mem. Martinus V. in Conſtantienſi concilio creatus, autoritate Apoſtolica, diligenti præmiſſo examine, & proceſſu ſupra dicta bulla, vt verbis Apoſtolicæ ſententiæ dicam, tanquam ſubreptitia & obreptitia, & de falſitate euidenti ni-

mis ſuſpecta caſſatur, irritatur & annullatur, & D. Raymundus Lullius & omnia dicta, ſcripta & opera ſua & omnia alia ratione prædictæ bullæ, quomodocunq; & qualitercunq;, & per quemcunq;, & contra quoſcunq; & coram quibuſcunq; proceſſa & emanata in ſtatum priſtinum & primæuum, ac ſi in contrarium illorum nihil vnquam fuiſſet dictum, ſcriptum, vel alias quomodolibet enarratum reducuntur. In cuius Apoſtolicæ ſententiæ executionem Rex Alphonſus prorſus honorifico priuilegio, vbi fere omnia dicta acta commemorat, prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens ſimilem facultatem fecit 15. Ian. 1425. Quinimo idem poſt Neapoli 26. Ian. 1449. Ioanni Lobet, & ſubſtituendis ab eo, facultatem conceſſit erigendi vbiq; regnorum ſuorum ſcholas, ibique interpretandi publice D. Raymundi artem & opera quæuis. Quibus etiam mirifice fauit Rex Ferdinandus ſupra latiſſimis priuilegiis & honoribus datis, Cordubæ 30. Aug. 1483. Eadem poſtea confirmans auxit Cæſar Auguſtæ 21. Febr. 1503. Sed iam tandem in ſacro œcumenico Cõcilio Tridentino omnis contentio conſopita eſt, ex ſupra citatis & aliis quam plurimis in approbationem, defenſionem & commendationem D. Raymundi Lullij, & eius omnium operum, tanquam Catholicorum, per integrum fere biennium à Ludouico Ioanne Villeta Barcinonenſi Theologo adductis, & diligenter examinatis per ſacrum collegium R. Dominorum toto S. Concilio ad hos & ſimiles actus ſpecialiter deputatorum. Vbi interfuere Patriarcha Venetus, & quatuor Archiepiſcopi, quatuor item Epiſcopi ſimul cum vno Abbate, duobus generalib. ordinum, & quatuor doctoribus ex omni fere Chriſtianitate ſelecti, doctiſſimi & Religioſiſſimi, qui concordi ſententia prima die Septemb. 1563. decreuerunt expungendam D. Raymundi Lullii quamcunq; operum improbationem ab indicibus, præſertim Pauli Papæ IV. librorum prohibitorum. Vbi allegatur prædicta bulla Greg. vndecimi fictitia ex ſola mentione, quæ de illa reperitur facta in priuato cuiuſdam opere. Illud autem ſtatutum iam poſt ſeruatum videmus in catalogo S. D. N. Papæ Pij IV. &c.

AD LECTOREM.

DEſcriptam ſuperius Raym. Lullij vitam confer, Beneuole Lector, cum ijs quæ ab Eymerico primum prodita, deinde à Nicol. Guiberto repetita fuere, & non te latebit quantum infeſta Chymicis capita à veritate exorbitent, & quam iniqui ſint artis non intellectæ cenſores. Scripſerã veriſimilitudine ductus & à Medico quodam perſuaſus, lib. de lap. Phyſ. condit. ex Paracelſo (cui' vanitas mihi eo tẽpore, necdum, prout nunc perſpecta erat) ferrum in æs cõmutari per cæmentũ vitrioli calcinati, vel per eiuſdẽ oleum, in quo candentes lamellæ reſtinctæ fuiſſent. Hoc enorme habetur à Guiberto peccatum, at probroſa flagellatione alterius lædere nomen vel famam: virum nobilem, plebeium dicere mercatorem, atq; eo modo totam ſuggillare familiam vel ſtirpem: diuinitus illuminatum, imperitum, phantaſticum & Latinæ linguæ rudem pronunciare, opera alterius pro ſuo libito contra tot religioſorum virorum ſententiam & S. S. Oecumenici Concilii decreta errorum & hæreſeos condemnare: omnes chymicos auctores ſordidiſſimos & abiectiſſimos fuiſſe impoſtores, mere bardos & pecora, impios, magos, ſagos, hæreticos, ſchiſmaticos, & regnum Sathanæ procurantes conſtanter aſſerere, viri probi & pii munus illi videtur; mihi vero hominis non tantum mendacis, ſed etiam ſeditioſi, vel potius in rabiem acti, eo quod per quadraginta fere annos toto animo ac omni ſtudio chymiæ incumbens, ne elementa quidem eius perceperit. Sic memini ad furem aliquando conclamaſſe eum ipſum, qui furtum commiſerat, quo à ſe criminis ſuſpicionem auerteret. Dies indicabit, quid pectore reconditum geſtet, meum non eſt de occultis iudicare. Si alias eius inanitates perſequi vellem, integro opus eſſet commentario. Illud ſolum adiiciam, eundem, quo euincat Arnaldum de Villanoua tinctura caruiſſe Phyſica, in hæc verba prorumpere: *Arnaldus fuiſſe lucri tam ſtudioſus dicitur, vt cum ægrotis paciſceretur, antequam eos curare vellet, quo nihil cogitari poteſt inhumanius.* Primum de facto non conſtat, quia Guibertus ſemel malus & mendax, ſemper præſumitur talis. Si autem verum ſit, prudenter & nõ ſine ratione id ab Arnaldo factitatum fuiſſe, & contrarium plane eius, quod inferri voluit Guibertus, comprobari poſſe credimus: quia Medicus Chymicus granum nullum aurifici pulueris exhibere poteſt ægro, quin præter ſtudia ſua & labores pariter det auri puri vncias duas: quare autem largiatur diuitibus gratis? non credo tam liberalem vnquam fuiſſe Arnaldi aduerſarium. Quis autem hominũ breui tempore à graui morbo conualeſcens, niſi ex pacto teneretur, vellet ſeptendecim vel duodeuiginti aureos erogare pro vna potiuncula, in qua tincturæ granum dilutum eſſet? vim ſibi exiſtimarent inferri, quin imo ipſi magnates indignarentur non parum. Quapropter Phyſicorum tinctura pauperum fuit hactenus medicina, & erit ad mundi vſq; conſummationem: pro quibus amplam à Deo mercedem expectant, niſi vel à Religionis Catholicæ placitis aberrent, vel enormib' peccatis, tanquam non homines, vitæ innocentiam maculent. Quod deinde adiungitur Arnaldũ in Siciliam nauigaſſe ad curandum ægrotum diuitem, fecit is, quod ſui erat officii, & vocationi ſuæ deeſſe noluit, cui nam reſponderit, videat Guibertus, alienum arans fundum, ſuum incultum deſerens. Legi ego, ipſum à Siciliæ Rege Frederico, à quo in magno habebatur honore, Romã miſſum ad percurandum Pontificem, in mari vitam cum morte commutaſſe.

Ita ſcribit de ſeipſo chymicus apoſtata.

Pro Rogerio Bachone, in quem non minus debachatur Guibertus, Apologiam edidit Clariſſ. doctiſſimusq; Philoſophus Ioan. Dee Londinas, qui in Monade ſua hieroglyphica ſatis oſtendit, neq; bardum fuiſſe ſe, neq; pecudem, ſicut & ante eum Albert. Magnus, cuius alia opera nõ prætendimus, quam librum tertium de mineralib. ex quo ſatis patet peritis, vt etiam animaduertit illuſtris Picus, ipſum non ſolum chemiæ ſcientiam habuiſſe, ſed etiam non pauca expertum fuiſſe, quæ ad artis comprobationem ſufficerent. Quod autem idem ſcribat, aurum & argentum Alchymicum ad ſe delatum, poſt ſex aut ſeptem ignitiones conſumtum fuiſſe, ratione communi caret,

qui

qui non animaduertit illum de auro & argento ſophiſtico & mere artificiali loqui, nō de eo, quod natura intrinſecus operante, & artifice foris miniſtrante cōponitur: quia proxime præcedunt hæc verba: Operationum alchymicarum melior eſt illa, quæ procedit ex eiſdem, ex quibus procedit natura, ſicut ex purgatione ſulphuris per decoctionem & ſublimationem, & ex purgatione argenti viui, & bona commixtione horum cum materia metalli: ex virtutibus enim horum omnis metalli ſpecies inducitur. Audiuimus Phyſicorum proceſſum, nunc ad ſophiſtarum operationes progreditur, cum addit. Qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant, manente ſpecie metalli prioris, procul dubio deceptores ſunt, & verum aurum & argentum non faciunt. Et hoc modo fere omnes, vel in toto vel in parte procedunt. Quod & ego fateor, & mecum omnis chymicorū chorus, qui eandem cum Alberto cantilenam canunt. Quin & hoc ſciunt, artem ſibi relictam minime naturam aſſequi, ſed vbi ars & natura ſimul conſpirant, artem multis modis ipſam quandoque ſuperare naturam. Et maior eſt vbiq; errantium, quam peritorum chymiſtarum multitudo: pauci enim, ſicut in aliis quoq; ſcientiis ad frugem perueniunt, quocirca adiungit eo modo fere omnes, vel in toto vel in parte procedere: quamuis ea verba tam ad priores quam ad poſteriores ſimul referri queant. Vbi vero irriſio illa, quam ſibi fingit Guibertus, dum ait, Albertum lib. 3. de mineral. c. 9. irridere Alchymiſtas, metalla tranſmutare conantes? Si vel tantillum chemiæ deguſtaſſet, facile animaduertiſſet ex illo c. & ſeq. ea ſcribere non potuiſſe Albertum, quæ ſcripſit, niſi artis fuiſſet peritus, cuius vniuerſa ſecreta illis duobus præcipue capitibus, & eiuſdem libri ſecundo cōplectitur. Quid? nonne idem vbiq; peritos Alchymicos naturam imitari tam in vaſis figura, quam in generationis metallorum modo contendit? imo quod amplius eſt, naturæ proceſſum ex artis operibus coniectura aſſequitur? quomodo igitur eos irrideat & propria cædat vineta? Velim vt hominis iſtius futilitatem mecum aduertant viri probi, qui vt libri ſui parte ſecunda c. 7. ſcribit: In ſuis ſcriptis genuinis non multum fauiſſe videtur Alchymiæ Albertus, quamuis ſuo ſeculo nouæ, & per ea tempora natæ. Quin ipſius ſententiis repugnat metallorum metamorphoſis. Cum ipſe de mineral. tract. 1. c. 4. ſcribat, Alchymiſtas virtutem formatiuam non dare materiæ, & artem eis eſſe incertam pro formatiua. Quot citauimus lineas, totidem fere reperiemus mendacia. Inprimis c. 4. annotatum pro quinto, vt lector tædio affectus non vltra inquirat: Deinde Alchymiam Alberti ſeculo nouam dicit, cum tamen is antiquiſſimos Philoſophos citet, & diſputationem cum iis inſtituat. Tertio ſubiungit ex Alberto, Alchymiſtis artem incertam eſſe pro virtute formatiua, tanquam is non de lapidibus, ſed metallis ibi loqueretur. Sic enim ſcribit lib. de mineral. 7. c. 5. patet quam difficiles & imperfectæ, præcipue in lapidis factura, pluſquam in metallorum factura, ſint operationes Alchymiſtarum: & hoc ideo, quia virtutem formatiuam non dant materiæ, ſed ars incerta eſt eis pro formatiua. Verba Alberti ſatis indicant difficiliores & imperfectiores eſſe Alchymiſtarum conatus lapidum formatione quam metallorum, propterea tamen horum tranſmutationem non excludit. Demum concedunt facile Alchymiſtæ, ſe virtutem formatiuam non dare metallis, quia & virtutem mineralem & formam ſubſtantialem ſumunt à natura, ſicut ſuperius & vbiq; inculcat Albertus, dum ait: ſulphur & argentum viuum purgata commiſceri artificioſe cum materia metalli, & ex virtutibus horum omnem metalli ſpeciem induci. Hęc legunt quidem multi, ſed ignorantiæ nebula obcæcati ſententiam non aſſequuntur. Si lapidum propinquam materiam nobis ſuppeditaret natura, & iidem tractabiles eſſent inſtar metallorum, virtusq; mineralis ex iis elici poſſet, ſicut è metallis, non dubitarent Alchymiſtæ communi illorum materiæ formam imprimere, quam vellent. Sed ſciebat Deus, humano generi conducibiliora eſſe metalla, quam lapides. Hactenus de Alberto.

Pecora etiam non ſe eſſe demonſtrarunt (vt Græcos Arabeſq; præteream) M. Petrus Bonus Ferrarienſis Phyſicus, Michael Scotus, Bernardus de Grana, ſiue de Auernia, Picus Mirandulæ Dominus, Marſilius Ficinus, libro quem de Alchymia inſcripſit, Ioannes Fernelius (quicquid de eo garriat Guibertus chymicarum phraſium & modorum ſcribendi plane rudis) Chryſippus Fanianus, aliiq; plures, quorum deoſculari veſtigia non eſt dignus tam atrox calumniator. Non addo plura.

Non eſt inertis de artifice vel eius ſcriptis iudicare.

F I N I S.

INDEX MEMORABILIVM QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

ARbor aurea in Hiſpaniola 208
Abraſaxas 4
Abſurditas contrarii veritatem contrarii confirmat 159
Actio ſanatiua 123
Aduerſariis an ſemper reſpondendum 154
Aenigma I.B.Porta de Phœbo & Pythone 247
Aequiuocorum ortus 187
Aes ex ferro, natura & arte 248
Aes Corinthium 199
Aes Indicum an orichalcum fuerit 200
Aeris & orichalci differentia 205
Aes Indicum apud Ariſtotelem, quale 197
Aes coronarium apud Plin. 199
Aes Babylonicum, quo conſtabant pocula ab Artaxerxe Iudæis donata, quale fuerit 199. an ſolo odore ab auro diſcretum 200
Agentia patientibus homogenea eſſe debent. 69
Agrippa quo encomio à Guiberto exornetur 180
Aegroti ſanandi ratio admiranda 8
Alberti M. diſtributio metallorum 105. metallorũ ſpecies facit ſeptem. 106
Alchymia, ſiue Alchemia, quid & quæ 2. Philoſophorũ propria, ibid. ab Hermete in Aegypto exculta, in metallurgiam & pharmaceuticam diuiditur, ibid. à quibus præcipue exculta, ibid. an principia doctrinæ Hippocraticæ & Galenicæ repudiet ibid.
Alchymia ars præclara 157
Alchymia ſophiſtica. 157
Alchymia pharmaceutica 157
Alchymia an à primis authoribus idololatris excogitata 157. imo pͨcipue exculta à monachis & religioſis. 158
Alchymiæ vox diſtinguenda. 153
Alchymia Guiberti impoſtoria 154
Alchymiarum diuerſarum confuſio 257
Alchymia alia ſapientum, alia à vulgo ſic appellata 153
Alchymiſtæ periti quo modo operentur in tranſmutandis metallis 258.259
Alchymia tranſmutatoria à Guiberto oppugnata. 134
Alchymia an affinitatem habeat cum Magia 242
Alchymiæ vetuſtas 242
Alchymiæ vetuſtas 216
Alchymia vetuſtas contra Guibertum ex Guiberto. 242
Alchymia immodice prædicata 257
Alchymiſtæ Paracelſici. 258
Alchymia vetuſtas 259. fruſtra oppugnata à Th. Eraſto. ibid.
Alchymia tranſmutatoria impoſſibilis 159
Alchymiſtæ qui nam vulgo dicantur 177
Alchymia definitio 178
Alchymia eſt perfecta inſpiratio diuina, & arcanũ Dei glorioſum, qui eam ꝓ libitu largitur, ſubtrahitq; 205
Alchymia in ſacris non prohibita 266. an iure ciuili, ib.
Alchymia tranſmutatoria vita 182
Alchymia triumphans Libauij 66
Alexiteria à Scheunem. in cura peſtis aſtralis, reiecta. 45
Amadiſai Galli hiſtoria 163
Amicitia in affectuum ſecundum iuſtitiam & veritatẽ, non opinionum conſenſu conſiſtit 26
Anima microcoſmica conſiderationis virtualis principium 123
Anima quas habeat actiones & potentias 123. ab Ariſtotele quomodo hæ diuidantur ibid.
Animæ potentiæ vulgo quinq; vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, locomotiua, & rationalis 123
Animalia & vegetabilia probati vſus. 74
Annus microcoſmicus 46
AntiGuibertina 129
AntiGuibertina ſecunda 182
Antimonio ſues cito ſaginari 25.28.29
Antimonii oleum 30
Antimonio quæ nomina à Mauritanis impoſita 29.30. & eius vires. ibid.
Antimonii oleum Rog rii 71
Antimonii currus triumphalis 72
Antimonium quibus nominibus dicatur Mauritanis. 72
Antimonium an dicatur Tarbaſon, à τάρϐ⊕ quod eſt tremor, ſtupor 73
Antimonium crudum an per ſe ſit chymici 73
Antimonium Baſ. Valentini quale 89
Antimonii vitra 89
Antidota Galenic. à Scheunem. reprobata 48. an peſte correptos interficiant 46
Antipathia, ſympathia 122
Apocalypſis hermetica Libauii 26
Apologia quid ſignificet 153
Apologia Guiberti aduerſus chymicam ſcientiam 134
Apologiæ Guibertinæ cap. 1. lib. 1. analyſis 135. quæ hoc capite contineantur, ibid. quæ itidem calumniæ & mendacia 136. quæ cap. 2. ibid. quæ flagitia 137. c.3. ibid. quæ ineptiæ, conuitia ibid cap.4. ibid. quæ flagitia 139. quæ cap.5. 139. paradoxa ex hoc 141. quæ c. 6.141. quæ hoc deliramenta 142. quæ c.7.145. ſtoliditates ex hoc c.146. quæ c.8. 147. ex hoc ineptiæ 148. quæ c.12. & 13.149
Apolog. Guibert. lib. 2. analyſis. 150
Aquæ Martiæ deſcriptiones duæ 5
Aqua vomitiua Hartman. Marpurg. 14
Aquila alba cœleſtis 89
Arbor vitæ fraternitatis de roſea cruce 109
Argentum viuum ſublimatum 45
Argentum ex cinnabari 151
Argentum ex hydrargyro per vegetabilia 243
Argentum ex cinnabari 245
Armatura martia 4
Armatura Achillis 5
Ariſtotelicus Peripatus quid 170
Ariſtotelica argumenta de tranſmutatione metallorum 168
Arrhenicum Fernelij 104
Arrhenicum ex traditione Baccii magis ſignificare auripigmentum, arſenicum vero aurificiale arſenicum album 105
Ars nulla eſt, quæ non habeat oſores & contradicentes 246
Ars perfectiua metallorum 224
Ars an ex libris diſci poſſit, an reuelatione diuina 205
Ars aurifica an omnibus anteferenda 211. eius deſcriptio magica 212. materia ibid.
Arſenicum album 105
Artis fundamenta ſemper certa 50

Artem-

INDEX.

Artemiſia Scheunemanni 19.25.28.69. vtrum rectius latine dicitur ex Germanico, durch die Artemiſiam per Artemiſiam, an ab Artemiſia 70
Artemiſia, vox an ſine H. ſcribenda 38
Aſſatio ridicula Scheunemanni 31
Aſtralia non ſunt fecibus addicta 16
Aſtralitas Scheunemanni 16.58
Aſtrum ſolis & Veneris 29
Aſtrum magnetis an ferrum fortiſſime trahat ex Paracelſi ſententia 33
Attractio per antipathiam & ſympathiam 101
Aurum an inter omnia metalla ſolum perfectam ſpeciem habeat 257
Aurum ex omni parte probatum, an vnquam ab vllo factum 258. affirmatur, ibid.
Aurum Caij P.R. ex auripigmento 222
Aurum quibus modis inuenire fierique tradat Plinius. 222
Aurum an & quomodo ex auripigmento fiat. 223
Auri per artem facti hiſtoria ex Barnaudo 234. altera 235
Aurum argentumue eſſentiale, an omnibus examinibus iuſtum & probum fieri queat, arte chymica 179. & an cum lucro an ſine. ibid.
Aurum per artem productum an ſit verum naturale & proprietates omnes auri naturalis, tam in medicina, quam cæteris rebus obtineat. 261.& 272
Aurum chymicorum foſsile non eſt, ſiue verum ſit, ſiue ſophiſticum 106
Aurum à Carerio effectum 245
Aurum Iacobi Pagani 246
Auri & argenti nomine an vulgare aurum argentumq; apud Chymicos veniant 159
Auri augmentum 246
Aurum vellus Colchidis 234
Aurifices ex alieno opere 257.

B.

Balſamus magnanimitatis. 5
Barnaudi narratio de argento viuo in aurum mutato, 234. quibus argumentis à Guiberto oppugnata. 235. an idem ille proceſſus Barnaudi à Fernelio quoq; deſcriptus ſit. 235. & ſeqq. eiuſdem proceſſus cum Ferneliano collatio. 236. an ex Fernelio eius deſcriptionem petierit. 237
Barnaudus & Baſillon calumnias patiuntur ob fidem diſſentientem à Romana Eccleſia 240
Βάσανος an recte dicatur experimentum, vel probatio, vel examen 79
Baſilij Valentini currus triumphalis antimonii 239
Baſillon Medico Lugdunenſi formulam tincturæ aurificæ vendit 239
Baſillon librum de tribus impoſtoribus ſcribit 240
Bodinus de mutatione Nabuchodonoſoris. 144
Bubonum ſanandorum methodus 62
Beguini præparatio ſalis petræ 84
Benedictionis diuinæ præſentia & abſentia in auro & argento faciendo. 244
Biſmuthum, ſtibium, arſenicum, cadmia an vera metalla 105. an metalla media, & infima. ibid.
Biſterfeldius 13
Blawer Schweffel der Köchin. 95

C.

Cabala quid notet. 30
Cabala arſenici & archenici 115
Cabala ſulphuris non bene cabaliſtica. 23
Cabala Scheunemanni 76
Cabaliſticum bellum grammaticale 77
Cabala Paracelſica myſteria 76
Cabala Scheunemanni 76
Cabala perfugium Paracelſiſtarum 76
Cabala quid. 76. eius exempla ex ſacris: ibid. & ſeq.
Cachetus. 154
Calae metalli genus Indicum 183
Calcinatio Philoſophica 93
Calcinatio ſecreta Philoſophica alia, alia magiſteriorum inferiorum 93
Calcinatio Philoſophica. 93
Calid Aegypti rex chymicæ artis peritiſſimus. 217. eius de hac liber ibid.
Calx antimonii 30
Cancrorum lapidum liquor 6
Cauſticum ad bubones 62
Character ad omnes morbos 4
Chalybis tranſmutatio 255
Chemia quid 237
Chirurgica contemplatio 127
Chirurgia 127
Chirurgi veri rari 127
Chirurgicorum remediorum paſſiones, & materia 127
Chirurgica artis diſtributio 127
Chirurgus quibus opus habeat 128. eius operationes. 128
Chymia Paracelſo antiquior 54. qui eam excoluerint: ibid.
Chymicas curationes nō reprehēdendæ, modo artis principiis vtantur 125
Chymia definitio 178
Chymici ex ſanguine humano mumiam, & lapidem carbunculi inſtar ad omnium morborum depulſionem præparare ſolent 6
Chymici libri 160.208
Chymia antiquitas inuicta 198
Chymicus an de antimonio crudo diſſerat 73. & an hoc præter ſuum officium 74
Chymicorum libri non ad literam intelligendi ſed myſticus ſenſus quærendus 158
Chymici præcipue naturæ opera ſpectant 158
Chymici an homines peruerſiſſimi 159
Chymici libri an erroribus refertiſſimi, & an à ſpiritu erroris inſpirati. 165
Chymici cur artem abſcondant 209
Chymia extractoria & ſeparatoria vetuſtas. 210.219
Chymicorum antiquorum catalogus 210
Chymiatrica medicina olim regum ſtudium 14
Cribtit iunior Scheunemanni 25
Chymicorum libri oppugnati 228. qui & quorum authorum ibid. an falſa authorum nomina præferant, ibid. & ſeqq. & ſi hoc, num ideo damnandi 229. eorum vetuſtas & veritas aſſeritur 230
Chymicus quibuſdam à Diabolo illuſum 243
Chymicæ tranſmutationis exempla. 243
Chymici cur ignoti in latebras ſe abſcondant 263.264
Chymica ars poſt ſacrarum literarum cognitionem, cæterarum facile princeps 264. eius cultores, & qui ſcriptis propugnarunt, ibid. eius veritas ab omnibus gentibus aſſeritur ibid.
Cæleſte vegetabili fortius 67
Confuſio ſyncopa & eliſionis 78
Congo regnum auro abundat 209
Cohabare 62
Compoſitum & mixtum 120
Compoſitione ſit, an deriuatio cum vox Tarbaſon ex Tar & Baſanos ſit. 77
Coniecturis vti indubiis & perplexis, an criminì dandum 36

Coniecturis licite vtitur interpres 36
Conſeruatiua vitæ ſeptem 4
Continua ſunt quorum extrema vnum ſunt 141
Contrarii abſurditas veritatem contrarii cõfirmat 159
Contraria an contrariorum remedia 98
Coralia 4. Coraliorum tinctura facilis 6
Coralia præparandi modi 6
Corneolum glaciatum 22
Corpus aliud ex alio fieri num ſit poſsibile 169
Corrigere mineralia per vegetalia 31
Cramani iun. Paracelſici intemperiæ 11
Cramanus ſenior ex Euangelico prædicatore ad Paracelſi ſcholam tranſit 11
Craman. iun. Hoffmannum Medicum Hallenſem & Libauium carpit 11. indignus, cum quo Libauius verba commutet ibid. Ariſt. vocat Narriſtotelem 12. ridiculum ſemet vtriusq; Medicinæ Doctorẽ appellat. 13
Craman. iun. Paracelſ. nondum coctus 11. eius excurſiones ibid:
Craſes 122
Cribtit Scheunem. 96. quid hoc vocabulo notetur 97. an Arabice ſulphur vocetur, ibid.
Cribtit Matthioli 97
Cribtit Matthioli. 97
Crocus metallorum an ex ſtibio per halinitrum fiat. 90 eius præparandi ratio ex Beguino 91
Crolli podagrica. 109
Curationes morborum 4
Currus triumphalis antimonij Baſ. Valent. 72

D.

Debilius non poteſt vincere fortius 67
Demonſtrationes debere procedere ex communiter confeſsis 141
Detonationis, ſiue deflagrationis artificium, Germ. verbuffen 92. an præparatio hæc Philoſophica 93
Deus ante omnia in morborum contagiis placandus. 24
Deus omnia operatur in omnibus mediate 71
Deus an naturæ arcana nobis reuelare noluerit 185. quæ circa naturalem Philoſophiam reuelarit 186
Diabolus an materiam lapidis Philoſophici ignoret 232
Diabolica illuſiones & deceptiones circa artem chymicam 243
Dialectica finis 167
Diocletianus chymicos libros Aegyptiorum abolet. 215. 216
Diſputans eius ſcientiæ diſciplinam ſequi debet, cuius eſt materia, de qua diſputatur 169
Diſtributiones mineralium 105
Diureticum Scheunemanni 31
Doctor vi iuramenti vera docere, & falſa redarguere in ſua profeſsione tenetur 42
Doctrina veterum noxius error à Scheunemanno appellata 49
Donum Veneris 20

E.

Echo quid 111
Eduardus Kelleius ex argento viuo aurum facit. 235
Elementum 120
Elementa externa 124. interna ibid.
Elementa dupliciter conſiderantur 120
Entia Paracelſica morborum 3
Ens aſtrale 3
Ens Deale 3
Ens pagoycum 3
Ens naturale 3
Ens Dei Paracelſicum 118
Ens magicum Paracelſi è medico ægro tollendum 119
Epar ſtibiale Rulandi & Quercetani 90
Epar ſtibij Baſilianum 92
Epidemica infectio 68
Equas Hiſpanicas vento concipere 10
Equos equitesq; inuictos, & indefeſſos præſtare 10
Eruca in papilionem 147
Eſdræ locus c. 8. v. 2. lib. 4. an pro chymicis faciat 196
Eſdræ locus lib. 1. c. 8. v. 26. 27. de ære Babylonico explicatur 197
Eſſentialia quatuor iuxta numerum elementorum. 121
Europæ prouincias à Turca impoſtor quidam Paracelſicus liberare promittit 10
Examen tituli defenſionis Libauij 167
Excrementa mercurialia & arſenicalia ſubiecta peſtis aſtralis Scheunem. 18
Experientia vt dicatur, quid requiratur 57
Experientia eſſe non poteſt, cuius non eſt principium ſcientificum 119
Experientia non eſt ſine ratione 119

F.

Faber ferrarius Smalcaldiæ medicam artem exercet 12.
Fatum Paracelſiſtarum. 80
Febres duplices, vna ex diæta, altera ex communi aeris cauſa 68
Fernelii arrhenicum 105
Fernelius interdum inter arrhenicum & auripigmentum diſtinguit 105
Fernelii proceſſum aurificum quo argentum viuum in aurum tranſmutatur, deſcripſit 236
Fernelium probaſſe lapidem Philoſophorum. 237
Ferrum fuligine Mercurii debilitatur 21
Fides naturalis 45
Fides naturalis miraculoſa 10
Fœcundatio terræ miranda, quam Paracelſiſta quidam promittit. 7
Fortuito curantes à medicorũ conſortio repelluntur 119
Fortuitorum non eſt ſcientia 119
Fundamenta medica Hippocratica, Galenica 51

G.

Gagates 4
Galenici duplices 2
Galeni canones ad orcum damnantur à Scheunemanno 49
Galli ſignatura hieroglyphica 19
Galli cuiuſdam de Libauio iudicium 43
de Gallico morbo quædam 108
Gallicus morbus quibus ſanetur. 110
Gelbe Kühe 15
Gelber Küchen Jung ſoll Schweffel ſeyn 15. 95
Gelber Küchen Junge Scheunemanni quid 22
Gelb / an recte glaucus latinorum color dicatur. 95
Generatio circularis 140. 141
Generatio quid 146
Guiberti Med. Lothar. diabolica apologia contra chymiam tranſmutatoriam 13
Guiberti Apologia contra Alchymiam 134
Guibertus Alchymiam tranſmutatoriam oppugnat 134 135. & ſeqq. mendax ſophiſta 135. artificum teſtimonia repudiat ibid.
Guiberti patria qualis 152
Guibertus qua re impulſus Alchymiam oppugnarit 155

Guiberti narratio de ſuis erroribus. 156
Guiberti nugæ circa vocem Alchymiæ. 177
Guiberti iudicium de defenſione aduerſus ſuam Alchymiæ expugnationem. 160
Guibertus quibus argumētis inductus in Libauium ſcripſerit. 161
Guibert. iudicium de libris Libauii 162. *fatuum & hoſtile.* ibid.
Guibertus poſt molem conuitiorum plus quam aſininam, pugnam fugit. 165. *cur reſponſionem ad defenſionem Libauii fugiat.* 166. *ingentia promittit, ibid.*
Guib. Græcæ linguæ ignarus. 171. 172
Guibertus ſibi ipſi contrarius 135. *eius ex imperitia, & malo iudicio confidentia.* 137. *non cogitat de materia Phyſica proprietatibus* 142. *eius tranſmutatio* 144. *copioſus in non neceſſariis.* 145
Guibertus Philoſophiæ inſcius 40. *annos inter carbones Paracelſicos conſumſit* 256
Guiberti infeliciter tentantis Alchymiam Epitaphium. 259
Guiberti de Libauii libris ſtultum iudicium 162
Guiberti patria qualis 163
Guibertus ideo in Libauium adeo inſanit, quia eſt religionis diuerſæ 165. *eius diabolica calumnia in Libauium, ibid. conflictum fugit* 166. *ſibi ipſi contrarius, ibid. hæret in Libauii latinitate* 170. *ne latine quidem recte loquitur* 173. *& Græca & latina Libauiana horret, ibid. Alchymiæ rudis* 174. *eius regnum literarium* 176
Glaucum quid 31. 96
Glaucum an per fuſcum recte à Fernelio explicetur. 96
Glaucoma Fernelio quid 96
Glaucus an recte Gelb *dicatur* 26. 31
Glaucus, Glaucoma 95. 96
Globulus ſtibialis Scheunemanni, ſuppoſitorius. 97
Globulus metallicus loco ſuppoſitorii ex quibus fieri poſſit 98
Globulus ex antimonio an dici poſſit metallicus. 103
Globulus mineralis Scheunem. 32
Globuli attractiui an virus Arſenicale & Mercuriale attrahant. 20. *ex quibus conſtare dicantur, ibidem.*
Globuli arſenici attractiui 20
Goclenius 13
Goclenius an Libauij hoſtis 38
Græcis ne an vti liceat in diſputatione de arte aliqua. 173. *quando vtendum.* 173.
Græcis ſi vtimur, an à bonis & doctis ob id reprehenſionem mereamur 172
Grammaticam ſcire liberalis eſt & ingenui. 78
Grammaticalia vitia Scheuneman. 15
Graw *quis color apud Germanos* 96
Gretſerus hoſtis Libauii. 38
Gymnaſium Coburgicum 13

H.

H an litera apud Latinos, Ebræos, & Germanos. 39
Hagelius Ieſuita quibus rationibus metallorum tranſmutationem impugnet. 254. *ea refutatur.* 255. 256. 260
Halinitrum agros tertio anno perdit. 7
Halinitri præparatio. 23
Halinitri per ſulphur præparatio & fixio 83. *& ſeqq.*
Halinitrum varijs nominibus apud Quercetanum appellatur 22
Hydrargyrum an venenatum 171
Halcyon volaticus. 22. *in cura peſtis aſtralis quomodo præparetur, ibid. deplumari debet, ibid. eius pluma, ibid. an ei omnes plumæ detrahantur, ibid. bene aſſari debet* 23. *& totus figi,* ibid. & 31
Hartmanni ſententia de purgantibus 101
Hermetis liber de arte Chymica an falſo ei adſcriptus. 230
Hermetici Hippocratici audire volunt. 1
Hermetici non ſolum per vegetabilia ſuppoſitoria & enemata, ſed etiam per mineralia ventrem ſollicitant 97
Hermetici duplices 2
Hermetis tabula ſmaragdina. 151. 210
Hermes Aegypti rex. 210
Hermeticos ſpiritibus purgandi virtutem aſſcribere 101
Heroicum eſt, cum omnibus benefeceris, male audire. 12
Heſperidum mala aurea. 213. *horti.* 214
Hippocratica omnia etiam Galenica eſſe. 51
Hippocraticus à Scheuneman. Hypocratico male allegatus. 97
Hippocratis encomium 1. *artis medicæ præcipuus cultor & author* ibid.
Hippocrates patriam iuuare maluit, quam ſpe maximarum opum ad Perſarum Regem ſe conferre 12
Hippocratis de humoribus ſententia. 58
Hippocratis encomium ex Pæto ad Artaxerxem 68.
quibus remediis vſus in curanda peſte 68. 69
Hippocratis iuramentum. 210
Hoghelandæi experimentum in hydrargyro 245
Hominis contemplatio. 123
Hugo Rex Gallorum Othonem Imp. Rom. præ ſuperbia faſtuoſe irridet. 115
Hydrargyrum ex plumbo. 151
Hydroticum ex ſtimmi 14
Hygeia Scheunemanni cruda 11
Hygia argentea Scheunemanni an fixa. 17
Hygeia argentea Scheunemanni 113. 114. 115. *Dea Hippocratis dicitur, ibid. eius deſcriptio* 115

I.

Ichores qui ſint 25
Ignis natura 120
Ignis an ſtibium corrigat 75
Ignota fere homines appetere ſolent. 12
Imaginatione an morbus tollatur. 126
Infinitorum non eſt ſcientia. 119
Inſanabilia. 123
Inſcriptio libri à potiori & nobiliori fit 103
Iobi locus de generatione metallorum. 224. *explicatur, ibid.*
S. Ioannes Euangeliſta gemmas fractas ſolidaſſe, & ex virgis aurum feciſſe dicitur 202
I. B. Portæ ænigma de Phœbo & Pythone 247
Iudicium de methodo Scheuneman. in peſtis curatione adhibenda 59
Iudicia doctiſſimorum virorum de libris Libauii 162
Iudicium defenſionis Alchymiæ 164
Iudicium de Higeia, ſeu ſanitate argentea Scheunem. 112
Iuramentum Hippocraticum 210
Iulius Firmicus Aſtrologus 217

L.

Lampas vitæ 5. *eius præparatio* 6
Lapis Philoſophorum noua medicinæ fundamentum. 2
Lapis Philoſophorum an carmine ſibyllino deſcribatur. 205. *qua arte quærendus* ibid.

INDEX.

De lapide Philoſophorum Ph. Muller. 262. cur eius præparatio adeo difficilis. 263. ab Imperat. Pontif. Principibus, aliis viſus. 263
Lapis Philoſophicus in omnibus 265. & quomodo, ibid. in quem finem à veteribus præparatus, ibid. eius vſu Lullius 130. annum attigit. ibid.
Lapidis Philoſophici materia quæ ſit 266. quibus nominibus à Philoſophis nominata, ibid. eius materia vnica eſt, ibid. ex ſolo argento viuo confici poteſt. 267
Lapidis Philoſophorum effecta 225
Larbaſon quaſi lardi baſis 72
Larbaſon Plin. an rectè à Scheunem. in Tarbaſon commutetur: ex ſent. eiuſd. Scheunem. 25. dicitur quaſi Lardi baſis, ibid. 28
Larbaſon Plinii in Tarbaſon à Scheuneman. conuerſum 14. 72. vnde dicatur 73
Latio nominis Scheuneman. 30
Lauretum fatale Liuiæ Aug. 5
Lauacrum metallorum. 22
Libauij coniectura 11
Libauii methodus in Alchymia 66
Libauius multa dona habet à Deo. 156
Libauius ſyntagma arcanorum chymicorum edit. 11. & quid circa illud euenerit 12
Libauii epiſtola ad Laur. Hoffmannum Med. Hallenſ. 12. Biſterfeldium & Goclenium aduerſarios habet. 13. & vniuerſitatem Pariſienſem, ibid. eius de cura peſtis parabolica coniectura, ſyntagmate arc. chym. comprehenſa 14. & paſſim.
Libauii iudiciū & examē tractat. de peſte aſtrali Scheuneman. 16. & ſeqq.
Libauius poetas, qui verſibus Guiberti Apologiam exornaſſe videri volunt, alloquitur 233
Libauii in diuinatione error, ſiue in expoſitione verborū quæ aqua toties inde prolecta ſit expiratione 240
Libauius hermeticæ diſciplinæ decus à Scheune. dicitur. 26
Libau. apocalypſis hermetica 26. quæ contineat. ibid.
Libau. Paracelſiſtas cur & quatenus auerſetur 27. bonorum amicitiam non repudiat ibid.
Libauii reſponſoria ad Scheunem. epiſt. priorem. 26
Libau. ludimoderator per contemptum à Scheuneman. vocatus 35. hirundini ab eodem comparatur 36. & Harpyis Virgilianis ibid.
Libauius an diuinauerit Scheunem. iam interpretando 63. an ſæuiiſſe in alios rectè dicatur 64. & 65. & quid illi cum Tanckio, Crollio, Penoto, Seuerino, aliis 65
Libauii ſcripta in Riolanum & Quercetanum 66. eius Alchymia triumphans, ibid. quo conſilio & methodo ſcripta, ibid.
Libauii controuerſia cum vniuerſitate Pariſienſi. 155
Libauii cum Gretſero concertatio 164
Libauii fides Chriſt. 165
Libauii ars diſſerendi 167. quo genere dicendi vtatur. 169. an impuro, barbaro 170
Libauii Græciſſatio 171
Littera Lotharingicæ. 175
Lotharingica arma à Libauio notata. 174
Lotharingia nihil bonarum habet literarum ex ſententia Guiberti: ſecus Libauij. 176
Lothi vxor quomodo in ſtatuam ſalis conuerſa dicatur. 143
Lucerna perpetua Olybii 219. recenſentur authores qui huius mentionem fecerunt 220. alia Tulliæ Ciceronis filiæ 221
Ludimagiſtri nomen & officium honeſtum 82
R. Lullij vita, & encomium 276. eius doctrinæ approbatio, 277. cur huic operi adiecta 278

M.

Macrocoſmia ſcientia medica 119. 121
Machina pædhulca, qua partus ex vtero liberetur pro libitu 8
Magi auri & argenti præſtigias facientes 241
Magia an Alchemiæ coniuncta. 241
Magicè affectus quomodo curandus. 119
Magica exercitia prohibita 6. chymiatro non ſunt neceſſaria ibid.
Magorum opinio de ſpeculis & ſigillis conſtellatis 3
Magneſia Saturnina Opalina pellucida Quercetani, in croco metallorum. 88
Magnetiſmus. 122
Magnetis oleum an tam fortiter ferrum trahat, vt clauum ex pariete euellat 102
Magnes per ignem vim omnem an omittat. 102
Magnes oleo Martis extinguitur. 102
Malicorium. 97
Malorum reprehenſio laus eſt, & laus vituperium. 13
Mamburgi deceptio in Honauero & Millenſelſio 154
Margaritarum præparatio 6
Martis aquæ duplex deſcriptio. 5
Maſculum vel fœminam vt quæ pro libitu concipiat, quidam ſe effecturum promittit 8
Maturatio accelerari non poteſt, veneno nondum deleto. 62
Maximilianus Imp. aqua martiali vſus dicitur 5
Medicus ſanandi artem qui iactat, quæ debeat præſtare. 108
Medicus ſufficiens ad cognoſcendum, ſufficit etiam ad ſanandum. 108
Medicina fixa 58
Medendi principia catholica. 125
Medici functiones 124
Mercurius ſublimatus dulcis, aquila alba dulcis, & Panacea vocata 31
Medici praxis pendet ex ſcientia principiorum. 119
Medicus incipit, vbi deſinit Phyſicus 119
Medicus Phyſica conſideratione abſoluta non vtitur. 119
Medici doctiſſimi latiniſſimi. 41. 42
Mediciest, etiam quæ didicit, doctè & eleganter diſſerere poſſe. 43
Medicamenta ad peſtem aſtralem vnde petenda. 45
Medicus Galenicus qua methodo curam peſtis ordiatur. 24. principium contagionis tollere conatur. ibid.
Medicamenta ex magia naturali petita magnam fidem ſiue fiduciam naturalem requirunt. 65
Medicus an ſcribendo, loquendo Grammaticorum legibus ſubiaceat 77
Medicorum mutationes periculoſæ 12
Medicina non ſemper apud omnes populos in pari æſtimatione 1. à Catone oppugnata. ibid.
Medicamentorum præparatio duplex, officinalis Galenica, & ſpagirica. 126
Medicina chymiatrica olim à regibus exercita. 14
Medicorum hermeticorum diſtinctio. 1.
Medicina exotica à Romanis damnata 1. patria culta ibid. in artis formam redacta: ibid. ab antiquo exiſtit. ibid.
Medicina quibus authoribus & quando cœperit ibid.
Medici Hermetici. I. Hippocratici audire volunt, ibid. eorum factio duplex. 2
Medicorum plures ſectæ tempore Galeni 1

Medicina

Medicina alia dogmatica, alia empirica, alia methodica. 1
Medicina Hippocratis à Galeno exculta ab omnibus recepta 2
Medicina & Philoſophia noua fundamentum lapis Philoſophorum. 2.*principia tria eſſentialia, ibid. cōparatio microcoſmi cum macrocoſmo,* ibid.
Medicorum factio Paracelſica. 2
Medici Galenici. 2.*eorum factio in rigidam & Galenicochymicam diuiſa* ibi.
Medicina Hippoc. & Galen. duo criteria, ratio & experientia 2
Medicorum genus magicum. 3.*varia exempla* 4
Medicorum genera quinq; Diale, magicum, aſtrale, naturale, imaginarium. 3, *quod ex his probandum reijciendum* ibid.
Medicinæ diuiſio in theoricam & practicam. 123
Medici actio propria eſt ſanatiua corporis humani animati 123
Medici non eſt inſanabilia aggredi. 123
Medici functio in phyſiologian, hygienen, pathologian, prognoſticen, & Therapeuticen 124
Medici cuiuſdam miranda pollicitationes recenſentur. 7 *promittit fœcundare terras omnes, ibi. piſcium & auium copiam, agrorum prouentum vberrimum, & morborum curam admirādam, quin & mutare affectus, virtutes & vitia ex vno in alium transferre, iuuenilem reſtituere ætatem, ſine ventriculo alere & alia,* ibid. & ſeq.
Medicus legitimus an medicamenta ſua venum exponere debeat 117
Medicæ artis conſtitutio, qualem his temporibus deſiderant Hermetici Hippocratici, veterum inuentis ſeruatis 118
Medicorum factiones hodierno tempore duæ, Galenica, & Paracelſica 118.*additur genus medium.* ibid.
Medicina eſt ars bene medendi 118.*dicitur ſcientia.* ibi. *eius ſubiectum,* ibid.
Medici ab ægrotu non facile mutandi 12
Meleager fatali ſtipite à matre exuſto perit. 5
Mercurius ſolis Paracelſi 60
Mercurius ſolis 18.*eius præparatio per viam humidam, ibid. per ſiccam* ibid.
Mercurij dulcis præparatio 114
Mercurij vox an de mercurio illo vulgato intelligenda 221
Mercurius dulcis 113
Mercurius an ſemper metallum dicatur 33
Mercurius ſublimatus ſiue hygeia Scheunemāni an tartareos morbos tollere poſſit 117
Mercurius ſolis ſummus rex & iudex omnium Planetarum 18.*an magnetica virtute excrementa alui & ventriculi ſolus attrahat, ibid. eius præparatio, ibid. vt per viam humidam & ſiccam fiat, ibid. præparatio,* ibid.
Mercurium præcipitare 19
Mercurius Veneris 20
Metalli nomine quæ veniant. 33
Metallorum diſtributio ex Baccio. 106.*ex alijs,* ibid. *vera.* ibid. *ex Phyſicis* ibid.
Metalla in argentum viuum quomodo ſoluantur 18
Metalla corruptibilia & generabilia 168
Metalla an ab æterno, an in tempore creata. 185
Metallorum generatio 185
Metallorum virtus ſeminaria & ſpiritus 186
Metalla quædam, non eſſe foſſilia, ſed artificialia 106. *& quæ* ibid.
Μεταλλᾶν, & μεταλλεύειν quid 107
Μεταλλεὺς foſſor 107
Metallorum propagationis hiſtoria 208
Metallorum ars perfectiua. 224
Metallicus vox quomodo accipiatur 103
Metalli nomen generale 104
Metallicorum ſpecies variæ 104
Metalla à quibuſdam diuiduntur in perfecta, & imperfecta 104
Metalla an rudia & imperfecta à Deo condita 189
Metallorum tranſmutatio an in momento fieri poſſit. 189
Metalla an accidentibus ſpecificis differant 190
Metallorum tranſmutationem poſſibilem eſſe Libauius demonſtrat 193
Metalla etiamnum hodie in venis & metallis naſci. 208
Metallorum duriorum tranſmutatio 255
Metalla vt in mercurium reſoluantur late docetur. 255
Metalla quomodo ex mercurio beneficio ſulphuris metallici componantur 256
Metalla an φλογιστά. 256
Metalla omnia ex ſulphure & hydrargyro concreſcere. 257
Metallorum an vnica ſubſtantia, qualitates diuerſæ. 257
Metalli nomine apud veteres quid veniat. 104
Metalla vnde dicta. 104
Metallorum ortus ex principio inſito, tanquam ſeminio 142
Metalla quot à Paracelſo dicantur 104
Metalli nomine quæ veniant 105.107
Metalla infima, & media, an vere metalla 105
Microcoſmia ſcientia medica 123. *eius ſubiectum Homo* ibid.
Mineralium diſtributiones ex Alberto Magno 105
Mineralia à quibuſdam diuiduntur in maiora, minora, media. 104
Mineralium diſtributiones 105
Minerale & metallicus vox an vnam eandemque rem ſignificet 103
Minerale, foſſile, metallum non raro idem ſignificare. 33
Mineralia Paracelſiſtarum improba 24
Minerale dictum an poſſit eſſe metallicum 103
Minerale & metallicum an ſynonyma 33
Miſtorum perfectorum tria eſſentialia 119
Mixtū, compoſitū 120.*perfecte mixta* 121.*imperfecte, ibid. perfectorum mixtorum ortus ibid. genera* ibid.
Miſtio an in tranſmutatione fiat 145
Mithridatium Scheunemanno exoſum 44
Modi quibus metalla tranſmutata probantur 253
Momi Scheunemanni reprehenſio 85
Momus quid Scheunemanni 57.58
Momus iudicio Scheunemanni incarnatus diabolus 27. 55.67
Momus quis 63
Momi Scheunemanni incarnati diaboli. 16
Mœris Virgilianus an defecerit voce, præuidente eum lupo 7
Morienus chymicæ artis peritiſſimus 217. *eius de hac liber* ibid.
Morbus Bamberg. ex infectione phlebotomica 108
Morbi fixis an volaticis tollendi 117
Morbus per ſimilia fit, & per ſimilia curatur 50. *hoc quomodo intelligendum.* ibid.

Morborum tranſplantatio 4
Morbi tranſnaturales 4
Morbi qui per ſpiritus infliguntur 118
de Morbo Gallico quadam 108
Morbus Gallicus quibus curetur 110
Morbi. 124
Morbus an ſit aſtralis, qui purgantibus ſiue mercurialibus, ſiue ſalinis curatur 117
Morbi aſtrales an ſolis aſtralibus curentur 17
Morbus an imaginatione tollatur. 126
Morborum curationes an etiam à diabolo peti poſſint. 126.
Morbi quid 124
Morbi generales, particulares, vniuerſales, ſporadici, epidemiales, endemiales, &c. 124
Morbi ſecundum Paracelſicos, alij aſtrales, alij elementales 124
Morborum iuxta Paracelſ. quinque entia 124
Morbi noui an adhuc hodie excitentur. 124
Morborum cauſa vniuerſales, particulares, remota, propinqua 124. *vniuerſalibus qua annumerentur.* 124. *qua particulares* 124. *quadam extra hominem quadam in ipſo* 124
Morborum ſymptomata. 125
Motus purgantis medicina & ſympathia cum purgandis Scheunem. 98.99
Motus ſympatheticus & antipatheticus. 99
Motum ſympatheticum omnes Philoſophos admittere 99. *huius exempla, ibid. an à Libauio negetur* 99
Motus ſympatheticus an à Galeno doceatur prouenire à certo qualitatum primarum temperamento 100. *tribuitur ab Auicenna qualitati à Deo & cœlo inſtillata.* 100
Motus ſpecies ſex 126
Ph. Mullerus miracula & myſteria chymico medica edit 4. *eiuſce operis partitio.* ibid.
Mundus animal magnum Platoni. 122
Mundi perfectio 190
Mundus an perfectus à Deo conditus 188. & 190
Myſteria cabala Paracelſica 76

N.

Nabuchodonoſoris tranſmutatio 143. *qualis fuerit ibid. & ſeq.*
Naturalia qua 69
Natura edicta immutabilia. 97
Natura leges podagra curationem non admittere. 109
Natura rei melioris ſemper author 142
Nomenclatio 30.81
Nomina rebus certa lege impoſita ſunt. 97
Nomina artium poſteriora ſunt, artibus iam exiſtentibus 97
Nutrimentum quale, tale & excrementum 100

O.

Oleum ſtibii 29
Oleum antimonij 30
Oleum tinctura ſtibii ex Rogerio 81
Oleum carbunculi ex ſtibio 81
Oleum magnetis an tam fortiter trahat ferrum, vt ex pariete clauum expellat 102
Oleum antimonii Rogerii 30
Omnia ab vno, & omnia ad vnum 188
Opali varia genera 89. *omnium gemmarum habet colores* ibid.
Orichalcum foßile pluribus notis diſcerni potuit ab auro 198
Orichalcum nobile 204
Orichalci & æris differentia 205

P.

Panacea Ambaldina 14
Panoplia Martia Achillis 5
Panoplia ſacra 5
Paracelſicus quidam mira quadam promittit 7. *vt fœcundare, omnes terras altilia ad votum, latamina agrorum, ſanitatem humani corporis, affectuum mutationem, virtutum & vitiorum ex alio in alium translationem, reſtitutionem iuuenilis ætatis, alere ſine ventriculo, fœcunditatem, augmentationem pecunia tormenta mira bellica, liberationem Europa & alia late* 6.7.8.9.10
Paracelſiſtarum, ſiue impoſtorum chymiſtarum impoſtura, & tragici exitus 232
Paracelſiſta duplices, literales, myſtici 158
Paracelſus an veterem artem correxerit 160
Paracelſi theſauri 9
Paracelſicorum mores & ſtultitia 110.111
Paracelſiſta ſunt abortus & excrementa vera medicina 127
Paracelſiſta ſaniores theriacam non improbant 48
Paracelſus arcanorum monarcham ſeipſum vocat 50
Paracelſiſticum Hippocratici potius eſſe, quam Galenici velint 50
Paracelſus monarcha medicorum à Scheuneman. dictus 50
Paracelſica fides, fabuloſa eſt & mendax 102
Paracelſus de magnete 103
Paracelſiſtarum erga Libauium odium 11. *eorum oracula ſomnia, vel furta ibid. ijs non ſcribit Libau. ſed ſtudioſis* ibid.
Paracelſiſta ſunt mercatores & agyrta cum ſchedulis 14 *ex merce & ſchedulis innoteſcunt* ibid.
Paracelſica ſepia deprehenſa fugiunt in atramentum ſuum 27
Paracelſici an hermetici dicendi ibid.
Paracelſicorum impoſtura 17
Partes compoſitionis num ſemper priores tempore compoſitis 78
Paracelſici an legerint Plinium 71. *aſini in variis linguis* 72. *ijs voces barbara placent* 75
Paracelſica Cabala myſteria 76
Paracelſiſtarum nequitia, qua aliud dicunt, aliud intelligi volunt 64
Paracelſus totam medicinam veterum immutauit 51. 52. *à ſuis diſcipulis male intellectus* ibi.
Paracelſi nomen ignominioſum 51
Paracelſi vita à Crollio deſcripta 53
Paracelſus ſe & ſuum nomen propriis facinoribus ignominioſum reddidit. 55
Paracelſus ingentẽ pecuniarum vim defodiſſe dicitur 9
Paracelſici ab authoris inſtituto deflectunt 14
Paracelſiſta cur mendacia, vituperia & iniurias idiomate vulgari conſcribant 117
Phyſica diuina 120
Paracelſus monſtrorum monarcha 124
Paracelſici etiam ſermonem peruertere ſibi licere, putant 32
Paracelſiſta in crucem acti, aut alios ex merito tractati 232
Paracelſiſtarum latibula, qua fruſtra quarunt 16
Paracelſicorum factio incrementa paßim & quotidie ſumit 2

Paracelſi

Paracelſi quinque entia 3. primum Ens Deale, ibid. 4. Aſtrale 3. naturale. 4. pagoycum. 5. venena naturalia & artificialia ibid.
Paracelſi axioma de attractiuis 3
Paracelſiſtarum factio improba viriliter oppugnanda. 4
Paracelſia Hen. Scheunem. de morbo mercuriali contagioſo, qui peſtis appellatur, ex quintuplici ente prognato 44
Paracelſus venenum aut antipharmacis necat, aut impoſitis extrahit 21
Pater aris 14
Pauo imaginans ſibi ſerpentem 10
Pati de Hippocrate iudicium 17
Pati ſententia de Hippocrate ad Artaxerxem 67. 68. late.
Pecuniarum augendarum rationem quis promiſit. 9
Penotus reprehenſus 87
Penoti iudicium de Libauio 54
Penotus 65
Penotus ad Paracelſiam tranſiens, pedem ſapienter retrahit 34
Peripatus Ariſtotelicus quid ſit 170
Peripatus Ariſtotelicus Guiberto eſt Ariſtoteles 170
Peſtis putrida cacochymicæ cura 32
Peſtis magica therapeutica 45
Peſtis aſtralis generatio 15. curatio, ibid. ad hanc ſuppoſitorium, ibid. vomitiuum, ibi. hydroticum, ibid. diureticum, ibid, roboratio per externa, ibid. horum examen inſtituitur 19. & ſeqq.
Peſtis qualis morbus 19. morbus epidemicus ibid.
Peſtis aſtralis vnde originem trahat 45. quibus curanda ibid. 46
Peſtis non tollitur niſi placato Deo. 68
Peſtis an validiora remedia poſcat, quam Theriacam & Mithridatium 69
Philargyria Guiberti 216
Philoſophorum lapidis effecta 225
Philoſophi cur ſua non vulgarint 209
Philoſophus an recte poſſit coniecturis vti. 36. 93
Philoſophiæ cauſa dubitatio 36
Philoſophi officium 36
Philoſophi antiqui, quibus principiis inſtructi, tranſmutationem metallorum ſunt aggreſſi. 274
Piſces exoticos viuos in patriam deferre 8
Piſcium euporia miranda 7
Plinius Paracelſiſtis contemptus 28
Plinius an rectius Larbaſon ſcribat, quam Tarbaſon. 28. 71
Plinius de orichalco 199. de ære coronario ibid.
Plinij locus de auro 244
Plinius quid de tranſmutatione metallorum ſenſerit. 223.
Plumbum ex ſtibio per plumbum. 20
Plumbum Philoſophicum. 20
Podagra Scheunemanni. 108. 111
Podagra an à Paracelſiſtis tollatur 108
Podagrica Crollij 109
Poetæ ſint illi boni, veri, qui aliorum merces laudant, alioſque contemnunt 117
Pomorum Heſperidum explicatio 213
Præſtigiatorum, ſiue Pſeudochymicorum ex deſcriptione Guiberti triplex genus 233
Principia Paracelſiſtarum 98
Principium mole minimum, poteſtate maximum. 169
Principum ditandi ratio 9
Principia Paracelſiſtarum 2. 3
Principia Hippocratica an eadem cum Galenicis. 50
Principia medendi catholica 125
Proceſſus cuiuſdam popularis in 2. ſyntag. deſcripti declaratio. 85
Proceſſus aurificus quo argentum viuum in aurum mutari docetur, deſcriptus à Barnaudo & Fernelio 235. 236
Proceſſus tranſmutatorius metallorum ex Barnaudo, 250. exponitur à quodam anonymo, ibid. alius, ſed imperfectus 252
Proiectio in inſtanti mutans. 191
Propagatio metallorum. 207
Prophylactica Scheuneman. 45
Prophylacticum poterit ex tinctura Philoſoph. ſol. vel antim. 8
Pulueres in peſte aſtrali exhibendi ex deſcriptione Scheunemanni, examinantur 19
Puluis Eſdræ an puluis aurificus. 204
Pulueres Scheunemanni. 32
Puluis vomitiuus Galen. in curatione peſtis 24
Purgans an purgandum magnetica virtute trahat. 59
Purgatio eſt eductio alicuius noxii, & determinati in corpore per medicamentum purgans 101. duabus de cauſis fit ibid.
Purgatores librorum Pontificii. 218
Purgantia agunt qer familiaritatem totius naturæ, qua ſimile trahit ſimile 32
Purgans mercuriale 33

Q.

Quercetanus defenſus & offenſus iterum 66
Quercetani crocus metallorum. 90
Quercetanus 65

R.

Raucedo ex præuidente lupo 7
Rectum ſui & obliqui iudex. 232
Regnum literarium Guiberti in Lotharingia 185
Reguli ex ſtibio quomodo præparentur 20
Religionis odium in artes redundat. 230
Retorſio iniuriarum & conuitiorum in Guibertum. 181
Reuelatio diuina 206

S.

Sacerdos deditus diabolo, Guiberti ſocius. 246
Sales tranſmutatorii 246
Sal metallicus. 22
Sal nitrum & ſulphur hoſtes 21
Sal roſatus 87
Salis nitri præparatio ex Penoto 87
Sal ſulphureus, ſal mercurialis, ſal ammoniacus 22. ſal fuſilis ibid.
Sanationes felices Scheuneman. 34
Sanitatis humanæ admiranda curatio. 7
Scheuneman. Hippocratem non legit. 68. eius ruditas, ibid. & 69. 70. ſuo reti implicatus ſeipſum explicare nequit 70
Scheuneman. rex auium 64
Scheuneman. Epiſtola ſecunda ad Libau. 35. ſuperba, faſtuoſa, ibid. Libauium per contemptum ludimoderatorem vocat ibid.
Scheuneman. philoſophomaſtix. 36. veniam à doctis an recte petat 37. an ei danda, ibid. aſinus ſtupidus 38. eius flagitia grammaticalia. 42

Scheun.diabolicam virulentiam ex impuro corde eructat. 56
Scheunem.antheriacam recte profligare dicatur, an vero ſolum abuſum 47.48
Scheuneman.an ſit Paracelſicus 51.probatur ibi.
Scheunem.artemiſia 28
Scheun.egregius verborum interpres 28.eius Cabala Paracelſica ſtulta. 30
Scheunem.an vere artem ſanandi ſibi arroget 108. male de morbis iudicat ibid.
Scheunem.podagra laborat 108
Scheunem.Grammatica, Phyſica aliarumq; artium ignarus 95
Scheunem.anus virulenta, loquax 98
Scheunemanni amici 25
Scheunem.pulueres quos peſte laborantibus aſtrali præbet, examinantur. 19
Scheunemannus peſtem aſtralem per tria aſtraliter curari glorioſe, ſed vane prædicat 17. male ſibi conſcius latibula quærit. ibid.
Scheunem.methodus curand.Peſt.aſtralis.fabuloſa 62
Scheunem.flagitia & errata Grammaticalia 64
Scheunem.rex auium 64.& quarum ibid.
Scheunem. mina contra alchymiam Libauij 67. Hippocratem non legit.68.eius nomen ſcribere neſcit 68. eius mendacia. 69
Scheuneman.ferre non poteſt ſe Paracelſicum dici 71
Scheunemanni furtum in tranſcribendis aliorum inuentis.11.ſcriptum, quo Galeni canones mithridatiū Theriacam,&c.damnat 14.16
Scheunemanni hygia argentea, & ex quibus confecta 14 an fixa 17
Scheunemanni cura peſtis parabolica late examinatur 14.& paß.
Scheunemanni tractatus de peſte aſtrali curanda, epitome 15.& ſeqq. iudicium Libauij de hoc 16.& ſeqq.
Scheunemanni epiſtola ad Libau. de iudicio ſuæ ſphingis in ſyntagm.Chym. 25
Scheunemanni amici 25
Scheun. Galenicos canones ac orum mittendos cenſet. 27 47. Galeni hoſtis ſummus, ibid. Hippocraticis principijs inſiſtere vult 27. an recte dicat ſe medicamenta ſua occultare nolle ibid.
Scheunem.vitia Grammat.in epiſt.prior.commiſſa 26. 27 28.& ſeqq.36.37.39. & alibi paßim Logica ibi.
Scientia an labiles 42
Semimetalla 20
Senſus noſtri vbi nos erudire poſſunt, & vbi conſcientem experientiam habemus, opus non eſt ratione, vel ſcriptorum teſtimonijs 168
Serpens, ſeu baſiliſcus ſapientum 247
Seuerinus. 65
Seuerini de Hippocrate iudicium 51
Silentium aliud prudentia, aliud tolerantia 154
Simile an recte dicatur trahere ſimile 97
Similia ſimilibus curari 98
Simile à ſimili gigni 183
Similia an recte ſimilibus curari dicantur 33
Sinonima ſcribendum iuxta Scheunem.regulam, an ſynonyma 41.& ſeqq.
Societas de Roſ.cruc.magica promittere videtur 10
Societas de roſea cruce 2. vniuerſali medicina homines ſanaturi huius ſocij pollicentur 2
Sol Paracelſo quid 60
Species an in ſpeciem mutari poßint 90
Spiritualia ſpiritualibus curanda 58
Spiritus magnetis ſulphureus ignem non tolerat 102
Spiritus fœtens nouem aquilarum 241
Spiritus ſulphureus & aurificus facile poteſt perire, aut materiam indiſpoſitam inuenire 245
Stannum ex plumbo 151
Sterilitatem propulſantia. 5.8
Stibium vtrumque metallis accenſetur 33
Subiectū arſenicale peſtis aſtralis ex deſcriptione Scheuneman. 18.19.& ſeqq.
Sues ſtibio pinguefacere 29
Suidas de tranſmutatoria metallorum 211. an recte à Guiberto reijciatur 215
Suidas de Chemia 178
Sulphur quibus nominibus Scheunemanno dicatur 19
Sulphuris color 95.an glaucum 95
Sulphur an malleabile 107
Sulphuris Cabala non bene cabaliſtica 23
Sulphur & ſal nitrum hoſtes 21
Sulphur quibus nominibus Scheunemanno appelletur. 23
Sulphur Philoſophicum pater metallorum, & principium mixtorum 23
Sulphur, famulus culinarius, iunior Cribtit, Scheunem. appellatus 32. & quibus aliis nominibus ibid. quibus Dornæo, Thurneiſſero, & aliis ibid.
Sulphuris proprium eſſe φλογιστὸν, quomodo intelligendum 256
Sulphur crudum commune, quomodo verum aurum progignat 260
Sulphur antimonii an crocus metallorum 94
Summa artis tranſmutatoriæ 179
Summa libri de peſte aſtrali curanda à Scheunemanno editi 44
Summa libelli Scheun.de peſte Aſcanienſi 46
Suppoſitorium Scheunem.in peſte aſtrali 15
Sympathia, antipathia 121
Symptomata morborum 125
Syntagma arcanorum chymicorum authoris 4. quo cōſilio conſcriptum 10. quid circa id euenerit 11

T.

TArbaſon etiam ſtibium eſſe contenditur 29
Tarbaſon pater minerarum præparationem pulueris hydrotici peſtilentialis ingreditur 21
Tarbaſon vox vnde deriuata Scheunem.29.72.75.& paß.
Tartarhan Scheunemanni 19
Tar an ſit vox quædam Græca 75. vocem non eſſe probatur ibid.& ſeq.
Tarbaſon vocis Cabaliſtica deriuatio ex ſentētia Scheuneman.76.ſi ex Tar & Baſanos ſiat, an ſit compoſitio iuxta figuram Grammaticam, an deriuatio. 77
Tarbaſon monſtrum Baconis. 80
Tarbaſon an rectius dicatur quam Larbaſon 81
Temperamentum elementale & eſſentiale 122
Teſtes fide digni vbi adſunt, fruſtra argutiæ logicæ in contrarium adhibentur 235
Theriaca & mithridatium à venenis deleteriis vtentes præſeruant 47. iis veteres frequenter vtebantur ibid.
Theriaca an peſtis curetur 45
Theriaca Scheuneman.exoſa 44
Therapeutica methodus Scheunem. 60
Theriaca & mithridatium Galen. an morti portas aperuerint 22
Theſauri Paracelſici 9
Tinctura Phil.ſolis, vel antimonii potentia prophylactic. 8
Tinctura vltra menſuram 178

INDEX.

Tinctura ex auro multiplicabilis 252
Titio magicus Meleagri 5
Titulus librorum Guiberti aduerſus chymicam artem editorum 182
Titulus defenſionis Libauii 167. defenditur 169
Tonitru quomodo arte excitari queat 9
Tormentorum bellicorum noua reperta 9
Tormenta bellica noua arte excogitata mirandæ virtutis 9. contra eorum rupturas. ibid.
Tractat. Th. Iordani de Bruno Gallico 108
Tractatus Scheunemanni de peſte aſtrali aſtraliter curanda, in epitomen redactus examini ſubijcitur 15. & ſeqq.
Translatio textus Germanici tractat. Scheunem. de peſte curanda 69
Tranſmutatoriæ artis ſumma 179
Tranſmutatoria triplex naturalis, artificialis, & falſa, ſiue apparens 182
Tranſmutatio chemica an miraculoſa 193
Tranſmutatoriæ exemplum ex Ariſtotele 199
Tranſmutatio ſymbolica. 124
Tranſmutatio metallorum an in momento fiat 189. 191. 195
Tranſmutationis modi tres 190
Tranſmutationem metallorum vanam eſſe & impoßibilem Guibertus demonſtrare conatur 192
Tranſmutatio metallorum an miraculoſa dicenda 193
Translationem metallorum poßibilem eſſe monſtrat Libauius 193. etiam Ethnicis cognitam eſſe 194
Translationem chymicam humanis ſpeculationib. peruiam eſſe 195
Tranſmutatoria metallorum in Phyſica generatione & corruptione fundamenta ſua habet 209. late probatur ibid.
Tranſmutatio metallorum docetur, & demonſtratur, ex Heliophilo à Percis 252
Tranſmutationem metallorum poßibilem & naturalem eſſe 258. aſſeritur & probatur 275
Tranſmutatio metallorum etiam à Matthæſio aſſeritur 259
Tranſmutation. metall. modi duo à Clauæo inuenti. 274
Tranſplantare morbos. 4.8
Tranſnaturales morbi 4
Tranſmutationis Chymicæ exempla aliquot 243. & aliq. ſeqq. & 265. 273. 275
Tranſmutationem metallorum poßibilem eſſe probatur 248. 249
Tranſmutationis artificium totum ex proceßibus Barnaudi 250. exponitur ab Antimonio quodam ibid. eiuſdem proceſſus, ſeu imperfectus 252
Turbith, ſiue Turbaſon 30

V.

VAcca citrina Scheuneman. 82
Vacuatio opus naturæ, cuius medicina purgans inſtrumentum 100
Vellus aureum Iaſonis 211. 234. quid fuerit, ibid. an artis tranſmutatoriæ deſcriptio, ibid. & ſeq. hoc probatur ibid.
Venerea lues quibus curetur 110
Venus ſub tentorio viridi 19
Venus ſub viridi tentorio, Scheunemanni, quæ 19
Verbüſſen quid 93
Virgula biſurcata indagatrix metallorum, quomodo præparanda 260
Vitæ lampas 5
Vitra antimonij Scheunem. 89
Vitrum ſtibiatum 90
Vitrum Tiberij non tam vitrum fuit, quam metallum perſpicuum 226
Vitrum malleabile 225
Vitrea pocula Neronis 15000. coron. æſtimata 225
Vitrum flexile & malleabile reddi poſſe 225. & ſeqq. an natura hoc impoßibile ſit 276
Vitriolum ex ferro, & ex hoc cuprum, generari 259. & quomodo ibid.
Vnguentum ſympatheticum Paracelſi 6
Vocabulorum abuſu res non debent confundi 97
Vomitiuum 24
Vomitiuum Scheuneman. in peſte aſtrali 15
Vox quid 75
Vox humana quid 75
Vulpecula Heideri ſcholaſtica 13

Z.

ZWingeri de Paracelſicis iudicium 30

FINIS.

Francofurti



Excudebat Nicolaus Hoffmannus, Impenſis
Petri Kopffij.

Anno M. D. CXV.